SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

O P E R A   O M N I A

Q U Æ   E X T A N T

V E L

QUÆ EJUS NOMINE CIRCUMFERUNTUR,


Nova Latina Interpretatione donata: multis aucta: Præfationibus, & Notis illustrata: nova Sancti Doctoris Vita, & copiosissimis Indicibus locupletata.

Opera & studio MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI e Congregatione Sancti Mauri.

Novissimis nunc curis emendatiora, & Quarto Volumine aucta.

TOMUS SECUNDUS.





P A T A V I I, M D C C L X X V I I.

EX TYPOGRAPHIA SEMINARII,

Apud JOANNEM MANFRE'.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

PRÆFATIO

IN SECUNDUM TOMUM.



INNATO prolis amore factum plerumque, ut mediocris facultatis homines ac rusticani in divitum principumque domos filios submitterent: & facile sibi eorum jacturam ferendam putabant, dum ad pinguiorem illi fortunam ceu ex transverso & invita natura accederent. Idipsum dolo consimili ab innumeris pene, nec ingenio minus quam ætate disparibus, admissum deprehendimus, qui cum nec fama valerent, nec suapte opera nomen sibi parere posse confiderent, mutuato Athanasii nomine, aliquam sperabant scriptis suis adjici dignitatem. Hinc evenit, ut tot tantaque opera Athanasium ementiantur. Neque tamen hæc una fuit tam immanis accessionis causa: nam multa quoque, olim ἀδέσποτα, cum in librariorum manus incidissent, pari ipsorum temeritate, eidem adscripta fuere. Hujusmodi ausus, quanti quanti fuerint, ferendi fortasse erant, si viri solum ingenio atque arte scribendi præditi suos fœtus Athanasio commodassent: at, contra accidit, ut plerumque imperitorum hominum & insulsorum nugis male auctus sit tam peritus artifex. Hinc germana næniis intermixta fœdataque in prius editis conspicimus. Hinc inepta illa & ἀπροσδιόνυσα, prodeunt, liber de Definitionibus, historia Imaginis Berytensis; quin illam memoramus Melchisedeci historiam, γέλωτα sane; ni fortasse malis fastidium quam risum illa moveri? Nec audiendus ille nuperus, qui non diu hoc opus Athanasio asserere nitebatur. An Melchisedecum hujusmodi depingat Athanasius; qui post exactum in saltibus septennii otium sponte loricatus prodit, pelle instar testudinis occallente, vulturinis unguibus, corpore pilis ita horrente, ut ursum diceres? Nimirum, ut ait Tullius, *Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Græcorum natio: itaque quod vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quæras omnia quomodo Græcis ineptum appellent, non reperies*. Addiderim ne apud Latinos quidem vocem hujusmodi nugis dignam reperiri. De Oratore l. 2.

His tamen, quantavis φλυαρίας conspergantur, id conficitur; ut cum Athanasio plura quam aliis Patribus spuria adscripta fuerint, palam videatur ille majore quam cæteros eruditionis & doctrinæ fama fuisse, & quidem apud peritos juxta atque imperitos; quando inter multa quæ nauci & nihili sunt, non spernenda alia comparent, neque talia de quibus sit Athanasio erubescendum. Erubescendum iis erat potius, qui fictam submisere prolem: nam æque illiberale est sua aliis se dignioribus adscribere, atque labore alieno parta in se transmovere. Sed erunt fortasse qui litem moveant: Quid igitur, ajent, illa quæ tute luce indigna arbitrare, non exegisti? quid tam multa ejus generis hactenus ignota e tenebris eruisti? Verum præsto est quod respondeatur: ut nostrum fuit dubia & spuria a germanis secernere, haud ita licuit nobis ea resecare. Inter spuria recensemus, quia eo videntur certis de causis ablegata oportere: erunt fortassis quibus alia sit opinio, qui facultatem judicii ea de re ferendi præreptam sibi fuisse indigne ferrent. Ad hæc, quamplurimis eruditione præclaris hominibus obtemperamus, qui quæ nomen Athanasii præferunt, omnia volunt publici esse juris, ajuntque nulla eorum carere suo fructu. Quamobrem si quibus horum lectio displiceat, ea nullo dispendio missa faciant, nec invideant iis quibus lustrare omnia & in singulis judicium exercere animus est.

A quibus autem isthæc tam multa sint elaborata, quis tam lynceus qui perspicere queat? Unum scimus, jam fere a tempore usque Athanasii cœpisse nonnullos sua Athanasii nomine insignire: sequentibus exinde ætatibus fraudem ceu fluxu quodam ubique pervagatam esse, & postremo ad Latinos ex Græcia dimanasse. Hisce omnibus mirum in modum, sed damno suo uti diximus, auctus est sanctus Doctor. Pauca tamen sunt, quæ auctorum nomina in quibusdam codicibus præferant, ut cuique videre est in hujusce tomi decursu. Ætatem vero singulorum quantum in nobis situm fuit assignavimus. Ad ea quæ in prius editis exstant, permulta nos ex tenebris eruta, ut mox dicebamus, adjecimus: supellectilem sane variam, pretio atque utilitate disparem.

Quoniam autem non æque conspicuis notis omnium νοθεία deprehenditur: sed quædam eorum non tam evidentia signa in utramvis partem referunt: alia vero vel ipso cultu atque conspectu peregrina sese profitentur; binas in classes hunc secundum tomum distribuere visum fuit. In priore, usque ad pag. 78. Athanasii nomine dubia omnia edi curavimus. Et quidem id ultro fatemur, quod cuique monita nostra legenti subodorari licebit; videlicet nos, etsi inter incerta isthæc reponamus, plerumque tamen magis propendere in partem negandi: maluisseque adhuc sub judice litem esse, quam in periculum venire levius proferendi νοθείας judicii, Athanasioque suas forte lucubrationes abjudicandi. In posteriore, a pag. 79. ea collocamus, quæ aperte spuria sunt, non aliquo servato ordine, sed ea quæ in prius editis primas tenebant ut sors obtulit, priora ferme reposuimus: alia ut argumenti ratio ferebat una conjunximus. Nec tamen certa regula fuit: & quia serius nonnulla accedebant, priorem in vacuum locum casu magis quam consilio conjecta sunt: & consilio-ne opus in rebus inconsulta multorum temeritate consarcinatis? Homiliæ tamen omnes una cohærent, servato rerum quæ aguntur ordine.

His autem notis, bis tesseris dubia & aliena a germanis internoscimus: primo ex frequenti Athanasii operum tractatione, ceu gustus quidam legenti inhæret, cujus ope haud facile sit ipsi fucum facere; cum maxime arduum sit quantumvis perito nativam Athanasii elegantiam ementiri. Et quidem multa occurrunt, quæ si vel primoribus quidem labris adtingas, statim respuas ut peregrina & ab Athanasii illa ἐνεργείᾳ abhorrentia. Hujusmodi sunt Disputatio contra Arium in synodo Nicæna, sermo contra omnes hæreses, Historia Melchisedeci, liber de Definitionibus, & alii ejusdem fa-

rinæ

rinæ libelli. Etiamsi vero in melioris notæ opuscula incidamus, dum in genere polemico versentur, in quo cernimus pene totam Athanasii ætatem esse contritam, haud magno labore a fraudulenti scriptoris artificio nos explicemus: cum vix ulla ars illum tot annorum usum, illam sponte fluentem eloquentiam consequi possit. Cum autem alio genere scribendi exarata sunt, quo vel nulla vel paucissima ediderit Athanasius, tum laboris & consilii res est. Investiganda scilicet doctrina, verba singula inspicienda, sententiæ ponderandæ, num alienæ ab ætate, ab auctore, ab Ecclesiæ usu. Difficile sane nihil ejusmodi deprehendi in spuriis. Si notæ quædam hujusmodi occurrant, & tale opus ab antiquo nemine laudetur, jam augetur suspicio. Neque tamen illico ferenda adversum sententia, nisi alia ex mox enarrandis nota compareat. Nam sunt alia gravissima signa, quibus lis solvatur. Cum hæreses scilicet subsequentium ætatum impugnantur, etiam tacito hæreticorum nomine: namque si nomen adest, nec conjectura subest aliqua fuisse amanuensium temeritate adjectum, nulla mora fertur νοθείας judicium. Si in manuscriptis inscriptio ita variet, ut in aliis Athanasii, in aliis alterius scriptoris nomen compareat; signum videtur manifestum, esse totum Athanasio abjudicandum: nam si primitus Athanasii nomen tulisset inscriptio, ne cogitasset quidem amanuensis alterius nomen substituere; cum tanta sit celebratissimi doctoris auctoritas, ut stultum esset ab alio majorem mutuari. Et sane nullum vidimus ex genuinis Athanasii, alterius præferre nomen in codicibus. Evidentissimum suppositionis argumentum est, cum Patres Athanasio suppares aut omnino inferiores laudantur: nam tum vel ex ignorantia scriptnris prodit anachronismus, vel inconsulto amanuensium ausu Athanasii nomen præfixum operi fuit. His usus sum tesseris; quæ tamen nunc leviter perstringo, quia fusius suis locis. Undenam singula prodeant, vide sis in mox sequenti recensione codicum mss. & editorum.

Præter ea autem quæ hic exstant cusa, alia permulta sunt, quæ cum proxime præteritis sæculis fraudi opportunioribus impune Athanasium ementita fuissent, instaurato demum litterarum usu, ex Athanasianis ejecta sunt. Inter hæc annumerantur Commentaria Theophylacti in Epistolas Pauli, in prioribus Galliæ editis cusa ad frontem operum S. Athanasii, quæ deinde Vulgarii, sive Bulgarii, aut potius Theophylacti Bulgarorum episcopi esse deprehensa sunt, & jam ejusdem nomine Græce & Latine circumferuntur. Non defuere item, qui libros Hilarii de Trinitate Athanasio adscripserint, quorum sententia ne confutatione quidem eget: & probe opus illud Hilario assertum fuit in postrema ejus operum editione a nostris adornata, Dialogus quoque Joannis Damasceni contra Manichæos in Regio codice num. 2502. adscribi a nonnullis Athanasio dicitur: sed γνήσιος Damasceni fœtus est, ut pluribus commonstrabit vir eruditus P. Lequien Ordinis Prædicatorum, in ea quam parat Damasceni operum editione. Vere tamen Athanasius Manichæos, quorum ingens sua tempestate numerus, scriptis est adortus: at ejusmodi scripta cum innumeris aliis injuria temporum exstincta sunt. Et plane demiror Græculorum oscitantiam, qui dum spuria sexcenties exscriberent, germana ita neglexerunt, ut incuria perierint. Ut conjectare porro licet, non dialogi more Manichæos Athanasius est aggressus: nam ejus ævo hoc scribendi genus minus erat frequentatum. In codicibus Anglicanis Homiliæ in Christi ortum, quæ inter Chrysostomi opera comparent, Athanasii item nomen præferunt. Earum meminimus in monito ad Homiliam de ortu Christi p. 181. Quod autem adtinet ad orationes illas dialecticas Athanasii in Nicæna Synodo præsente Constantino magno habitas, memoratas a Felckmanno, quas narrat M. Crusius Constantinopoli apud illustrissimum principem Jacobum Marmoretam eo tempore repertas fuisse, vix putarim diversas a disputatione contra Arium, quæ in spuriis agmen agit: permulti namque ejus codices in variis Bibliothecis exstant. In vitis Sanctorum Siculorum ab Octavio Cajetano Syracusano Societatis Jesu Panormi editis anno 1657. p. 24. exstat nomine Athanasii Archiepiscopi Alexandrini vita S. Philippi Agyriensis, vulgo Agyrionis, ex monte Agyrione in Sicilia. Is, ut vulgo narrant, a B. Petro Apostnlo in Siciliam missus fuit, obiitque anno Christi xc. 12. Maji. Verum in hujusmodi commentn refutando operam ludere otiosi hominis esset. Christiani Copti, seu Ægyptii, Hymnum *Gloria in excelsis*, Coptice translatum tribuunt Athanasin. Sed cum nec a Græcis, nec a Latinis tanto doctori adscriptus umquam fuisse memoretur; veri simile est Coptos ipsos, stupendæ gentem ignorantiæ, quos penes plurimum auctoritate valet Athanasius, id operis inconsulte ipsi tribuisse. Ad hæc Leontius Byzantinus libro adversus fraudes Apollinaristarum ait, solenne fuisse Apollinarii discipulis libros magistri sui Julio modo, mox Gregorio Thaumaturgo, modo Athanasio adscribere. Sed hujusmodi libri falso inscripti ad nos usque minime pervenerunt. Nec modo Apollinarii, sed etiam Eutychis & Dioscori; en verba Leontii: *Quidam ex hæresi Apollinarii vel Eutychis vel Dioscori, cum vellent suam hæresim confirmare, quasdam Orationes Apollinarii Gregorio Thaumaturgo aut Athanasio aut Julio inscripserunt, ut simpliciores fallerent, quod quidem perfecerunt. Auctoritate enim hujusmodi personarum fide digna, multos Ecclesiæ catholicæ capere potuerunt. Et apud multos ex recte credentibus reperire poteris librum Apollinarii, cui titulus ὁ κατὰ μέρος πίστις, fides particularis, inscriptum Gregorio, & quasdam ejus Epistolas inscriptas Julio: & alias ejus de Incarnatione orationes vel expositiones Athanasio inscriptas: cujusmodi est quæ inscripta est Expositio, consentiens cum expositione Trecentorum decem & octo: neque solum has, sed alias hujusmodi. Fiet autem ibi hoc manifestum, & cuivis veritatis studioso ex iis quæ in medium adferemus tum ipsius Apollinarii, tum discipulorum ejus* &c. Et vero qui in spuriis agmen agit libellus de Incarnatione, in suspicionem venit, quod ex officina Eutychianorum Athanasii nomine prodierit.

Quamquam porro crebris admonitionibus in hujusce tomi decursu quid de quolibet opusculo ferret animus commemoravimus, quia plerumque carptim tetigimus singula; jam quod διατριβαῖς φροντίσιν exploratum fuit annotemus. De libello in fronte operum posito, cui titulus, de Incarnatione, in Monito ibidem pluribus actum. Testimonia vero Scripturæ sacræ quod spectat, vidi eruditos & emunctæ naris homines qui Athanasio posse adscribi æstimarent. Et sane aliqua est hujusce libri affinitas cum epistola prima ad Serapionem & cum libro de Incarnatione p. 337. Tomi primi. Ibi enim, ut in hoc opusculo, locis ex veteri ac novo Testamento mutuatis Trinitas & trium perso-

personarum æqualitas commonstratur. Verum infirma ratio: tale quippe scribendi genus est, ut quisquis rem aggrediatur, cum alio simile opus agenti stylo conveniat. Alioquin vero non sat sibi constat scriptor iste; sed postquam de Trinitate ad usque articulum 36. verba fecit, illico rem disparatam ingreditur; Judæos scilicet, filios tenebrarum, exagitat. Articulus autem 49. de blasphemia in Christum, Athanasii esse nequit: nam acerbe satis istic carpitur Origenes: qui a sancto præsule semper cum honore laudatus ac vindicatus fuit. A quæstione 50. ad finem usque diversi res argumenti aguntur: unde forte suspicio nascatur totum opus esse centonem.

Epistolam Catholicam diximus ambigere nos an Athanasii sit, necne, ob quasdam adjectas ibi suspicandi causas: & inter alias, quia in titulo voce συνεπίσκοποι utitur quisquis ejus auctor est, cum contra soleat Athanasius Episcopos συλλειτουργοὺς vocare; & si quando vox συνεπίσκοποι tomo primo occurrit, non in Athanasianis vulgo, sed in epistolis alienis, ab eo in medium adductis reperitur. Vocem item σύμβολον, quæ ibidem comparet, diximus non usu venire in germanis Athanasii. Verum secundum istam editam admonitionem allatum nobis Roma symbolum fuit, ita, nempe σύμβολον nuncupatum, si tamen hujusmodi nomen non amanuensium fuerit. Nimirum conjecturæ sunt suapte sponte leves, quæ sejunctim positæ non rem conficiant; at cum multæ una coeunt, argumenti loco esse possint. Sane multa alia hic peregrinum olent: ipsissima scilicet vox, *Catholica*, quæ miror si vel ab Athanasio, vel ab æqualibus uspiam in Epistolarum inscriprionibus usurpatur, nisi cum de septem epistolis Apostolorum quæ Catholicæ vocantur, est sermo. Illud item θεῖον πτῶμα non est ni fallor Athanasio in usu, qui vulgo aut θεῖον aut ἅγιον πτῶμα dicit. Ad hæc, brevior est epistola quam pro rei dignitate, nec solet ille res tanti ponderis, ita carptim agere. In Refutationem hypocrisis Meletii, & in subsequentes libros de Incarnatione, contra Sabellianos, atque in illum alium cui titulus: *Unum esse Christum*, quæ ibidem præmonuimus satis sunto. pag. 15.

Sermo de Sabbatis & Circumcisione, minores forte quam cætera præfert suspicionis notas, & præter styli discrepantiam, remissioris videlicet, quam sit Athanasianus, vix aliud deprehendo quod in ἀπορίαν conjiciat. Secus autem homilia de Semente, contra quam in dies crescunt suspiciones: in multas sane istic voces offendimus Athanasio minime familiares, verbi causa, καταπαύσεις, ἐμβαθύνομαι, στερρὸς ἀθλητὴς, & similia non pauca. Aberrat quoque subinde a scopo scriptor iste, & sese subito intercipit; dimissaque re quam tractat, disparatam ingreditur, a qua perinda discedit, ac si huc illuc impulsus oberraret. In eam vero quæ hanc excipit homiliam, quæ præmisimus, etsi paucissima, satis sunto. Homiliam de Passione & Cruce Domini etsi abjudicandam Athanasio arbitramur; in codicibus tamen perantiquis ejus fragmenta Athanasii nomine adferuntur: unde propalam fit a multis retro sæculis Athanasii nomen præferre. pag. 28.

Sermonis de Virginitate oratio tota effluit, nervis, salibus & τῷ δεινῷ destituta; hocque signo sese profiteri videtur alio quam Athanasio patre natum. Præterea memoratur hic, hymnus *Gloria in excelsis Deo*, cantus *Alleluja*, versiculus *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, cum appendice *Et nunc & semper* &c. Quorum omnium usus an ævo Athanasii in Alexandrina ecclesia obtineret, valde incertum. Hymni namque *Gloria in excelsis*, qui totus pene legitur libro septimo Constitutionum Apostolicarum, nulla, ausim dicere, mentio patribus vel antiquioribus Athanasio vel æqualibus. Cantus *Alleluja* ut tradit Gregorius Papa l. 2. epist. 63. cum peculiaris ante fuisset ecclesiæ Jerosolymitanæ, tempore Damasi translatus Romam est: memoraturque ab Ambrosio, Augustino, multisque, cum supparibus, tum ætate minoribus. Versus demum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, usu veniebat quarto sæculo, Basilio auctore, qui diversos ejus proferendi modulos enumerat: obtinuit item Antiochiæ, tempore Leontii episcopi Ariani, Athanasio adversarii, qui eum ad Arianorum usum atque arbitrium haud modice vitiavit. Appendicis autem, *Et nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen*, altum istis sæculis silentium. Hæc omnia memorassa Athanasium vix crediderim, atque hinc augetur sat firma aliunde ποθοῦσα, quæ in hoc opusculum cadit, suspicio. Cæterum tametsi lectu dignum opus, & pulcherrimis præceptionibus instructum est, non desunt qui vituperent, & temeritatis nomine traducant dictum illud hujus, quisquis tandem sit, auctoris. μαρτύρομαι παντὶ ἀνθρώπῳ, ἀκούοντι τὰ ῥήματα ταῦτα ἢ ποιοῦντι, ὅτι τὸ ὄνομα αὐτοῦ γραφήσεται ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς. καὶ ἐν τῷ τρίτῳ τάγματι τῶν ἀγγέλων λογισθήσεται. id est: *testificor omni homini qui audierit hæc verba, & fecerit ea, quod nomen ejus scribendum sit in libro vitæ, & quod ipse in tertio Angelorum ordine sit collocandus*. Sed non arbitror hoc nomine tam aspere excipiendum esse scriptorem istum. Noluit enim in mercedem proborum, ni fallor, tertium Angelorum ordinem ita strictim adsignare. Sed quia Angeli vulgo, homines antecellere putantur, cum aliquo inferiore Angelorum ordine, qui sese prior menti obtulit, probos ex hac vita migrantes collocandos dixit. Levem aliam huic dicam impingit nuperus scriptor nostras, vir alioqui doctus, qui nec sine convitio hæc ejus verba, χορεύτρια Χριστοῦ, sic Gallice interpretatur, *La danseuse de Jesus-Christ*. An hic de tripudio agitur? & quid tam frequenti usu celebratum in Ecclesia, quam choreæ virginum Christi sponsarum? Eadem vox in vita Syncleticæ usurpatur, unde palam est frustra essa qui dictum illud inclementius exagitent. pag. 47.

Synopsis Scripturæ sacræ, laudatum opus & quidem a laudatis viris, non eo inter dubia conjicimus, quo arbitremur Athanasio indignum esse. Ecquis enim ille tam peritus scriptor, quem pœniteat tantum librum confecisse? Eum sane qui accurate teneat, litterarum divinarum plane belle eruditus habeatur; ita dilucide & docte commemorat quid de distributione librorum Scripturæ sacræ, quid de auctoritate, de tempore, de auctore cujusque libri putandum; ita accurate & sagaciter quod ipse, crebro regustando, notatu dignius compererat, lectori paucis offert. Neque tanta tamen religione, ut acutum decebat, Synopseos formam consectatur, ut sicubi res explicatu difficilis occurrit, importuna brevitate obscuriorem efficiat: sed cum ita facto opus est, interpretem agit, & fusius etiam quam Scriptura ipsa, rem commemorat; quo dato spatio, rursus destinatum carpit iter. Diximus in notis ad p. 78. Josephum, cujus ὑπομνηστικῷ quæ postrema in Synopsi leguntur & jam primo Græce comparent, excerpta sunt, virum fuisse Christianum: secus æstimat pag. 48.

Petrus Lambecius, aitque Flavium Josephum esse, Judaicarum antiquitatum Scriptorem, & titulum quemdam ex decimo nono codice Theologico adsert, nempe: Μέθοδος Ἰωσήππου ἐκ τῶν ὑπομνημάτων αὐτοῦ, καὶ χρονικῶν συνταγμάτων· πῶς συνέστη τὸ ψαλτήριον, καὶ πῶς οἱ ψαλμοὶ ἐξετέθησαν, καὶ τίνα εἰσὶ τὰ μνημονευόμενα ἐν ταῖς γραφαῖς βιβλία, μὴ σωζόμενα δέ. ὅσα εἰσὶ τὰ ἐν τῷ τέλει τοῦ Δαυὶδ πραχθέντα, καὶ τίνες ἑρμήνευσαν τὸ ψαλτήριον, καὶ πόσοι, καὶ πότε. id est, *Methodus Josephi seu Josippi ex commentariis & Chronicis opusculis illius: quo pacto constitutum fuerit psalterium, quo modo psalmi editi: quinam libri in Scripturis memorati jam non reperiuntur: quænam* * *in fine a Davide facta sunt: quinam psalterium interpretati sint, quoti & quo tempore fuerint*. Verum ut judicii tute ea de re ferendi copia esset, codicem Cantabrigiensem, de quo in notis ibidem, a Patritio Junio in notis ad epistolam Clementis ad Corinthios laudatum, evolvendum oporteret. Et fortassis vel ipse locus a Lambecio laudatus solus sit satis, ut Josephum istum Christianum fuisse comprobetur: illa enim postrema verba: *Et quinam psalterium interpretati sint, quoti & quo tempore fuerint*, argumento sunt, ni labor opinione, aliquot post Christum sæculis hunc Josephum vixisse. Ille siquidem Commentariorum in Psalmos numerus, animum exauget, ut hunc Josephum alium a celeberrimo Josepho arbitremur. Non enim ævo Josephi Antiquitatum scriptoris tot commentaria in Psalmos fuisse videntur.

* forte cum titulo, εἰς τέλος.

Ne omittamus ea quæ de codice, unde hæc Synopsis prodiit, habet Felckmannus. *Usæ sunt operæ*, inquit, *textu hujus Synopseos Græce descripto ex vetusta & miris ductibus constante codice, quem ex Bibliotheca viri clarissimi Petri Neveleti Doschii curavit vir Ampliss. D. Bongarsius, quem cum non in omnibus descriptor assequutus sit, quidquid erit discrepantiæ notandum duxi. Quamquam essent etiam non pauca, quæ de interpretatione moneri poterant: imo locorum quoque nonnullorum in ipsa veteri codice conjecturæ possent afferri, quæ tamen omnia brevitatis causa, & quod docti per se ipsi in hoc longe optimi monitores sibi erunt, omitto.* Quorum autem evaserit codex ille memoratus a Felckmanno ignoratur. Codicem Synopseos aliquem nec vidi, nec alicubi exstare didici.

Dialogus contra Arium in Synodo Nicæna multis nominibus Athanasio abjudicandus: imo vero nec satis consulto commentum hujusmodi meditatus est qui Athanasio attribuit; nam quædam aperte falsa complectitur, cujusmodi est illud quod ait p. 90. e. cleri dignitatem Ario ab hæreticis collatam; cum contra antiquorum testimonio compertum sit, a Petro & Achilla gradibus Ecclesiasticis auctum fuisse indigoissimum hominem, quia pro innata vafritie speciem frugi præferret t reliqua vide in Monito. Ad hæc autem puto vel ex sola dialogi forma, quæ scribendi ratio, licet multum Athanasio antiquior, non erat Athanasii ævo frequentata, conjecturam aliquam νόθειας oboriri. Nusquam accipimus Athanasium hoc genere dedisse quidpiam: & æqualibus ejus perrarum dialogi more scribere. Verum hæc forma sæculis quinto, sexto, septimo & subsequentibus multum obtinuit: & hujusce tomi spuria complectentis pars non modica dialogi sunt.

Sermo contra omnes hæreses, ita manifestas peregrinitatis notas vel ipsis amanuensibus præferre visus fuit, ut in plerisque codicibus ad marginem, ξένος καὶ χυδαῖος dicatur, id est, *peregrinus ac fuso remissioreque stylo descriptus*, cui scilicet τὸ ἀστεῖον deficiat: ingens profecto styli vitium, quod vel græculi sentire possint. Fuit autem ex Athanasii operibus expressus, ut lectorem ibidem præmonui-
pag. 94. mus. De insulso Melchisedeci regis commento jam ultra quam satis sit dictum fuit, pariterque de
pag. 96. ἀποστατικῷ ad Jovianum Imperatorem nuncupato, ac de libro definitionum: neque libet hujusmodi nugas denuo agitare, atque, ut ita dicam, repuerascere.

Sequuntur opera ad Antiochum: & præit doctrina ad Antiochum principem a Græculo edita. Hujus tamen beneficio, magnam partem libri Pastoris, quæ Græce nondum data fuerat, recuperamus. Alias vero hac historia nihil infantius. Æque conspicua est sermonis ad Antiochum νήπια, necnon subsequentium ad eumdem quæstionum. Hoc postremum tamen opus, non indignum quod legatur: tametsi enim futilibus dictis ac quæsitis identidem adspersum est: at bona malis permixta reperias; nimirum

Χρυσὸν χαλκείοις ἐγκατέμιξεν ἐνταυθοῖ.

pag. 124. Est inibi locus quem olim vitiosum suspicabamur, illud scilicet: τοὺς δὲ τῶν καὶ ὁ τοῦ σωμάτων φύσει βελτίονα κατὰ φύσιν ὑπάρχοντα, ὁρῶνται ἄλυτοι καὶ ἀδιάλυτοι ἐν τοῖς ὕδασι τῆς Μαρμαρικῆς Πενταπόλεως· ubi pro σωμάτων legendum ὑδάτων conjectabamus: at exinde lectionem probe habere se comperimus.

ibid. Ad calcem quæstionum ad Antiochum, est tractatus Athanasio sane non indignus, quem fortasse religio non esset inter Athanasiana computare. Etsi enim in plerisque codicibus consequenter post alias quæstiones agmen claudit, non desunt tamen ubi separatim ab aliis ponatur. Ad hæc vero, conspicua Athanasiani ævi nota hæc est, cum de Septuaginta hebdomadibus Danielis agens ait: Τίς οὖν ἐστιν ἕτερος χρισθεὶς ἅγιος ἁγίων, εἰ μὴ ὁ Χριστὸς μόνος, ὡς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος; αἱ γὰρ ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες, τετρακόσια ἐνενήκοντα ἔτη σημαίνουσιν. ἀπὸ δὲ τοῦ Δανιὴλ ἕως τοῦ νῦν ὑπάρχουσιν ἔτη πλεῖον ὀκτακοσίων. hoc est: *Quis ergo alius est unctus sanctus sanctorum, præter solum Christum, ut Dei viventis (Filium.) Septuaginta enim hebdomades quadringentos nonaginta annos significant. Namque a Daniele ad hoc usque tempus sunt anni plus quam octingenti*. Hæc sane Chronologiæ ratio adprime in quartum sæculum quadrat, quo scripsit Athanasius. Ad hæc, ita apposite veteri Testamento ad comprobandum Christi adventum utitur, ut nihil supra. Fateorque me nihil hoc in genere vidisse validius concioniusve. Quamobrem non eodem quo cæteræ quæstiones, numero & pretio haberi debet. Etsi vero non ausim adfirmare Athanasii esse, nihil certe repugnat quo minus ipsi adscribatur.

Fragmentum de imaginibus non erat forte quod denuo prælo subjiceremus, eum ex aliis jam editis excerptum fuerit. Placuit tamen, quia frequentissime in codicibus & Conciliorum actis adfertur ut exhibemus, illud edere, ne quid hoc in opere desiderari videatur.

Historias imaginis Berytensis plures fortasse adtulimus, quam ut eas eruditi viri sine stomacho & nausea legere possint. Verum quia hæc historia celeberrima fuit; qualis demum qualisque sit; tam varia tum Græce tum Latine edi ejus exemplaria, non inutile fortasse fuerit: ut æstimare quisque valeat quantæ sit auctoritatis hæc historiola, cujus ne quidem veram firmamque seriem nancisci possimus.

In

In Epistolas ad Castorem, quæ sunt Cassiani institutionum epitome, satis esto quod ibidem prænotamus. Vocem autem *Pater muthius*, quia codex sic Πάτερ Μύθιος dividit, nos quoque divisimus. At norunt eruditi, ex voce Themuthi, eſtque illud nomen proprium apud Ægyptios, & ex articulo πα, quod est ac si dicas Pater aut Abbas, confectum nomen fuisse. Et tamen ita error invaluit, ut jam Mutii quidam inde mutuato nomine, nuncupentur.


In Homiliam de Assumtione Domini hæc habet Felckmannus. *Porro meminit hujus homiliæ, & tribuit eam Athanasio incertus auctor, cujus jam supra ad pag. 345. d. Tomo I. meminimus ad Maximum Smeniotam de hac quæstione*, Utrum homines si non peccassent, morituri fuissent, *scribens fol. 92. col. 4. sic*: καὶ ἄλλο τι περὶ τούτου φησὶν ὁ μέγας Ἀθανάσιος ἐν τῷ εἰς τὴν ἀνάληψιν λόγῳ αὐτοῦ. θνητὸς μὲν ἐσώθη διὰ τὴν παράβασιν. λύων δὲ ὅμως τὴν ..., ἐπειδὴ ἀκύρως ὁ θεὸς ἐλπίδα αὖθις ἀθανασίας ἀνέστησε τῷ γένει, καὶ τὸν Ἐνὼχ ἐκ μέσου ἁρπάζει, κηρύττων τὸν δεύτερον ἐδίδαξε φύσιν ὅτι ἀθανασίας ἐπιδεχθῆναι. *Et paulopost*, καὶ τίνι χάριν ὁ μέγας Ἀθανάσιος ἔλεγεν, ὅτι καὶ τὸν Ἠλίαν ἁρπάζει, καὶ ὡς εἰς οὐρανὸν ἀναφέρει. *Hæc ibi, quæ confer cum editis. Et idem infra in opusculum*, Utrum Joannes Euangelista revera obierit, *fol. 251. col. 2. ait*. καὶ ὁ μέγας δὲ Ἀθανάσιος ἐν τῷ εἰς τὴν ἀνάληψιν λόγῳ αὐτοῦ, Ἐνὼχ καὶ Ἠλίαν μνημονεύσας, καὶ αὐτὸν ἐν τοῖς ζῶσι διάγειν αὐτὸν, ἕτερα πρὸς ἐμπιπλᾶσιν. Hæc Felckmannus. Sed quoniam is scriptor sequioris est ævi, nihil illius testimonio ad γνησιότητα ejus comprobandam efficitur. Hæc ipsa pene eadem verba citat Michael Glycas in historia Byzantina. Quo testimonio id solum superest, ut ante Michaelis Glycæ ævum Athanasii nomine evulgata fuerit hæc homilia. Diximus porro in Monito ad hanc homiliam, primum publici juris factam fuisse in editione Commeliniana: verum exinde comperimus, antiquius fuisse illam typis mandatam.

Homiliam in S. Andream Latine dedit Thomas Galetus J. C. anno 1615. Lugduni, Carolo Fabiano interprete, cum aliis diversorum Patrum scriptis p. 230.

Libellus de Corpore & Anima est Fragmentum avulsum ex libro de Definitionibus, cum aliqua discrepantia. Huic item adfine quidpiam habetur T. I. sub finem in Fragmentis; sed longe præstantius istis. Et vero fieri potuit, ut qui hoc de corpore & anima opusculum mandavit litteris, aliqua ex veris Athanasii operibus sit mutuatus.

Vita sanctæ Syncleticæ, haud imperiti hominis opus, pulcre ad mores instituendos concinnata est: nam longiuscula licet, unica pene adhortatione solvitur; ita ut quæ ejusmodi ad virgines parænesin habuisse fertur, quæque in juvenili ætate eam orsa dicitur, ea absoluta octoginta annos nata mox memoretur. Erudite porro in ea disceptatur contra fatum, & contra genesim, sive genethliacorum scientiam. Sed præstantissima omnium sunt, quæ contra illos profligatis moribus homines, quorum in eo tota spes est, ut in nihilum eant si quando vivendi finem faciant: qui si tam misera spe cadant, & cadent utique, quantum iis supplicium, qui ideo in tot scelera proruperunt, quod falsa opinione impune sibi fore sperarent? Ex hoc itaque hominum genere erant, qui impie dicerent, animam esse florem naturæ, cujus scilicet interitus cum plantæ sive corporis interitu necessario conjunctus esset. Ipsis sane gentilibus deteriores: qui præmium probe, supplicium improbe viventibus fore æstimabant: audi Platonem. ἀθάνατος ἡμῶν ἡ ψυχὴ καὶ οὐδέποτε ἀπόλλυται. Et inferius pugnat, improbis pœnas esse præparatas. *Lib. 10. de Republ. pag. 608. edit. H. Steph.*

Hæc satis sunto. Plura de singulis hoc in secundo Tomo exstantibus in propriis singulorum admonitionibus & in notis reperies. Salve erudite lector, & his fave.



CA-

CATALOGUS OPERUM
QUÆ HIC SECUNDUS TOMUS
COMPLECTITUR.

Quæ asterisco notantur, editioni Monachorum Benedictinorum accesserunt, nec exstabant in Parisiensi anni 1627. & magna pars inedita erant.

DUBIA.

SPURIA.

IN LIBELLUM DE INCARNATIONE

ADMONITIO.

GRANDIS *a multis retro sæculis fuit de hoc opusculo controversia. Nam cum inter Cyrilli opera Athanasii nomine compareat, & Eutychianorum hæresi patrocinari videatur, hinc Eutychiani argumenta in suarum partium subsidium mutuati sunt; alii contra pugnabant, librum non Athanasii sed hæretici cujusdam Athanasium ementientis esse, & insertum fuisse in Cyrilli Epistolam ad Reginas. Hæc sunt Cyrilli verba:* ὅτι δὲ καὶ ὁ θεοτόκος φωνὴ καὶ αὐτοῖς γέγονε συνήθης τοῖς πρὸ ἡμῶν ἁγίοις πατράσιν, οἳ καὶ ἐπ' ὀρθῇ θαυμάζονται πίστει, καὶ ὡς ἄκροι πᾶσι τοῖς ἀνὰ πᾶσαν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὴν ὑπ' οὐρανὸν, δεῖν ᾠήθην ἀληθῶς ἀποφῆναι, ἵνα γὰρ μὴ δοκοίην τὸ εἰς νοῦν ἧκον ἁπλῶς ἀβασανίστως λέγειν, ἐκ τῶν ἐκείνοις πεπονημένων βιβλίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰ εἰς τοῦτο χρήσιμα συναγαγὼν, καὶ παραθεὶς εἰς ἀπόδειξιν, κατασφραγιῶ εἰς ἀλήθειαν τοὺς ἐμαυτοῦ λόγους. ἔφη τοίνυν ὡς ἀληθῶς ὁ τρισμακάριστος καὶ διαβόητος εἰς εὐσέβειαν Ἀθανάσιος, ὁ γενόμενος κατὰ καιροὺς τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος, ἐν τῷ περὶ σαρκώσεως λόγῳ περὶ Χριστοῦ τάδε. *id est:* Quod autem vox, Deipara, sanctis patribus qui nos antecessere, quique ob rectam suam fidem, non sine admiratione laudantur, frequentata fuerit, necnon ad hoc usque tempus, per totum, ut ita dicam, orbem terrarum in usu sit, comprobandum esse existimavi. Ne videar enim temere & inconsiderate quod in mentem venit effutire, argumentis idoneis ex libris quos illi in Ecclesia composuere mutuatis, orationem meam ad rei fidem obsignabo. Ait igitur beatissimus ac pietatis nomine celeberrimus Athanasius, olim Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus in libro de Incarnatione, de Christo loquens, isthæc... *Adfertque exinde maximam partem opusculi. Quia vero initio libelli dicitur in Christo non duas esse naturas sed unam naturam incarnatam* μίαν φύσιν σεσαρκωμένην, *hæc Eutychiani in Synodo Chalcedonensi adferebant* p. 181. *sic:* ἐγὼ δὲ χρήσεις ἔχω τῶν ἁγίων πατέρων, Ἀθανασίου, Γρηγορίου, Κυρίλλου, ἐν πολλοῖς τόποις, ὅτι οὐ δεῖ λέγειν μετὰ τὴν ἕνωσιν δύο φύσεις, ἀλλὰ μίαν σεσαρκωμένην τοῦ λόγου φύσιν. *Hoc est:* Ego vero usu sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorii, Cyrilli in multis locis probare possum, non dicendas esse post unionem duas naturas, sed unam incarnatam Verbi naturam. *Alii adversum contendebant Libellum Athanasii non esse sed suppositiitium & quædam hujus libri quæ a Cyrillo laudantur, inserta ab hæreticis fuisse in operibus Cyrilli nomine Athanasii. Audi Leontium Advocatum Byzantinum de sectis, actione octava.* Aliam, *inquit*, proferunt auctoritatem sancti Athanasii ex oratione de Incarnatione, quæ quidem hujusmodi est: eumdem esse Dei filium, ratione Spiritus, & hominis filium ratione carnis: non duas naturas unum illum filium: quarum una sit adoranda, non adoranda sit altera: sed unam naturam Dei sermonis incarnatam. Respondemus primo dictum hoc nobis non adversari. Non enim duas naturas ita tradimus ut adoretur una, non adoretur altera: sed unam statuimus esse naturam Dei sermonis incarnatam. Deinde ne quidem est Athanasii, nam, quum a nobis interrogantur, ubi dictum hoc exstet; nec ejus ostendendi copiam habent: in arctum coacti pusillam quamdam orationem proferunt, quasi duorum foliorum, in qua dictum hoc legitur. At notum est universis omnia sancti Athanasii opera valde magna esse. Quid autem ad hoc respondebimus, quod beatum Cyrillum producunt, citantem hoc dictum libro adversus Theodorum, quasi profectum ab Athanasio? Nimirum dicimus, reapse quidem illud in Beati Cyrilli contra Theodorum invectivis legi: sed mendum esse priscum. Dioscorus enim successor B. Cyrilli factus, quum ejus opera reperisset, forte non veritus est inserere nonnulla, quæ ipsi lubitum fuit. Neque vero conjecturis nos modo niti, quod B. Cyrillus illud contra Theodorum non produxerit, ex eo quoque manifestum est. Nam Theodoretus qui Theodorum defendebat, universas auctoritates refutans, quascumque sanctus Cyrillus contra Theodorum de sanctis Patribus protulerat, nusquam hujus dicti meminit. At enim isti referunt, a Theodoreto callide omissum, quod enim adversus eam auctoritatem oculis adspicere non posset, ut admodum planam & apertam; idcirco sponte ab ipso prætermissam. Respondemus, tantum abesse ut eam Theodoretus ibi positam præterire voluerit, ut cum B. ille Cyrillus alibi dixisset, unam naturam Dei sermonis incarnatam, siquidem scivisset Theodoretus id verbum quod apud Cyrillum exstat, ex sancto Athanasio citatum, nequaquam adeo temere dicturus fuerit: Quis tibi Patrum dixit unam naturam Dei sermonis incarnatam? Vicissim ingerunt, tam esse certum scivisse sic loquutum Athanasium; ut etiam dixerit; quemadmodum Patres loquuti sunt. Nos contra, quemque dicimus eniti, ut ostendat, a Patribus ea prolata, quæ ipse tradat, si non eisdem verbis, saltem vi verborum eadem. *Hæc longiuscula licet e re fuit hic adferre, ut videat eruditus Lector, in quo quæstio hujusmodi sita olim fuerit. Et sane sunt quæ forte suadeant ea quæ superius ex Cyrillo adtulimus, cum oratione Athanasii nomine subsequente adjecta Cyrilli epistolæ fuisse. Nam uti supra dicitur quæ adferuntur ex Athanasio de Incarnatione, ad unius vocis* θεοτόκος *usum comprobandum adducuntur in medium; unde fortasse videatur inutile fuisse adferre totum pene libellum, cum maxime sub initium dumtaxat vox illa* θεοτόκος, *de qua quæstio, compareat. Certe Cyrillus in Epistola ad Acacium Berœensem, ubi de usu vocis* θεοτόκος *apud Patres loquitur.* Εὑρίσκω, *ait*, ἐν συγγράμμασι καὶ τὸν τῆς ἀοιδίμου μνήμης ἐπίσκοπον Ἀθανάσιον πλειστάκις αὐτὴν ὀνομάζοντα θεοτόκον. Comperio namque celebris memoriæ Episcopum Athanasium in scriptis suis sæpius illam Deiparam appellasse.

Uno verbo complectens illa quæ bene multa exstant in operibus Athanasii testimonia. Quid causæ igitur est quod in Epistola ad Reginas, totum pene libellum de Incarnatione pro voce illa θεώσεως confirmanda adferat; namque prioribus lineis exceptis (ubi vox θεώσεως exstat) cætera nihil ad rem pertinent. Ad hæc autem libellus iste non exstat in collectionibus operum Athanasii. Et alienum a sancto Doctore videtur dicere unam naturam incarnatam in Christo. Etenim confusionem naturarum respuit ubique Athanasius, qui proprietates semper naturarum conservavit, duas etiam voluntates distinctas cuique naturæ proprias adscribit sic lib. de Incarnatione p. 344. δύο θελήματα δείκνυσι· τὸ μὲν ἀνθρώπινον, ὅπερ ἐστὶ τῆς σαρκός· τὸ δὲ θεϊκόν, ὅπερ θεοῦ. τὸ γὰρ ἀνθρώπινον διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς παραιτεῖται τὸ πάθος· τὸ δὲ θεϊκὸν αὐτοῦ πρόθυμον. *hoc est*, duas voluntates ostendit (scriptura) alteram humanam, quæ est carnis, alteram divinam, quæ Dei est. Siquidem humana ob infirmitatem carnis deprecatur passionem; divina autem ejus voluntas promta est. *Sin vero una natura post incarnationem dicatur, tollas oportet discrimen voluntatum. Ad hæc, contra Dimœritas sui ævi hæreticos p. 359. negat corpus esse Deitati consubstantiale & pagina sequenti ait* ἀσυγχύτῳ ἑνώσει *inconfusa unione verbum cum propria carne unitum fuisse. Corporis autem & carnis nomine ut in præfatione Generali primi tomi ostendebamus humanitatem persæpe intelligit. Ubi vero comprobat in postremis suis contra Dimœritas libris carnem sive humanitatem non esse Verbo consubstantialem, quid aliud, quæso, indicaverit quam, non esse unam atque eamdem Verbi atque humanitatis substantiam sive naturam; ita ut etiam ad differentiam naturarum indicandam p. 362. perfectum Deum & perfectum hominem vocet. p. 366. autem uno verbo utramque hæresin Nestorianam scilicet & Eutychianam proterit, dum ait loquens de conjunctione Verbi cum carne*, οὐκ ἐν διαιρέσει προσώπων, ἀλλ' ἐν ὑπάρξει θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος· non in divisione personarum, sed in existentia deitatis & humanitatis. *Unam scilicet personam Christi duasque naturas esse pronuntiat p. 366. ubi vero contendit impium esse dicere divinam naturam esse passam, annon palam facit aliam esse in Christo naturam quæ passa sit? Adeoque commonstrat non unam in Christo naturam incarnatam, sed duas inter se distinctas aliam quæ assumsit, aliam quæ assumta est. Etiamsi porro antequam Ecclesiæ decretis definitum esset unam in Christo personam, duasque naturas prædicari oportere; potuisset Athanasius, vel si quis alius, dicere unam naturam incarnatam, intelligendo scilicet naturæ nomine personam; non arbitror tamen Athanasium eo usum fuisse loquendi genere; quoniam multis annis res illi cum Dimœritis fuit, quorum hæresi hæc favere videntur, & perfacile est eam sententiam in malam partem detorquere. Eam ob rem cum Leontio valde suspicor esse illud opusculum, Eutychianorum, aut aliorum hæreticorum commentum, Athanasii nomine publicatum. Non ausim vero dicere utrum in Cyrilli scriptis post ejus obitum adjecta fuerint, an vero ante Cyrillum libellus hujusmodi confectus sit & Athanasio adscriptus.*



SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

DE INCARNATIONE DEI VERBI.



ONFITEMUR Filium Dei ante sæcula ab æterno ex Patre genitum, postremis vero sæculis ob nostram salutem ex Maria Virgine natum secundum carnem, quemadmodum divus Apostolus docet, inquiens: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere*. Gal. 4. 4. Confitemur etiam, eundem esse Filium Dei & Deum secundum spiritum: hominis autem filium secundum carnem. Non duas naturas, filium unum, unam adorandam & unam non adorandam: B sed unam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorandam cum carne sua, adoratione una. Neque duos filios, alium Dei Filium, verum Deum & adorandum, alium ex Maria hominem, qui non adoretur, quique per gratiam, ut homines, Filius Dei factus sit; sed ex Deo, ut dixi, unum Filium Dei & Deum; eum ipsum & non alium natum ex Maria secundum carnem in novissimis diebus, quemadmodum Angelus Deiparæ Mariæ dicenti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. 34. ait, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascitur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ibid. v. 35. C Qui igitur natus est ex Virgine Maria, Filius Dei natura & Deus verus, non gratia neque participatione, secundum carnem tantum, quam ex Maria habet, homo; secundum vero spiritum idem ille Filius Dei, & Deus verus: passus quidem passiones nostras secundum carnem, ut scriptum est: *Christo passo pro nobis carne:* 1. Petr. 4. 1. & alibi: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. 8. 32. Impatibilis vero permanet & immutabilis secundum Deitatem, uti dicitur a Propheta: *Ego Deus, & non mutor.* Malach. 3. 6. Mortuus quidem mortem nostram, secundum carnem A pro peccatis nostris, ut mortem auferret per suam ipsius mortem quam pro nobis sustinuit. Quemadmodum Apostolus ait: *Absorpta est mors in victoriam: Inferne, ubi stimulus tuus?* 1. Cor. 15. 55. Et alibi: *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.* Ibid. v. 3. Immortalis autem, & mortis imperio liber permanet propter Deitatem, utpote impassibilis Patris virtus, quemadmodum ait Petrus: *Non enim poterat a morte retineri.* Act. 2. 24. Qui ascendit in cælos, sedetque a dextris Patris, secundum Verbi carnem a terra in cælos exaltatam, prout a Davide dictum est: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, Psalm. 109. 1. quod ab ipso Domino & ab Apostolis confirmatur: B secundum Deitatem vero, incomprehensibilis, omnem continens locum cum Patre æterno, ut paterna & ineffabilis Virtus, ut Paulus docet: *Christus Dei Virtus & Dei Sapientia*. 1. Cor. 1. 24. Venturus idem Filius Dei & Deus, ut promisit, judicare vivos & mortuos, ut ait Apostolus: *Qui judicat occulta tenebrarum, & manifestat occulta cordium & laudem & vituperium pro merito cuique tribuit*. 1. Cor. 4. 5. Si quis vero præter hæc ex sacris Scripturis docet: aliumque dicit esse Filium Dei, & alium ex Maria ortum, per gratiam, ut nos, adoptatum; ita ut duo sint filii, alter secundum naturam Filius Dei, C alter secundum gratiam ex Maria homo: aut si quis Domini nostri carnem, desuper dicit esse, & non ex Virgine Maria: aut conversam deitatem in carnem, aut confusam, aut mutatam, aut passibilem Domini deitatem, aut non adorandam Domini nostri carnem, utpote hominis, nec adorandam, ut Domini & Dei carnem; hunc anathemate damnat Catholica Ecclesia, Apostolo obsequens, dicenti; *Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Galat. 1. 9.

IN SEQUENTEM LIBRUM

ADMONITIO.

I. AN *hic liber sit Athanasii, necne, haud leves sane sunt dubitandi causæ; nam præterquam quod a nemine, quod sciamus, ex veteribus laudatur, in antiquioribus Athanasii collectionibus manuscriptis non comparet. Ad hæc, Origenes haud semel ab Athanasio honorifice memoratus, hoc in libro exagitatur. Attamen cum tota quæstio illa, ubi de Origene agitur, exstet etiam in Quæstionibus ad Antiochum, ex alte-*

utro libro in alterum translata videtur, ex utro augurari nequimus. Styli certe genus satis affine libro de Incarnatione p. 696. primi tomi: variis quippe Scripturarum testimoniis probare nititur scriptor iste, quæcumque Patri conveniunt, ea ipsa Filio & Spiritui sancto competere. Ex his judicent eruditi utrum hoc opus sit Athanasio adscribendum, nobis admodum dubia res est.

II. Ceterum, licet haud satis compertum sit quo tempore scriptus fuerit, opinamur tamen antiquum opus esse, & ante vulgatam Nestorii hæresim editum, quod nulla hic de Incarnatione moveatur quæstio, licet haud semel sese occasio obtulerit; sed Anomæos solum & Pneumatomachos scriptor iste petere videatur. Quinque porro postremæ quæstiones, nempe quid sint Evangelia, quid Angeli, quid homo, &c. alius fortasse Scriptoris opus esse existimentur. Neque enim ad scopum hujusce pertinere videntur; ex iis quædam, ut illic monetur, exstant in Quæst. ad Antiochum.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

TESTIMONIA EX SACRA SCRIPTURA.

De naturali communione similis essentiæ inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, licet res intellectu difficillima sit: & quod unam habeant operationem.

1. *De Libertate.*

DE PATRE, minime dubium est. De Filio,
Joan. 8. 36. vox ipsius Filii est: *Nisi vos Filius liberaverit, servi estis.* De Spiritu sancto, per
2. Cor. 3. 16. Paulum ita loquitur: *Cum conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini ibi libertas.*

2. *De Vivificatione.*

Joan. 5. 21. Dicit Salvator: *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat.* De
Joan. 6. 64. Spiritu sancto item ait: *Spiritus est qui vivificat,*
2. Cor. 3. 6. *caro non prodest quicquam.* Et Apostolus: *Litera occidit, Spiritus vivificat.*

3. *De Ordinatione.*

1. Cor. 12. 28. De Patre, Paulus ait: *Posuit Deus in Ecclesia, primum, Apostolos: secundo, Prophetas; tertio, Magistros, &c.* De Filio, idem Apo-
Ephes. 4. 10. stolus dicit: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra cælos, ut impleret omnia. Et ipse, dedit hos quidem Apostolos, illos Prophetas, alios Pastores & Magistros.* De Spiritu, idem Apostolus accitos Mileto Presbyteros sic alloquitur:
Act. 20. 28. *Attendite vobis ipsis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Dei.*

4. *De Legislatione.*

Psal. 39. 9. De Patre, ait David: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in*
Galat. 6. 2. *medio ventris mei.* De Filio autem Paulus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplete legem*
Rom. 8. 2. *Christi.* De Spiritu idem ipse: *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me.*

5. *De Dominatu.*

Psal. 109. David ait: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* Quod si obloquantur hæretici, dicentes, illud ad Davidem pertinere, his Christi ver-
Mat. 22. 42. bis coarguuntur: *Quid dicitis de Christo, cujus Filius est?* dicunt ei, *Davidis.* Respondet Salvator, *Quo-*
A *modo ergo David in spiritu vocat eum Dominum?* Rur-
sus de Patre: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus* Deut. 6. 4.
unus est. De Filio autem ait: *Dominus en Sion cla-* Joel. 3. 16. Hic Dominus, pro Filio intelligitur.
mabit, & ex cælo dabit vocem suam, & concutietur
cælum & terra. Dominus autem parcet populo suo, &
confortabit Dominus filios Israel. Et cognoscetis, quod
ego sim Dominus Deus vester, qui tabernaculum posui
in Sion, in Monte sancto. Qui Tabernaculum au-
tem posuit, id est Filius, hæc ait: *Ego autem* Psal. 2. 6.
constitutus sum Rex ab eo super Sion montem san-
ctum ejus, &c. De Spiritu autem sancto sic loquutus:
Dixit Dominus Domino meo, inferius ait: *Dominus* Psal. 109. 1. 5.
B *a dextris tuis.* A dextris igitur Filii est Spiritus.

6. *Quod & Pater vocet Filium, Dominum: & Apostolus Spiritum, Dominum ac Deum nominet, perinde atque Filium.*

Ita enim dicit: *Et erit post hæc: Effundam* Joel. 2. 28.
de spiritu meo super omnem carnem, & prophe-
tabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & senes vestri
somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones vi-
debunt. Sed & super servos meos, & super ancil-
C *las meas in diebus illis effundam de spiritu meo su-*
per omnem carnem, & prophetabunt, & dabo prodigia
in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem
& ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in
tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies
Domini magnus & illustris. Et erit, omnis qui invoca-
verit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invoca- Rom. 10. 14.
bunt, in quem non crediderunt? aut quomodo audient si-
ne prædicante? De Spiritu porro, idem Apostolus di-
cit: *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, aufe-* 2. Cor. 3. 16.
retur velamen, Dominus autem Spiritus est. Idemque
rursus: *Tamquam a Domini spiritu.* Atque iterum: 2. Cor. 3. 18.
D *Dominus autem dirigat corda vestra, in charitate Dei,* 2. Thess. 3. 5.
& in patientia Christi. Spiritus igitur Dominus. Ac
denuo: *Vos autem Dominus exuberare, & abundare* 1. Thess. 3. 12.
faciat caritatem vestram in invicem & in omnes, quem-
admodum & nos in vobis, ad confirmanda corda
vestra, irreprehensibiliter in sanctitate ante Deum Pa-
trem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi,
cum omnibus Sanctis ejus. Hoc autem loco Dominus
ille, qui exuberare facit & abundare caritatem in in-
vicem, & qui confirmat corda in sanctitate coram Deo
E in adventu Domini nostri Jesu Christi, Spiritus est.
Tres igitur dominationes in unam dominationem
contrahens, id confirmat, ad Ephesios scribens: *Unus* Ephes. 4. 5.
Dominus, una Fides, unum Baptisma. Ille ipse rur-
sum Spiritus liquido Dominus appellatur in Libro Ju-
dicum, ubi de rebus a Samsone fortiter gestis, hæc ait
Scri-

Judic. 15. 14. Scriptura: *Et Spiritus Domini venit in Samsonem, & accepit mandibulam asini, & interfecit mille.* Rursumque: *Judic. 14. 6.* *Venit Spiritus Domini in Samsonem, & discerpsit leonem, quasi hœdum.* *Judic. 16. 3.* Atque iterum: *Venit Spiritus Domini in Samsonem, & sustulit portam Gazæ, & asportavit in montem.* Et ubique progreditur Spiritus Domini. Ubi autem abrasus est, postquam *Judic. 16. 20.* mysteria Dei Dalidæ aperuisset, ait Scriptura: *Et recessit a Samsone Dominus.* Demonstratum itaque jam est, Spiritum esse Dominum: quod si Dominus, plane Deus est: *Psalm. 99. 3.* *Scitote enim,* inquit, *quoniam Dominus ipse est Deus.* Et, *Josue 22. 10. non ad verbum.* *quando ædificaverunt filii Gad altare ad Jordanem, & miserunt filii Israel ad eos, dicentes,* B *Quare estis prævaricatores Dei facti? Responderunt pro excusatione filii Ruben tribunis Israel, dicentes: Deus Deus est Dominus, & Deus Dominus ipse novit, &c.* Alibi rursum Paulus: *2. Cor. 4. 6.* *Deus, qui dixit, ut ex tenebris lux illucesceret, qui illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Christi.* Deus igitur, qui dixit, ut lux in tenebris illucesceret, Spiritus est. Ac iterum ipse: *Rom. 15. 5.* *Deus autem patientiæ & solatii det vobis idipsum sapere secundum Jesum Christum; ut unanimes uno ore, glorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Quis igitur est Deus patientiæ & solatii, qui dat nobis idipsum C sentire secundum Christum Jesum, ut unanimiter glorificemus Deum, ac Patrem Domini nostri Jesu Christi? prorsus ille est Spiritus sanctus. Et rursum: *1 Cor. 14. 24.* *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, redarguitur ab omnibus: & ita occulta cordis illius manifesta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quod vere Deus in vobis sit.* Deum ergo dixit, Spiritum sanctum, *1. Cor. 3. 16.* loquentem in illis. Ac iterum: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Quibus verbis declaravit, nos esse templum Dei; ubi vero est templum, ibi & Deus, & in eo Spiritus habi- D tat, ut in suo templo; *1. Cor. 6. 19.* ait enim: *An nescitis, quod corpora vestra templum sint Spiritus sancti, quem habetis a Deo? Glorificate igitur Deum habitantem in vobis.* Quod si non glorificas habitantem in te ut Deum, factus es *1. Cor. 3. 16.* fanum idolorum; ait enim: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et alibi *Psal. 94. 8.* ait: *Hodie, si vocem ejus audieritis: ne obduretis corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis.* Hæc autem Spiritus sanctus pro- E ferre dicitur, *Hebr. 3. 7.* namque ait Apostolus: *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus, Hodie, si vocem ejus audieritis, &c.* Ergo Spiritum sanctum tentavit Israel, & probavit in deserto, & viderunt opera ejus, nempe miracula. In alioque Psalmo, ait ille: *Psal. 105. 14.* *Et tentaverunt Deum in inaquoso.* Est igitur Deus Spiritus sanctus. Et alio loco, cum assumeretur *4. Reg. 2. 9.* Helias, postulabat ab eo Helisæus, ut in se veniret geminus Spiritus: promisitque Helias, si modo se videret auferri. Cum igitur vidisset & acce- F pisset melotem, accessit ad Jordanem, & cum melote fluvium percussisset, non obtemperavit aqua. Dicit igitur Helisæus, ubi Deus ἀμφοὶ, quæ vox significat ambo, sive geminum Spiritum. Ubi igitur Deus, ἀμφοὶ, pro eo, quod est Spiritus geminus. *Joan. 7. 38.* Iterumque Salvator ait: *Qui in me credit, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Exponens autem Euangelista, quid hoc esset, *Aquæ vivæ,* inquit: *Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant, credentes in eum.* Quod si aqua viva est Spiritus sanctus, sane Deus est Spiritus sanctus: *Hier. 2. 13.* ait enim Propheta: *Me reliquerunt fontem aquæ vivæ, & effoderunt sibi cisternas dissi-* A *patas, quæ aquam continere non poterunt.* Et David quoque: *Quoniam apud te est fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen.* *Psal. 35. 10.* Vides Patrem fontem vocari; necnon Filium, itidemque Spiritum sanctum. Non quod tres sint dii: unus enim Deus, una lex, unus legislator & unus Dominus. Namque unus Deus in tribus personis prædicatur. At qui fieri potest, inquies, ut & Pater dicatur Deus, & Filius, & Spiritus sanctus Deus, nec tamen tres deos esse? Ubi communis natura, ibi commune quoque est nomen dignitatis. Quemadmodum Deus ea, quæ ex una natura in multitudinem dividuntur, uno nomine ap- B pellat. Et cum irascitur hominibus, omnem hominem iræ subjectum suæ unum vocat hominem: & cum reconciliatur mundo, velut uni homini reconciliatur. Quare, cum diluvium ob peccata inducit, ait Deus: *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, & delebo hominem, quem feci.* *Genes. 6. 3.* Atqui tum non unus erat homo, sed myriades infinitæ, æque tamen nomine naturæ omnes homines unum hominem appellavit, idque ob substantiæ communionem. David porro iterum dicit: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum?* *Psal. 8. 5.* Non quod unum hominem visitet, sed u- C niversum orbem in unum collegit. Jam vero, compendii causa, uno utemur Moysis dicto. Cum per mare exiret Pharao, meritasque ex lege divina pœnas lueret, cadens cum infinitis curribus in mare, quo tempore multi homines una cum eo demersi sunt, multique itidem equi: Moyses tamen videns, in omnibus demersis eandem esse naturam, & de equis & de hominibus, ita hæc ait: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare:* *Exod. 15. 1.* tantum numerum equorum equum unum appellavit, ob communionem naturæ: & virorum multitudinem unum hominem nun- D cupavit: equum enim & ascensorem ait, ob naturæ societatem. Si igitur in hominibus, ubi ea quæ naturæ sunt confunduntur, ubi discrimen formæ, roboris, & consilii: nequaquam enim in illis par sententia, neque formæ, neque vires: dissimiles item linguæ sunt, unde etiam, μέροπες, id est, divisæ vocis homines dicuntur. Quin etiam ob naturæ communionem, totus terrarum orbis, unus homo nuncupatus est. Ubi vero indivisa dignitas, unum regnum, una potentia, consilium, efficacia, Trinitatem distinguens a creatura; ibi unum affirmo Deum. Sin autem, quod Deum, & E Deum, & Deum dico, tres ideo deos constituo: & cum ajo Dominum, & Dominum, & Dominum, tres dico Dominos: si ergo, Pater Dominus, Filius Dominus, Spiritus sanctus Dominus, quomodo tu Apostole legislator veritatis, patronus religionis, Ephesiis clamasti dicens: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma?* *Ephes. 4. 5.* Unus Dominus, secundum sanctificationem Seraphinorum. Nam & illi clamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* *Esai. 6. 3.* Quod si contentiosius agant hæretici, & dicant, alium esse dominatum Pa- F tris, alium Filii, miror, cur sustineant duobus dominis inservire, vox siquidem Domini est: *Nemo potest servire duobus Dominis.* *Matt. 6. 24.* Si alius est dominatus Patris, alius Filii, & dividis potestatem, quomodo regno servies? Non potest duabus una obtemperari potestatibus, nisi sint eadem dignitate. Nemo adorat regem, & præfectum. Ubi enim par dignitas, par quoque adoratio. In pari dignitate non est pugna. Imparilitas pugnam excitat: æqualitas, pacem tuetur. Non permisit tibi Christus dividere honorem, cum diceret: *Hæc est voluntas Patris mei, ut omnes honorent Filium, quemadmodum & Patrem.* *Joan. 5. 23.* Honora Patrem, ut honores Filium, vel potius honora Filium, ut honores Patrem. Contumeliam in Filium Deus suam pu-

Joan. 15. 23. putat, Salvator enim ait: *Qui odit me, & Patrem* A *meum odit*. Ne existiment hæretici, se gratificari Deo, eum majorem Filio pronunciaotes. Non recipit sibi Pater honorem, cum Filius ejus contumelia afficitur. Vide evidens earum rerum argumentum ex veteri Scriptura. Amici Job, qui venerant ad consolationem ejus, increpabant eum, quasi temeraria loqueretur, & justificabant Deum, Job autem dicebat

Job. 31. 35. sed non ad verbum ut & in sequentibus. Deo: *Quis dabit judicem inter me & te, ut videam, quot sint iniquitates meæ: quoniam ita me judicasti?* Amici autem Job justificabant Deum, eum causas rerum ignotas haberent: justum virum, ut peccatis obnoxium, condemnabant. Deumque, ut juste has calamitates inferen- B tem, collaudabant, atque ita respondent ad verba Job:

Job. 15. 11. *Magnifice locutus es, audacia sermonis tui eximia, adversus Deum verba fecisti.* Et, *Deus non confundet justitiam.*

Job. 11. 6. & 22. 5. Rursum dicit amicus ejus: *Secundum peccata tua intulit tibi. Si non multa essent peccata tua, non te flagellasset.* Et putabant se Deo patrocinari, dum justum condemnarent; sed Deus numquid probavit eos, qui ita pro se præter æquum verba facerent? Num hoc genus patrocinii gratum habuit, justumque dedecore affecit? Nequaquam. Non igitur admittit sibi honorem, qui cum indignitate Filii conjunctus sit. Videamus au-

Job. 42. 7. tem, quid dicat amicis Jobi: *Quare non recta loquuti estis de servo meo?* Si igitur non recta de servo suo loquentes repudiat; an scilicet, qui contra unigenitum C Filium suum linguas acuunt, recipiet? nequaquam. Indeprecabilis igitur pœna blasphemantibus Spiritum sanctum. Audi enim quid Salvator dicat,

Matth. 12. 31. *Omnis blasphemia remittetur, blasphemia autem in Spiritum sanctum non remittetur.*

7. *Quod Trinitas Apostolos mittat.*

Joel. 2. 32. De Patre dicit: *In montem Sion veniet annunciator Evangelii, & Evangelii annunciatores, quos advocavit Dominus.* De Filio: *Ecce mitto vos, quasi*

Matth. 10. 16. *oves, in medio luporum.* De Spiritu in Actis dicit:

Act. 13. 4. *Et illi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleu-* D *ciam.* Si igitur Dei est vocare, cur Spiritus per Prophetas ait: *Hæc dicit Dominus?* Aut cur Spiritus, iis qui Antiochiæ erant, Sanctis dixit: *Segregate*

Ibidem v. 2. *mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod vocavi eos?* Disce igitur potentiam Trinitatis. Pater legem condit, Filius jubet, Spiritus auctoritatem ad-

Joel. 2. 32. dit. Audi Deum hæc loquentem: *Qui Evangelium annuntiant, venient, quos Dominus vocavit.*

8. *Probatur sanctam Trinitatem, sedere in throno excelso.*

Dicit Esaias: *Vidi Dominum Sabaoth, sedentem* E

Esai. 6. 1. *in throno excelso & sublimi, & Seraphini ei in orbem circumstabant, &c.* Necessum est hic Patrem ante omnes intelligi. Deinde post pauca hæc subjungit: *Et audivi vocem Domini, dicentis, Quem mit-*

Ibid. v. 8. *tam? & quis proficiscetur ad populum istum? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit mihi, Vade ad populum istum: & dic ei: Auribus audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis. Incrassatum est enim cor populi hujus, &c.* Joannes vero ad Filium eadem illa refert, cujus hæc verba sunt: F *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credide-*

Joan. 12. 37. *runt in illum, ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Hæc autem dixit Esaias, cum vidit gloriam ejus.* De Spiritu autem Paulus cum Judæis, qui Romæ erant, disceptans, ita loquutus

Act. 28. 25. est: *Benedixit Spiritus sanctus per Isaiam Prophetam: Auribus auditis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis, &c.*

9. *Quod Spiritus sedeat.*

Ex libro Mosis, non solum sedere, sed & assidere Patri, & Filio, Spiritum sanctum demonstratur. Sed id petamus ex idonea historia: propero autem ad Abrahamum: *Apparuit Deus Abraham, Et ecce tres vi-* Genes. 18. 1.

ri, quos hospitio excepit sub quercu, qui surrexerunt & respexerunt versus Sodomam. Jam illud verbum, *surrexerunt*, indicat sessionem præcessisse. Dic mihi igitur, in mensa tres isti sederunt, annon? Sederunt, ait: Ergo sedere, idem est atque una considere. In Daniele, cum Susanna ad mortem abduceretur, ait Scriptura: *Suscitavit Deus Spiritum sanctum pueruli, cui no-* Dan. 13. 45.

men Daniel. Vox igitur illa, *suscitavit*, de stante non intelligitur, sed de sedente, aut dormiente: quemadmodum & in Psalmo: *Excitatus est tamquam dormiens* Psal. 77. 65.

Dominus, tamquam potens & crapulatus a vino. Et, *Excitatus est Dominus ex nubibus suis sanctis.* Aliam Zach. 2. 13.

quoque afferam historiam de Patre Domini, ad Joannem dicente: *Super quem videris Spiritum descenden-* Joan. 1. 33.

tem & manentem super eum. Dominus ait: *Sin autem* Joan. 14. 10.

Pater, qui in me manet, ipse facit opera. Die igitur juxta hæc testimonia, Pater & Spiritus manent io Filio, annon? Manent inquies. Si itaque io Filio manent Pater & Spiritus, necesse prorsus est, Filio sedente, ipsos quoque una sedere qui cum illo manent; ut ergo sedet ipse, ita una sedent illi. Si igitur hæc est historia de Abraham & Lot, & in Actis Apostolorum scriptum est: *Et sedit supra singulos eorum Spi-* Act. 2. 3.

ritus sanctus, ut & in Psalmo dicitur: *Qui sedes super* Psal. 79. 2.

Cherubim; Filio certe scimus eximiam sedem propriamque, nimirum ad dexteram Patris, attributam esse: Tribus igitur apud Abraham sedentibus, ad sinistram certe Spiritus sanctus sedebat: ea enim illi adscripta sedes est. Nam sicut ad Filium dixit: *Sede* Psal. 109. 1.

a dextris meis: ex eo autem quod Filius sedet ad dexteram, intelligere licebit, sed quod per concessionem dixerit suo Spiritui, Sede a sinistris meis. Vocabulum autem sedentis, dignitatem significat: nam qui sedet, finibus ejus loci, in quo sedet, circumscribitur. Deus autem noster natura sua nullis finibus circumscribitur: verum circumscribi videtur, cum quæ corporalia sunt, ad eum transferuntur. Scriptura enim Deum nequaquam hominem facit, sed nostro more de eo loquitur, ut res, quæ supra nos sunt, sub istiusmodi natura manifestet. Quod autem in Psalmo centesimo nono loquitur: *Dixit Dominus Domino meo: Se-* Psalm. 109.

de a dextris meis. Et sedentibus illis, ait Scriptura ad ipsum Christum: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Mel-* Ibidem.

chisedec: &, *Dominus a dextris tuis*: liquet igitur Spiritum sanctum a dextris esse.

10. *Quod Trinitas a mortuis Christum secundum carnem excitaverit.*

De Patre ita loquitur: *Deus autem & Dominum* 1. Cor. 6. 14.

suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam. De Filio: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Joan. 2. 19.

De Spiritu autem: *Quod si Spiritus, qui suscitavit* Rom. 8. 11.

Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per spiritum ejus, habitantem in vobis.

11. *Trinitatem a seipsa glorificari.*

Filius glorificat Patrem, dicit enim, *Glorificavi* Joan. 17. 4.

nomen tuum in terra: & Pater Filio ait in Evangelio: Joan. 12. 28.

Et glorificavi, & iterum glorificabo. Quod autem glori-

rifi-

Joan. 17. 5. rificatus sit Filius a Patre, & Pater a Filio, in Euan- A
Joan. 16. 14. gelio ait: *Pater glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus glorificet te*. Spiritus Filium glorificat; ait enim de Paracleto: *Ille me glorificabit, quia de meo ac-*
Matth. 12. 32. *cipiet, & annuntiabit vobis*. Filius Spiritum glorifi-
Cor. 12. 3. cat, dicens: *Omne peccatum remittetur, sed blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur*, ob ejus cum Patre & Filio communionem. Atque etiam *quia nemo dicere potest Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*.

12. *De glorificatione sancti Spiritus.*

Psal. 49. 14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo* B *vota tua, & invoca me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & honorificabis me*. Spiritus nimirum est, qui dicit: *Eruam te, & honorificabis me*. Id enim patet, quia ipse dixit: *Immola Deo*.

13. *Quod ubique adsit Trinitas.*

De Patre.

Hier. 23. 24. *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus*.

14. De Filio.

Ephes. 4. 10. *Qui ascendit, is est, qui descendit ad inferiores partes terræ, ut impleret omnia*.

15. De Spiritu.

Psalm. 138. 7. *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descen-*
Joan. 14. *dero in infernum, ades*. Aliud: *Vos cognoscitis il-*
Esai. 42. 5. *lum, & apud vos manet*. Et Esaias: *Qui firmavit cælum & terram, & dat flatum populo, qui in ea est, & spiritum iis qui calcant illam*. Et
Sap. 1. 7. illud: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*.
Agg. 2. 5. Et, *Spiritus meus stat in medio vestrum*. Vides, ut Spiritus ante Patrem ponatur?

16. *Quod nemo cognoscat Trinitatem.*

Joan. 17. 25. Dicit Salvator: *Pater sancte, mundus te non cognovit, ego autem novi te*. De Filio in Euangelio:
Joan. 1. 10. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, &*
Joan. 14. 17. *mundus eum non cognovit*. De Spiritu: *Quem mundus non potest accipere, quoniam eum non agnoscit*.

17. *Quod in veteri quoque Testamento Trinitas peculiarem suam operationem exhibuerit.*

Exod. 29. 20. sed non ad verbum. *Sume*, inquit, *sanguinem initiationis, & impone sacerdotibus in summitate auriculæ dextræ, & in summitate pedis dextri, & in summitate dextræ manus*. Et animadverte caput populi tertio obsi-
Esai. 6. 3. gnatum, ad formam Seraphim dicentium: *San-*
Act. 10. 11. *ctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth*: & ad formam lintei, quod Petro Joppæ apparuit e cælo demissum, eo quod ter demissum sit. Et cum Dominus imperavit Mosi, ut diceret Aaroni & F
Num. 6. 22. filiis ejus: *Ita benedicetis filiis Israel, dicentes illis. Et imponent nomen meum filiis Israel, & ego Dominus benedicam illis. Benedicet tibi Dominus, & servabit te: ostendet faciem suam super te, & miserebitur tui. Adtollat Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem*. Et in novo Testamen-
1. Cor. 12. 6. to itidem de Patre loquitur Paulus: *Deus autem est, qui operatur omnia in omnibus*. De Filio quo-
Coloss. 3. 11. que idem: *Sed omnia & in omnibus Christus*. De
Cor. 1. 12. 11. Spiritu sancto: *Hæc autem omnia operatur unus, & idem Spiritus, dividens singulis prout vult*.

18. *Quod Trinitas consoletur, Paracletus enim ab adhortando, consolando & servando dicitur, ut Deus & Salvator.*

De Patre Paulus ait: *Pro Christo legatione fun-* 2. Cor. 5. 20.
gimur, ut Deo exhortante per nos. Et Esaias ad Jerusalem: *Consolatur te, qui nominavit te*. Con- * Hic locus est apud Baruch. 4. 30.
solatur & Filius, quemadmodum dixit: *Spi-* Esai. 61. 1.
ritus Domini super me, eo quod unxerit me, ut euangelizarem pauperibus, misit me, ut consolarer omnes lugentes. Joannes in Epistola: *Si quis pec-* 1. Joan. 2. 1.
caverit, habemus Paracletum apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. De Spiritu Salvator ad discipulos suos inquit: *Si diligitis me, præcepta mea* Joan. 14. 15.
servate. Et, *Ego ascendo ad Patrem, & rogabo Patrem, & alium Paracletum mittet vobis, Spiritum veritatis*.

19. *De Trinitate.*

Magnus Dominus noster, & magna virtus e- Psal. 146. 5.
jus. (Virtutem appellat Filium, virtus autem
C potentia est: *Christus enim Dei potentia, & Dei* 1. Cor. 1. 24.
sapientia est:) *& sapientiæ ejus non est nume-*
rus, id est, Spiritus, ut Salvator dicit: *Ecce* Esai. 11. 2.
do vobis Spiritum sapientiæ, & intellectus. Et ali-
bi: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris* Psalm. 32. 6.
ejus omnis virtus eorum. Atque iterum: *Benedicat* Psalm. 66. 6.
vobis Deus, Deus vester, benedicat vobis Deus.

20. *Quod Scriptura Spiritum, aliquando Patris, aliquando Filii, aliquando absolute Spiritum vocet, non enim confuse, sed indivisibiliter prædicatur.*

D De Patre: *Nos autem non accepimus spiritum* 1. Cor. 2. 12.
mundi, sed Spiritum Dei. Rursus: *Vos autem non* Rom. 8. 9.
estis in carne, sed in spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. De Filio: *Misit Deus Spiritum Fi-* Galat. 4. 6.
lii sui in corda nostra, clamantem, Abba Pater. Rursus: *Qui spiritum Christi non habet, non est ejus*. De Rom. 8. 9.
Spiritu Filius dixit: *Ne soliciti sitis, quid, aut quo-* Matth. 10. 19.
modo loquamini: dabitur enim vobis, in illa hora quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis. De Spiritu: *Per-* Act. 16. 6.
agraverunt autem Phrygiam & Galatiæ regionem, pro-
E *hibiti a Spiritu sancto loqui Verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu*. De Spiritu:
Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati e- Ephes. 4. 30.
stis. Dicunt hæretici, secundum ordinem, & annumerationem consistere deitatem. Respondebimus,
scriptum esse: *Primus homo, de terra terrenus; se-* 1. Cor. 15. 47.
cundus homo, de cælo cælestis. Et rursum: Primum 1. Cor. 2. 14 & 15.
dicit animalem, postea spiritualem. Si igitur primo in numeratione subjicitur secundus, qui autem subjicitur, eo cui subjicitur in numerandi ratione, vilior est: vilior erit secundum vestram sententiam
F animali spiritualis, & terrestri homine homo cælestis. Aliud (argumentum:) Nullus ignorat Scripturam nominare Deum Abrahæ, Deum Isaac, & Deum Jacob. Aliud: Contra eos qui tertio loco Spiritum sanctum constituunt. Adversatur autem illis in veteri Testamento ubi loquitur, (cum in Babylone
exterminatus fuisset populus) his verbis: *Et recor-* Bar. 2. 34.
dabor testamenti mei cum Jacob, & testamenti mei cum
Isaac, & testamenti mei cum Abraham. Aliud: *Di-* 1. Cor. 12. 4.
visiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui

Psal. 138. 7. operatur omnia in omnibus. Aliud: Quo ibo a spiritu A
tuo, & quo a facie tua fugiam?

21. Quod Filius ante Patrem ponatur.

* Joan. 14. 23. Ait Salvator: Ego, & Pater veniemus, & man-
Joan. 10. 30. sionem apud eum faciemus. Aliud: Ego & Pater
* 2. Cor. 13. 13. unum sumus. Rursum Apostolus: Gratia Domini
nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communi-
catio sancti Spiritus, cum omnibus vobis.

22. Adversus eos, qui discrimen ponunt inter, ex quo, &, per quem: & illud, ex quo, Patri; illud, per quem, Filio ut minus attribuunt. B

Invenimus contra in Scripturis, etiem de Patre
dici, per quem: & de Filio, ex quo, & de Spiritu si-
1. Cor. 1. 9. militer. De Patre Apostolus ait: Fidelis Deus,
per quem vocati estis in societatem Filii ejus. A-
1. Cor. 4. 1. liud: Paulus Apostolus Jesu Christi per volunta-
tem Dei. Rursus: Itaque jam non es servus, sed fi-
Galat. 4. 7. lius, quod si filius, & hæres per Deum. Et il-
Rom. 6. 40. lud: Quemadmodum resurrexit Christus, per gloriam
Patris. Rursum cum genuisset Eva Cain, dixit:
Genes. 4. 1. Possedi hominem per Deum. Iterumque Josepho in
Genes. 40. carcere nonne per Deum date est manifestatio? De C
Rom. 11. 36. Filio ex Prophetia Eseiæ, Peulus dixit: Quoniam ex
ipso, & per ipsum, & in ipso omnia. Quod si hic con-
tradicat hæreticus, & de Deo Petre hoc, per quem,
pronunciatum dicat, concedat tamen necesse est,
æqualem dignitatem attribuendam esse Filio. I-
Ephes. 4. 15. terum Apostolus ad Ephesios: Veraces in dile-
ctione crescamus, in eum per omnia, ex quo totum
corpus coaptatum, &c. Ad Colossenses, iis, qui
* Coloss. 2. 19. non habent notitiam Unigeniti dictum est: Quod
qui caput tenet, id est, Christum, ex quo totum
Joan. 1. 16. corpus per nexus & conjunctiones, &c. Et, De D
plenitudine ejus nos omnes accepimus. Quin &
Joan. 16. 14. ipse Dominus ait: Quoniam de meo accipiet, &
annunciabit vobis. Et rursus: Novi virtutem de
Luc. 8. 46. me exisse. De Spiritu: Qui seminat in Spiritu,
Galat. 6. 8. metet in Spiritu vitam æternam. Et Joannes in-
quit: In hoc cognoscimus, quod Deus in nobis sit,
1. Joan. 4. 13. ex Spiritu ejus, quem dedit nobis. Et Angelus ait:
Mat. 1. 20. Quod enim natum in ea est, ex Spiritu sancto est.
Joan. 3. 6. Ipse quoque Dominus eit: Quod natam est ex
Spiritu, Spiritus est. Quod si illud, ex quo, im-
perantis est, hoc est, Petris, quo, quæso, illud
1. Cor. 11. 8. refert: Non factus est vir ex muliere, sed mulier ex E
viro? An scilicet hic Deum virum appellebimus?

23. Patris, Filii, & Spiritus sancti esse quædam communia nomina, qualia sunt Deus, Dominus, Sanctus, Bonus, Spiritus, & alia nonnulla.

Quatenus igitur est cogitatione & intelligentia
Joan. 4. 24. præditus, Spiritus dicitur, ut, Spiritus est Deus,
& qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet
Thren. 4. 20. adorare. Rursum de Filio: Spiritus faciei nostræ
Christus Dominus. Sanctus Pater, & sanctus Filius, F
Spiritus vero non sanctificatus est, sed sanctificans:
itemque bonus, ut bonus Pater, & ex bono geni-
tus bonus Filius: rectus Spiritus, ut rectus Do-
minus Deus noster, eo quod sit ipsa veritas, ju-
stitie, ob immutabilitatem substantiæ: Paracletus,
Joan. 14. 16. ut unigenitus, juxta illud: Ego rogabo Patrem meum,
& alium Paraclitum dabit vobis. Ite commune id
nomen Spiritui cum Patre & Filio, ex communione
naturæ & proprietate coaptatum est. Nam unde, quæ-
so, aliunde, modo principalis, modo Spiritus
veritatis, alias Spiritus sepientiæ nominatus est?

24. Omnia Spiritum facere, quæ Christus facit.

Operationes virtutum, gratias sanitatum. Per
Spiritum sanctum dæmones expellebantur: in Spiritu
Dei diabolus comprimebatur: ad præsentiam Spiri-
tus, peccatorum redemtio in gratia Spiritus: Abluti 1. Cor. 6. 11.
enim estis, & sanctificati estis in nomine Domini no-
stri Jesu Christi, & in Spiritu sancto. Ex mortuis re-
surrectio, idque per operationem Spiritus: Emittes Psal. 103. 30.
enim Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis fa-
ciem terræ. Rursus ait: Si autem Spiritus, qui excita- Rom. 8. 11.
vit Jesum a mortuis. Quod si quis hanc creationem
eccipiat de mortuorum vivificatione, qui, quæso,
non ingens efficacia Spiritus, dispensantis nobis vi-
tam illam resurrectionis, & ad spiritualem illam vi-
tam animas nostrae adornantis? Quod si illa crea-
tio intelligetur, quæ in hac vita est ex peccatis
transformatio io melius: (nam ita accipi potest
secundum consuetudinem Scripturæ, cum Peulus
ite dicat: Si qua in Christo nova creatura, & ista 2. Cor. 5. 17
innovetio, quæ e terrestri & passionibus obnoxia
vita, ed cælestem vivendi rationem nos transfert
per spiritum, supra modum, mirabiliterque ani-
mas nostras afficit;) an isthic timebimus, ne
nimiis honoribus gloriam Spiritus excedamus? An
potius contra, ne nimis humiliter de eo sentie-
mus? Dicit enim Ananiæ Petrus Apostolus: Cur Sa- Act. 5. 3.
tanas implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto?
non mentitus es hominibus, sed Deo.

25. Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum ducem fuisse Israel.

Propheta igitur Hieremias ita de Patre loquitur:
Ipse dux fuis Israeli in deserto. Et: Ne dixeritis, io- Hier. 23. 7.
quit, ubi est Deus, qui eduxit nos ex Ægypto, qui dux Hier. 2. 6.
nobis fuit in deserto? & David inquit: Deduxisti, ut Psal. 76. 21.
oves, populum tuum. Esaias eutem dixit Spiritum
sanctum Israelem duxisse in solitudine. Sed licebit
ipsum audire dicentem: Duxit eos per abyssum, Esai. 63. 13.
quasi equum in solitudine, & non sunt fatigati, &
ut pecora per campum, descendit Spiritus a Domino,
& duxit eos. Ad Corinthios autem, ait Paulus,
Christum fuisse ducem: Bibebant, inquit, ex spiri- 1. Cor. 10. 4.
tuali consequente eos petra; petra autem erat Christus.
Quod si quis dixerit, Spiritum intercedere pro no-
bis: ac proinde, quanto supplex inferior est de-
tore, tanto quoque inferiorem esse Spiritum; huic
ita respondebimus: Unigenitum Filium, esse ad
dexteram Dei, & intercedere pro nobis: Nolite ita- Ephes. 4. 30.
que contristare Spiritum sanctum, juxta Paulum,
ita loquentem: In quo signati estis in diem redem-
tionis? Quin & Stephanus ita loquitur: Vos sem- Act. 7. 51.
per Spiritui sancto obsistitis, sicut patres vestri. E-
saias porro dicit: Exacerbaverunt Spiritum sanctum. Esai. 63. 10.
Et alibi: Domus Jacob exacerbavit Spiritum Domini. Mic. 2. 7.
At tu illum servum dicis; sed, Servus nescit, quid Joan. 15. 15.
faciat suus Dominus. Spiritus autem ita novit ea, quæ
sunt Dei, ut Spiritus hominis, qui est in ipso. 1. Cor. 2. 10.

26. Quod Filius sit verus Deus.

Joannes ita in Epistola scribit: Scimus, quod 1. Joan. 5. 20.
Filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cogno-
scamus verum Deum, & sumus in vero Filio ejus,
Jesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna.

27. Quod

27. *Quod Filius vocatus sit magnus Deus.*

Tit. 2. 13. Apostolus ad Titum: *Exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis.* Rom. 9. 5. Idem ad Romanos: *Ex quibus Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.*

28. *Adversus eos, qui hoc dictum ad contumeliam (Filii) accipiunt, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem Patris, qui misit me.* Joan. 6. 38.

Si probro est Filio, adimplere voluntatem Patris, probro quoque est Deo, & Patri, adimplere voluntatem justi; Psal. 144. 19. David enim ait: *Voluntatem timentium se faciet Dominus, & deprecationem eorum exaudiet.* Quod si Deus, adimplens voluntatem mortalium, non suffunditur pudore; Filius igitur ob humanæ carnis dispensationem & habitum nobis convenientem, & conditionem servilem, quam nostri causa suscepit, cum Joan. 6. 38. dicit: *Non veni facere voluntatem meam*, hoc est carnis meæ, *sed Patris*, hoc est divinam voluntatem; ne in despectum veniat, quamvis illorum Marc. 1. 40. sententia maxime isthinc dissolvatur: *Accessit ad eum leprosus, genua flectens, & dixit, Domine, si vis potes me mundare.* Hunc igitur, an rejicit Salvator, an dixit ei, quid blasphemas cum dicis, si volo, ac non potius Deus? Quid ergo? nonne approbavit perfectionem ejus fidei? nonne iisdem respondens syllabis salutem illi contulit dicens: *Volo, mundare?* Volens purgat leprosum: volens vivificat Joan. 11. 44. mortuum: voluit, & excitavit Lazarum, ejusque Joan. 5. 26. vox est: *Sicut Pater vitam habet in semetipso, ita & Filio dedit, vitam habere in semetipso.* Et rursum: Ibidem 21. *Ut Pater vivificat mortuos, ita & Filius, quos vult, vivificat:* quod ipsum etiam a Davide di- Psal. 29. 6. citur: *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.*

29. *Adversus eos, qui dicunt, verba hæc Salvatoris: Quid vis? matri filiorum Zebedæi dicta, ignorantiam præ se ferre.*

Invenimus in veteri Testamento, hæc loqui Deum 3. Reg. 3. 5. ad Salomonem: *Postula a me, & faciam tibi.* Quid igitur? num antequam postularet Salomon, ignorabat Deus quid ille in animo haberet? sed vult una cum cognitione Dei, manifestare postulationes, ut inquit Philip. 4. 6. Paulus: *Et petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Id est, indicate illi quid velitis, non tanquam ignoranti, sed tanquam bonum propositum approbanti.

30. *Adversus eos qui dicunt, in ministri ordine esse Filium, eo quod offerat Patri humanam naturam.*

Scriptura indicat Patrem, adducere ad Filium. Au- Joan. 6. 44. di namque Filium hæc ipsa loquentem: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus cælestis traxerit illum.*

31. *Adversus eos qui serviunt vocibus, & non sententiis sacrarum litterarum: & faciunt Patrem Deum Filii.*

Ephes. 1. 17. Apostolus dicit: *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ.* Isthic rerum œconomiam dispensavit, nam & gloriam Filium unigenitum appellavit: Jesum Christum vero nominavit prædicationem dispensationis. Dispensationis enim Deus est, gloriæ vero Pater. Si non credis huic dicto, sed aliam existimas esse gloriam, cujus Pater Deus est; aliam igitur comminiscere naturam, sublimiorem Filio: ut qui est Pater gloriæ, ejus Pater nominetur; hujus vero Deus. Gloria enim unigenitus dicitur: *Et vidimus,* Joan. 1. 14. inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Quapropter dictum illud: *Deus Domini nostri Jesu* Ephes. 1. 17. *Christi*; id est, Deus carnis Christi, Pater vero gloriæ, Pater Deitatis. Gloriam quippe Esaias quoque Salvatorem nostrum nuncupat, secundum deitatis dignitatem: cum enim recenseret miracula quæ in deserto contigerant, & solitudini bona annuntiaret, B ait: *Exultent deserta Jordanis, & floreant ut lilium,* Esai. 35. 2. *quoniam gloria Libani data est ei, & honor Carmeli: & populus meus videbit gloriam Domini, & sublimitatem Dei: & videbit omnis caro salutare Dei.* Gloria igitur est a gloria, unde & Paulus ait: *Qui est splen-* Hebr. 1. 3. *dor gloriæ, & figura substantiæ.* Est igitur Pater gloriæ unigeniti, Deus vero carnis Christi. Non quod alium Christum dicam, & alium unigenitum: non enim mente divido quæ ob unitatem non dividuntur. Pater siquidem unigeniti est ante sæcula; Deus vero unigeniti secundum carnem in fine sæculi: semperque illius Pater est, non semper autem illius Deus, C sed ex quo carnem ille assumsit. Deus Pater est illius deitatis: Pater siquidem est æternus, Filius autem ei coæternus: neque accipit sectionem aut divisionem gloria veritatis. Quandonam igitur Pater, Filii Deus ob carnem nominatus est? ab eo scilicet tempore, quo prodiit ex utero matris. Ideo apud Prophetam volens ostendere, & deitatem suam & carnem veram esse, dicit: *De ventre matris meæ,* Psal. 21. 11. *Deus meus es tu.* Quod si reliqua cognoscere velis, in vigesimo secundo Psalmo edisces.

D 32. *Adversus eos qui dicunt, Patrem esse magnum Deum, Filium vero ei inæqualem.*

Etsi maxime Trinitatem, unam Deitatem dicamus, invenimus tamen in sacris literis ad obturanda adversariorum ora, Filium magnum appellari seorsum a Patre: ait enim David: *Notus in Judæa* Psal. 75. 1. *Deus: in Israel magnum nomen ejus.* Judæa autem certis locis definita erat. De Filio autem: *Domine Do-* Psalm. 8. 1. *minus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Quoniam omnem terram implevit Christi vocabulum. Etenim in omnem terram exivit E sonus Sanctorum, & usque ad fines orbis verba eorum. Merito ergo Psalmus dicit: *Admirabile est nomen tuum in universa terra.* Quorsum illud, quod subjungit, *Quoniam elevata est magnificentia tua super* Ibidem. 2. *cælos?* Quod tum impletum est, cum ascenderunt Discipuli in montem cum Salvatore in cælos assumendo, dixitque ad eos: *Manete in Jerusalem, donec in-* Act. 1. 4. *duamini virtute ex alto:* quia scilicet assumtus ille erat: *Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos.* Igitur eum David alloquitur, dicens: *Quo-* Psal. 8. 4. *niam videbo cælos, opera digitorum tuorum.*

F 33. *Ut Pater est Dominus Sabaoth, ita & Filius.*

Esaias dicit: *Signa & prodigia in domo Israel* Esai. 8. 18. *a Domino Sabaoth, qui habitat in monte Sion.* In Psalmo autem dicit: *Ego autem constitutus sum* Psal. 2. 6. *Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus.*

34. *Ad-*

34. *Adversus eos, qui dicunt, minorem esse Spiritum sanctum Christo, ajuntque, quoniam arrha vocatus est, partem aliquam esse.*

[Ephes. 1.14.] Scriptum est in Epistola ad Ephesios: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto: qui est arrha hæreditatis nostræ, ad redemtionem acquisitionis nostræ, in laudem gloriæ ipsius.* Sed & Patrem invenimus in Scripturis partem appellari, in Psalmo enim dicitur: [Psal. 141.6.] *Portio mea es tu in terra viventium.* [B] [Psalm. 16.5.] Atque iterum in decimo sexto Psalmo: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.*

35. *Adversus eos qui dicunt, Filium non esse substantiæ Patris: quodque una eademque sit potentia, virtus, regnum, & divinitas Patris & Filii.*

[Malach. 3.1.] Dicit Propheta: *Statim veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Dei igitur templum est, quod & suum (Filius) esse dicit; ne existimaretur diversa esse Patris dominatio, & diversum Filii regnum. Templum Patris, quod dedicavit Salomon Deo, hoc ipsum Filii templum nuncupat Propheta, cum ait: *Statim veniet ad templum suum Dominus.* Ideoque Salvator ait: [Joan. 2. 16. Matth. 21. 13.] *Ejicite hæc isthinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis:* ipse dicit: *Ejicite ista hinc: domus enim mea, domus orationis vocabitur. Domus*, inquit, *Patris mei, & domus mea.*

36. *Filium habere nomen Patris, ut Deum & Dominum.*

[Exod. 23. 20.] Testatur Pater in Exodo: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, ut custodiat te in via, ut introducat te in terram, quam præparavit tibi: attende tibi & ausculta eum, ne sis ei inobsequens. Non enim remissius aget tecum: nomen enim meum est in illo.* Unde & Filius in Euangelio dicit: [Joan. 5. 43.] *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in suo nomine, illum recepertis.* Et in Psalmo 117. ait: [Psal. 117. 26.] *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sancti igitur Prophetæ, non modo Solem justitiæ dixere Salvatorem, & matutinam veramque lucem, sed & lampadem, & brachium: ut testatur Deus per Esaiam Prophetam, dicens: [Esai. 62.1.] *Appropinquat celeriter justitia mea, ut adsit: salutare autem meum, ut lampas ardebit.* Nulla humana ratio interpretetur quę sunt Dei. Non potest veritatem ediscere quispiam, nisi ab ipsa veritate. Cum Unigenitus Dominus noster Jesus Christus editus est ab nuptialis congressus experte puella, novum partus modum in orbem, novamque fœturam in vitam introducens, illum adhuc infantulum gestat mater, & offert Simeoni Sacerdoti. Iste in ulnas accepto Salvatore, ad eum ita loquitur, ac dicit: [Luc. 2. 29.] *Nunc dimittis servum tuum Domine: secundum verbum tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei, salutare tuum:* hoc est, præsentiam Christi. Merito igitur Propheta dixit sub persona Dei: [Esai. 62. 1.] *Salutare meum ut lampas ardebit, & in brachium meum gentes sperabunt.* Brachium namque Patris unigenitum nominat: brachium quidem, non ut partem Deitatis; sed ut substantiæ conjunctum. Ut enim brachium ejusdem est substantiæ, cujus ille cui brachium est; ita brachium Patris nominatur, quandoquidem cooperator est Patris in creatione. Atque istius argumenti testis est beatus Joannes Euangelista, qui supra pectus Salvatoris recubuit, & veluti ex perenni fonte theologiam hausit. Quid ait enim ille, brachium assumens ad indicandam dispensationem, Deitatemque Salvatoris? [A] *Cum multa*, inquit, *signa fecisset Jesus coram eis, non crediderunt in eum Judæi: ut adimpleretur dictum Esaiæ. Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* [Joan. 12. 37. Esai. 53.]

37. *Judæos filios tenebrarum appellari.*

Dicit Propheta Filiis Israel: *Hæc dicit Dominus: Nocti comparavi matrem tuam.* [Osee 4. 5. & 6.] Et exponens, quæ esset nox, intulit hæc verba: *Similis factus est populus meus, ei qui cognitionem non habet.* [B] Ergo ubi cognitio, ibi & lux: ubi ignoratio, ibi & tenebræ: secundum Davidem, cujus verba hæc sunt: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* [Psalm. 81.5.] Apostolus igitur, non veluti inimicis insultans, sed quia veritati patrocinatur, ita scripsit: *Non nos sumus filii noctis, aut tenebrarum: sed filii lucis & diei.* [1. Thess. 5. 5.]

38. *Quod lumen Judæorum ab ipsis ablatum est.*

Dicit Hieremias Propheta: *Verbum, quod factum est ad Hieremiam in omnem populum Judæ.* [Hierem. 25. 1.] Ubi postea hæc verba subinsert: [C] *Et auferam ab illis odorem unguenti, & lumen candelæ.* [Hier. 25. 10.]

39. *Quod hæretici soleant dicere, verba Prophetarum, ex persona sancti Spiritus pronunciata esse: unde frustra arbitrantur, se ostendere posse, Spiritum sanctum minorem Deo: eo quod in Psalmo ita habeatur:* Venite, adoremus eum, *quasi Spiritu sancto una cum hominibus adorante.* [Psal. 94. 6.]

Ad quæ ita convenienter respondemus. Quid igitur est, quod dicit: *Ploremus coram Domino?* [Psal. 94. 6.] Ergone etiam Spiritum plorare affirmabis? [D] Quin & alibi, ut ostendatur dominatus Spiritus, ita loquitur: *Ego enim sum Dominus Deus.* [Psal. 80. 11.] Itidem & in alio Psalmo: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* [Psal. 99. 3.] Rursus alibi: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* [Psal. 84. 9.] In Regnorum autem libris coarguens ita ait: *Spiritus loquutus est in me*, non per me. [2. Reg. 23. 2.] Et ut ex Pauli testimonio cognoscas, quisnam sit, qui ita loquebatur per Prophetas, lege quæ scripsit ille in epistola ad Hebræos: *Multifariam multisque modis olim Deus loquutus est Patribus nostris in Prophetis. In extremis diebus loquutus est nobis in Filio.* [Hebr. 1. 1.] Liquet igitur, [E] Deum esse Spiritum sanctum. Age rursum, videamus, quomodo se habeat oraculum istud, quo Deus loquutus est ad Heliam. Tunc enim Helias apud Deum conquerebatur his verbis: *Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam tollere.* [3. Reg. 19. 10.] Respondet ei Oraculum: *Delegi mihi septies mille viros, qui non incurvaverunt genu Baali.* [Ibid. v. 18.] Videamus igitur, num & Spiritus habeat edendi oraculi potestatem. Simeoni certe, & sacerdoti & seni, oraculum redditum est a Spiritu: *Nequaquam morieris, quin prius videris Christum.* [Luc. 2. 26.] Et cum induceretur [F] puer in templum, & gestaret eum in ulnis Simeon, tum respondit ille: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace.* [Luc. 2. 29.] Igitur Spiritus, & Dominus & herus est.

40. *Quod dicant, Spiritum vim sanctificandi habere.*

Si sanctificandi munus per gratiam ei concessum fuit, invenitur sane ille sacerdotis officium exercere. Non enim potest & Dominus simul, & minister esse. Si igitur minister est, supervacuum est ergo, nos

nos baptizari in nomine miniſtri. Etenim ſacerdos A non aquam ſanctificat, ſed miniſterium, quod requiritur, adimplet, cum id officii acceperit a Deo per gratiam. Si igitur idem facit Spiritus, quod ſacerdos: ſi data eſt illi facultas ſanctificandi, ut tu ais, cur Pater ſanctificat? Si quidem Rex opus alicui injungens, id ei agendum concedit, cui injungit, nec ipſe operatur.

41. *Rurſum hæreticus ut oſtendat quod Spiritus, Verbum Dei Dominum nuncupet, ait.*

Pſalm. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis.* Volens autem Salvator oſtendere, quod non ſolum B Spiritus Chriſtum Dominum vocet, ſed quod ipſe Chriſtus, Dominus ac Deus ſit, interrogatus a Judæo in hæc verba: Marc. 12. 28. *Præceptor, quod eſt primum mandatum? dicit ei: Diliges Dominum Deum tuum ex toto* Deuter. 6. 5. *corde tuo.* Etenim ſcriptum eſt: *Dominus Deus unus eſt: Secundum autem mandatum: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Tum reſpondit Judæus: Recte loquutus es, præceptor, Deum unum eſſe.* Hoc autem dixit, ut deitatem Filii inficiaretur: Salvator autem volens dominatum ſuum cum Patris dominatu coaptare, percontatur ex eo, Quid dicitis de Chriſto, C cujus Filius eſt? ajunt, David: reſpondet Salvator: Matth. 22. 42. *Quomodo igitur David in Spiritu ſancto illum Dominum appellat? Si igitur Filius ejus eſt, quomodo eum Dominum vocat?* Rurſum dixerunt illi, cum ejiceret dæ- Luc. 11. 15. monia: *Hic in Beelzebulem principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Quibus ita reſpondet: *Si ego in Belzebulem ejicio, filii veſtri in quonam ejiciunt?* Ceterum, cum filios dicit, Apoſtolos ſubindicat, ex ipſis oriundos, qui dæmonia expellerent, in nomine Jeſu Nazareni, quaſi diceret: Si liberi veſtri ad dæmones pellendos, nomine meo ſatis inſtructi ſunt, ego in nomine Beelzebulis non ejicio dæmonia.

42. *Adverſus eos, qui dicunt Filium poſtulare.*

Arguit hæreticus, atque ait, minorem eſſe petentem datore. Sed ſi Patrem ab hominibus petentem inveniamus in veteri Teſtamento, quid mi- Deut. 10. 12. hi hic quæſo reſpondebis? *Et nunc Iſrael, quid Dominus tuus a te petit, niſi ut ipſum metuas?*

43. *Quod pari modo data ſit lex a Spiritu in Pentecoſte, atque in monte Sina.*

Exod. 24. 16. Teſtatur Moſes, dicens: *Et erat gloria Dei Iſrael in monte Sina, veluti ignis ardens;* ut adimpleretur Luc. 12. 49. illud: *Ignem veni mittere in terram,* ignem, non qui conſumeret, ſed qui purgaret. Ideoque ille datus eſt Eſaiæ in labiis ſuis. Atque hinc eſt, quod Eſai. 6. 7. dicit: *Ecce dimiſi peccata tua:* Ita tunc quoque apparuit Spiritus ſanctus in Pentecoſte, in ſpecie i- Actor. 2. gnis. Diſpartitæ enim ſunt linguæ quaſi ignis, & Exod. 19. 18. ſedit ſupra ſingulos eorum. Et ut in veteri Teſtamento, ad Dei præſentiam adventumque multa terricula paveſaciebant, caligo nimirum, procella, tuba, & tonitrua ad montem reboantia, quæ populum ad timorem legislatoris præparabant; ita quoque factum eſt cum adventurus mox eſſet Spiritus ſanctus: ut cognoſcerent Diſcipuli dignitatem Spiritus cum gloria advenientem. Ut inquam, in monte, caligo & procella præcedebant, ita quoque in adventu Act. 2. 1. Spiritus: *Cum compleretur dies Pentecoſtes, factus eſt ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis:* Et tunc apparuit Spiritus: *& concuſſit* domum.

44. *Quod hæretici dicant, Spiritum donum Dei eſſe.*

Nos eum dicimus donum vitæ, (liberavit enim nos. Nam lex Spiritus vitæ liberavit nos,) Rom. 8. 2. & donum potentiæ: *Accipietis enim virtutem ſuper-* Act. 1. 8. *venientis in vos Spiritus ſancti.* Nos autem oſtendimus quod Spiritus ſanctus & Filium & adoptionem dederit hominibus: & paulopoſt: *Quomodo non eti-* Rom. 8. 32. *am cum eo nobis omnia donaverit?* Item alibi: *Ut videamus quæ donata nobis ſunt a Deo.* De myſterio 1. Cor. 10. 2. ſuſceptæ humanitatis loquens, in epiſtola ad Hebræos Paulus, poſt hæc addita verba: *Ecce ego, & pueri,* Hebr. 2. 13. *quos mihi dedit Deus;* de Chriſto ita ſermocinatur: *Quia ergo pueri communicaverunt ſanguini & carni, ipſe ſimiliter participavit eiſdem; ut per mortem aboleret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum.* Filios autem ſuos his verbis Apoſtolos nominat; per quos ſigna & prodigia in domo Iſrael facturum Dominum Sabaoth, habitantem in monte Sion, edocet. Quin etiam illuſtres fore pronunciat, eorumque facies obſignandas eſſe ſigillo Chriſti, eruditoſque, non jam deinceps lege Moſis, quippe quæ ulterius non conſiſtat, & quod domus quæ vocatur Jacob derelicta ſit a Deo.

45. *Quod Deus Verbum defendat, Patris & Filii concordiam eſſe.*

Et ne credideris vilitatis eſſe verba, ſed humanitatis: vilitatis quidem ſpecies, amantis tamen homines promiſſio eſt. Chriſtus enim omnium Dominus, idem ille, qui Judæis hæc dicit: *Quis ex* Joan. 8. 46. *vobis arguit me de peccato?* Filius ejus eſt, qui per Prophetam Michæam loquitur: *Populi mi, quid* Mich. 6. 3. D *feci tibi? aut qua in re moleſtus fui tibi? reſponde mihi:* & qui in Evangeliis dicit: *Si male loqu-* Joan. 18. 23. *tus ſum, teſtimonium perhibe de malo.* Filius ejus itidem, qui per Hieremiam ait: *Dixi habitantibus* Hier. 2. 5. *Iſrael, quid invenerunt in me patres veſtri delicti aut injuriæ, quod longe a me receſſerint?* O qualem humanitatem, in qua bonitas naturam; imo potius non tam naturam, quam noſtras cogitationes (exſuperat!)

46. *Quomodo bonitas Dei oſtendatur.*

E Dicit Moſi: *Ego ſum Deus, qui retribuo peccata pa-* Exod. 20. 5. *rentum in filios.* Et quouſque? *Uſque ad tertiam & quartam generationem.* Attende mihi, quæſo, quo pacto ultionem extendat uſque ad quartam generationem. Suam vero erga homines benignitatem quouſque? *Et faciens miſericordiam in mille (genera-* Ibidem. *tiones) diligentibus me.*

47. *Quod omnes Prophetæ in unum collecti, rerum a Chriſto in carne geſtarum, memoriam abſolverint.*

Moſes figuram Crucis conſtituit: quod teſtatum Num. 21. 9. quoque facit ipſe Salvator: *Quemadmodum,* inquiens, Joan. 3. 14. F *Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis.* Itidem quoque & Jonas mortis ejus Jon. 2. 2. & 1. 5. memoriam fecit. Siquidem ille deſcendit in cetum, atque intra triduum inde prodiit, factuſque eſt typus reſurrectionis. Hoc ipſum denuo Salvator repetens, typum illum veritati conciliat dicens: *Sicut fuit* Mat. 12. 40. *Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita quoque agere oportet filium hominis in corde terræ.*

48. *Quod Trinitas ſit conſubſtantialis.*

Quid eſt Deus? Omnium principium, ſecundum

34. *Adversus eos, qui dicunt, minorem esse Spiritum sanctum Christo, ajuntque, quoniam arrba vocatus est, partem aliquam esse.*

Ephes. 1.14. Scriptum est in Epistola ad Ephesios: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto: qui est arrha hereditatis nostræ, ad redemtionem acquisitionis nostræ, in laudem gloriæ ipsius.* Sed & Patrem invenimus in Scripturis partem appellari, in Psalmo e-
Psal. 141.6. nim dicitur: *Portio mea es tu in terra viventium.* B
Psalm. 16.5. Atque iterum in decimo sexto Psalmo: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.*

35. *Adversus eos qui dicunt, Filium non esse substantiæ Patris: quodque una eademque sit potentia, virtus, regnum, & divinitas Patris & Filii.*

Malach. 3.1. Dicit Propheta: *Statim veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Dei igitur templum est, quod & suum (Filius) esse dicit; ne existimaretur diversa esse Patris dominatio, & diversum Filii regnum. Templum Patris, quod dedicavit Salomon Deo, hoc ipsum Filii templum nuncupat Propheta, cum ait: *Statim veniet* C *ad templum suum Dominus.* Ideoque Salvator ait:
Joan. 2. 16. *Matth.* 21. 13. *Ejicite hæc isthinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis:* ipse dicit: *Ejicite ista hinc: domus enim mea, domus orationis vocabitur. Domus,* inquit, *Patris mei, & domus mea.*

36. *Filium habere nomen Patris, ut Deum & Dominum.*

Exod. 23. 20. Testatur Pater in Exodo: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, ut custodiat te in via, ut intro-* D *ducat te in terram, quam præparavit tibi: attende tibi & ausculta eum, ne sis ei inobsequens. Non enim remissius aget tecum: nomen enim meum est in illo.* Unde & Fi-
Joan. 5. 43. lius in Euangelio dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in suo nomine, il-*
Psal. 117.26. *lum recepéritis.* Et in Psalmo 117. ait: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sancti igitur Prophetæ, non modo Solem justitiæ dixere Salvatorem, & matutinam veramque lucem, sed & lampadem, & brachium: ut testatur Deus per Esaiam Prophetam,
Esai. 62. 1. dicens: *Appropinquat celeriter justitia mea, ut adsit: salutare autem meum, ut lampas ardebit.* Nulla humana E ratio interpretetur quę sunt Dei. Non potest veritatem ediscere quispiam, nisi ab ipsa veritate. Cum Unigenitus Dominus noster Jesus Christus editus est ab nuptialis congressus experte puella, novum partus modum in orbem, novamque fœturam in vitam introducens, illum adhuc infantulum gestat mater, & offert Simeoni Sacerdoti. Iste in ulnas accepto Salva-
Luc 2.29. tore, ad eum ita loquitur, ac dicit: *Nunc dimittis servum tuum Domine: secundum verbum tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei, salutare tuum:* hoc est, præsentiam Christi. Merito igitur Propheta di-
Esai. 62.1. xit sub persona Dei: *Salutare meum ut lampas ar-* F *debit, & in brachium meum gentes sperabunt.* Brachium namque Patris unigenitum nominat: brachium quidem, non ut partem Deitatis; sed ut substantiæ conjunctum. Ut enim brachium ejusdem est substantiæ, cujus ille cui brachium est; ita brachium Patris nominatur, quandoquidem cooperator est Patris in creatione. Atque istius argumenti testis est beatus Joannes Euangelista, qui supra pectus Salvatoris recubuit, & veluti ex perenni fonte theologiam hausit. Quid ait enim ille, brachium assumens ad indicandam dispensationem, Deitatemque Sal-

A vatoris? *Cum multa,* inquit, *signa fecisset Jesus* *Joan.* 12. 37.
coram eis, non crediderunt in eum Judæi: ut adimpleretur dictum Esaiæ. Domine, quis credidit au- *Esai.* 53.
ditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?

37. *Judæos filios tenebrarum appellari.*

Dicit Propheta Filiis Israel: *Hæc dicit Domi-* *Osee* 4. 5. & 6.
nus: Nocti comparavi matrem tuam. Et exponens, quæ esset nox, intulit hæc verba: *Similis factus est* B *populus meus, ei qui cognitionem non habet.* Ergo ubi cognitio, ibi & lux: ubi ignoratio, ibi & tenebræ: secundum Davidem, cujus verba hæc sunt:
Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Psalm.* 81.5.
Apostolus igitur, non veluti inimicis insultans, sed quia veritati patrocinatur, ita scripsit: *Non nos sumus filii noctis, aut tenebrarum: sed filii lucis & diei.* 1. *Thess.* 5. 5.

38. *Quod lumen Judæorum ab ipsis ablatum est.*

Dicit Hieremias Propheta: *Verbum, quod fa-* *Hierem.* 25. 1.
ctum est ad Hieremiam in omnem populum Judæ.
Ubi postea hæc verba subinfert: *Et auferam ab* *Hier.* 25. 10.
C *illis odorem unguenti, & lumen candelæ.*

39. *Quod hæretici soleant dicere, verba Prophetarum, ex persona sancti Spiritus pronunciata esse: unde frustra arbitrantur, se ostendere posse, Spiritum sanctum minorem Deo: eo quod in Psalmo ita habeatur:* Venite, adoremus eum, *qua-* *Psal.* 94. 6.
si Spiritu sancto una cum hominibus adorante.

Ad quæ ita convenienter respondemus. Quid igi-
tur est, quod dicit: *Ploremus coram Domino?* Ergo- *Psal.* 94. 6.
D ne etiam Spiritum plorare affirmabis? Quin & alibi, ut ostendatur dominatus Spiritus, ita loquitur:
Ego enim sum Dominus Deus. Itidem & in alio Psal- *Psal.* 80. 11.
mo: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* Rur- *Psal.* 99. 3.
sus alibi: *Audiam, quid loquatur in me Dominus* *Psal.* 84. 9.
Deus. In Regnorum autem libris coarguens ita ait:
Spiritus loquutus est in me, non per me. Et ut ex 2. *Reg.* 23. 2.
Pauli testimonio cognoscas, quisnam sit, qui ita loquebatur per Prophetas, lege quæ scripsit ille in epistola ad Hebræos: *Multifariam multisque modis olim*
Deus loquutus est Patribus nostris in Prophetis. In ex- *Hebr.* 1. 1.
tremis diebus loquutus est nobis in Filio. Liquet igi-
E tur, Deum esse Spiritum sanctum. Age rursum, videamus, quomodo se habeat oraculum istud, quo Deus loquutus est ad Heliam. Tunc enim Helias
apud Deum conquerebatur his verbis: *Altaria tua* 3. *Reg.* 19.10.
destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam tollere.
Respondet ei Oraculum: *Delegi mihi septies mille* *Ibid.* v. 18.
viros, qui non incurvaverunt genu Baali. Videamus igitur, num & Spiritus habeat edendi oraculi potestatem. Simeoni certe, & sacerdoti & seni, oracu-
lum redditum est a Spiritu: *Nequaquam morieris,* *Luc.* 2. 26.
quin prius videris Christum. Et cum induceretur
F puer in templum, & gestaret eum in ulnis Simeon,
tum respondit ille: *Nunc dimittis servum tuum,* *Luc.* 2. 29.
Domine, secundum verbum tuum, in pace. Igitur Spiritus, & Dominus & herus est.

40. *Quod dicant, Spiritum vim sanctificandi habere.*

Si sanctificandi munus per gratiam ei concessum fuit, invenitur sane ille sacerdotis officium exercere. Non enim potest & Dominus simul, & minister esse. Si igitur minister est, supervacuum est ergo,

nos

nos baptizari in nomine ministri. Etenim sacerdos A non aquam sanctificat, sed ministerium, quod requiritur, adimplet, cum id officii acceperit a Deo per gratiam. Si igitur idem facit Spiritus, quod sacerdos: si data est illi facultas sanctificandi, ut tu ais, cur Pater sanctificat? Si quidem Rex opus alicui injungens, id ei agendum concedit, cui injungit, nec ipse operatur.

41. *Rursum hæreticus ut ostendat quod Spiritus, Verbum Dei Dominum nuncupet, ait.*

Psalm. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Volens autem Salvator ostendere, quod non solum B Spiritus Christum Dominum vocet, sed quod ipse Christus, Dominus ac Deus sit, interrogatus a Judæo in hæc verba (Marc. 12. 28.): *Præceptor, quod est primum mandatum? dicit ei: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Deuter. 6. 5.). Etenim scriptum est: *Dominus Deus unus est: Secundum autem mandatum: Diliges proximum suum, sicut te ipsum, Tum respondit Judæus: Recte loquutus es, præceptor, Deum unum esse.* Hoc autem dixit, ut deitatem Filii inficiaretur: Salvator autem volens dominatum suum cum Patris dominatu coaptare, percontatur ex eo, Quid dicitis de Christo, C cujus Filius est? ajunt, David: respondet Salvator: (Matth. 22. 42.) *Quomodo igitur David in Spiritu sancto illum Dominum appellat? Si igitur Filius ejus est, quomodo eum Dominum vocat?* Rursum dixerunt illi, cum ejiceret dæmonia (Luc. 11. 15.): *Hic in Beelzebulem principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Quibus ita respondet: *Si ego in Belzebulem ejicio, filii vestri in quonam ejiciunt?* Ceterum, cum filios dicit, Apostolos subindicat, ex ipsis oriundos, qui dæmonia expellerent, in nomine Jesu Nazareni, quasi diceret: Si liberi vestri ad dæmones pellendos, nomine meo satis instructi sunt, ego in nomine Beelzebulis non ejicio dæmonia.

42. *Adversus eos, qui dicunt Filium postulare.*

Arguit hæreticus, atque ait, minorem esse petentem datore. Sed si Patrem ab hominibus petentem inveniamus in veteri Testamento, quid mihi hic quæso respondebis? (Deut. 10. 12.) *Et nunc Israel, quid Dominus tuus a te petit, nisi ut ipsum metuas?*

43. *Quod pari modo data sit lex a Spiritu in Pentecoste, atque in monte Sina.*

Exod. 24. 16. Testatur Moses, dicens: *Et erat gloria Dei Israel in monte Sina, veluti ignis ardens;* ut adimpleretur illud (Luc. 12. 49.): *Ignem veni mittere in terram*, ignem, non qui consumeret, sed qui purgaret. Ideoque ille datus est Esaiæ in labiis suis. Atque hinc est, quod dicit (Esai. 6. 7.): *Ecce dimisi peccata tua:* Ita tunc quoque apparuit Spiritus sanctus in Pentecoste, in specie ignis (Actor. 2.). Dispartitæ enim sunt linguæ quasi ignis, & sedit supra singulos eorum. Et ut in veteri Testamento (Exod. 19. 18.), ad Dei præsentiam adventumque multa terricula pavefaciebant, caligo nimirum, procella, tuba, & tonitrua ad montem reboantia, quæ populum ad timorem legislatoris præparabant; ita quoque factum est cum adventurus mox esset Spititus sanctus: ut cognoscerent Discipuli dignitatem Spiritus cum gloria advenientem. Ut inquam, in monte, caligo & procella præcedebant, ita quoque in adventu Spiritus (Act. 2. 1.): *Cum compleretur dies Pentecostes, factus est sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis:* Et tunc apparuit Spiritus: *& concussit* domum.

44. *Quod hæretici dicant, Spiritum donum Dei esse.*

Nos eum dicimus donum vitæ, (liberavit enim nos. Nam lex Spiritus vitæ liberavit nos,) (Rom. 8. 2.) & donum potentiæ: *Accipietis enim virtutem supervenientis in vos Spiritus sancti* (Act. 1. 8.). Nos autem ostendimus quod Spiritus sanctus & Filium & adoptionem dederit hominibus: & paulopost: *Quomodo non etiam cum eo nobis omnia donaverit?* (Rom. 8. 32.) Item alibi: *Ut videamus quæ donata nobis sunt a Deo.* (1. Cor. 20. 2.) De mysterio susceptæ humanitatis loquens, in epistola ad Hebræos Paulus, post hæc addita verba: *Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Deus* (Hebr. 2. 13.); de Christo ita sermocinatur: *Quia ergo pueri communicaverunt sanguini & carni, ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem aboleret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Filios autem suos his verbis Apostolos nominat; per quos signa & prodigia in domo Israel facturum Dominum Sabaoth, habitantem in monte Sion, edocet. Quin etiam illustres fore pronunciat, eorumque facies obsignandas esse sigillo Christi, eruditosque, non jam deinceps lege Mosis, quippe quæ ulterius non consistat, & quod domus quæ vocatur Jacob derelicta sit a Deo.

45. *Quod Deus Verbum defendat, Patris & Filii concordiam esse.*

Et ne credideris vilitatis esse verba, sed humanitatis: vilitatis quidem species, amantis tamen homines promissio est. Christus enim omnium Dominus, idem ille, qui Judæis hæc dicit: *Quis ex vobis arguit me de peccato?* (Joan. 8. 46.) Filius ejus est, qui per D Prophetam Michæam loquitur: *Popule mi, quid feci tibi? aut qua in re molestus fui tibi? responde mihi:* (Mich. 6. 3.) & qui in Euangeliis dicit: *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo.* (Joan. 18. 23.) Filius ejus itidem, qui per Hieremiam ait: *Dixi habitantibus Israel, quid invenerunt in me patres vestri delicti aut injuriæ, quod longe a me recesserint?* (Hier. 2. 5.) O qualem humanitatem, in qua bonitas naturam; imo potius non tam naturam, quam nostras cogitationes (exsuperat!)

46. *Quomodo bonitas Dei ostendatur.*

E Dicit Mosi: *Ego sum Deus, qui retribuo peccata parentum in filios.* (Exod. 20. 5.) Et quousque? *Usque ad tertiam & quartam generationem.* Attende mihi, quæso, quo pacto ultionem extendat usque ad quartam generationem. Suam vero erga homines benignitatem quousque? *Et faciens misericordiam in mille (generationes) diligentibus me.* (Ibidem.)

47. *Quod omnes Prophetæ in unum collecti, rerum a Christo in carne gestarum, memoriam absolverint.*

Moses figuram Crucis constituit: quod testatum (Num. 21. 9.) quoque facit ipse Salvator: *Quemadmodum*, inquiens, (Joan. 3. 14.) F *Moses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis.* Itidem quoque & Jonas mortis ejus (Jon. 2. 1. & 3. 5.) memoriam fecit. Siquidem ille descendit in cetum, atque intra triduum inde prodiit, factusque est typus resurrectionis. Hoc ipsum denuo Salvator repetens, typum illum veritati conciliat dicens: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita quoque agere oportet filium hominis in corde terræ.* (Mat. 12. 40.)

48. *Quod Trinitas sit consubstantialis.*

Quid est Deus? Omnium principium, secun-

1. Cor. 8. 6. dum Apostolum, dicentem: *Unus Deus Pater, ex*
quo omnia. Verbum enim ejus ex ipso per generationem, & Spiritus per processionem exsistit. Deinde universa rerum natura per Verbum in Spiritu creatione constituta est.

49. *Quod blasphemare in Filium, sit blasphemare in sanctam Trinitatem.*

Plerisque eorum, qui in terris degunt, terribilis
Mat. 12. 31. est sermo Dei, quo ait: *Omne peccatum & blasphemia*
remittetur hominibus, sed qui dixerit Verbum contra
B *Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc sæculo,*
nec in futuro. Quapropter omnes admonet divus Apostolus indicans literam occidere, spiritum vivificare. Pleraque siquidem sacrarum Scripturarum, si juxta literam sentimus, in nefarias collabimur blasphemias: qualis est illa Domini sententia superius allata; quod quidem, si absolute secundum verba intelligamus, non modo in nefarias delabemur sententias, quin & ipsum Dominum sibi ipsi contrarium deprehendemus. Si enim, quisquis verbum dixerit contra Filium, id ei remittetur, cur igitur Filius dicit:
Luc. 12. 9. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum*
C *coram Angelis Dei?* Item si omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, & de verbo otioso ratio-
Mat. 5. 22. nem dabimus; qui fit, ut is, qui appellat fratrem suum fatuum, reus sit gehennæ ignis? aut cur Paulus
1. Cor. 6. 9. Apostolus dicit: *Ne erretis, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt?* Quod si hæc ita se habent: dic mihi, quomodo ait omne peccatum, & omnis blasphemia remittetur hominibus? Rursumque, si verum illud est, cur miser accusatur Origenes, quod finem aliquem pœnarum constituat, ac
D tandem remissionem omnium peccatorum hominibus pariter & dæmonibus a Deo concedi prædicet? Rursum si blasphemia in Spiritum sanctum remissionem non habet, quare culpat Ecclesia Novatum, rejicientem pœnitentiam? Quod autem obscurissimum & intellectu difficillimum est, quod, ei qui loquutus fuerit contra Filium, remittatur: ei vero qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, nequaquam remittatur; ita ut minor sit Filius Spiritu sancto &
Joan. 10. 30. Patre. Quare igitur ait Filius: *Ego & Pater unum*
Joan. 5. 23. *sumus*: &, *Qui non honorat Filium, non honorat &*
Mat. 12. 32. *Patrem?* itemque hic ait, *Quicunque dixerit verbum*
E *contra Filium, remittetur ei?* Ergone scilicet condonabitur blasphemia in Filium Arianis, Simonianis, Sabellianis, Photinianis, & reliquis omnibus, qui adversus Incarnationem Filii blasphemias protulerunt? Apage hanc absurditatem. Si enim qui
Mat. 5. 22. dicit fratri suo, fatue, reus est gehennæ ignis, in quam, quæso, gehennam gehennarum conjicietur, qui adfirmat Deum suum creaturam esse, non Filium Dei, sed servum, sed administrum & minutum? Et si is qui contra Filium verbum dixerit, remissio-
Joan. 6. 54. nem impetrabit, quomodo idem Filius dixit: *Qui non comedit carnem meam, nec bibit sanguinem meum,*
F *non habet vitam æternam?* Aut qui, quæso, poterit qui ignominia afficit Filium non blasphemare in Trinitatem? Qui vero in eam blasphemiam dicit, is haud dubie abnegat sanctum Baptisma. Qui autem sanctum Baptisma abnegat, is nimirum Spiritum sanctum exsuit. Et quemadmodum in sole isto sensibili, si calori radiisve ejus contumeliam feceris, in totam naturam solis recurrit hujusmodi contumelia: ita quoque se res habet in trigemino sole Trinitatis & mysterii: contumelia unius personæ, blasphemia est in universam plenitudinem Deitatis. Quid igitur sibi
Mat. 12. 32. vult dictum illud Domini ad Judæos: *Omne peccatum*
A *& blasphemia remittetur hominibus: qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro?* Prudenter audiamus & ne seducamur. Duplicem esse Christum post inenarrabilem unionem, dico autem ex deitate & humanitate, sacræ nobis proclamant Scripturæ:
Verbum, enim, *caro factum est*. Deitatem ergo Ver- Joan. 1. 14.
bi ipse Christus Spiritum sanctum appellat, quemad-
modum ad Samaritanam loquutus est: *Spiritus*, in- Joan. 4. 24.
quiens, *Deus est*. Humanitatem vero suam, Filium
hominis nominavit: sicut etiam alibi de sua carne lo-
quitur: *Nunc glorificatus est filius hominis*. Judæi i- Joan. 13. 31.
B gitur, qui semper in Deum offendunt, duplicis adversus Christum blasphemiæ rei sunt. Quorum alii in carnem impingunt, hoc est, in Filium hominis, eum Prophetam, non Deum existimantes: quibus veniam dedit, id enim initium erat prædicationis, cum nondum capax erat mundus, ut Deum illum esse crederet, qui homo apparebat. Atque hinc est, quod
Christus ait: *Qui dixerit Verbum contra Filium ho-* Mat. 12. 32
minis; hoc est, in corpus ejus, *remittetur ei*. Ausim enim dicere, ne ipsos quidem beatos ejus discipulos perfectam de ejus Divinitate sententiam habuisse, donec Spiritus sanctus in die Pentecostes eos visitas-
C set. Siquidem post resurrectionem ipsum videntes, alii quidem adoraverunt eum, alii vero hæsitaverunt: nec tamen ob eam rem damnati sunt. Sunt alii qui in Spiritum sanctum impingunt, qui scilicet in Christi
Deitatem blasphemias dicunt, ajuntque: *In Beelzebule,* Luc. 11. 15.
principe dæmoniorum, ejicit dæmonia. De istis intelli-
gendum est, quod ait: *Non remittetur, neque in præsenti* Mat. 12. 32.
sæculo, neque in futuro. Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum: blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse: sed blasphemanti, id est in blasphemia perseveranti. Quandoquidem
D nullum est peccatum irremissibile apud Deum, illis, qui vere ex animo, & ut par est, pœnitentiam agunt.

50. *Quid sint Euangelia?*

Dei Verbi Domini Jesu Christi præsentia ad humani generis salutem incarnati, ex Spiritu sancto & Maria semper Virgine.

51. *De Angelis.*

Quæ est definitio substantiæ Angelicæ? Ange-
E lus, animal est rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.

52. *Quod opus cælestium potestatum?*

Hymnus perpetuus, & amor incessabilis erga majestatem Dei: fortasse etiam oratio continua pro nostra salute. Ceterum, quia ipsi ordines & milites denominantur, restat, ut hic eos distinguamus, in ordinem docentium, curatorum, punientium, eorumque, qui animabus gratificantur, & qui apud homines permanent. Et quemadmodum discri-
F men ordinis in supernis potestatibus novimus, ita quoque stationis & scientiæ. Throni scilicet, Seraphim & Cherubim, continuo & sine ullo medio a Deo condiscunt, utpote ceteris sublimiores & Deo propinquiores: & ab iis erudiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps superiores docent inferiores. Infimus autem ordo sunt Angeli, qui & hominum magistri sunt.

53. *Quid est homo?*

Homo est animal intellectu præditum, & quod sentit divinam mentem, vitæ æternæ capax, &

hu-

hujus spoliatione mortale. Hujusmodi est igitur ratio hominis secundum terrestrem formam.

54. *Quod compositus sit homo, & non simplex, neque ex similaribus partibus, sed ex incorporali mente, & corpore concupiscenti, sive animali.*

Ut docuit Paulus, qui carnis concupiscibilem vim animæ attribuit, quam & carnem appellavit, una cum ejus voluntate, hominis scilicet carnem, quam militare ait contra Spiritum: sed enim militare nequit, quod motu destituitur, & voluntatem propriam non habet. Hanc porro carnem adversus Spiritum ait pugnare, non eam quidem immobilem, aut inanimalem. Naturalis enim affectionum motus ei insitus est, quicum caro nominatur, ut in epistola ad Romanos manifestius interpretatus est, declarans motum, qui in carne est, confligere adversus mentem, & invicem oppugnari, ut rem nequaquam eandem atque mentem, sed prorsus ab ea diversam: *Condelector enim*, inquit, *legi Dei, secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, bellantem contra legem mentis meæ, & captivantem me.* (Rom. 7. 22.) Hanc voluntatem, & animam proprie appellavit Paulus, distinguens eam a Spiritu, cum dicit: *Deus sanctificet vos per omnia, & integer spiritus vester, & corpus & anima sine culpa in adventum Domini nostri Jesu Christi servetur.* (1. Thess. 5. 23.) His verbis spiritum, animam & corpus pro integro homine exponens, rogansque eum sanctificari, & sine culpa conservari. Ergo designavit spiritum, qui sanctificandus esset, hoc est mentem humanam. Animam deinde, vim concupiscendi. & corpus tabernaculum terrestre appellat: ut secundum hanc distinctionem tribus constet homo terrigena, intelligibili, concupiscibili, corporali. Voluntas porro sive anima, quæ est vis concupiscibilis, unita est menti, & corpori humano. Invalescente igitur intelligendi vi, totus homo efficitur intellectualis, quanquam implicatus sit carnalibus concupiscentiis, secundum conspicuam dissensionem & pugnam ejus, quæ in homine est, rationalis vis cum irrationali, non quidem dominante, sed dominium patiente. Ceterum principalis dicitur mens, quatenus princeps est & dux corporis animalia. Homo igitur, secundum principatum mentis, particeps est Deitatis, cum sit animal intellectuale: ideoque dicit: *Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.* (1. Cor 6. 17.)

IN EPISTOLAM CATHOLICAM

ADMONITIO.

Hæc Epistola non habetur in antiquis Athanasii operum collectionibus, ambigimusque an sit ea germanum Athanasii opus, nonnulla quippe sunt hic loquendi genera in veris Athanasii operibus non usitata, quamquam sexcenties sese illi obtulerit ea usurpandi occasio, v. g. σύμβολον τῆς πίστεως, stylus item remissior quam Athanasianus. In titulo etiam quædam occurrunt νόθου signa: vox, οἱ συνεπίσκοποι, nusquam ab Athanasio usurpata, solet quippe ubique ille coepiscopos vocare συλλειτουργούς. Nomina item regionum pauciora, quam quæ epistolæ Catholicæ quæ encyclica est, inseri soleant. Præterea solet Athanasius fusius & liquidius res gestas in epistolis suis enarrare, quam hic habeantur. Quapropter inter dubia opera eam ablegare visum est.

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

EPISTOLA CATHOLICA.

Omnibus ubique locorum Fratribus, fidei salutisque sectatoribus: Episcopisque Orthodoxis in Ægypto, Syria, Cilicia, Phœnice, Arabia, Athanasius & coepiscopi, in Domino salutem.

Quotquot impietatem conspicitis attollentem se adversus pietatem, vanis palam adhibitis sermocinationibus, dolosa simulatione, dissidiis item, indecoris tumultibus, imo plagis, vulneribus, cædibus; quasi a tempestate ad portum confugere salutemque vobis parare debetis: neque vos iis admiscere qui unam, veramque sanctæ Trinitatis abnegant Deitatem, Filium a Patre abalienant, Spiritumque separant a Filio, neque eorum tumultibus cædibusque vos sociare. Ita enim nos qui salutem curamus nostram, nec non eorum qui nobis obtemperant, apertam Arii impietatem jamdiu confutavimus, itemque eorum simulationem qui confictis sermonibus simpliciores seducunt: & a turbulenta eorum societate nos segregamus: eorumque facinora lugemus, quod nempe id agant, ut bonum nomen blasphemetur, atque peroptamus ut cum apud nos, tum apud nostros, fidei modestæque disciplinæ lex servetur. Ad eaque ipsa studia vos cohortamur, quotquot ejusdemmodi institutum amplexi, quotquot item eodem studio nondum inflammati estis. Annon intelligitis ejusmodi rebus aboleri Christianismum, ac dolosa specie diabolum oppugnare Ecclesiam, eamque veluti navem demergere? Quod si nobis scribere ac super ea re communicare volueritis, vestram concordiam conspirationemque, necnon mutuam orationum participationem, etsi loco dissiti, læti suscipiemus. Indicamusque vobis, etsi jamdiu grassatur lues isthæc, apud maximam partem populorum, necnon Episcoporum Apostolicam servari fidem. Tametsi nonnulli sunt, qui, cum vi, tum fallacibus verbis populum detinent: plurimique Episcoporum, partim metu virorum in urbibus illustriorum, partim gloriæ ambitu, quæ sentiunt occultant, quæ non sentiunt se sentire simulant. Qui si non essent iis affectibus præoccupati, veritatem sane, paucis hisce verbis expositam agnoscerent; scilicet, Deus & Dei Filius non potest esse res a Deo facta, nec Spiritus sanctus rebus factis annumeratur. Dei, non vero creaturæ, adventum admittimus: neque in servi adventum credimus. Divinique Spiritus gratiam admittimus: per quem & dii efficimur, & Dei templa reddimur. Hæc enim paucis licet de-

cla-

clarata, Christiano cuique aperta sunt, cum accuratam ab initioque prædicatam veritatem conservent: in qua si maneamus, æternam exspectamus spem. Fidei itaque nostræ Symbolum est: Consubstantialis Trinitas: Deus verus ex Maria factus homo: qui his non adstipulatur, anathema sit. Hæc enim præfert Nicænæ Synodi rescriptum: Consubstantialem esse Patri Filium, & Spiritum sanctum Patri & Filio conglorificari. Deum verum Filium Dei incarnatum, & passum esse, resurrexisse, in cælos ascendisse, venturum esse judicem vivorum & mortuorum: cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN REFUTATIONEM HYPOCRISIS

MELETII, &c.

IN *Nannii interpretatione Titulus sic habet*, Refutatio contra hypocrisin Meletii, Eusebii & Pauli Samosatensis, *vitiatum quippe codicem Anglicanum secutus ille est: nimirum, lapsu cujusdam scriptoris primo positum est*, καὶ Εὐσεβίου, καὶ τοῦ Σαμοσατέως, *ut legitur in superioribus editis: hinc alius amanuensis, illum Samosatensem ratus esse Paulum hæresiarcham, temere inseruit*, καὶ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως, *ut habetur in Anglicano codice. At legendum esse* τῶν περὶ Μελετίου καὶ Εὐσεβίου τοῦ Σαμοσατέως, *cum ex manuscriptis fere omnibus, tum ex recta historiæ serie constat. Carpi enim hoc loco Meletii, Eusebii Samosatensis, cæterorumque Antiochiæ coactorum Episcoporum epistolam ad Jovianum Imperatorem anno 363. scriptam nulli ambiguum erit, eam epistolam apud Socratem inspicienti: cujus partem hic apponere visum est:* τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ πάλαι συγκροτηθείσης τὴν πίστιν καὶ ἀποδεχόμεθα καὶ κατέχομεν. ὁπότε καὶ τὸ δοκοῦν ἐν αὐτῇ ξένον τισὶν ὄνομα, τὸ τοῦ ὁμοουσίου φημὶ, ἀσφαλοῦς τετύχηκε παρὰ τοῖς πατράσιν ἑρμηνείας, σημαινούσης ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς ἐγεννήθη, καὶ ὅτι ὅμοιος κατ' οὐσίαν τῷ πατρί· οὔτε δὲ ὡς πάθους τινὸς περὶ τὴν ἄρρητον γέννησιν ἐπινοουμένου· οὔτε κατά τινα χρῆσιν ἑλληνικὴν λαμβάνεται τοῖς πατράσι τὸ ὄνομα τῆς οὐσίας, εἰς ἀνατροπὴν δὲ τοῦ, ἐξ οὐκ ὄντος. Sanctæ Synodi Nicææ coactæ fidem admittimus retinemusque. Si quidem nomen consubstantialis ibi admissum, quod insolens quibusdam visum est, cauta interpretatione a Patribus est explicatum; ita ut significet ex Patris substantia Filium esse genitum, eumque substantiæ Patris esse similem: non quasi passio quædam in generatione illa ineffabili intelligatur, neque usu quodam Græci sermonis substantiæ nomen a Patribus usurpatur; sed ad subversionem illius dicti, Ex non exstantibus. *Hæc maxime verba, Catholica sane, ut nemo eat inficias, ad suspectum & pravum sensum detorquere nequicquam conatur scriptor iste. Quæ sane causa fuit ut a doctis Viris Paulino tum Ecclesiæ Antiochenæ partem occupanti, aut cuidam ex sequacibus ejus adscribatur. Quod veri satis simile est, cum certum alias sit Paulinianos, ideo a Meletii communione avulsos esse, quod ejus suspectam haberent fidem.*

II. *Quisquis tamen sit hujus opusculi auctor, videtur non esse Athanasius; siquidem hanc ille doctrinam probat in libro de Synodis num.* 41. *ubi clare innuit vocem* ὁμοούσιον *(quam impugnat hujus opusculi editor) piam esse, nec tamen sufficere ad Christi generationem explanandam, quapropter addendam esse vocem* ὁμοιούσιον, *quæ cum in epistola Meletii, &c. diserte exprimatur, recte illa cum Athanasii doctrina consentit. His adde styli varietatem sane conspicuam; Athanasianus enim planus apertusque, hujus vero scriptoris intricatissimus est, ita ut, sub finem potissimum, vix sit intelligendus. Præter hæc, indignum Athanasio orthodoxas piasque sententias, argutiis atque cavillis impugnare, quod unum agit scriptor iste. Nec omittendum, non reperiri hoc opusculum in antiquioribus Athanasii operum collectionibus, abesseque a Regio & Segueriano codice, qui ambo omnia Athanasii opera iisdem adhibitis numeris complectuntur. Quare dubium saltem valdeque suspectum videtur. Antiquum tamen esse patet, atque paulo post missam a Meletio, Eusebio, aliisque, ad Jovianum epistolam editum. Quare illud in annum circiter 364. conferimus.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Refutatio hypocrisis Meletii & Eusebii Samosatensis, adversus Consubstantialitatem.

Scripta anno circiter 364.

HOMO ad similitudinem Dei factus est, nec tamen est homo, Deus: quod enim alicui simile est, nequaquam illud ipsum est, cui est simile. Ut, verbi causa, simile est regnum cælorum sagenæ & fermenti, nec quidquam tamen horum est regnum cælorum: & qui doctus est in regno cælorum, similis est homini patrifamilias: at nequaquam paterfamilias ipse est, & alia hujusmodi multa. In corporibus item, lupus cani similis, non canis * tamen est: stagnum argento, at nequaquam argentum est: æs auro, nec tamen est aurum: coccinum sanguini, sed non est sanguis: gypsus nivi, nec tamen nix est: & sic alia inter se diversa, sed tamen similia conspiciuntur. Deo itaque nequaquam similis est Filius, Deus cum sit, sed unum sunt, uti scriptum est: *Ego & Pater unum sumus*. Joan. 10. 30. Deitatemque unitatem interpretatur; Deitatem, inquam, non qualis est in iis qui dii effecti sunt, nimirum hanc illi opponit, ut Domini præfert eloquium: Deus enim est, non ut homo, qui ad similitudinem Dei factus est: Deusque nominatur similitudine, non natura, habet quippe essentiam Dei similem effectam, in qua similitudine profectum admittit: penes quam naturam, jam *Filii Dei sumus*, &, *Si apparuerit, similes ei erimus*. Rom. 8. 16. 1. Joan. 3. 2. Ubi porro eadem ipsa est substantia, ibi substantia non proficit, nec admittit majus, vel minus, sed hominis illud est: at Dominus idem semper

* His similia vide, in Tract. de Synodis, n. 41. Vulgares eo tempore similitudines usurpat scriptor iste, ut & Athanasius.

per ipse est, nec modo minor, modo major, utpote Deus: *Jesus*, inquit, *heri & hodie, ipse & in secula*.
Hebr. 13. 8. Qui igitur illud Filio adimit, quod sit Patri consubstantialis, similemque ipsum ait, Deum illum esse negat. Similiterque, qui consubstantiale definit, ut substantia simile, is alteram ejus substantiam inducit, Deoque similem factam. Non itaque, ille consequenter ait, eum esse ex substantia Patris, cum consubstantialem non sentiat; quemadmodum est homo qui ex hominis substantia gignitur. Quod si Filius ex Deo non est secundum substantiam, quemadmodum homo ex homine, sed similitudine quadam, ut statua homini est similis, & ut homo Deo; palam certe est eum qui sic sentiat, consubstantialem dicere quidem, sed consubstantialem minime sentire: non vult quippe ille consubstantiale pro more & usu accipi, de una scilicet & eadem substantia, sed ut mala uti possit interpretatione, Grecam vocem preter consuetudinem usurpat, *ὁμοίως*, nempe, que non pro alia re apud Græcos usuvenit, quam ad eamdem naturam declarandam, quam credendum est esse in Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Ille, inquam, una consubstantialitatem evertit, vocemque substantiæ spurie usurpat, dum eam cogitat esse opus, non vero fœtum. Ideoque vocem impassibiliter, callide adjicit; non ut passionis calumniam dimoveat? quis enim Deum passibilem, vel dicere ausit? sed ut factum ex Deo dicat, nec genitum ex Deo processisse fateatur: quasi processio hujusmodi passioni sit obnoxia, quemadmodum dicere solent qui processionem ex substantia quasi passionem respuunt: quam vero vocant ex substantia facturam, quasi passione liberam commendant. Quamquam factura ipsa, si humano more intelligatur, & motum habeat, & ex motu laborem: quæ sane ab opifice Deo aliena sunt. Attamen licet per hujusmodi explanationem, processionem Filii quasi generationem impassibilem intelligant, Spiritum sane a Patre & Filio alienum statuunt: quandoquidem non generationi similis ejus processio est, sed spirationi, nimirum ob participandi modum, quasi scilicet effiatu quodam ex ore prodeunte; ac recipientem se, sanctificante, quod de Spiritu dicitur. * Atqui impossibile esset Trinitatis gloria Spiritum glorificari, si per processionem ex Deo per Filium non esset, sique res effecta a Deo esset, ut ajunt ipsi. Non enim res facta cum factore suo conglorificatur, neque servus cum Domino: neque participatio substantiæ a Deo alienæ, participatio Dei fuerit. *In hoc* 1. Joan. 3. 24.
enim cognoscimus, ait Joannes, *quia in nobis est, ex Spiritu sancto quem dedit nobis*.

* Hæc referuntur in Concilio Florentino pag. 415. nomine Athanasii.

IN EPISTOLAM DE INCARNATIONE DEI VERBI ADMONITIO.

EPISTOLAM *de Incarnatione Dei Verbi Athanasii non esse, eruditi complures suspicantur, quorum opinioni ut assentiamur, haud levibus sane movemur argumentis. Illo namque ævo scripta est, quo hæretici duas esse in Christo Personas aperte & summa vi contendebant, ut fertur num. 2. quod certe ad Athanasii ætatem nemo doctus referat, sed potius ad tempora Nestorianorum, quorum hic hæresis confutatur. Et sane quem locum Scripturæ hic legimus n. 1.* Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *&c. si eo ipso modo legisset Athanasius, plane usurpasset illum ad Filii divinitatem contra Arianos asserendam. Sed iis usus videtur exemplaribus qui habebant,* ὃ ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *&c. ut & Vulgata hodierna, in qua sic legitur:* Quod manifestatum est in carne, *&c. ubi illud*, quod, *præcedentem vocem*, mysterium, *respicit. Si priore utique modo legisset Athanasius, tam insignem locum non prætermissurus erat, homo Scripturarum scientissimus. Demum si Athanasii esset, a Cyrillo vel a Synodo Ephesina laudata fuisset: aptior quippe ad Nestorianam confutandam hæresim, quam Epistola ad Epictetum, frequentissime ab iisdem laudata. In hac enim, uti diximus, ipsa Nestorii hæresis impugnatur, ut etiam Codicis Basiliensis scholiastes ad marginem annotavit.*

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI DE INCARNATIONE *Dei Verbi*. *

1. SACRAM olim Synodum dolore afficiebat insolens illa Pauli Samosatensis doctrina, qua magnum Christi mysterium subvertere conabatur: jam vero sanctæ fidei vindices summopere contristat illa, quæ iisdem usa blasphemiis, quamplurimis noxia est: iis vero præcipue qui diminuto sunt intellectu. Res enim magnæ, & comprehensione difficiles sola in Deum fide perspiciuntur: unde qui imbecilla sunt intelligentia, labuntur, nisi in fide permanere suadeantur, & curiosas aversentur quæstiones. Quapropter, beatus Paulus ajebat: *Manifeste magnam est pietatis sacramentum*, 1. Tim. 3. 6.
Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumtus est in gloria.

2. Quandoquidem igitur audivimus nonnullos vestrum turbari, nostrasque litteras circa communem & ab Apostolis inductam fidem postulare, scribimus paucorum

* Editi latini addunt, *contra Paulum Samosatensem*, quæ verba cum nec in mss. nec in Textu Græco edito legantur, aperte supposititia sunt. Nam alioquin patet eam non adversus Samosatensem, sed adversus hæreticos alios conscriptam esse.

eorum esse illam sedulo disquirere: fidem autem retinere, omnium esse eorum qui Deo obsequentes sunt, qui & magnam studii sui laudem referunt. Qui enim quæ ultra vires suas sunt indagat, in periculo versatur: qui autem traditis inhæret, extra periculum est. Suademus igitur vobis, quod & nobis ipsis suademus, ut traditam fidem servetis, prophanaque novæ cujuslibet doctrinæ verba aversemini, omnesque hortemini, ut tanti mysterii inquisitionem exhorrescant: & confiteantur, tum Dei in carne manifestationem, secundum traditionem Apostolicam; tum justitiam quam Dominus habuit in Spiritu, id est, non humana mutatione, sed divina puritate. Impossibile enim est humanam naturam, puram & sine peccato exhiberi, nisi Deus in carne esse credatur, qui justitiam peccati expertem in mundum induxerit, cujus participes effecti, vivemus & salvi erimus. Illud enim: *Non est justus in terra qui faciat bonum & non peccet*, in commune de omnibus hominibus dictum est: unde, *De cælo venit*, inquit, *quod immaculatam justitiam ex se dat Verbum*. Et liquido dicit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis*. Et rursum: *Si videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius*. Et, *Ego sum panis, qui de cælo descendi, vivus, & qui dat vitam mundo*. Quibus suam ipsius Deitatem aperte nos edocet, nec tamen aufert quod secundum carnem assumserat; sed seipsum cum carne conjungit: quandoquidem juxta Paulum in similitudinem hominum factus est, & habitu inventus est ut homo. Homo autem una persona & unum animal est, ex spiritu & carne compositum: ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam, & non duas, ut jam incredulitas magnitudine divinæ gratiæ destituta, & in gentilium scandalum prolapsa, aperte & summa vi contendit. Cum enim non credat possibile esse Deum hominem fieri, juxta Joannis verba initio posita: *Verbum caro factum est*, ideo dicit, hominem quidem eum esse ex Virgine genitum, & ex natura sua nihil divinum habere; Deum vero in hunc ipsum descendisse. Porro, qui hæc dicunt, sibi ipsi adversa proferunt, quasi Verbo contradicentes, dum ajunt, Filium hominis non e cælo descendentem, sed e terra surgentem, Deum e cælo descendentem in se recepisse.

Eccles. 7. 21. — *Joan. 6. 63.* — *Joan. 6. 51.* — In Symbolo: *nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, &c.* — *Joan. 1. 14.*

3. Nos itaque decet divinis inhærere verbis, nec ratiociniorum disputationibus illa prodere, quæ nobis ita manifeste prædicata sunt. Cum itaque Samosatensis sequaces nobis dixerint, alterum hominem duntaxat, alterum Deum esse, ne illos admittamus. Imo etsi dixerint Deum in homine inhabitare, ne recipiamus eos: inhabitat enim & in nobis, ut scriptum est: *Inhabitabo in illis & inambulabo*. Ergo ex illorum sententia in nullo a nobis Christus differt; ita ut si hominem cum Deo Verbo simul adores propter inhabitationem, adora quoque Sanctos propter eum qui in illis inhabitat. Quomodo illud absurdum non fuerit? Dicere autem, hominem ante Spiritum sanctum, id est, ante Deum, glorificatum fuisse, extremæ est impietatis. Nos itaque Spiritu Deum & carne hominem, Dominum nostrum esse credimus, etiamsi increduli illi generationem ex muliere irrideant; quia carnis generatio illa est, non Deitatis. Dicimus igitur Deum unitum esse carni, & eatenus ex muliere efformatum genitumque esse, ita ut sit unus, ut Apostolus docuit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere; factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Divinam quoque crucem irrident haud secus quam gentiles. Nos autem ipsam nominamus carnis gratia, quæ nec a Deo segregata, nec in aliam personam divisa est: Impossibile enim est Dominum gloriæ nudum hominem esse: *Dominus, autem, virtutum ipse est Rex gloriæ*; cum metuamus Dominum virtutum dicere hominem, eandem ac nos naturam nihilque majus habentem; Dominum gloriæ crucifixum, juxta Apostolicam vocem, Deum esse confitemur: ac Cruce, velut trophæo, adversus diabolum utimur: sigillumque nostrum est Christi virtus in salutem. Ac cum Christo crucifigi hoc salutare est, plusquam lex & plusquam justitia legis: hoc mundum sanctificat. Atque ideo in mortem ejus baptizamur, quia mors illius non erat pœna peccati, neque similis erat morti Adami; sed redemtio erat a peccato & a morte per peccatum inducta.

Levit. 26. 12. — *Galat. 4. 5.* — *Psalm. 23. 10.*

4. Aperte igitur Apostolorum prædicatio exponatur, ut ipsi vultis, quæ a Sanctis quoque Patribus tradita est: de Deitate quidem, quod Trinitas unica sit natura: qua sententia hujus temporis Synodi unam esse substantiam Apostolice scribunt. Verbum autem Dei, creator cum sit omnium, postquam ab initio hominem ad similitudinem suam creavit, ad similitudinem quoque suam illum restituit, simile factum operi suo, quia ex sancta & Deipara Maria Virgine carnem sumsit, & homo factum est, manens tamen Deus, ut homines, etsi homines maneant, Deos efficeret. Unaque Persona est & ante incarnationem & post incarnationem, Deus carne incomprehensibilis, in carnem indivisibilis, in passionibus carnis impassibilis, qui mortem vicit & tertia die resurrexit: qui ascendit in cælum in gloria sibi naturali, & non per gratiam: qui propalam in sua Deitate venturus est, corpore sancto suo, quod ex Maria sumsit, effulgens gloria ineffabili, quemadmodum sese in monte ex parte tantum ostendit, ut doceret se & antea & nunc eumdem ipsum esse, nec in sequenti tempore Deum factum fuisse, (ut jam contendit blasphemia:) se item neque hominem esse desiisse, neque carnem deposuisse. Etenim cum Unigenitus ille incipit esse filius hominis, tum etiam Angelos suos mittit, invariabilis semper, & nullam mutationem in sua Deitate passus, secundum carnem vero, nobis conformatus, & nos sibi ipsi conformans.

IN LIBRUM CONTRA SABELLIANOS

MONITUM.

Tanta est adfinitas hujus libri cum Homilia 27. Basilii contra Sabellianos, Arium & Anomœos nuncupata, ut alterutrum opusculum ex altero expressum fuisse propalam sit. Et sane iisdem argumentis in utroque proceditur ad hæreticos confutandos, eadem ipsa usurpantur Scripturæ loca, uno & æquali ordine posita. Neminemque putamus esse quin judicet, id artificio cujusdam Græculi Scriptoris admissum fuisse, qui alterutrius Patris librum verbis solum commutatis alteri adscripserit. Et quidem in hunc Athanasio adtributum cadere videtur suspicio: nam præter styli diversitatem

sane

sane conspicuam, nequaquam memoria proditum est cum iis hereticis pugnasse Athanasium, qui cum Sabellio, Patrem Filiumque unam esse Personam, solo nomine distinctam adfirmarent: quod tamen unum agitur in hoc opusculo. In Basilii vero homilia in Anomœos maxime ejus temporis hereticos vertitur acies, licet Sabellius quoque haud segniter impugnetur. Sed qui ex Basilio hoc opusculum Athanasii nomine expressit, ad fraudem ut putamus contegendam Anomœorum nusquam meminit. Nec quis putaverit, Basilium tantæ virum eloquentiæ & eruditionis, alienis, ut ajunt sese pennis exornatum. Sane talis est homo, ut ne in suspicionem quidem furti plagiique veniat. Homiliam itaque 27. genuinum Basilii esse opus, hoc vero Athanasio adscriptum, spurium arbitramur: licet jamdiu inter Athanasiana compareat; in antiquis enim collectionibus Athanasii operum habetur.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

De æterna Filii & Spiritus sancti cum Deo exsistentia, & contra Sabellianos.

1. JUDAISMUS Gentilitati contrarius est, neutra tamen religio pia, sed utraque extra veritatem consistit. Siquidem & Babylonii bellum gessere contra Ægyptios: aliique complures impii, impiis adversati sunt. Ideoque non sufficit impietati obsistere, nisi pietatis causa illi obsistatur. In multis gravibusque rebus Judæi idololatras arguere possunt, ipsisque justa de causa crimini vertunt, quod creaturæ potius quam Creatori serviant. Nec tamen eo quod impietatem arguant, hinc pie sentire agnosceotur, dum Filium Dei, per quem omnia facta sunt, negant: & dum eos, qui per ipsum, Patrem colunt, inductæ deorum multiplicitatis insimulant. Quocirca, ab Ethoicis discessimus, ab iisque segregati sumus, ne impuro idolorum cultui admisceremur: a Judæorum quoque blasphemia abscessimus, cum Dei Filium confessi sumus, atque effugimus perniciosam abnegationem Domini nostri dicentis: (Matth. 10. 33.) *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Nos porro confitemur Filium ex Patre esse, ac semper esse cum Patre: atque illi credimus qui hoc ait & pollicetur: (Matth. 10. 32.) *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.*

2. Hoc exemplar cum intueamur, jam segregamur ab iis qui sub nomine Christianismi cum Ethnicis sentiunt, audentque Dei opificium, Deum dicere & adorare. Segregamur quoque a Judaizantibus, qui Christianismum in Judaismo depravant: qui eum, qui ex Deo est, Deum esse negant: Deumque unum quemadmodum Judæi prædicaot: qui non eo dicunt ipsum esse solum Deum, quod solus non geoitus, & quod solus fons Deitatis sit; sed quod Filium non genuerit, nec Verbum vivens, veramque sapientiam produxerit. Nam Verbum Dei tale existimant, quale illud ex humano corde procedens: & sapientiam Dei, qualem illam quæ in anima exsistit: quapropter Deum cum Verbo suo personam unam esse dicunt, ut & hominem cum verbo suo, hominem uoum, nec plus quam Judæi sentiunt, qui Euangelistam non recipiunt, ab ipso (Joan. 1. 1.) statim ioitio clamantem: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si enim Deus, Verbum in corde habet, non a se revera geoitum, ut Deum ex Deo; quomodo apud Deum Verbum exstiterit? & qui fieri potest ut Verbum Deus fuerit? Non enim Verbum hominis homo est apud hominem, cum nec vivat nec subsistat, sed vivi & subsistentis cordis motus tantum sit: quod mox ut pronunciatum est, non amplius exsistit: ac licet plures repetitum, nunquam permanet. De Verbo autem Dei jamdiu Propheta prædicarat his verbis; (Psal. 118. 89.) *In æternum, Domine, Verbum tuum permanet in cælo.* Qua in re ipsi consonat Euangelista, qui Verbum esse A Deum confitetur, dum illum apparuisse annunciat, advenisse narrat, & incarnatum fuisse prædicat, nec tameo Patrem in Verbi incaroatione complectitur, ait enim: *Verbum caro factum est & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.* (Joan. 1. 14.) Uoigenitum Verbum in mundo cernis manifestatum, inter homines habitare, gloriamque illi adtribui, quasi unigeniti a Patre: non quasi ipsum Verbum Pater sit, nec quasi Pater una cum Verbo sese manifestaverit, sicut homo una cum suo Verbo apparet: neque potest apparere Verbum, nisi is qui illud effatur, adsit & loquatur. B Quibusnam igitur credemus? Iisne qui nobis prædicant Filium a Patre advenisse; an iis qui Patrem una cum Filio, unam personam esse dicunt? Si enim unica sit persona, quomodo illa quidem mittit, hæc vero mittitur & per carnem conspicitur? Nam, *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse narravit,* (Joan. 1. 18.) adveniensque ipse sancta voce loquitur, ac seipsum coospiciendum præbet, atque illo modo Patris cognitionem indicat: *Qui vidit me, vidit & Patrem,* (Joan. 14. 9.) nec se ipse Patrem dicit: quomodo enim id diceret, cum invisibilis ille sit? sed C se talem esse qualis est Pater: nam superius dixerat: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.* (Joan. 14. 7.) Quibus dualitatem personarum aperte nobis declarat ex deitate in nullo dissimili cognitam. Quapropter qui Filii conspectu dignus habetur, conspectu Patris minime privatur. Non enim genitor sibi dissimilem generavit, sed talem qualis ipse est. Si itaque unicam rem duntaxat existimas, cum revera duæ sint, Patrem & Filium ignoras. Quæ ergo tibi cum Ecclesiastica doctrina communio superest? Ecqua ratione Domioi voces excipias: *Ego,* inquit, *& Pater unum sumus?* (Joan. 10. 30.) ac rursum de Patre edisserens: *Ab illo sum,* (Joan. 7. 29.) D inquit, *& ille me misit:* tertio item: *Ego rogabo,* (Joan. 14. 16.) inquit, *Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis.*

3. Cum igitur de seipso dicat, *Ego:* de Patre vero, *ille:* de Spiritu sancto autem, *alius;* nonne apertissima defectio & apostasia fuerit tres personas negare, ac dicere solum illum esse qui ait: *Non sum solus, quia qui me misit Pater, mecum est.* (Joan. 8. 16.) Voce quoque legali utitur, ac per illam, se & Patrem duos esse declarat: *In lege,* enim inquit, *vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est:* (Joan. 8. 17.) *Ego sum,* inquit, *qui testimonium perhibea de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* E Etenim ecce duas personas, & si dicas duas revera non esse: dum hoc adfirmas, non finis testimonium constare, quod tamen verum est. Eo quippe testimonium illud confirmatur, quod non ab uno solo, sed a duobus perhibeatur. Enimvero testificatus est Pater

de

Matth. 3. 17. de cælo his verbia: *Hic est Filius meus dilectus:* & Filius Dei, unigenitum Dei Filium se esse testatur, & Patrem, aperte audientibus hominibus, his verbis Mat. 11. 25. alloquutus est: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia obscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quia sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Sed quid ad hæc respondent Judæorum negationis administri: ne palam deprehendantur adversari Euangeliis Domini nostri Jesu Christi; & ne sic duæ hypostases appareant, unum nempe Patrem, Deum; alterum vero Filium, hominem? o impietatem! Ecquid illud differt à Samosatensis defensione? dicant quo B pacto homo talia de seipso loqui audeat: Joan. 14. 9. *Qui vidit me vidit & Patrem?* Aut cur Euangelista ipsum ita loquutum testatur: nempe quod Deum Patrem suum esse dixerit: æqualemque sese Deo fecerit? Non enim est homo Deo æqualis; sed Deus ex Deo, æqualis secundum naturam erit ei qui se generavit, ut & Paulus testatur: ubi non de Incarnatione, sed de iis Philip. 2. 6. quæ Incarnationem præcessere verba facit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam orbitratus est esse se æqualem Deo.* Scimus autem Christum plerumque secundum humanitatem loquutum fuisse: at non quan- C do dixit: Joan. 8. 18. *Ego sum qui testimonium perbibeo de meipso: & testimonium perbibet de me, qui misit me, Pater.* Non enim homo est qui missus est in mundum, & ait: Joan. 16. 28. *A Patre exivi & venio:* qui item dicit: Joan. 3. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eam, non pereat, sed habeat vitam æternam:* qui etiam dicit: Joan. 6. 32. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Sed si vis eum audire loqueatem humenitus, & congruenter ad carnalem formam, quæ apparuit, & ad humanitatem, quam auditores ejus nudam & solam D in eo existimabant, audi verba ejus: Joan. 5. 31. *Si ego testimonium perbibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Quod scilicet neque fide dignus sit, neque talis existimetur homo, qui de seipso testimonium ferat: cum autem dicit: Joan. 8. 14. *Etsi ego testimonium perbibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni & quo vado.* Quando Patrem & sese numerans, duos esse dicit gloriæ suæ testes, nequaquam humana loquitur, sed supra omnem humanam dignitatem: ecquid dico humanam? supra Angelicam, supra Principatus, supra Potestates, supra Dominationes. Qua enim ratione homo Deo annumerari possit? quæ inter eos ad- E finitas, quæ communio? sed cum dicit: Mat. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ,* homo esse, tibi videtur, recte quidem: Deitas enim illa quæ in mundum advenit, humanitatem sibi adjunctam habet.

4. Sed ne ob carnis velamen Deum ignores, Mat. 11. 27. qui statim de seipso subjungit: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est, &* F *onus meum leve.* Calumniam tuam exclusit Dominus: cum se ipse, in humana quoque forma Deum declarat, a Patre solo cognosci, Patremqua cognoscere: qui iis quos dignatur, sui & Patris cognitionem revelat: nosque vocat ad se, requiem apud se promittit, & ut jugum ejus portemus hortatur. Hæc cum ait divinitatem detegit: eximiam suam majestatem, parva forma occultatam, explicat: potestatem quæ supra cœlos est terreno corpore velatam, ostendit. Sed quid opus me sexcentas Domini nostri Jesu Christi voces, quas A secundum divinitatem protulit, recensere? quibus jure & merito exploditur nova Samosatensis sententia, qua Salvatorem merum hominem dicit: una autem exturbantur insanæ illorum nugæ, qui eum imitantur. Age, pauca testimonia referamus: quisnam est qui hæc dicit: Mat. 7. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum?* Non hominis verbum illud, sed Dei, ostendentis germanam suam ex Patre generationem, atque ideo Domini titulum non recusantis. Dominus enim est, ex solo Domino genitus, ut a Moyse dictum est: Genes. 19. 24. *Pluit Dominus sulphur & ignem a Domino.* Et alibi B Apostolis Salvator ait: Joan. 13. 13. *Vos vocatis me Magister, & Dominus: & bene dicitis: sum etenim.* Ac rursum se domus paternæ Dominum declarat, utpote unigenitum Filium: Mat. 10. 25. *Si Dominum domus Beelzebul vocaverunt, quanto magis domesticos ejus.* Itaque quod Deus quidem, universorum Dominus sit Jesus Christus, quippe qui ex Deo genitus sit, propalam cuivis est. Cum vero ait: Mat. 7. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum;* hæc subjungit, quibus Patrem nobis manifeste declarat: *Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.*

C 5. Habes igitur Filium, habes Patrem. Ne time dualitatem, nulla quippe naturæ distinctio: nec qui duo dicit, genitum a gignente abalienavit. Neque ob aliam eorum insaniem, qui negant unam esse duorum deitatem, ideo duos dicere vitandum est. Unus est Deus, quia & Pater unus est: Deus quoque Filius & identitatem habet ad Patrem, utpote Filius, cum tamen ipse, Pater non sit; sed natura Patri sit conjunctus: duo quidem numero, unica vero substantia perfecta: duo, nec ex duabus partibus. Perfectus Filius a perfecto Patre prodit: exsistens ab exsistente: Figura paternæ substantiæ; non Verbum subsistentia D carens: sed vivens potestas, quæ vitæ auctor est cunctis hominibus: non qualis hominis potestas, propter quam homo potens est: neque enim potestas hominis, proles aut Filius ejus est. Dei vero Filius, potestas ejus est; ita ut Pater perfecte potens sit, quia Pater est potestatis: Filius vero perfecta potentia sit, quia proles ejus. Sapientia quoque Patris est Filius, sed non qualis sapientia hominis, per quam homo sapiens est; sed a sapiente hæc sapientia est: de quo dicitur, Rom. 16. 27. *Soli sapienti Deo, per Jesum Christum cui gloria in sæcula, amen.* Verum (ajunt) non genuit Pater. Quomodo igitur & cujusnam Pater fuerit? Sin autem genuit, ergo E qui est, is est qui genitus est. At ego, dicet, generationem confiteor: gignitur enim Verbum, quando enunciatur & cognoscitur. Ac quoties, dic mihi, idipsum generabitur? num multa dices Dei Verba, diversis temporibus genita? an modo silentem Deum comminisceris, modo loquentem, ac transeuntem a silentio ad loquelam, idque apertis labiis, aut commoto corde? Non est homo, Deus: existimasti, inique, quod Deus erit tibi similis. Licet oculos Dei audieris, o homo, licet alia corporis membra, ne carnaliter illud intelligas: sed per corporalium similitudinem, incorporeum intellige. Etenim tibi dictum est: Spiritus est Deus; sic & F Verbum illud, non humanum est, nec quale tuum: Deus enim est, licet id tibi minime videatur: nec duo dii sunt, sicut nec duo Patres: neque diversæ substantiæ est genitus a generante.

6. Qui enim duo principia inducit, is duos Deos prædicat. Hæc est Marcionis impietas, qui Deum justum proprii Christi Patrem, & alterum Deum bonum, proprii Christi Patrem adfirmat. Rursus qui Deum non factum, alium vero Deum, factum dicit, duos & ipse Deos admittit, propter substantiæ differentiam, quam blasphemando introducit. Ubi vero unicum est principium, ac unica ejus proles, ibi

ablo-

absolutissima ac naturalis imago, quia ex illo genita est: ibi & unus Deus; ita ut perfecta in Patre Deitas intelligatur, perfecta quoque in Filio paterna Deitas exsistat. Ceterum quia ex parvo hoc exemplo (quod divina Scriptura protulit, cum imaginem Dei invisibilis Christum nuncupat) comprehendere valea quod dictum est; hic iterum dissimilitudinem quæ in exemplo est fugiamus, nempe quod Dei imago, arte facta & alterius substantiæ sit: genitam autem & consubstantialem eam esse confiteamur. Attamen qui Regis imaginem videt, Regem videt; & ait: Ecce, hic Rex est, nec duos Reges constituit, neque partem Regis imaginem dicit, nec imaginis Regem. [Una divinitas Patris & Filii & Spiritus sancti.] Sic igitur unus est Deus Pater, & una divinitas Patris & Filii. At ut tu dicis, unus erit, compositus ex duabus partibus imperfectis. Sed ad hanc impietatem aures occludere, & animam abluere convenit: qui enim hæc comminiscitur, nec Filium nec Patrem confitetur: nam neque Pater neque Filius imperfectus intelligi potest.

[*Joan. 14. 10.*] 7. Atqui dictum est, ait: *Quia ego in Patre, & Pater in me est:* non est autem Pater Verbum in corde Filii: ergo nec Filius est Verbum in corde Patris; sed est Verbum vivens a vivente Patre Deo, quod æterna generatione editum est, & absque initio Patri coexsistit: ita ut Pater nunquam solus cogitandus sit. Semper enim Trinitas est Trinitas, nec umquam additamentum divinitatis accipit. Neque Filius cum prius non esset cum Patre, in posterum ei additur; neque Filio Spiritus sanctus accedit. Quæ enim a quodam principio facta sunt, & opificia sunt, & subdita, & Trinitati nullo modo annumerantur. [*Matt. 28. 19.*] Nam, *euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Nullum autem principatum, neque potestatem, neque virtutem annnumeravit, quod impossibile sit æterna non-æternis annumerari: vel quæ cum Deitate nihil commune habent, cum Deitate ordinari. Quomodo igitur in genitore genitus: aut rursus genitor in genito? qua ratione hic in illo, ille in isto? Quia & hic talis est qualis ille, & ille qualis hic. Atque ita fit ut duo illa unum sint; eo quod neque differant, neque separentur, neque sub alia specie, aut sub alia figura Filius intelligatur: sed Deus sit, quemadmodum & Pater. Cum enim illo dicente: [*Joan. 10. 30.*] *Ego & Pater unum sumus*, indignarentur Judæi, ac dicerent: *quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum*. Respondit Salvator, quod illi dixerant confirmans, quasi nihil aliud ipse declarasset, dum dixit: *Ego & Pater unum sumus*; quam se quoque Deum esse, cum Filius Dei sit: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est,* [*Ibid.*] *& non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi nolueritis credere, operibus credite: ut sciatis, & cognoscatis, quia ego in Patre, & Pater in me*. Igitur in Patre Filium esse, & Patrem in Filio, hoc nihil aliud est, quam eum qui ex Deo genitus est Dei Filium esse: ac Deum secundum naturam, ut est Pater, atque in seipso paternam formam exhibere, ipsumque mutuo in paterna substantia exhiberi.

8. Unus igitur, & unus, & dualitas non divisa est natura sua cum nullo indigeat ad suam integritatem. Universa quidem plenitudo divinitatis est Pater, quatenus Pater. Universa item plenitudo divinitatis est Filius, quatenus Filius. Quandoquidem per utrumque una forma intelligitur, quæ integre in utroque exhibetur. Nemo vitam neget quæ in mundo apparuit: *Quæ erat*, inquit, *apud Patrem, & apparuit nobis*. [*1. Joan. 1. 2.*] Etiam antequam appareret idipsum visa est esse, quod cum apparuit. Nam ab æterno genitus est, & cum proprio Patre exsistit. Nemo tria esse negans, unitatem se invenire posse existimet: sed in Trinitate unum cogitet, cum fidei summam, tam in baptismate habeat, [Baptismi ritus.] quam in tribus signaculis sanctis, per quæ in salutem regeneratus est, memor Apostoli dicentis: *Unus Deus Pater, ex quo omnia: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*. [*1. Cor. 8. 6.*] Memor sit quoque Patris dicentis: *Ex utero ante luciferum genui te:* [*Psal. 109. 3.*] item Filii qui testatur se fuisse ante mundum apud Patrem, gloriamque divinitatis habuisse: nam, *Glorifica me*, inquit, *Pater, apud temetipsum, gloria quam habui antequam mundus esset apud te*. [*Joan. 17. 5.*] Gloriam quidem quæ secundum hominem est postulat, eam vero quæ secundum Deum est, ante mundi creationem se habuisse testatur. Habuit autem gloriam cum esset & exsisteret, neque enim, qui non est, potest glorificari. Quod si erat, ergo genitus fuerat: non enim Filius est, qui non sit genitus. Sed si genitus est, ajunt, extra genitorem exsistit, & ab eo divisus est: atqui oportet indivisum a Deo esse Verbum quod in Deo exsistit, & extra Deum non apparet. Quo enim in loco extra eum apparuerit, cum Deus omnia impleat, ut scriptum est: *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* [*Jerem. 23. 24.*]

9. Hujusmodi commentis, Filii generationem, æternamque ejus a Patre processionem, ejusque cum Patre exsistentiam de medio tollere conantur: illam quoque sententiam evertere satagunt, nempe Patrem perfecte secundum se subsistere, ac Filium quoque secundum se perfecte subsistere. Discant igitur, se non intelligere, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, [*1. Tim. 1. 7.*] dum Deum loco circumscribunt: Filiumque rursus alio in loco imaginantur, ac divisos illos esse, alium hic, alium illic, existimant: si quidem Filium apud se & extra Patrem genitum fuisse, & apparuisse confiteantur. [*Act. 7. 49.*] *Quis locus requietionis meæ*, ait Dominus per Prophetam: *Cælum & cælum cæli, non sufficient tibi*, ait Salomon ad Deum. [*3. Reg. 8. 27.*] Magno hoc argumento homines edocet Deus: nullum locum sui capacem esse. *Manus mea*, inquit, *fecit hæc omnia*. [*Esaiæ 66. 2.*] Non igitur opera opificem continent, qui & ante illa erat, ipsisque existentiam præbet, ac ipsa opificis potestate, illa stabilit. Quapropter ait Paulus: *Ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia:* [*1. Cor. 8. 6.*] & rursum, *In ipso enim vivimus & movemur & sumus*. [*Act. 17. 28.*]

10. Aufer ergo mihi illud, in loco situm esse, cum de Deo, de Verbo, & de Spiritu sancto cogitaveris: aufer locales separationes, & ne suspiceris alibi Patrem esse, alibique Filium emittere, cum gignit illum. Hujusmodi enim mendaces, imo potius impiæ ratiocinationes, tibi circa Filii substantiam offendiculo sunt. Una cum Filio autem, Spiritum quoque sanctum abnegas: dum a solo Patre omnia præoccupata existimas. Ne quæratis loci magnitudinem tantam, ut quæ possit Dei magnitudinem capere. Non enim immensum in menso est: sed palmo quidem suo cælum metitur, [*Esai. 40. 12.*] ut per comparationem Propheta explicat: manu autem sua aquam mensus est, ac totam terram pugillo. Quod si eadem ratione minima sunt omnia, ut Prophetæ parabola satis indicat; qui modicæ, ac minimæ creaturarum universitati, Deum commetiri oportere putabitur? Non enim eo Deus omnia implevit, quod ad omnium spatia extendatur, nam illud corpori solum competit: ut si quis aerem, exempli causa, dicat totum implere spatium, quod cælum inter & terram intercedit; sed quasi vis quædam omnia continet: vis enim incorporea, invisibilis est, non circumdat, nec circumdatur. Idipsum autem & de Filio, & de Spiritu sancto dicendum: per Filium enim, & in Spiritu sancto, Deus omnia & condidit,

& continens conservat. Impium igitur quærere, aut cogitare, ubinam Deus sit: aut quemnam locum obtineat Verbum: aut quam habitationem Spiritus sanctus sortitus sit. Quod si quis ideo Filium nec esse, nec genitum fuisse affirmet, quod locus pro ejus substantia, nec excogitari, nec inveniri possit; is nec Patrem quidem unquam exstitisse, nec ipsum Deum esse, dixerit: quandoquidem nec quisquam locus Dei capax invenitur. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Insipientes revera illi sunt, qui vanis commentis sese decipiunt: stolidi ac prorsus insani sunt, qui incorporeum oculo percipi, ac loco circumscribi volunt.

Nullus locus Dei capax.

Psalm. 13. 1.

11. Demus igitur illis pusillas aliquot imagines, ex incorporeis sæpe occurrentibus, ac de quibusdam mentionem faciamus, quæ apud nos habeantur, & in rerum natura compareant: si quomodo earum opera emersi, incorporeum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, intelligere valeant: nec ultra eorum loca comminiscantur, vel locales divisiones in Trinitate excogitent. Incorporalis & spiritualis cum sit lex, in legis periti mente existit: ibi quoque sunt Prophetæ, Euangelia & Apostoli: dictum quippe est de legalibus & propheticis verbis. *Habent Moysen & Prophetas.* Et Salvator, eum qui nova & vetera verba in mente sua continet, similem dicit homini Patrisfamilias, qui profert de thesauro suo, nova & vetera. Suscepit quoque Moysis intellectus, cum sapientiam omnem Ægyptiacam, tum eam quæ sibi a Deo data fuerat. Et Daniel suscepta omni Chaldæorum sapientia, varia tamen divinæ sapientiæ sensa percipiebat, ut per Ezechielem indicat Deus: *Numquid sapientior es tu Daniele? omne secretum non ostensum est tibi.* Innumerabilis quoque fuit Salomonis sapientia, & latitudo cordis ejus sicut arena, quæ est juxta mare. Dum hanc igitur tantam sapientiarum multitudinem in una mente conspiciunt, in loco tamen illas non esse animadvertant. Quis enim homo tantæ magnitudinis fuerit, ut sit idoneus ad tot sapientias excipiendas, si divisis in locis singulas speculationes habuerit? Cum igitur spiritualia, quæ hic sunt, plurima licet sint, plurimis tamen locis non indigeant: sed in uno eodemque intellectu versentur; intelligamus ea quæ supra nos, ac secundum se incorporea sunt, Patrem nempe, Filium, & Spiritum sanctum, nec locis indigere, nec locis separari; nec quis ideo opinari audeat Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum non existere, quod singulis locus definiri & adscribi nequeat. Sed Pater quidem qui perfectam essentiam omnique defectu carentem habet, radix & fons est Filii ac Spiritus sancti: est autem Filius in plena divinitate, Verbum vivens, ac proles Patris quæ nullo indiget. Plenus quoque est Spiritus sanctus Filio, non pars alterius, sed in seipso integer. Atque ita Trinitas, quæ revera exsistit, conjuncta est absque ulla intercapedine. Nihil enim est quod disterminet, una simul existit ab æterno; nullum enim ævum intercedit. Formam autem unam eandemque ipsa præfert, cum pater quidem in Filio conspiciatur, Filius vero in Spiritu sancto & intelligatur, & hominem sui participem habeat. *Nos enim*, inquit, *omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tamquam a Domini spiritu.*

Luc. 16. 29.

Ezech. 28. 3.

3. Reg. 4. 29.

1. Cor. 3. 18.

12. Ne igitur quasi in corpore tria membra indivisa imaginemur. Impia enim est hæc cogitatio, alienaque ab incorporeis perfectis. Indivisam admittamus coexsistentiam, eorum qui in se mutuo, absque ulla distantia coexsistunt: & cum tres revera subsistant, unam formam intelligamus, quæ a Patre quidem incipit, in Filio resplendet, & per Spiritum sanctum manifestatur. Quapropter qui Spiritum ferunt, Christum quoque ferunt: nam, *Si quis*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, &c.* Et Joannes: *Ex hoc cognoscimus, quoniam in nobis est, ex spiritu quem dedit nobis.* Et Paulus quidem corpora nostra templum Spiritus sancti nominat, Christum autem in nobis esse dicit: Christo autem habitante in interiore nostro homine, ut scriptum est, Deus est qui in nobis inhabitat: nam, *nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Itaque Divinitatem indivisibilem esse, ex divinis verbis religiose discito, ac in tribus unam formam intelligas, neque tamen unam ex tribus rem componas. Indivisibiles autem esse personas etiam in operatione, ex Apostolo, his verbis hæc mysteria docente, audire licet: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ac postquam gratias recensuit, subdit: *Hæc autem omnia operatur, unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Cum autem omnia agantur a Deo per Christum in Spiritu sancto, indivisam video operationem Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Rom. 8. 9.

1. Joan. 4. 13.

1. Cor. 3. 16.

1. Cor. 12. 4.

1. Cor. 12. 11.

13. Nec tamen ideo in unum illa verba complico, ex quo, & per quem, & in quo, ut Trinitatem nitar unitatem efficere: neque hominem ex tribus compositum intelligens, Spiritu nempe, anima, & corpore; sic & Deum existimo, ut illi facere audent: neque impiæ ejusmodi opinionis causa, indivisibilitatem propono. Nec si quis dixerit, internum Verbum, aut Verbum voce pronunciatum, a cogitante & loquente inseparabile esse, ita quoque continuo de Patris Filio & Spiritu intelligendum. Nam compositi partes, & ejus, qui movetur, motus, cum natura non composita ac immutabili nihil commune habent. Etenim quomodo Pater, partem suam, aut motum suum mittit in mundum, dum Filium mittit? aut itidem dum Spiritum sanctum Filius emittit in mundum? An Filius a Patre missus non est? Hoc ille ubique testatur, ac Spiritum se missurum pollicetur, illumque juxta promissionem revera mittit. At qui Trinitatem unitatem efficiunt, missionem, ut & generationem, adulterare nituntur. Filium enim intra Patrem exsistentem, id est, ipsum unum & solum Deum sanctificationem hominis operari ajunt: atque eum qui ita missus est hominem, & non Deum de Deo fuisse. Quomodo enim, ajunt, missum fuerit Verbum, cum nec divisum, nec separatum sit ab eo cujus est Verbum? Quod quidem Verbi incarnatio prædicata sit quis negarit? Euangelista liquido clamante: *Verbum caro factum est:* cum & ipse Salvator e cælo se descendisse non semel, sed & pluries clamando affirmaverit. Et quidem quod non solum homo sit Dominus noster Jesus Christus, Apostolus Paulus ad Galatas confirmat: sed etsi homo sit nobis cognominis secundus homo: at, non qualis ille primus terrenus, nam ille quidem est anima vivens, hic vero Spiritus vivificans.

Joan. 1. 14.

14. Hæc enim sunt divina & apostolica verba, & & dogmata: quin & ipsa opera Deitati testimonium perhibent, quæ cum potestate cælesti fiunt: ut cum imperat elementis, ventos increpat, virtute sua mutila corpora restaurat, ac voluntate morbos sanat; suamque potestatem profitetur, nec eam occultat: ac per eum mors aboletur, vita & incorruptio resplendet, corrupta hominum natura denuo creatur, mundus ejus præsentia renovatur, novaque creatura apparet, per Christi resurrectionem, dum transformatur quidem corpus humilitatis in conformitatem corporis claritatis suæ: ac universa creatura a servitute corru-

Philipp. 3. 21.

corruptionis liberatur, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Porro incarnatum Dominum ac Deum nostrum Jesum Christum, non esse Patrem, neque,ut illi ajunt, solum Deum, omnes divinæ Scripturæ testantur, quæ illum qui advenit, Filium Dei prædicant, & de Patre semper edisserentem ostendunt: ac dicentem, se a Petre exiisse, & ad Patrem redire. Nihilque opus est in adserendis testimoniis immorari, cum omnia, ut ita dicam, Euangelia, & Apostolorum Scripturæ ad hoc ipsum contendant.

15. Alias quoque illi nobis gentilium controversias excitant, Judæorum blasphemias adsumunt, mysteriumque missionis & incarnationis Verbi irrident. Si enim mittitur & descendit, ajunt; non erit cum mittente, neque ei qui sursum manet cohærebit. Discant illud, sursum, & in altum, non corporaliter duntaxat audiendum, sed potius novi quidpiam iotelligendum esse. Psalm. 112.4. Nam illud: *Excelsus super omnes gentes Dominus:* Psalm. 99.1. Et, *Exaltabo te Domine:* Et, *Laudabilis & superexaltatus in sæcula;* Daniel. 3.52. non io loco quodam, & in sublimi Dominum esse declarat: nec ab hominibus, vel ab aliis qui eum laudibus extollunt Deum exaltari designat; sed magnificentiam invisibilis Deitatis, altitudinem vocat. Psal. 113.16. Et qui dicit, *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum:* non pro habitationis loco, cælum Deo, hominibus terram assignat: sed excellentiam Dei ejusque magnificentiam ostendit. Cum igitur majestas, & magnificentia, cælestis appelletur, contra vero humilitas ejus terreno modo, ac super terram esse dicatur; illic Verbi descensus reperitur, nempe transitus ille quo ex incorporea magnificentia ad corpoream vilitatem sese tradidit. Cum is, propter suum erga humanum genus amorem, & propter salutarem erga universum providentiam, ad corpoream formam subeundam sese dederit. Ac secundum hoc missus intelligetur: quod ineffabili incorporei Patris consilio seipsum corpori tradiderit. Ne igitur voces quæ de corpore feruntur, nempe descensus & missio, ad negandam ejus incarnationem proferantur, quie Deus locali modo nec descendit, nec mittitur; sed audiant Apostolum illud explicantem una cum hujosmodi similitudinibus, cum ait: Philip. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Hoc erat descendere, hoc mitti, ut indumentum dignitate sua humilius assumeret. Illud est descendere, humanam formam juxta Patris voluntatem ioducere. Quod si loco & corpore Verbum non circumscribitur, non avelletur ab incorporeo Patre, propter suam cum corpore contemperationem: nam corpus voleotem ipsum excepit, quatenus idonea est carnalis natura Deum suscipere. Manet nihilominus in sua ipsius natura, quam ante iocarnationem habuit. Ita ut descensus ex cælo, non fuerit transmigratio ex cælo: neque missio, a Patre mittente separatio.

IN ORATIONEM SEQUENTEM MONITUM.

JAM *pridem Eruditorum fuit opinio, hunc Librum nequaquam videri Athanasianum, licet antiqui cujusdam & eruditi viri opus esse palam sit. Ea de re libet Petavium audire Theologicorum dogmatum de Trinitate libro IV. p.* 315. Neque vero Athanasii videtur esse: quod ex stylo conjicimus, qui & diffusior est, & minus simplicitatis, affectationisque plus habet, quam qui Athanasii germanus est, cujus oativam elegantiam, ac sponte fluentem, nulla potest imitatio consequi. Tum ex eo quod Marcellum Ancyranum statim cum Paulo Samosateno, tanquam certum & confessum hæreticum conjungit; cum tamen de Marcello non tam sinistre judicarit Athanasius. *His a Petavio sagaciter & erudite observatis, addimus, cum adversus hæreticos hic agatur, qui duas in Christo personas esse tuerentur, ea item de causa videri hoc opusculum Athanasio abjudicandum, qui in nullo operum suorum hujus hæreseos meminit. Neque putatur Athanasii ætate de duabus in Christo Personis agitata quæstio. Attamen in antiquioribus exstat codicibus, videturque sæculo quinto editum, quo vigebat Nestoriana hæresis.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Quod unus sit Christus.

1. DECEBAT eos qui semel a gentilium errore resilierant, ac uoum vereque solum universorum Deum agnoverant, non amplius creaturæ adjici, nec creaturam pro Deo habere & colere, relicto creatore: Rom. 1.25. *Qui est benedictus in sæcula, amen.* Itidem ii qui e Judaica incredulitate recesserant, quique Judæos, ut amentes & ingratos damnaraot, & in Dominum nostrum Jesum Christum crediderant, ac intellexerant, ejus divinitatem testimoniis undique comprobari, & ex potestate, signis, & divinis operibus, necnon ex auctoritate dominica Deum dignosci; non debuere per externem speciem eo dilabi, ut communem & nudum hominem eum existimarent: aut secundum visibilem formam, ejus invisibilem naturam definirent: aut propter corpus, & corporeas passiones, nudum hominem, ac ut unum ex nobis passibilem illum esse putarent. Hæc enim fuere Judæorum mala: hæc illorum evertere fidem, ac Christi hostes ipsos esse comprobarunt: hæc ipsa jem nonnulli æmulantur, qui Gentili & Judaico morbo laborant, nec admittunt, nec ullatenus credunt incarnatum fuisse Deum; sed humanis ratiociniis disputationibusque, ac Græcæ philosophiæ ope magna & incomprehensibilia, agnoscere, imo comprehendere volunt: quomodo oempe gignitur incorporeum: qua ratione procedit, & ubinam est qui obique est, omnia cootinet, & omnia implet. Atque per illud, quomodo, & qua ratione, in infidelitatem abiere, &

gene-

generationis loco, facturam commenti sunt, ac vice processionis, creationem & transitum constituerunt.

2. Ita rursum de Incarnatione quærunt: quomodo incarnatur Deus, qua ratione corpus assumit, quo pacto cum parvo corpore coalescit qui contineri nequit: quomodo increatum creato jungitur, & incircumscriptum circumscripto: qui magnus ille, immensus, indivisus, pro parte quadam habeatur. Aut enim magnum in parvo contractum est loco, aut parvum prægrande factum est, partemve divinitatis, & non totum recepit, quod impium est proferre. Et ex illo, quomodo, qua ratione, quali consequentia, in infidelitatem hi quoque abiere: ac inhabitationem pro incarnatione constituere: pro unione & compositione, humanam agendi virtutem: ac pro una hypostasi Domini nostri Jesu Christi, duas hypostases & personas: & pro Trinitate quaternitatem indecore & impie sentiunt; indecore quidem, quia Deo hominem conjungunt, servum Domino annumerant, creatam personam cum increatis personis collocant; impie vero, quia unam hypostasin duas faciunt, quartam hypostasin peregrinam omnino & alienigenam, & omnium rationalium creaturarum ultimam, extremam & minimam, in Trinitatem inducunt. Quod si denuo accurate animadvertas, & huic negotio animum adhibere volueris, deprehendes ipsos extra sanctam Trinitatem Dominum nostrum Jesum Christum exturbare, ut servum, ut hominem, quem adorare nefas sit, cum sit tamen adorandus: ac ipsum potius adorantem, & cum ceteris omnibus colentem, necnon subditum sanctæ Trinitati esse putant; ut Marcellus, & Paulus Samosatensis, divinam & apostolicam Scripturam ad suam sententiam detorquentes, perperam explicant: nam, *Cum subjecta fuerint illi omnia*, inquit, *tunc & ipse Filius*, id est homo assumtus, *subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus*, inquit, ut ante incarnationem, *in omnibus*, cum sit ipse incorporeus, & corpus non habeat; homo autem assumtus ceteris omnibus annumeratus, subditus sit Deo, ipsumque colat. Perpendite, quæso, in quantam amentiam delapsi sunt illi, qui sibi ipsis sapientes videntur, in quantam vesaniam & infidelitatem abiere, ut excogitent & comminiscantur quæ nunquam fuere, merasque fabulas enarrent.

1. Cor. 15. 28.

3. Non solum autem fidei sese adjungere noluerunt, sed & dolos adinvenerunt, fraudesque moliti sunt: stultas & ignaras quæstiones commenti, eo solum spectantes, ut multos in errorem, & in sceleratam defectionem inducerent. Si enim futura exspectarent, si Dei adventum & judicium crederent, si supplicium reformidarent; ad fidem sane accederent, Euangeliis obtemperarent, & Apostolos magis quam humana ratiocinia sequerentur. Christum enim Apostoli statim atque profecti sunt, voce consona & conformiter prædicaverunt Filium Dei esse. Hunc in Bethlehem natum ex femine David secundum carnem, hominibus similem factum, ac pro hominibus crucifixum sub Pontio Pilato, eumdem dixere Deum, & hominem; Filium Dei & filium hominis; ex cælo, & ex terra; impassibilem & passibilem; non alium, non personas duas, nec duas hypostases, nec duas adorationes. Quorsum disceptationes & verborum pugnæ? Credere convenit, & una colere, atque adorare cum silentio. Agnosco ipsum revera Deum ex cælo impassibilem: agnosco ipsum ex femine David secundum carnem, hominem de terra passibilem. Non quæro quomodo idem passibilis & impassibilis sit: quomodo Deus & homo; ne illud, quomodo, curiosius investigando, rationemque perquirendo, boni nobis propositi jacturam faciam. Primum enim credere oportet ac glorificare: secundo, ex cælo natum rerum

A constitutionem petere, non autem ab imo illam ex carne & sanguine desumere; sed ex divina & cælesti revelatione. Nam *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi: sed Pater meus qui in cælis est*: &, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Fidelis sermo, & non vacillans promissio: invicta res est Ecclesia, etiamsi adsint portæ inferi, quamvis cum infernus ipse, tum ii qui in ipso sunt Principes mundi tenebrarum moveantur. Confide illi qui ait: *Confidite, ego vici mundum*, & per passiones itidem vici: quandoqui- B dem qui hæc patiebatur Ecclesiæ Dominus, potius vincebat, & crucifixus homines salvos faciebat, ac moriendo vivificabat. Vides audisque eumdem una Deum & hominem. Si enim Deus tantum esset, quomodo passus, quomodo crucifixus, & mortuus fuisset? hæc quippe a Deo aliena sunt. Et si homo duntaxat, quomodo per passionem vicisset, salutem & vitam attulisset? Hæc supra hominem erant. Idem autem & patitur & servat, & per passionem vincit. Idem Deus, idem homo: ambo ut unum, utrumque ut solum.

Matth. 16. 17.

Joan. 16. 33.

C 4. Sed forte quispiam ex sapientioribus & generosis, in medium prodiens, accuratusque inquisitor: pars, igitur, dixerit, Verbi corpus est, ac Filii hypostaseos complementum; ut unus sit Filius Dei ex utrisque constans, qui imperfectus ex se sit, & corpore ad suam perfectionem indigeat. Alioqui quomodo unus? aut quomodo una hypostasis & una persona? alioqui rursum, si una sit Verbi & carnis hypostasis, quomodo ipsa Filius Dei est? Caro igitur Deo consubstantialis erit, quod proferre impium est. Quod si hoc ita se habeat, neque Verbum Filius erit Deo consubstantialis, quod plane absurdum est: siquidem Verbum est perfe- D ctum, consubstantiale, propriamque apud se habet semper hypostasin, ac nullo indiget. Ceterum qui ita arguunt, suam sententiam aperte declarant, nempe duas esse Domini nostri Jesu Christi hypostases: nos item calumniis impetunt, atque nulla non ratione satagunt, sermones nostros ad aliquid absurdi detorquere, ut dicamus corpus, Verbi hypostaseos complementum, aut Deo consubstantiale esse, aut extraneum & alienum omnino a Filii hypostasi, quæ tamen ipsorum verba sunt: nam aliam illi hypostasin inducunt, carnis, sive ut ipsi ajunt, assumti hominis, & aliam assumentis Dei: aliam personam Filii Dei, & aliam E personam filii hominis, ex femine David secundum carnem. Ita ut neque Filius Dei sit filius hominis, cum sit diversus a Davidis substantia: neque qui secundum carnem natus est, Filius sit Dei, cum sit alterius substantiæ a Deo. Nos vero unum aumdemque dicimus Deum, fratres, in hoc Prophetis, Apostolisque obtemperantes, ac potius Euangelistæ credimus, quam Gentili sapientiæ animum adhibeamus, aut humanis conturbemur ratiociniis. Ac de propria salute decertantes, Deum unum, utrumque simul esse confitemur, unam hypostasin, & unam personam: non ut complementum hypostaseos corpus ef- F ficiatur, impium enim illud est: quandoquidem divinitas perfecta est, non capax imminutionis, simplex, singularis, non composita, in quam differentia membrorum non cadit, neque rerum, nempe corporis, & incorporei: nam Verbum, perfectum & omnino incorporeum est. Neque enim Deus factus est, quando incarnatus est, neque Filius Dei, quando corpus humanum accepit: neque Dominus gloriæ, quando servi formam gestavit: sed homo & filius hominis, Filius Dei est, & servus secundum formam est, qui natura Dominus est. Non itaque corpus complementum factum est divinæ hypostaseos: sed qui vere perfectus est,

im-

imperfectum perfecit : & qui nullius indigebat, cum carne indigente junctus, & unitus est : qui nullo opus habebat, opus habenti corpori sese dedidit. Nullus quippe hominum qui recte sentiant, aut qui denique sobrie agere, ac intelligere possint, dixerit : Ut Verbum, perfectum cum sit, & hypostasin habeat, carne non indigebat ut Deus perfectus fieret ; sic neque corpus Verbo indigebat, ut perfectus, & in hypostasi homo fieret. Sed cælesti Salvatore indigebamus, cælesti liberatore, qui peccati abolitione ex nostris nos miseriis renovaret, calamitatesque inde profectas auferret.

5. Statim igitur ab ipsa nativitate, novitas apparuit, ac cælestis natura ejus qui genitus erat, per nativitatem ejus ostensa est : quippe qui non secundum antiqui hominis ex viro & muliere generationem, natus sit. Impossibile enim est absque viri opera mulierem gravidam esse, quia nascentium substantiam in ipsorum Patribus Deus constituit : quemadmodum & Scriptura, Levi in Patris sui Abrahæ lumbis fuisse narrat. Redemtor autem, non Adami esse assumens, sed ex Adamo formam accipiens, carnem dico cum anima humana, & factus homo visibiliter, novitatem in mundum invisibiliter introduxit : contra quam non mortis decretum, nec diaboli tyrannis prævalet, sed adest communio Verbi cum mortalibus & tyrannice oppressis ; ingensque discrimen ob immortalitatem, libertatem,

A & a tyrannide exemtionem, rebus humanis illatum est. Ipsa Virgo Maria admirata est, quando ex se futuræ Salvatoris nativitatis nuncium accepit. *Quomodo fiet mihi istud*, ait, *quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. 34. Nunciata autem illi est divina essentia ejus, qui ex ipsa sub carnali forma natus est. Eratque donum cæleste, germenque terrenum : pax terræ conciliabatur, ac similitudo quædam ejus cum cælis erat, ut præ se ferebat Angelorum gaudium dicentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. 14. Gaudentes igitur in Christi nativitate, non humano gaudio, quale est gaudium hominum, in nativitate B pueri cujuspiam, ubi & natalium celebritatem agunt. Sed de Christi adventu gaudeamus, & de divinæ lucis illustratione : non quod captivitatis consortem habeamus, sed Redemtorem secundum Apostolum. Quid autem præterea hac in re adfuit? Unctio, qua scilicet diviniore quam homines modo natus est, diviniore item quam nos modo educatus est Christus. Forma itaque sua secundum carnem undis abluitur cum Judæis. Joannes baptizavit, fluvius Jordanis abluit divinum corpus : tunc Spiritus sancti in purum Christi corpus adventus fuit, a quo in nos C purgatio transmeat per similitudinem ; ut ipsum sequamur, impleamusque omnem justitiam, purgati in ipso Domino, cui gloria in sæcula, amen.

IN SEQUENS OPUSCULUM
ADMONITIO.

I. VETUS *error omnium (excepta Basiliensi) manuscriptorum est, ut hoc opusculum cum expositione illius dicti:* Omnia mihi tradita sunt a Patre, *sub uno eodemque titulo jungatur: hoc scilicet ordine, ut primo ponatur Tractatus, in illud:* Omnia mihi tradita sunt, &c. *Secundo, fragmentum ex libro de Nicænis decretis p.* 211. τῶν ἐστιν ἀληθῶς διδασκαλία : Hæc est vera doctrina, &c. *sub eodem titulo, paucis tantum mutatis verbis: Tertio hic libellus de Sabbatis consequenter eademque pariter inscriptione. Eoque prorsus modo jacent in Editis omnibus Latinis Athanasii ex Nannii versione. Quo autem casu res ita disparatæ, consequenter & sub eodem titulo positæ fuerint, quis augurari valeat? Hæc opuscula seu fragmenta recte demum divisa fuerunt a Commelinianis editoribus, quos sequuti ita sunt Parisienses, ut postquam tres illos tractatus in priore tomo divisim retulissent, ut res postulabat; secundo iterum tomo p. 64. Fragmentum reposuerint:* Hæc est enim vera doctrina, *& consequenter hoc de Sabbatis opusculum. Primus porro tractatus, nempe in illud,* Omnia mihi tradita sunt, &c. *suis sese notis prodit esse Athanasianum. Vide primo tom. p. 38. Fragmentum vero,* Hæc est enim vera doctrina, *diximus ex libro de Nicænis decretis excerptum fuisse. Hunc vero tractatum quod spectat, an Athanasii sit necne, vix deprehendi potest, cum nulla uspiam vel τάξεως vel γνωρίσματος nota compareat: Homiliæ namque speciem præfert, quo scribendi genere nihil edidit Athanasius, quod ad nos usque pervenerit: unde vix ex stylo aliquid decerni posse videtur.*

II. *Agitur hic de Sabbato, quod non otii, sed Dei cognoscendi causa datum defenditur, de Dominica item, de Circumcisione & Baptismate. Et sane quamdam dignitatis speciem præfert hoc opusculum, ut si non Athanasii sit; alicujus saltem pii doctique viri opus esse putetur. Monendum denique duximus, ad Orationem quartam contra Arianos Tom.* I. *in margine Codicum Basil. Gobler. & Felckm.* 1. *hæc legi:* ὁ περὶ σαββάτων ἢ περιτομῆς ὧδε ἔκειτο. Opusculum de Sabbatis & Circumcisione, hic positum erat: *quid causæ vero sit quod eo loci translatum fuerit, ne conjectare quidem licet; cum de rebus illic longe disparibus agatur.*

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

De Sabbatis & Circumcisione, ex libro Exodi.

Exod. 31. 16. 1. ET *custodient filii Israel Sabbata, & celebrabunt illa in generationibus suis: pactum sempiternum inter me & inter filios Israel, signum est in me perpetuum: quia sex diebus fecit Dominus cælum &* D *terram, & septimo die cessavit.* Signum est ut sciatur, dies creationis, ejusque finis. Consentaneum erat, ut quamdiu creaturæ condebantur, tamdiu in Jerusalem Sabbata custodirentur. Verum ubi venit genera-

tio altera, & populus alius qui creatus est, juxta di- A ctum illud: Psal. 101. 19. *Scribatur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum:* non necesse ultra fuit, ut hic populus prioris creationis finem observaret; sed ut secundæ creationis initium quæreret. Quod autem illud initium est, nisi qua die Dominus resurrexit? exhinc enim exordium novæ creaturæ fuit, 2. Cor. 5. 17. de qua dicit Paulus: *Si qua ergo in Christo nova creatura*. Priorem igitur creationem cum fecisset Deus, requievit: quare homines generationis illius, Sabbatum observant die septima. Secunda autem creatio finem non habet, & ideo non requievit, sed usque ad præsens tempus operatur. Quapropter neque Sabbati B diem celebramus, ut in prima creatione; sed speramus futura Sabbata Sabbatorum, in quibus finem non accipit nova creatura, sed manifestatur, & perpetuo festum celebrat. Ideo enim Sabbatum priori populo injunctum est, ut cognosceret finem & initium creationis. Novæ autem creaturæ non præcepit ut servaret Sabbatum; ut initium quidem hujusce in Dominica die agnosceret, nossetque ipsius gratiam finem non habituram.

2. Idcirco autem initium, id est, Dominicam diem indicavit, ut præteritæ generationis finem cognoscares. Apostolus ergo de prio- C re scribens ait: Galat. 4. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum:* & rursus: Mat. 13. 40. *In consummatione sæculorum*. Prima igitur impleta est & consummata, non alio quam eo tempore, Joel. 2. 28. de quo loquuti sunt Prophetæ: *In novissimis diebus effundam de spiritu meo*. Primis vero diebus finem habentibus, alii adveniunt, ut Hiere. 9. 25. ait Hieremias: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus*. Desinente autem prima, consequenter alterius initium occurrit: quocirca post Sabbatum Dominus resurrexit. Non enim otii præcipue causa, hominibus Sabbatum Deus dedit, qui ait: D Prov. 15. 19. *Viæ pigrorum spinis constratæ:* & qui in libro Num. 28. 9. numerorum jubet: *Die autem Sabbatorum, offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificium & libamen: & holocaustum Sabbatorum in Sabbatis, in holocaustum sempiternum:* & rursus Levit. 24. 7. aliquanto superius: *Et imponetis super hostiam,* Vulgata alio modo habet. *thus purum & salem, & erunt in panes in recordationem, proposita Domino. Die Sabbatorum apponentur coram Domino in perpetuum in conspectu filiorum Israel, fœdus sempiternum*. Si enim cura illi esset de otiositate, non præcepisset Levitis propo- E nere, offerre, mactare. Nam si otium sanctificat, negotium certe contaminat: atqui Levitæ operando non contaminabantur; non ergo otium emundaverit. Alioqui cur soli Levitæ sanctificatione privantur, dum offerunt, mactant & proponunt in Sabbato? Tantum autem abest ut delinquant, ut etiam Deum, iis qui offerunt, propitium reddant.

3. Nequaquam igitur Sabbatum otium designat, sed tum cognitionem conditoris, tum cessationem a figura hujus creationia: ut apud Ezechielem te- Ezech. 20. 12. statur Deus: *Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos: & scirent quia ego Dominus sancti-* F *ficans eos*. Cognitionis ergo & non otii causa datum est Sabbatum: ita ut sit cognitio magis necessaria quam otium. Ideoque Dominus ajebat illis qui Di- Mat. 12. 7. scipulos culpabant, quod spicas vellerent: *Si sciretis quid est, misericordiam volo & non sacrificium*. Otiosos enim illos in Sabbato culpabat: quia quod proprium est Sabbati, hoc est, veritatis cognitionem, non haberent. Idcirco qui legem Sabbati susceperant circa Hiericho tuba canere jubentur septem diebus, in quibus septem Sabbatum incidit. Si igitur otii gratia datum Sabbatum est: cur tuba canen- A di opus illis præcipitur? Sed norat eos tuba canendo sabbatizare, non otiando, sed Deum opitulatorem suum agnoscendo. Quod itidem de illo qui octavo die circumciditur dicendum: necesse quippe est etiam Sabbato circumcidere, & tamen qui hoc facit Sabbatizat, licet operetur, quia etiam Deum cognoscit. Sane illi quoque dies qui Sabbata non sunt, tamen ob remissionem peccatorum, cognitionemque Dei Sabbata appellare lex ipsa solet, imo potius Dominus legis, qui in Levitico ait: *Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationis erit celeberrimus, sanctus erit vobis: & humiliabitis animas* Levit. 23. 27. B *vestras, & offeretis holocausta Domino. Omne opus non facietis in hac ipsa die*. Et post pauca: *Et erit omnis anima quæ fecerit opus in hac ipsa die, peribit anima illa de populo suo. Nihil ergo operis facietis: legitimum sempiternum in generationibus vestris. Sabbata Sabbatorum erunt vobis, & humiliabitis animas vestras a nona mensis, a vespera ad vesperam, & Sabbatizabitis Sabbata vestra*.

4. Itaque non septima dies Sabbatum est, sed remissio peccatorum, cum quis ea perpetrare cessaverit. Neque otium est Sabbatum, sed confessio & humiliatio animi. Non enim definite dixit, Sabbato; C sed simpliciter decima die, quæ occurrit etiam sæpe extra Sabbatum. Et tamen illam ipsam diem, ob propitiationem, non simpliciter Sabbatum, sed Sabbata Sabbatorum appellat. Quod si hanc Sabbatum appellat, & in Sabbato operari jubet; non ergo otii præcipue lex est Sabbati, sed cognitionis, propitiationis & cessationis ab omni malitia. Non otii igitur causa Sabbatum dedit; sed ut nossent cessationem a creatione. Præcepit enim Dominus dicens: *Ut sciatis, quod in hac die* Levit. 26. 35. *requievit Dominus Deus vester ab operibus quæ cœperat* D *facere*. Volebat autem eos hujusce finis gnaros, alterius initium quærere. Finis igitur prioris creationia erat Sabbatum: secundæ autem initium, Dominica, in qua veterem renovavit. Sicut igitur priori ævo Sabbati diem servari jussit, in monumentum finis priorum; sic Dominicam veneramur in memoriam initii secundæ reparationis. Non enim aliam creavit, sed veterem renovavit, & quam facere cœperat absolvit. Quamobrem sexta die opera perfecta sunt: septima vero requievit ab omnibus: in Euangelio autem Verbum quod advenit, inquit: *Veni, ut perficiam o-* Joan. 4. 34. *pus*. Qui enim ab omnibus requiescit, significat quæ- E dam consummatione indigere, quæ ipse veniens absolvit: ait enim in Joannis Euangelio: *Opera quæ* Joan. 5. 36. *dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*.

5. Imperfectum enim esset opus, si Adamo peccante mortuus fuisset homo: perfectum autem factum est, ubi ipse vivificatus est. Quocirca creationem sex diebus factam cum renovasset, diem renovationi adsignat: quam in Psalmo Spiritus præmunciat his verbis: *Hæc dies quam fecit Dominus*. Solis enim Psal. 117. 24. instar Deus exoritur, singulorumque illustrat animas: idcirco in salutari passione sol non apparuit, F significans cum finem prioris creationis, tum alterius initium, quæ ex Salvatore oriebatur: quam ubi vidit Propheta, dixit: *Ecce vir Oriens nomen ejus*. Et ite- Zach. 6. 12. rum: *Vobis timentibus eum orietur sol justitiæ*. Non Malach. 4. 2. enim omnium est hæc dies, sed eorum qui mortui sunt peccato, & vivunt Domino. Ideo enim octavo die circumcidi lex jussit: & mandatum erat numquam violandum, quo significabatur, post septimam diem omnium fore regenerationem. Nihil enim aliud circumcisio indicabat, quam nostram nos exuere nativitatem: eum enim qui sexto die mortuus est exuimus, & renovamur Dominica: qua die antiquus

ille

ille exutus, per resurrectionem regeneratus est. Hoc A enim Paulus quoque in Epistola ad Colossenses ait: Col. 2. 11. *In quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta, in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi: consepulti ei in baptismo, in inferuum, in quo & resurrexistis*. Nam exspoliationis per baptismum figura erat circumcisio, quam in illis membris fieri præcepit, quibus corpus generatur: ut qui circumcidebantur advertérent, illud esse exuendæ vetustatis signum. Abraham enim cum credidisset, accepit circumcisionem, quę signum erat regenerationis per baptismum. Quapropter veniente significato, signum cessavit: nam circumcisio quidem signum erat; lavacrum vero rege- B nerationis, res est significata. Exuto enim toto vetere homine, superflua est illa quæ ex parte est significatio. Et sicut Dominica initium est creationis, & Sabbati finem facit: sic ea ipsa regenerato homine finem dedit circumcisioni. Utrumque enim octavo die perfectum fuit, & initium creationis, & hominis regeneratio. Ideo octava dies Sabbatum dissolvit, non Sabbatum, octavam diem. In Sabbato enim circumcidebatur homo, nec Sabbato cessabat circumcisio: nam octava quæ erat initium reparationis, priori finem adtulit.

6. Arbitror autem hac de causa circumcisionem datam fuisse. Cum audisset Adam: Gen. 3. 19. *Terra es, & in ter-* C *ram reverteris*, mortuus est, corpusque corruptum est: unde partem quamdam corporis, eam nempe quæ causa illi est generationis exsolvere jussi sunt: & jam antea didicerunt, totum corpus exuendum esse, ut, ac si quod damnatum fuerat tradidissent, salutem consequi possent. Et sicut sacrificia, umbræ futurorum erant; sic circumcisio alicujus partis, totius circumcidendi umbra erat. Hoc autem in Jesu Filio Nave clare commonstrat Scriptura: Jesu enim ex Dei jussu populum circumcidente in Galgalis, trans Jordanem, dixit Deus Jesu Filio Nave: *Hodie abstuli* Jos. 5. 9. *opprobrium Ægypti a vobis. Et vocavit*, inquit, *nomen loci illius Galgala*. Si namque circumcisio generationem Ægyptiacam aufert: ergo præputiom Ægyptiaci habitus ac generationis indicium est. Hoc autem abstulit Deus, ut non ultra quasi in Ægypto nati haberentur; sed promissionis, in quam illos induxit Dominus, filii existimarentur. Hæc cum ita se habeant, videtur prorsus circumcisio data fuisse, ut opprobrium terrenæ generationis ab Abrahamitis tolleretur; & non amplius obnoxii essemus huic maledicto: *Terra es, & in terram reverteris*. Ablatum est Gen. 3. 19. enim opprobrium delicti. Id autem tunc factum est in figuram baptismatis per Christum dati. Tunc enim ex parte res gerebatur quasi in umbra; nunc autem, ut dixit Apostolus, totam terrenam generationem exuimus, per lavacrum regenerati, ut non amplius secundum priorem generationem moriamur; sed secundum circumcisionem, qua corpus exuitur, quam per lavacrum nos exuimus, vivamus. Ut autem dixit Dominus Jesu: *Hodie abstuli opprobrium* Jos. 5. 9. *Ægypti a vobis*; sic multo magis dici poterit unicuique eorum, qui nunc baptizantur: Hac die abstuli opprobrium terrenæ generationis, & opprobrium corruptionis mortis a te, hoc ipso die.

IN HOMILIAM DE SEMENTE

ADMONITIO.

HOMILIAM de Semente subjungimus Homiliæ de Sabbato & Circumcisione, quod de re eadem ambæ pertractent, nempe de Sabbato, seu de ritu servandi Sabbati. Hæc posterior autem plures quam præcedens præfert dubitandi causas; non comparet enim in antiquis Athanasii operum collectionibus, nec nisi in codice Anglicano hactenus reperta fuit. Ad hæc nonnulla sunt hic loquendi genera, quæ minus peritum Scriptorem arguant: haud semel enim legimus, κρῶσω pro κρύπτω, in præsenti, & similia. Suntque alia multa quæ minus Athanasii stylum referunt: implicatæ scilicet periodi frequentes, maxime sub finem, nam secus initio; cum contra Athanasii sermo cum lenitate quadam æquabili ubique profluat, & multum abhorreat ab obscuris loquendi generibus. Porro licet allatis de causis admodum suspecta nobis sit hæc Homilia, non indiserta tamen, nec indigna quæ legatur. In ea quippe sat lepide arguitur vana Judæorum in servando Sabbato scrupulositas: multa quoque istic de Oratione & eleemosyna, aliisque piis operibus feruntur, quæ Lectori nec injucunda nec inutilia fore arbitramur.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Homilia de semente.

1. IN die Sabbati congregati sumus: non quod Judaismi morbo laboremus: numquam enim falsa sabbata vel adtigerimus; sed ad Sabbatum accessimus Dominum Sabbati Jesum adoraturi. Olim certe priscis hominibus in pretio Sabbatum fuit: at Dominus diem Sabbati transtulit in Dominicam: neque nos auctoritate nostra Sabbatum vilipendimus; sed Esa. 1. 13. Propheta est, qui illud rejicit ac dicit: *Neomenias vestras & Sabbata odit anima mea*. Quamdiu enim ea agebantur, quæ lege data digna erant: aut quamdiu non advenerat Magister, Pædagogi leges vim obtinebant: at ubi Magister advenit, desiit Pædagogus: & exorto sole, candela cessavit. Opportuna igitur nobis lectio de Sabbato consequenter habita est. Jamjam enim audivimus, quomodo Jesus ibat per sata, & D quomodo aridam manum sanaverit: atque operæ pretium videtur mihi, pauca in lectionem Euangelii differere. Salvator noster per sata ibat, ipsumque Discipuli sequebantur, & vellentes spicas comedebant: tum Judæi increpabant illos, dicentes: *Non licet hoc facere in Sabbato*. Ex qua lege, o Matth. 12. 1. & 2. Judæi? Ex quo Moysis decreto? Ex cujus Prophetæ sententia? Ubi vetitum est ali esurientem? Ubinam scriptum est, inanem ventrem non implendum esse? E Sed qui esum in Sabbato vitio vertunt, cædem ipsi ipso Sabbato in Dominum perpetrarunt: ait enim Scriptura in Euangelio de die qua passus Deus est: *Erat autem dies illa magna Sabbati*. Legislatorem ipsum Sabbato de medio tollunt, Discipulosque in Sabbato alimenta sumere nolunt. Quare in jamjam lectis quærit

Joan. 19. 31. ubi tamen non dicitur diem qua crucifixus Dominus est, fuisse Sabbatum, sed subsequentem diem.

rit ab illis Salvator: Quidnam in Sabbato facere licet, benene an male? animam servare an perdere? alimenta sumere crimini datis, & cædes perpetratis? Semper enim Judæi culicem percolant, & camelum degluttiunt: semper accurate decimant rutam & olus, & quæ sunt io lege graviora non observant. Et pertranseuntibus Discipulis indignabantur, quod spicas manibus vellerent & comederent. Non ferro secabant, quod illi sane ut opus criminati fuissent: neque aliis otebantur instrumentis, ne culparent Judæi, noo quod alimenta sumerent, sed quod operarentur. Nunc autem quid culpatis quod a Deo in salutem datum est? Si enim Deus (B) vesci non prohibuit in Sabbato, quid illud tu vituperas, quod noo vetuit Deus?

2. Transibat itaque Salvator per sata: granum frumenti, per segetes: spirituale illud granum frumenti, quod cecidit in unum locum, fœcundusque resurrexit in orbem terrarum: de se quippe ipse dicit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; sin autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* (Joan. 12. 24.) Rem alio tractemus modo. Transibat igitur Jesus per sata: ipse quippe aliquando granum frumeoti, ob vim nutritivam: interdum seminator est, prout in Euangeliis dicitur: *Ecce egressus est qui seminat ad seminandum.* (Mat. 13. 3.) (C) Spargit quidem Jesus largiter sementem, fructus autem copia fit pro ratione soli: nam ubi petrosa terra, facile exarescit semen; non quidem impotentia seminis, sed vitio terræ: cum semen vividum sit, terra autem sterilis, quia profunditatem non habet. Cum autem terra noo retinet humorem, solares radii gravius illapsi exsiccant sementem. Quod quidem contingit non imbecillitate seminis, sed vitio soli. Rursum spargitur semen in spinosam terram: & semeo quidem vividum est; sed a spinis suffocatur, nec permittitur vis illa interior fru- (D) ctificare, ob exteriorem illam molestiam. Quod si semeo bonam nanciscatur terram, non parem reddit fructum, sed trigesimum, vel sexagesimum, vel centesimū. Ejusdem namque generis semen est, diversus autem fructus, diversæque eorum sententiæ qui erudiuntur.

3. Exiit igitur qui seminat seminare, & partim præsens per sese, partim per discipulos suos operatus est. Et habetur scriptum in Actibus Apostolorum, post lapidatum Stephanum, sic, inquam, habet Scriptura: *Illi itaque dispersi*, (Act. 8. 4.) non imbecillitate dissipati: nequaquam enim fide sejuncti sunt, sed dispersi. Seminantis quippe vi frumentum (E) effecti, ad panem cælestem, per vivificam omnem doctrinam transeuntes, operationes suas ubique disseminarunt. Cogitatiooum itaque sator Jesus unigenitus filius Dei, transibat per sata, qui non seminum taotum est sator, sed etiam rerum sensu præditarum. Huic enim ab initio Pater dixit: *Producat terra herbam fœni, seminans semen secundum genus & similitud nem.* (Gen. 1. 10.) Pater dixit, Filius perfecit: ille jussit, hic jussa complevit: atque ita ex Patre per Filium, perfectum fuit opus, unaque mundi creatio per Patrem & Filium absoluta est. Qui ergo cogitationes seminat, & qui res sensu præditas nutu paterno effe- (F) cit, hic ipse per sata transibat. Ingeotia certe in seminibus miracula. Videamusque in temporibus sementis, quæ ad seminium pertinent: & de terræ germinibus hyberno tempore differamus: non quo physice de ajusmodi re disputemus, sed quo mirabilium factorem adoremus. Homines certe id agentes quod suæ facultatis est, junctis ad aratrum bobus terram fulcant, emolliuntque ejus superficiem, ot ne pluviæ præterfluant, sed profundius penetrantes copiosum fructum germinent: semina vero in mollem terram projecta, duplici commodo gaudeant, primo profun- (A) ditatis & mollitiei; secuodo, latebrarum, ne ab avibus absumantur. Et homo quidem quod suæ facultatis est agit; sed nequaquam ab homine est fructificatio. Hominis quippe est seminare; Dei autem incrementum dare. Atque Dei imperio nubes ex profundo marium aquas hauriunt, salsedineque in dulcedinem versa, effundunt quidem in superficiem terræ: tum unius prorsus generis decidens pluvia, varia producit seminum genera: frumentum enim efficit, fabam, milium, zeam. Unumque est quod decidit: multa quæ germinant: atque illa uniformitas pluviarum in multiplicem fructificatinnem abit; ut ostendatur, non (B) dexteritate seminantis, sed Dei operatione fructum prodire. Ac principio quidem sementis herba quædam velut assurgit, & plerumque contingit frumentum una cum zizaniis seminari: neque licet per foliorum similitudinem internoscere, quid frumeotum, quid zizania sit. Cum autem in culmum semen assurgit, exaltaturque; ex spica deprehenditur, fructusque indicat quid sit frumeotum, quid zizania.

4. Iotellexisti quod dictum est, jam mihi ad magis spiritualia progredere. Seminavit Jesus per Apostolos verbum regni cælorum per universam terram. (C) Auris vero quæ prædicationem excipit, apud sese illam retinet: * & eatenus certe germinationem foliorum edit, quod in Ecclesia se diligentem præbet. Coovenimusque in eumdem locum tam frumenti largitores, quam zizania; tam fidelis quam hypocrita; ut verius eloquamur quod prædicatur. Nos autem Ecclesiæ agricolæ verborum ligonem per sata immittimus, ut agrum colamus ad fructum ferendum; necdum tamen cognoscimus soli conditionem: foliorum quippe similitudo, præsides sæpe fallit. Verum ubi doctrina in opus procedit, laborumque fructus solidatur, tum apparet quis fidelis quis hypocrita sit. Qua (D) ratione io urbem plerumque venit vir Græce docendi peritus, auresque demulcens, qui in Ecclesiam properat, non ut medicinam animæ, sed ut verborum elegantiam percipiat. Recedit ille facundus orator: recedit etiam ab Ecclesia zizanium, frumentum quippe, seu fidem, noo habet. Fidelis autem licet facunde loqui soleat, studiose auscultat, sive Syriace, sive Latine, aut alio quovis sermone quis utatur. Noo quærit enim verba sed gesta: *Sermo enim noster & prædicatio nostra, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis.* (1. Cor. 2. 4.) Quæ utilitas, si Græce loquamur, & men- (E) te barbari simus? Quid prodest si compositus sermo, & mores sint incompositi? Multo præstantius est Græce quidem oescire, legemque Dei io corde possidere. Nam si Ecclesia Sophistæ schola esset, consectanda foret eloqueotia: at cum de morum pugna, & de fructus copia agatur, exspecteturque cælum; ne lingua requiratur, sed mores instituantur. Rursum aliqui laborant studio placendi hominibus, & ad tempus simulatione utuntur: quod si illustris persona vel ex plateis, vel ex hominum (turba) accesserit, & Christianismum profiteatur, currunt in Ecclesiam, ut homioi illi vultum ostendant suum. (Quænam sint Ecclesiæ zizania.) Egreditur (F) insignis ille, una exit hypocrita, recepta mercede sua: hominis causa venit, homini placuit, a Deo nihil accepit, nequaquam enim mentem suam illi exhibuit. Ejusmodi sunt Ecclesiæ zizania.

5. Sed quidpiam mirum habet Verbum Ecclesiæ agricola: nam zizania, si quidem ille voluerit, frumentum ferunt. Cum enim electione propria fiat hominum motus, & libera sit ejus sententia; io te res sita est: si vis esse zizania, brutorum animalium pabulum es: sin volueris mutari, frumentum fies. Si quæras hujusce rei exemplum, ex arboribus quæsitum accipe. Oleaster insitus efficitur bona oliva,

& vi-

& vitis silvestris, sativæ vitis accepto palmite, oblivifcitur vetustæ radicis suæ, accipitque novitatem recentis. Obliviscere & tu priorum, & accipe quod dicitur; omissisque zizaniis, frumentum accipe: ut mercare intra aream Ecclesiasticam spiritualemque recipi.

6. Hæc porro omnia dicta vobis sunt, occasione lectionis Euangelicæ, qua de satis agitur, ob eum qui in animabus seminavit, redemtorem animarum Jesum, transeuntem per sata. Ille autem de industria Sabbato pertransibat, discipulos per sata ducens: qui discipuli in prætereundo, spicas vellebant, manibusque confricantes, comedebant, novam spicis aream, manus scilicet suas, efficientes. Judæi vero discipulos increpabant quod alimenta sumerent: adversus Magistrum indignabantur: [Matth. 12. 2.] *Vide quid faciant discipuli tui?* Sese abalienantes a justitia, nequaquam dicebant; socii nostrum discipulorum; sese quippe a magisterio expulerant; sed, *Vide quid faciant discipuli tui*:. res conspicuas ostendebant. Spectatori cordium res quæ sub adspectum cadunt commonstratis? Nonne experimento plerumque didicistis, eum ipsas cordium cogitationes perspectas habere? Annon ille est qui ait: [Matth. 9. 4.] *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Qui cogitationes novit, an spicarum confricationes non noverit? * * *

7. * Novus mortuus, inter mortuos liber. Siquidem ceteri mortui quasi vinculis constricti, per angustam abducebantur viam; Jesus vero propter nos mortuus est, & descendit ad inferna inter mortuos: atque inter mortuos cum venisset, non modo liber, sed & mortuorum liberator erat. Et ut ediscas ipsum mortuorum fuisse liberatorem, audi hæc Euangeliorum verba: [Matth. 27. 52.] *Et multa corpora Sanctorum qui obdormierant resurrexere*. In monumento positus est, & multa monumenta aperta fuere. Erat itaque is inter mortuos liber, quem noti reliquerant: ait namque Euangelium: discipulos omnes, relicto eo, aufugisse. Fugiunt dum viveret: & eo crucifixo, pro ipso mortem subibant; eo quod nihil in Cruce remanserit, & post Crucem, vitam resumserit; sed ne mihi adtendas soli; sed Psalmo jamjam a me lecto. Ausculta dum legam, tu vide ex consequentibus resurrectionem: [Psalm. 87. 6.] *Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Posuerunt me in lacu inferiori*, uti supra diximus. Et post hæc: [Psal. 68. 14.] *Ego vero oratione mea ad te, Domine. Et mane oratio mea præveniat*. Mortuusne orat: si non resurrexerit, inquam, orat? Siquidem postquam sepulturam & resurrectionem enarrasset, tunc memoravit orationem quam ad Patrem habuit.

[* Hic textus deficit. Et, ut videtur, hæc aliunde assuta sunt.]

8. Nos igitur Dominicam celebramus propter resurrectionem: Judæi etiam nunc Sabbato adhærent, postquam Esaias dixit: [Esai. 1. 13.] *Et Sabbata vestra odit anima mea*. Nihil mihi commune cum Sabbato, quod Dominus odit. Non loquor de dierum circulis, sed de Judæorum usu. Dies enim nullos aversatur Deus: sed eos qui in ipsis diebus male agunt. Et jam quidem Sabbato inhærent: tuncque temporis etiam Salvatorem increpabant, dicentes: [Matth. 12. 2.] *Vide quid faciant discipuli tui, quod non licet in Sabbato facere*. Tum Salvator ad illos: Nonne hoc legistis quod fecit David? Ex Davide oriundus ille Davidem memorat: qui ex Davide est secundum carnem, ante Davidem autem secundum spiritum: qui secundum carnem quidem Davidis filius; secundum spiritum autem Davidis Dominus: qui ex radice Jessæ germinavit. Virga mirabilis, quæ Judæorum genus conterit, Gentium vero populum quasi gregem colligit. Ipsequippe est qui dixit: Ducam vos sub virga mea. Multaque mentio est de virga Jesu. Dixit igitur ad Judæos: [Matth. 12. 3.] *Nonne legistis quid fecerit David, quando esuriit ipse, & qui cum eo erant? quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis accepit & comedit, quod non licet facere nisi solis sacerdotibus*. Sapiens itaque auditor, peritusque Ecclesiasticorum dogmatum & lectionum, historiam probe novit, nec eget explicatione. At quandoquidem multus nobis nuper confluxit populus, qui nonnisi levem divinorum eloquiorum cognitionem auditu accepit, neque sententiarum profunditatem in mente apprehendit; operæ pretium mihi videtur, historiam cursim explanare: ut sciamus qua de causa illam memoravit Salvator. Inter priscos Rex fuit, nomine David, prius pastor, postmodum Rex. Non quod regnum invaserit, sed Saule ob peccatum suum abjecto, unctus est David a Samuele. Ad regnum inunctus non statim regnum occupavit; multis quippe annis Sauli servivit: ac demum cum Deo placuit, regnum adiit. Insidiis igitur appetebatur a Saule, cui beneficia contulerat, insidiis item ab Absalom, proprio filio.

9. Hæc revera contigere Davidi: hic vero quasdam præ se fert Christi adventus imagines. [David Christi figura.] Par fuit enim proavum, pronepotis sui aliquas præferre similitudines. [Matth. 1. 1.] *Liber generationis Jesu Christi filii David*: Sed in altero rerum similitudines non æquales sunt. Esto similis servus Domino; non tamen par erit, licet habeat quasdam similitudines. Pastor David, pastor item Christus. [Joan. 10. 11.] *Ego sum*, inquit, *pastor bonus*; sed pastor ille pecudum, hic pastor animarum. Rerum quidem similitudo, sed magnum discrimen dignitatis. Unxit Davidem in Regem sacerdos Samuel: baptizavit Salvatorem Joannes, utpote sacerdos & ipse. Similitudo quidem hic rerum est; sed magna differentia personarum. Unctus David in Regem, non statim regnum occupavit: multis quippe annis sustinuit Sauli servire; Salvator quoque noster genitus Rex ante sæcula, nec temporale possidens regnum; sed ante omnia sæcula Rex ex Rege Deo genitus, id sustinuit: [Philip. 2. 6.] *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*; ut absolveret œconomiam. Persequutus est Davidem Saul, persequutus est Christum Herodes. Sed neque Saul persequens, Davidi nocuit; neque Herodes persequens, Christum læsit. Insurrexit in Davidem Absalom filius suus, insurrexit in Salvatorem Judas, ipse quoque filius: Discipulos quippe Salvator nonnumquam filios vocabat, sic: [Esai. 8. 18.] *Ecce ego & filioli mei quos dedit mihi Deus*: & iterum ad Discipulos ait: *Filioli*. Locus autem exitii Absalom, [2. Reg. 18. 18.] *Manus Absalom*, in hunc diem nuncupatur. Jam mihi, quæso, perpende harumce rerum exactam imaginem. Non scriptum est, pes Absalom, sed manus Absalom: non itidem caput Absalom, licet capillis capitis perierit; sed manus Absalom. Prior quippe fuit capite manus quæ tradidit, juxta rerum imaginem; sed quasi egressa, per rerum nuncupationem, manu, Scriptura quod futurum erat, oblique significavit: [Obscurus locus.] *Manus Absalom*, & rerum imagines. Quot intercedunt similitudines Davidem inter & Salvatorem!

10. Hic igitur David a Samuele in Regem unctus est oleo sensibili: aliter autem unctus est Salvator: quo modo & quanam ratione, audi ex quadragesimo quarto Psalmo: [Psalm. 44. 7.] *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga directionis, virga Regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ consortibus tuis*; ne ex simili vocabulo, unctionis æqualitatem putares esse in iis verbis. Unctus est David, unctus est & Christus; sed ille ab homine, hic a Patre unctus est: estque unctio illa ineffabilis, resque illæ incomprehensibiles. Quare ait Psalmista: *Oleo exsultationis præ consortibus tuis*. Consortes scilicet similitudinis, quin parem habeant unctionem. Ubique enim similitudi-

nem retinet, & præstantiam rei conservat. David ita- A qua unctus a Samuele, privatus mansit: Saul vero transgressis Dei præceptis, impuro spiritui traditus est. Psallebat David, pastoralem tenens citharam, in desertisque degens locis, nemine quicum fabularetur præsente. Citharam compinxit, ex cujus pulsatione & concentu duo in primis consequebatur: hujusmodi sono locorum solitudinem mitigabat, nec in dissolutas cantiones delabebatur, sed Psalmos canebat, quorum modulatione delectaretur, & pietate juvare-
Psal. 103. 10. tur. Et psallebat in desertis: *Altitudines montium illius sunt*: addebat illud: *Inter medium montium pertransibunt aquæ, & potabunt omnes bestiæ agri. Su-* B *per eos volucres cæli habitabunt*. Psallebat de homine,
Psal. 8. 8. his verbis: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas*. Psallebat insuper mirabilia Dei opera. Porro cum torqueretur Saul ab impuro spiritu, indicavit illud quidam Sauli: quæ causa fuit ut arcesseretur David. Et quotiescumque irrueret in eum spiritus malus, accepta David cithara pulsabat, Psalmos hymnosque Deo decantans.

11. Ne mihi enim jam citharæ mentionem facias, sed ejus quod cithara canebatur: neve ex verbis captans occasionem ad theatralium voluptatum cupidinem delabare; sed memor Psalmorum, in Ecclesia remane. Cithara igitur manibus accepta David, psallens Deo, præfocantem dæmonem propulsabat. O C magnam Psalmorum virtutem! Spiritus ille immundus qui præfocabat alium, invisibili & ipse modo præfocabatur, & respirabat Saul: invidia tamen ille flagrabat in Davidem, hac de causa. Allophyli aliquando
1. Reg. 17. 4. invaserant gentem Hebræorum: tum Goliath quidam immani statura, animo feroce, visu terribilis, per quadraginta dies Israeli exprobrabat, & ad singulare certamen provocabat, prægrandi quidem opertus clypeo, hastam adtollens, horrendasque gerens ocreas: quem qui viderent fugiebant, Saulque reformidabat. Venit fratres invisurus David, atque manus conserit D nudus cum armato, pugnæ imperitus cum peritissimo, adolescens cum viro. Omnibusque terrore perculsis, ac nemine audente prodire, David pugnam suscipit. Et cum non inscius esset, psallebat: Do-
Psalm. 32. 17. mini est bellum: &, *fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur*. Sciebat quæ psalleret: maximum tenebat telum, nempe fidem, & galeam sibi salutis imposuerat: arreptaque virga & funda, circumvolvit lapidem, percussit adversarium, subitoque prostravit. Verba percurrimus: id quippe non jam nobis propositum est. Prostratus est immanis ille Goliath a parvulo, peritus ab imperito E & simpliciore. Sumensque David illius gladium, caput ipsi præcidit. Caput vero deportatum est Jerosolymam, gladiusque ejus servabatur apud Abimelechum sacerdotem. Tum liberatus populus est ab adversario. Egressæ sunt in occursum ejus fœminæ choreas agentes: læta quippe admodum res illa erat, depositus metus, prostratus hostis, populus florente vultu erat; hinc choreæ, tympana, harmonia & omnium lætus animus. Porro choreas agentes illæ, canebant, non habita dignitatis ratione, sed gestarum re-
1. Reg. 18. 7. rum, dicebantque: *Percussit David in myriadibus suis, & Saul in millibus suis*. Victori etiam (Davi- F di) millia dedere: neque dixere quot millia, vel quot myriadas. Possunt certe myriades resolvi in chiliadas, & chiliades multiplicari in myriadas. His Saul auditis animo perculsus est. O magnam stultitiam! Nonne oportuit vel quandam rei præsentis pudore teneri? Quid invides victori, una hora faustis vocibus celebrato, qui ad quadraginta dies latuisti? Ab hostibus ereptus, quid laudato viro invides, qui laudibus digna edidit facinora? Sed apud sese dicebat: A dederunt Davidi myriadas, mihi chiliadas. Atque ideo infensis oculis Davidem intuebatur.

12. Vide, quæso, annon pronepotes ejus fuerint, it apud quos hodie Salvator dexteram manum aridam sanavit. Egressique illi consultarunt, non qua Matth. 12. 10.
ratione Deo gloriam tribuerent; sed qua bene de se merito insidias pararent. Ait quippe Euangelium, ipsos quidem amentia plenos, exeuntesque deliberasse quid Jesu facerent. Pronepotes persequutoris, pronepotes furiosi illius, pronepotes ejus qui bene de se meritis insidiabatur. Infenso igitur animo Davidem Saul intuebatur, neque rectis eum adspiciebat oculis. B Tales enim sunt invidi, tales hypocritæ. Quamob- Psalm 16. 2.
rem tibi dicit Scriptura: *Oculi tui recta videant*: nihil obliquum, nihil invidum, nihil quod cupidinem aut furorem aut quid simile præ se ferat. Aspice amicum rectis oculis, nihil dissimulanter, nihil virulenter. Sed Saul Davidem torvis oculis adspicie- 1. Reg. 18. 25.
bat. Vide mihi, quæso, insidias. Eum in pretio haberi conspicatus, filiam ipsi dare cupit uxorem. O tentatio invidiæ! Insidiatur ei quem generum accipit: nec parcit filiæ, ut honorato viro struat insidias. In dotem vero postulat centum præputia Allophylorum. Opinabatur enim si ipsum in pugnam immitteret, centum cum uno congressos, unum interfecturos, atque sic sese rivali expeditum fore. Commis- C sum prælium est; sed inimicus ut inimicus, Deus vero ut Deus. Exit David, solusque centum interficit. Verum Saul animadvertens esse Deum amico suo belli socium, ne ita quidem pudore adfectus est: mansitque in parandis insidiis pertinax, atque id non contra inimicum, sed contra virum de se bene meritum. Jonathæque filio irascebatur, quod esset ei cum Davide amicitia: eoque cæcitatis ex invidia deductus est, ut proprium filium interficere tentaret. David autem cum sese videret insidiis appeti, ad tertiam se diem occultat: nam David quoque tertiam norat diem: & ini- D to cum Jonatha fœdere, sese in fugam victor ille dedit: non quo non valeret inimicum ulcisci; sed nolens in virum cui beneficia contulisset, stringere gladium: ac Deo semel committens judicium, fuga se confert cum suis domesticis ad Abimelechum sacerdotem.

13. Hæc autem omnia recensemus ob historiam Euangelii, ob verbum illud Salvatoris: Annon legistis quid fecerit David, cum esuriret: quomodo ve- Matth. 12. 4.
nerit in domum Dei, & panes propositionis comederit? Venit itaque David ad Abimelechum sacerdotem cum paucis viæ comitibus. Obstupefactus Abimelech, Ecquid illud, ait, ut Dux exercitus solus i- E ter faciat, & vir insignis tam exiguo comitatu utatur? Tum David, nequaquam insidias sibi paratas memorat, sed re celata, ait, jussum pueris asse ut in locum conveniant, cui nomen, Deo fides. Nota apud Davidem quoque fidem esse: ob eum qui ex illo ortum ducturus erat, qui ait: *Fiat tibi secundum fi-* Matth. 9. 29.
dem tuam. Adsunt hic quoque rerum imagines similitudinesque. Postulat panes David ab Abimelecho, respondet illi: Nulli sunt panes præter eos qui consecrati sunt ex conspectu Domini. Alterius hic denuo legis mentio facienda est. Scripsit Moyses in lege de Levit. 24. 5
initiationibus sacri cultus die Sabbati faciendis, duo- F decim panes calidos coctos ponendos esse supra mensam. Ubi autem calefactio, ibi ignis. Dicant hic nobis Judæi, quare Sabbatum observant, quo ignem accendere recusant; cum sacerdotes ignem accenderent, coctosque panes calidos apponerent? Num ego solus transgredior Sabbatum? Ecce ipsi Sacerdotes calidos panes apponunt, coquuntque Sabbato, & circumcidunt Sabbato. Ubi autem circumcisio, ibi ferrum, spongiæ, & cetera quæ ad rem pertinent. Ubi panis confectio, ibi fornaces, ibi sarmentorum commea-

meatus: ac demum opus ab illis peragitur quo panes conficiant. Judęorum itaque populo vetitum erat, ne Sabbato opus facerent: Sacerdotibus vero id probibitum non erat. Quapropter nobis omnibusque permittitur in Sabbato operari, cum nos omnes simus regale sacerdotium. Olim igitur sacerdotibus permittebatur: nobis quoque quoniam sumus regale sacerdotium, gens sancta, idipsum permissum est. Scribente lege, in die Sabbati duodecim panes supra mensam ponendos esse; ex illis in mensa consecratis panibus postulabat David sibi alimentum. Respondit Abimelech: *1 Reg. 21. 4.* Si pueri abstinuerunt maxime a mulieribus. Jam tu mihi, qui fidelis es, ut paululum digrediamur, his ad cautelam utere verbis, & quod dicitur animadverte, castimoniamque carnis assume. Si namque id tunc præcepit Abimelech, cur non observandum? Sic David accepit, panesque comedit, ac fortassis in Sabbato accepit.

14. Cum itaque Judæi Salvatorem coarguerent, quod Discipuli ejus in Sabbato spicas vellerent atque comederent; opportunissime ille historiam Sabbato gestam commemoravit; ut ostenderet ipsis, si Davidi & comitibus ejus concessum fuit ut pro salute panes ex sacra mensa in cibum adtingerent; non fuisse Discipulis vetitum ut spicas vellerent, & confricarent ad comedendum. *Matth. 12. 4.* Annon, inquit, legistis quid fecit David, cum esuriret ipse & qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit? Habes exinde adjunctam historiam de arida manu: quo pacto videlicet Salvator noster, ingressus in Synagogam, (nobis namque percurrenda historia est, ob ejus prolixitatem, ne nauseam pariat audientibus) & cum vidisset quemdam manum aridam habere nosfetque Judæos ad criminandum paratos esse, dixerit ad eum cujus arida manus erat: *Luc. 6. 8.* *Surge (& sta) in medio*. Resurrectio resurgere jussit: *Surge & sta in medio*. Non quod ad pompam curationem edere vellet: norat quippe pro temporis conditione dicere etiam: *Matth. 8. 4.* *Vide, nemini dixeris*. Verum ubi id tempus postulat, celat miraculum; contra ubi Sabbato miraculum edere par est, tunc apertissime operatur. Quære & volve Euangeliorum scripta, & me vere dicere deprehendes. Observabant in Sabbato insigniora edita miracula: qui, quæso, aut quomodo? *Joan. 9. 32.* *A sæculo non est auditum, quod quis aperuerit oculos cæci nati*. Hoc miraculum non alio quam Sabbati die edidit. Cum enim ex sputo humi dejecto lutum fecisset, linivit ejus oculos, misitque illum in Siloam: & rediit cæcus visu recepto. Qui vero cæcum cernerent videntem, ipsi non videbant. Illius quidem sensibiles oculorum pupillæ apertæ sunt; Judæorum vero non aperti sunt oculi; imo apertis licet oculis, non videbant, Dominumque damnabant his verbis: *Joan. 9. 16.* *Non est hic homo ex Deo, quoniam Sabbatum non observat*. O ingentem væsaniam! Nam quale opus factum est? Sputum ex labiis, digitisque dumtaxat lutum: simplex unctio, non instrumentis medicis, sed manu a Deo facta. Quid quod actum est criminare? Habes in Sabbato gestum miraculum. Abiit cæcus, & abiit visu recepto. Id in Sabbato (Christus) operabatur, ut fide dignus haberetur, cum in Sabbato doceret.

Joan. 5. 2. 15. Aliud occurrit mihi miraculum. Jerosolymis erat probatica quædam piscina, quæ etiam nunc illic exstat: habebatque quinque porticus; sed jam destructa sunt circumjecta ædificia. Jacebat illic paralyticus triginta-octo jam annis æger. Diuturnus enim fuit morbus, ut ea saltem ratione, pudore Judæi afficerentur. Nam si brevis fuisset ægritudo, latuisset miraculum: jam vero multi anni sunt veri morbi testes, ut saltem hoc videntes, viderent. Salvator autem cum advenisset & præteriret, ait illi: *Vis sanus fieri*, & reliqua. *Joan. 5. 7.* Ac surgens ille quoque, tollit grabatum & ambulat. Erat autem Sabbatum. Verum Judæi non videbant miraculum Sabbato editum, sed grabatum ab eo gestari. Par fuisset cogitare illos: Talea medici huc advenerunt, & nemo sanavit: pauper jacebat miser, nec aderat ei qui ipsum in piscinam dejiceret. Talis est hic miraculorum patrator, novarumque rerum auctor, qui tantam vim paralytico dederit, ut non modo surrexerit, sed & grabatum portaverit suum. Cæca res est malitia: ipsum morbo ereptum damnant, ajuntque illi: *Joan. 5. 10. & 11.* *Non licet tibi Sabbato gestare grabatum*. Respondit ille: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit*. Dei opus est quod jussum est. Insueta res est Paralyticum triginta & octo annorum sanitati restitui. Ex ejus ore id audivi: Tolle grabatum tuum. Si corpus illi obedivit & sanum factum est, ego nec illi ingratus ero, nec gestabo grabatum? Rursum Judæi nequaquam sciscitabantur, ut ediscerent quo pacto curasset, & adorarent eum qui talia largitus esset; sed ut ipsi insidias pararent. Jam illud tertium est quod lectum fuit.

16. Ingressus est in Synagogam, quæ erat Synagoga malignantium. Quid namque deterius quam beneficia accipere & insidiari? In Synagoga Judæorum homo erat cujus arida manus. Aridus quidam manu erat, & qui aderant, aridi mente: neque eum cernebant qui tum præsens erat: neque in mentem veniebat miraculum ejus qui talia operaretur. Porro Salvator antequam opus conficeret, verbis mentem excolebat. Compertam enim habens malignitatem animi, & profunditatem acerbam illam, demulcebat primo verbis: agrestem animum lenire studebat, aitque illis: *Luc. 6. 9.* *Licetne Sabbato benefacere, an male: animam salvam facere, an perdere?* Nam si dixisset illis, licetne operari? statim respondissent, contra legem loqueris. Nunc autem id loquutus est quod lex ipsa voluit: qui enim legem de Sabbato dederat, subjunxit: præter id quod pro anima fiet. Mox enim ubi in Sabbato ceciderit homo in foveam, licitum Judæis est inde illum extrahere: nec tantum hominem, sed etiam bovem & asinum. Atque ita quæ ad salutem spectabant lex permisit, & ipso Sabbato Judæi vescebantur. Quod si quis percontatus eos fuerit, non de quo disceptatur, sed de quo convenit inter omnes: Licetne benefacere? Nequaquam respondent, Etiam: non sunt quippe bonæ voluntatis. Nam, *bonus homo de bono thesauro profert bonum*. *Mat. 12. 35.* Mali porro cum sint Judæi, de bonis agendis non consentiunt, nec fatentur esse benefaciendum, neque possunt affirmare male factum oportere: impudenter enim dictum foret: sed silent. At cum nugandum est, magnas nugas effutiunt: cum autem criminandum, magno clamore ajunt: *Tolle, tolle, crucifige*, hic homo hæc & ejusmodi perpetravit: *Joan. 19. 15.* cum autem quæritur, bene ne an male facere liceat, animam salvam facere, an perdere; illi quidem silent; Dominus vero corde mœrens ob cæcitatem cordis eorum, ait homini illi: Qui vident videant, qui inobsequentes sunt, quod libuerit agant: qui duri sunt corde, lapidescant; verum mollescat dextera tua. Surge, ne amplius mendicato: nam quod jusserit eum surgere, indicium est eum prius sedisse: qui autem aridam manum habebat, quare sedebat, nisi ut mendicaret? Non do tibi argentum ne absumas: sanitatem do tibi numquam absumendam. Ne occasione aridæ manus mendica: sed ea sana salvaque accepta, operare, extende tu pauperi manum tuam. Surge, & sta in medio: sis spectaculum videntibus. In te deinceps certamen de Sabbato agitur. Sta in medio, ut qui

clau-

claudicant poplitibus, consistant, si tamen audiant, si videant. Sta in medio, & loquere Judæis quæ jam dicta sunt: licitumne est id facere annon? Tunc ait ad illum: Extende manum tuam: non te tango, ne Judæi criminentur; neve contingere idem putent esse atque operari, verbum tantum profero. Nequaquam ait Deus: Ne loquare in Sabbato. Si autem verbo opus efficiatur, admirationi sit qui loquutus est. Exteode manum tuam. Vide discrimen facti: Petrus in speciosa porta Paralyticum sanans, compressa illius dextera maou excitavit. Servus attrectando, extendit; Dominus, jubendo extendit. Extende manum tuam. Do tibi virtutem, & efficaciam sanitatis. Verbo jussinneque mea in te constituo: Extende manum tuam. Dixit ille, iste fecit: arida manus sanitati restituta, mentisque Judæorum ariditas minime sanata fuit; sed egressi, ut modo lectum fuit, deliberabant quid facerent Jesu. Deliberas quid facturus sis: adora ut Deum, adora miraculorum auctorem, adora hominem, ea, quæ supra homines sunt, operantem. Non apposuit emplastra, non perfusionibus quibusdam brachium emollivit, non sexcenta remediorum genera adbibuit. In medio stabat ille, rem omnes gestam videbant: non enim clam editum opus fuerat, ne quis diceret: Herbam adhibuit, emplastrum apposuit. Surge, sta in medio; ut ne ipsam rei veritatem calumnientur: ut oullus sit sycophaotiæ locus.

17. Egressi autem illi deliberabant quid facerent de Jesu: ut etiam bie in hac ipsa hora, stat quispiam arida manu, cum eam pauperi non porrigit ad eleemosynam: Is quantumvis corpore sanus, aridus est mente. Audi & tu hac ipsa bora salutaria hæc verba: Exteode manum tuam, & ab hac die incipe eleemosynam pauperi erogare. Alio item modo id pertractemus. Multi incurii sunt in precando, tota die negotiis incumbunt bumanis; vilipenduotque divinum precationum ocgotium. Huic quoque dicat Salvator: Extende manum tuam, ut ait Apostolus: Volo orare bomines in omni loco extollentes sanctas manus. [1. Tim. 2. 8.] Ceterum quia sermo noster satis processit, sursurgentes nos ipsi extendamus manus, noo solum in die, sed & in nocte: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* [Psal. 133. 2.] Et extendamus manus sanctas abluti inter innocentes; ut invocato universorum Deo, ejus auxilio perfruamur, in Christo Jesu Domino nostro, per quem Deo gloria cum Spiritu sancto, nunc & semper & in secula sæculorum. Amen.

ADMONITIO.

IN HOMILIAM SEQUENTEM.

HOC Opusculum licet in antiquis codicibus legatur, nobis non videtur Athanasianum. Orationis certe genus minus elegans, explanationes Scripturarum minus aptæ, & nonnibil contortæ, scriptorem sane præferunt longe Athanasio imparem. Quæ causa nobis fuit ut inter dubia Opera recenseremus.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

[Mat. 21. 2.] In illud: *Profecti in pagum qui est e regione, invenietis pullum alligatum.*

1. QUI terrena sapuere, & Dei mandata despectui habuere, atque in hac vita defessi sunt; hi ante inventionem boni in inscitia versabaotur. Arbitror enim sapieotissimum Salomonem ea de causa dicere: *Tempus quærendi, & tempus perdendi.* [Eccles. 3. 6.] Peccasti? desine. Si enim aliquando in ignorantia versatus, aoimam tuam in perniciem conjecisti; at venit tempus eam perquirendi, ut in Euangelio Dominus noster docet bis verbis: *Quærite & invenietis.* [Matth. 7. 2.] Quandonam autem inveniemus illam, nisi jam, ubi Dominus ipse præsens nos solvit a vinculis diaboli? quemadmodum beatus Apostolus his docet verbis: *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.* [2. Cor. 6. 2.] Tempus itaque venit tenebricosum peccatum destruendi: vocat tempus ut quæramus id quod erravit, ut solvamur a vinculis. Venit quippe qui solvit compeditos, qui erigit elisos: [Psal. 145. 7.] venit qui annunciat captivis dimissionem, cæcis visum. *Tunc, enim, saliet, quasi cervus, claudus, & expedita erit lingua balborum.* [Esaie. 35. 6.]

2. Alio item modo dictum illud pertractemus: Salomonis quippe sententia studium hac in re nostrum accendit. Ait enim: *Tempus quærendi, & tempus perdendi.* [Eccles. 3. 6.] Quia jamdiu errahundum erat genus humanum, diaholique fraudibus perierat, venit tempus ejus perquirendi, revocandi ex captivitate, eximendi ex vinculis. Ex usu quippe nostro erat quærere & ediscere, quod littera occidat, Spiritus autem vivificet. [2. Cor. 3. 6.] Hac igitur re confecta, tempus adfuit, destruendi figuram & umbram in littera sitam. Nam ad usque tempus correctionis, hæc ingruebant: re autem perfectiore adveniente, tunc quod ex parte erat evacuatum est. [1. Cor. 13. 10.] *Cum enim essem parvulus, loquebar ut parvulus: cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* [Ibidem.] Sane ipse Salvator ait: *Qui invenit animam suam perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam.* [Mat. 10. 39.] Id est, qui quæsierit animam suam, & invenerit illam in peccatis, cito perdat illam, neque sinat eam in improbitate immorari: ut, capta opportunitate, cum eam rursus perquiret, inveniat in virtute. Si quis enim animam suam extra supplicium invenire cupiat, perdet illam io præsens tempus, ut Christum lucretur. Porro quid sit hic perdere, docet Salvator; nempe, non ut animam nostram in perniciem conjiciamus, sed ut tempore martyrii ne parcamus fortunis, liberis, parentibus, corpori, neque ipsi animæ; sed nos ipsi tradamus ad mortem usque; ut, quemadmodum supra dixi, inveniamus animam nostram in regno cælorum. Id enim docet Salvator: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* [Mat. 10. 37.]

3. Si quis igitur voluerit animam suam iovenire, perdet illam in hoc tempore. Malitiam ergo in nobia perditam oportet, ut quærentes virtutem, inveniamus illam. Nam si quis ab ira non quieverit, quomodo ad man-

mansuetudinem exercebitur? Si quis a se non elimina- A verit fornicationem, quomodo continentiam profitebitur? Primum enim par est abjici omnem avaritiam & idololatriam, atque ita deinceps quærere paupertatem, pietatemque. *Cant. 3. 1.* *Quæsivi* enim, inquit, *quem diligit anima mea: quæsivi & inveni illum, & introduxi eum in domum matris meæ, & in cubiculum ejus qui me concepit*. Qui porro his indicatur, Christus est: qui ob peccata nostra de cælo descendit, conceptus, natus & in præsepio reclinatus est, donec genus humanum liberaret. Cum tantam enim nostræ salutis curam gerat, jam Discipulos mittit in pagum ex ad- *Mat. 21. 2.* verso situm, ajens, illis: B *Profecti in pagum e regione situm, invenietis pullum alligatum, solutumque adducite mihi*: & profecti Apostoli, prout jussum sibi fuerat a Domino, pullum solvunt. Magnorum sane virorum est, pullum istum solvere, dilecti; magnorum, inquam, non statura corporali; sed fide, caritate & justitia: magnorum prudentia, fortitudine, & virtute: Qualis fuisse Moses declaratur, cum Apostolus de il- *Heb. 11. 24.* lo inquit: *Fide Moyses grandis factus, negavit se dici filium filiæ Pharaonis*: quin & proficiens Isaac, magnus effectus est. Ad eos enim qui hoc modo magni sunt, adtinet solvere pullum istum. Atque utinam e- C go tantus essem, ut pullum hunc vinculis solvere possem. Nam quisque nostrum peccati vinculis alligatur, ut Scriptura testatur, ajens, peccatorum suorum catenis quemque constringi. Oremus itaque, ut ad nos quoque mittat Jesus Discipulos suos: qui nos a vinculis solvant, quibus unusquisque nostrum constringitur. Nam avaritia ille devincitur, hic fornicatione complicatur: ebrietate hic, ille vana gloria tenetur: est qui injuria afficiat, est qui bona proximi pauperisque diripiat, alius, qui usuram supra usuram accipiat. Demum omnes infirmamur in injustitiis nostris, egemusque Salvatoris medela: egemus, D inquam, ut ad nos mittat Discipulos suos, nosque absolvant illi ex vinculis diaboli. Sic enim, ait ad Discipulos: *Profecti in pagum ex adverso situm, invenietis pullum alligatum: Solventes eum, adducite mihi*. Pagum ex adverso situm cum audis, terrestrem locum intellige: civitas quippe illa cælestis est, ut scribit bea- *Hebr. 13. 14.* tus Apostolus: *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*: cujus opifex & conditor *Hebr. 12. 13. 22.* est Deus. Rursum ipse: *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & obtectum igne; sed accessistis ad Sion montem, & ad civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam*. E

4. Tales fuere Sancti omnes, & quotquot secundum Paulum incedentes, eodem contendunt. Audi *Heb. 11. 15.* rursum eumdem: *Si enim ipsius meminissent de qua exierunt, haberent utique occasionem revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem*. Hujusmo- *Mat. 19. 27.* di erant sancti Apostoli & discipuli Domini, qui cum Petro dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Mittuntur itaque solutum supra dictum pullum. Nam Salvatoris nostri adventus & humanitas revocavit nos ex pago e regione posito, ad cælestem ipsius urbem supernam Jerusalem. Arbitror e- F nim nos ob Adami inobsequantiam, pulsos esse ex Paradiso, & in adversum pagum, quasi in coloniam, *Genes. 3. 24.* deductos: *Ejecit enim*, inquit, *Deus Adam, & habitare fecit eum e regione Paradisi voluptatis*. Sic igitur in adversum pagum mittuntur a Jesu Discipuli, soluturi pullum. Et vide, quæso, num forte ob eum qui ejectus fuerat e paradiso, atque e regione constitutus, mittantur Discipuli a Jesu in adversum pagum, soluturi pullum. Ea enim de causa venit Salvator, relictis nonaginta novem ovibus, quæ non erraverant, ut profectus eam perquireret quæ erraverat: qua inventa lætatur de ipsa, congaudentque Angeli de uno peccatore A pœnitente. Quærendum porro, an soli ad pulli ministerium missi sint Discipuli in vicum ex adverso positum. Scio enim, ante Apostolos, invisibiles potestates Jesu inserviisse. Fortassis enim ipsas potestates, quasi discipulos suos, misit Dominus una cum Petro, ad pagum e regione positum, ut pullum solverent. Audi namque quid de Domino Euangelista dicat: *Et ecce*, inquit, *Angeli venientes ministrabant ei*. *Mat. 4. 11.* De humanitate autem clamat David: *Panem cæli* *Psal. 77. 25.* *dedit eis, panem Angelorum manducavit homo*. Nemo itaque degens in corpore, & in hancce vitam pertractus, arbitretur se intra civitatem esse. Non potest B quippe is qui sapit carnalia, in ista magna civitate reperiri, sed hujusmodi homo in pago adhuc versatur. Sensus quippe carnis inimicitia est in Deum. Scire igitur oportet, eum qui in pago habitat: non recto vitæ instituto, non mente duce uti, non sibi imperare: hæc enim magnæ civitatis sunt propria. Nam ubi quis in virtute degit, ex prudentiæ ductu agit, sapienter consulit, temperanter imperat, tunc Sanctorum est imitator. Sancti quippe non habent hic manentem civitatem; sed, uti supra dixi, futuram requirunt, cujus opifex & conditor Deus est. Audi enim A- C postolum: In terra ambulantes, conversationem in cælis habeamus: &, *Nostra conversatio in cælis sit*, *Philipp. 3. 20.* dilecti. Significat enim Apostolus his verbis, In terra ambulantes, profectum lucrumque futurum iis qui post hanc vitam in cælis habitaturi sunt.

5. Profecti igitur Discipuli, pullum solverunt: Discipulorum quippe opus est, hunc solvere pullum; imo Discipulorum qui ea præstare possunt quæ a Magistro jubentur. Multi namque qui videntur Discipuli esse Jesu, non modo ea non faciunt quæ ab ipso jubentur; sed etiam Magistro insidias parant, ut im- D probissimus & traditor Judas. Quantus porro est iste pullus, dilecti, qui non unum Dominum, sed multos habeat? Dixere namque ad Discipulos pulli domini: Quare solvitis pullum? Si sensibilis pullus esset, annon sufficeret ei unum assidere dominum? jam vero juxta Euangelium, multi ejus domini sunt. Dixerunt enim, ait, domini ejus, Discipulis: *Cur solvitis pul-* *Luc. 19. 33.* *lum?* Et fortassis ajunt illis: Nonne videtis quot ipsi assideamus? quemadmodum ligatus sit? quomodo teneamus illum mancipatum? Cur abstrahitis a nobis nostram operam? Quid solvitis nostram exspectationem? Hic etiamnum nobis superest, & nos illo priva- E re vultis? Si ipse solvatur a vinculis, nos ejus loco vinciemur. Terrebantur itaque scelesti dæmones, pullum cernentes solutum: conturbabantur in sese adversariæ potestates, quæ nos in captivitatem redegerant. At quando advenit Dominus noster Jesus Christus, ejusque præsentiam agnovere, reformidabant, cum audissent eum hæc Discipulis loquentem: *Ecce* *Luc. 10. 19.* *dedi vobis potestatem calcandi, supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici*. Pertimescebant his auditis: *Profecti docete omnes gen-* *Mat. 28. 19.* *tes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &* F *Spiritus sancti*. Metuebant ne ille esset qui tenebras illustraret: audierant enim Prophetam dicentem: *Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris* *Esai. 9. 1. & 2.* *vidit lucem magnam*. Omnes itaque circa pullum hiabant, omnes circa ipsum sedebant, nemo ab illo abscedit. Talis iste pullus est, ut omnes ejus domini custodiant illum. Si sensibilis esset, num domini assiderent illi? Num asellus sensibilis multorum dominorum est possessio? num omnes ejus domini assident ipsi, ita ut nullus negotia obeat, nullus in foro ambulet, nihil aliud operis habeant, sed una omnes circa ipsum occupentur? Num asellus sensibilis in bivio alligatur, diversorio præsepioque caret, in agrum non pro-

cedit? sed sensibilis pullus in bivio alligatur, omnesque domini ejus assident ipsi, observantque illum. Hęc cum dico historiam non aufero: nequaquam enim litteram ob spiritum auferimus; sed Spiritus vim servamus per litteram.

6. Revera sensibili asello insedit Dominus, Bethania Jerosolymam profectus: ita enim prophetavit Zacharias (Zach. 9. 9.): *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinum & pullum filium subjugalis.* Salva igitur historiæ fide, perscrutor ea quæ in illa defossa sunt: perquirimus repositum nobis thesaurum: perquirimus Spiritus vim. Non enim nudę historię adtendimus, Judæorum est ejusmodi stultitia. Certe Dominus noster Jesus Christus eorum coarguens amentiam, ait (Joan. 5. 39.): *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis habere vitam æternam.* Sed Judæi nudæ litteræ adhærentes, fame consumti sunt. Gnari itaque nos, fratres, litteram occidere, Spiritum autem vivificare; non modo historiam Scripturarum sequamur, neque, ut Judæi, nudæ litteræ adhærescamus; sed, ut scriptum est, scrutemur Scripturas, ut ita earum de Jesu Christo testimonia animo colligere valeamus. Ridebunt sane Græci, objectantes nobis, Deum Christianorum, qui Christus nuncupatur, asello insedisse. Sed nos neque in dubio versamur, neque negamus ejus in carne adventum. Ideo enim corporaliter peregrinatus est, ut id quod perierat perquirendo reperiret, & quod errabat reduceret. Ita enim per Prophetam denuntiavit (Jerem. 3. 22.): *Revertimini filii revertentes, & ego sanabo contritiones vestras.* Non abs re igitur hæc significantur in divinis Scripturis, dilecti. Magnus hic pullus est qui alibi, *filius junior* vocatur. Nam pullus, juvenis est asinus. Nos itaque, id est, humana natura, pullus sumus. Hominem quippe, domini ejus, qui prius in captivitatem illum redegerant, insolubilibus vinculis constrinxerant, quorum singuli vincula vinculis adjecerant, atque magna illum solicitudine observabant, ita ut etiam (arbitror) pedes ejus alligarent, nec sinerent eum ad meliora progredi. Sed Filius Dei, hominum amantissimus, qui illius causa peregrinatus est, Discipulis suis præcipit hisce verbis: *Profecti in pagum e regione situm, invenietis pullum alligatum, solventes adducite mihi.* (Matth. 21. 2.)

7. Multa itaque nobis bona præstitit Dominus, dilecti: non modo quippe solvit vincula peccatorum nostrorum; sed etiam potestatem nobis dedit calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici. Erat enim diabolus & principes mundi tenebrarum harum, qui nos captivos fecerant, colligarantque insolubilibus vinculis, nec sinebant procedere aut in via bona progredi. Neque tamen a nobis hoc in statu positis abscedebant; verum in vinculis nos detinentes circa nos sedebant, crudeles sane & efferati domini. Sed Dominus & Salvator noster Jesus Christus, peregrinatus est ut prædicaret captivis remissionem, & cæcis visus restitutionem. Revera Discipulos suos mittit, qui pullum solvunt. Dehinc soluto illo, præsepe ædificat, & pabulum parat. Hoc cum Propheta declarare vellet, ait: *Dominus pascit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.* (Psalm. 22. 1.) Et rursum: *Qui producit jumentis fœnum, & herbam servituti hominum.* (Psal. 103. 14.) Conversi igitur deinceps sensibiliores reddamur, & agnoscamus benefactorem, & bona quibus ab ipso donamur, alacriter accipiamus. Ita enim gratias agentes possumus cum Davide dicere: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* (Psal. 22. 4.) Tale quippe est illud: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* (Esai. 1. 3.) Et fortassis ob istum pullum Dominus in præsepio reclinatur. Annon Joseph locum habuerit, vir ille nobilis, & ex regia stirpe oriundus, qui filius David nuncupatur? (Matth. 1. 20.) An locum alium non habuit, quam diversorium? nullusne alius fuit locus? Nimirum vere divina hic negotia geruntur. Sane jam iterum adversarius noster diabolus, cernens res bene gestas in gratiam humani generis, de more invidet ipsi: ratus enim e vulgo aliquem esse Dominum, Herodem adornat, qui natum verum Regem pervestigaret, ut ipsum perderet. Proprium quippe scelestissimi & nefarii illius est perdere & occidere: Jesu vero proprium est servare atque tueri; suas quippe miseratur creaturas, siquidem omnia per ipsum facta sunt. Quæramus igitur verum Regem Dominum nostrum Jesum Christum: nosque ipsos examinemus, num soluta sint vincula nostra. Quod si soluta sunt, in melius proficiamus: si nondum soluta sunt vincula tua, trade te ipsum Discipulis Jesu. Adsunt enim qui nos solvant, accepta ea a Salvatore potestate: *Quodcumque ligaveritis super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveritis super terram erit solutum & in cælis.* (Matth. 16. 19.) Et: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* (Joan. 20. 23.) *Beati* igitur *quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata.* (Psal. 31. 1.)

8. Dixerunt igitur domini pulli illius ad Discipulos: *Cur solvitis pullum?* Responderunt illi: *Quia Dominus illo opus habet.* (Luc. 19. 33.) Vides sapientem Discipulorum responsionem: audientes enim falsi Domini istius pulli, quod verus Dominus eo opus haberet, nihil secundo reponunt; sed terga dantes, nihil ultra repugnare audent. Statim itaque festinant ad principem suum diabolum, cui quæ gesta essent renuntiant. Atque hic mihi, quæso, vide consilium & deliberationem adversus Dominum. Coguntur ibi universæ adversariæ potestates, efficiturque ecclesia malignantium: ut impleretur quod dictum est per Prophetam: *Adstiterunt Reges terræ & principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus.* (Psalm. 2. 2.) Dicunt enim ad diabolum nefarii dæmones: Quid facimus? pullus solutus est, abiit ad Dominum suum; non jam sub manu tua est, nec ultra illi dominaris. Cogitabat deinde miser diabolus, quid contra Jesum moliretur. Tunc convenerunt Scribæ & Pharisæi in aulam Caiphæ, & consilium inierunt adversus Jesum, quomodo eum perderent. Ignorabant enim miseri, ejus mortem immortalitatem nobis largituram: ejusque descensum, ascensum nobis in cælum conciliasse. Resurrexit enim Dominus tertia die a mortuis, spoliato inferno, calcato inimico, soluta morte, fractis peccatorum, quibus tenebamur, vinculis: vinctosque liberavit dicens: Surgite, hinc proficiscamur. Liberati ergo a servitute diaboli, nostrum agnoscamus benefactorem: glorificemus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: unam Deitatem confiteamur. Sic enim vitam instituentes, Regnum cælorum possidebimus in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum, amen.

IN HOMILIAM DE PASSIONE ET CRUCE DOMINI ADMONITIO.

Dubitarunt jamdiu viri eruditissimi sit ne Athanasii hæc Homilia, eo maxime permoti, quod hic omne juramenti genus prohibeatur: cum tamen Athanasius, nedum omnino vetandum putarit, juramento non semel utatur in Apologia ad Constantium. Auget suspicionem styli genus humile, demissumque, & ab Athanasii ἐνεργείᾳ remotissimum. Ad hæc explanationes Scripturarum distortæ parumque ad rem pertinentes, &, ut nemo non fateatur, tanto doctore indignæ. Et sane sæpissime φλυαρεῖ Scriptor iste, argumentum subinde mutat. Ne multis, nihil hic advertimus Athanasianum. Quare animus fuerat eam inter spuria ablegare: quia tamen in antiquioribus codicibus, & in Athanasianis collectionibus reperitur, eo nomine inter dubia eam recensemus.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

In Passionem & Crucem Domini.

Matth. 27. 33. 1. Et *venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod* A *est Calvariæ locus: dederuntque ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam:* Psal. 21. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes servabant eum ibi.* Et in sequentia.

Quod jamjam lectum est, Euangelicum est dictum; clarioris autem explicationis causa, operæ pretium erit, ad Sanctos confugere, atque ab illis ejus intelligentiam mutuari. Illos enim plusquam nos Euangeliorum peri- B tos existimare convenit. Verum ne in singulis eorum percurrendis diutius immoremur, unus satis sit Apostolus, qui nos plene hac in re erudiat. Ad Hebræos enim scribit beatus ipse Paulus, impossibile esse mentiri Deum, eumque maxime veracem esse, neque mentiri. Nam opificiorum quidem naturæ id proprium est, ut convertantur & variis mutationibus moveantur; quippe cum non essent aliquando, conditoris sui gratia & humanitate id accepere ut per mutationem exsisterent:
Rom. 4. 17. quemadmodum ait idem Paulus: *Qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Deus contra, qui per Ver- C bum, omnium conditor est & vere exsistit, immutabilem habet cum Verbo suo naturam. Atque illud per
Malach. 3. 6. Prophetam docet his verbis: *Videte, videte, quoniam ego sum, & non mutor.* Quare de hominibus quidem in Psal-
Psalm. 115. 2. mis canitur: *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo men-*
Deuter. 32. 4. *dax:* de Deo autem testatur Moyses in Lege, *Deus fidelis & verax.*

2. Vir igitur ille Christum gerens, quasi ex utrisque eruditus, Dei & ipse cum creaturis discrimen expo-
Rom. 3. 4. nens, ita scribit: *Sit vero Deus, verax, omnis autem homo mendax.* Verus porro est Deus; non quia non mentitur, nihil quippe ipsi adversatur; neque quia, quemadmo- D dum homo, alteri veritatem testificatur; nulli enim
Quid sit Dei veracitas. obnoxius est; sed quod ipsam veritatem genuerit, pa-
Joan. 14. 6. terque sit Domini, qui ait: *Ego sum veritas*: veritati porro numquam mendacium amicum fuerit. Unde ve-
Psal. 30. 24. ritatem quidem, juxta Psalmistam, requirit Dominus, mendacium vero abs se rejicit, alienumque sibi facit,
Psal. 17. 46. bis verbis: *Filii alieni mentiti sunt mihi.* Mentiti quippe sunt Judæi contra Salvatorem, & cum se legem servare profiterentur, nequaquam vere dixere; sed injuste cum illo egere qui eam dederat, cum pro data gratia mortem Domino machinabantur. Merito igitur rejecti sunt, & quam Domino mortem mendaciis suis induxerunt, eamdem sibi ipsi adtraxere: quemadmodum Ananias & Sapphira in Actibus Apostolorum: qui cum vota Deo fecissent, ex votis suis detraxere: quæ res cum lateret aliis, ipsos veritatis minister Petrus his verbis repulit: *Non mentitus es hominibus, sed Deo.* Act. 5. 4.
Qua in re magnum fuit miraculum: ubi quod solus norat Petrus, id Ananiæ morte omnibus palam fecit; ita ut nemo non vereretur, nullus Sapphiræ exemplum non metueret.

3. Scire etenim neque ignorare debemus, ea quæ Deo pollicemur, non ad nos ultra, sed ad Deum pertinere. Quod si quid inde detrahamus, nequa- Vota Domino reddenda.
quam nostra sumimus; sed quæ Dei sunt quasi expilamus. Promissio porro non ad pecunias solum, sed etiam ad verba, ad propositumque pertingit. Non enim quisquis divitiis, is proposito pauper est. Certe vere magnum illud, divinumque mysterium nostrum, non in pecuniis habet promissionem, sed in perfecto proposito & fide erga Deum. Omnes sane promittimus, omnes voti debitores sumus; ita ut necessum sit servare virginem virginitatem, qualem promisit; continentem, continentiam; conjugatos, pudicitiam, mutuum amorem, honoremque: demum omnes fidem & reverentiam erga Deum, justitiam & fortitudinem; ne nos utpote ingratos perfidosque, Ananiæ & Sapphiræ exemplum apprehendat. Hujus enim rei præcavendæ gratia Apostolicus firmatur sermo:
Reddite omnibus debita: cui vectigal, vectigal: cui ti- Rom. 13. 7.
morem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut vos mutuo diligatis. Hoc præstitit ipse qui ista prædicavit. Atque ideo hæc fidenter de sese prædicat: *Bonum certamen certavi, cursum* 2. Tim. 4. 7.
consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex. Non enim mendax in promissis, sed servans ea quæ Deo pollicitus erat, a vero & ipse Deo obtinuit non caducam promissionem.

4. Atque hinc est quod nobis suadet: *Ne mentiami-* Coloss. 3. 9.
ni invicem. Et rursum: *Omne mendacium ex ore vestro* Ephes. 4. 29.
non procedat. Vult enim nos sui imitatores esse cum
ait: *Veritatem dico, non mentior.* Maxime cum illud 1. Tim. 2. 7.
sit Euangelicum dictum, ut sit nostrum, ita, ita; non, non. Hucusque qui vere Christi sunt firment sermones suos, nec ultra progressi ad juramenta proceda-

cedamus; ut pecuniarum corruptibilium causa, Deo in testem adhibito juremus, cum maxime jubeat Exod. 20. 7. Moyses: *Non accipies nomen Domini Dei tui frustra*. Nam si quis plane dignus est qui Deum nominet, is etiam citra juramentum fide dignus est. Qui enim ad majora idoneus fuerit, multo magis ad minora idoneus erit. Quod si fide dignus non est absque juramento; non est ergo dignus qui nomen Domini pronuntiet, nec est in verbis suis fide dignus. Quomodo enim juranti testis aderit Deus, si fidem non habet, in quam Deus respicit? Testis est ejus Sapientia, quæ Sap. 1. 4. ait: *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet dolum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu: nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Quare Dominus Matth. 9. 28. noster Jesus Christus ab invocantibus se, primo fidem postulat, sic cæco ait: Credis quod hoc possim tibi facere: lunatico autem ait; Si credas fiet. Id autem Salvator postulat, non quod aliorum egeat ministerio: ipsa quippe fidei Dominus & suppeditator est; sed ne videatur personis gratificari, & quod credentibus annuat: neve si citra fidem beneficia recipiant, infidelitate ipsa amittant. Vult enim quam largitur gratiam, permanere, & cum sanat, numquam amitti curationem. Cavere jussit igitur paralyticum his verbis: *Ecce* Joan. 5. 14. *sanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi quid deterius contingat*. Ac veluti si quis medicus ad ægrotos ingressus, sciscitatus primum fuerit, an velint curari; ne curante sese, illisque nolentibus, inutilis fiat curatio, adversantibus ægrotis medici arti; ita quoque Dominus ex sanandis percontatus est, & credentibus gratificatus est, ut per fidem, gratiam obtinere possent. Indicium enim propositi animæ, fides est.

5. Quid itaque Deum testem advocant, qui revera fidem non habent? Spiritus in Psalmis testatur: *Pro-* Psal. 144. 18. *pe est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*, per quam solam Deus potest invocari. Quid itaque est quod in Deum jurent, qui ne in parvis quidem rebus fidem habent? cum alioqui juramentum veritatis sit testis, non index negotiorum. Jurant enim homines non quo res significent, sed quo veritatem adfirment, & ut sese non mentiri testificentur. Si itaque juranti inest fides atque veritas, quid opus juramento? Quod si fides & veritas juranti adsit, cur tantam admittimus impietatem, ut humanarum mortaliumque rerum causa, Deum, qui supra homines est, testem advocemus? Nam si nefas est terrenum Regem, ad exteriora tribunalia testem advocare, utpote qui & accusatoribus & judicibus sit præstantior, cur non-factum ad res factas advocamus, Deumque ab hominibus despectui haberi curamus? Apage. Id omnem superat iniquitatem audaciamque. Quid igitur agendum? Nihil aliud sane, quam ut sit nostrum, Ita, ita: non, non. Et nullo modo mentiamur. Nam si ita veraces simus, veracem hac in re Deum imitari videbimur.

6. Aliquis fortassis erit, qui hisce verosimiliter sic contradicat: Si jusjurandum vetitum hominibus est, & si abstinendo a juramento quis Deum imitatur; quid est quod Deus in divinis Scripturis jurare dicatur? Nam Abrahamo juravit, ut testificatur Moyses Gen. 22. 16. & in Hymnis scriptum est: *Juravit Dominus & non* Psal. 109. 4. *pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*. Videntur enim ista aut cum superioribus pugnare, aut isthinc homines ad juramenta assuefieri. Sed non ita se res habet: ne quisquam ita existimet. Deus enim per neminem jurat. Qui id fieri potest, cum sit Dominus & conditor omnium? Sed si vere dicatur, verbum, ast juramentum illius, quod audientes certiores facit, omnibus fidem præbens, ea quæ promittit & loquitur, prorsus futura esse. Non A enim velut homo jurat Deus, sed nobis ejus verbum pro juramento est ad veritatem. Cum autem loquitur hominibus, jurare dicitur: qua in re humano more loquuntur Sancti. Ut ex quibus ipsi, dum loquuntur, fidem postulant, ex iisdem loquenti Deo credant. Ut namque hominum sermonem firmat juramentum; ita quæ loquitur Deus pro juramento habenda sunt, ob firmitatem immutabilitatemque consilii ejus. Testatur id quod dictum est, ipsum in Scriptura traditum juramentum. *Juravit* enim *Dominus & non pœnitebit* Psalm. 109. 4. *eum*, quod nimirum juramentum illud sine pœnitentia sit, & prorsus futurum secundum promissionem. Hoc B ipse Deus in Genesi indicat his verbis: *Per memetipsum* Gen. 22. 16. *juravi*. Illud autem nequaquam juramentum est. Neque enim per alium juravit, quod proprium est juramenti; sed per seipsum, quod juramenti suspicionem removet, & quo significat promissionis firmitatem, & indicat, eum qui audierit plane credere debere. Testis sit eorum quæ diximus Psalmista, qui Deo inter psallendum memoriam revocat promissorum his verbis: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas ju-* Psal. 88. 50. *rasti Davidi in veritate tua*. Nequaquam per veritatem jurat Deus: sed quæ ille veraciter loquitur, pro juramento sunt hominibus ad fidem. C Deus itaque, non velut homines, jurat, neque hinc nobis juramento assuescendum: sed tales nos loquendo agendoque exhibeamus, ut auditores non egeant juramento nostro; sed dicta nostra ex sese veritatis testimonium habeant. Hac enim in re plane Deum imitabimur.

7. At fortassis quispiam de rebus apud Ninivitas gestis ita percontetur: Si sermo, Dei juramentum est, quod veraciter loquatur & non mentiatur, quare cum dixisset: *Adhuc tres dies & Ninive subverte-* Jon. 3. 4. *tur*, sermonem non implevit? Videntur enim isthæc pugnare cum præcedentibus. At non mentitur D Deus, absit: neque verbum ejus umquam completum non est. Suo enim erga homines amore iram mitigavit, magisque ad pœnitentiam Ninivitarum respexit, quam ad præcedens peccatum. Neque tale Dei Verbum erat, quasi post triduum subvertenda esset Niniva: sed tribus, ajebat, vos diebus sustinebo; ut dilatione triduana, facultas esset pœnitendi, aut subsequentem postea iram eligendi. Quid namque ait Propheta? *Adhuc tres dies & Ninive subvertetur*. Jon. 3. 4. Non ait: Post triduum subvertetur; si enim ita dixisset, ita omnino factum fuisset: sed, adhuc tres dies, & subvertetur: ut cum diceret, *adhuc*, tolerantiam E Dei intelligeremus; in subversione autem, iram quæ post tolerantiam futura erat, nisi resipiscerent. Nisi enim ita se res habuisset, & si non, ut homines pœnitentiam agerent, ad tres distulit dies, quid Deum cohibebat, quin statim Niniven destrueret? An imbecillitas? Apage, id ne in mentem quidem nostram veniat. Dominus enim virtutum, & fortis & potens est Deus. An ignorantia istarum rerum in causa fuit? nec quidquam ejusmodi dicatur: Dan. 13. 42. novit enim omnia antequam fiant. Quid itaque cogitandum restat, nisi longanimitatem & benignitatem Domini? quam cum nosset Propheta; primo, missus F aufugit; secundo, pro defensione dixit: *O Domi-* Jon. 4. 2. *ne, nonne hæc sunt verba mea, cum adhuc essem in terra mea? Propterea præoccupavi ne fugerem in Tharsis, quia sciebam, quod tu sis clemens & misericors, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitias*. Fugit vero Jonas, non quod repugnaret Deo; dolebatque, non quod lætaretur de Ninivitarum exitio; sed id agebat, quod Ninivitarum sollicitudinem gereret. Metuebat enim ne incertum ejus sermonem existimarent, atque ita deinceps inciperent Prophetis non credere, sed fide carere videretur propheticus sermo. Ideo videlicet contristaba-

stabatur, ut a Domino convinceretur: atque sic omnibus Ninivitis palam fieret, non quod mentiretur propheta; sed ob Dei benignitatem, veniam Ninivitis fuisse concessam. Norat enim in verbo, *adhuc*, Dei longanimitatem significari. Et hic mos est divinæ Scripturæ, ut cum suam longanimitatem Deus indicare voluerit, per vocem, *adhuc*, eam declaret, ut cum per Esaiam dicit: *Quid adhuc faciam vineæ meæ, & non feci?* Per Jeremiam vero: *Ideo adhuc contendam vobiscum in judicio, dicit Dominus*. Verbo autem, *adhuc*, suam ostendit bonitatem & tolerantiam. Ait enim: *Peragrate insulas Chetim, & in Cedar mittite, & videte*. Nisi itaque longanimiter agere vellet, monita non daret illis, ut peragrando ediscerent ex contrariis, boni comparationem discrimenque. Certe ubi jam non ulterius longanimitatem, sed iram singulorum opera provocant; demum sententiam profert his verbis: *Non ultra feram peccata vestra*. Illo autem verbo, *non ultra*, palam significat, suam erga Ninivitas longanimitatem, voce, *adhuc*, declaratam: necnon verbi sui veritatem. Impossibile quippe erat, non vere dicere Deum dum quidpiam diceret, aut solum dum quidpiam vellet. Quare cum Abrahamo pollicitus esset, nequaquam mentitus est, sed filium donavit illi, populumque eduxit ex Ægypto per oraculorum annuntiatorem Moysen: Isaaco etiam certam promissionem denunciavit, duorumque populorum patrem effecit illum: Jacobo, uti promiserat, Josephum exhibuit: Moysi fidelissimo verborum suorum fidem dedit, per ea quæ Pharaoni contigere: Davidi cum pollicitus esset, promissionem implevit per Salomonem: loquor autem de Templi exstructione.

Esai. 5. 4. — Jerem. 2. 9. — Jer. 2. 10.

8. Ecquid mihi multis opus? Nihil eorum quæ pollicetur Deus infectum manet. Etiamsi quis statim animo deficiat, dum ejus inquirit verba: at tempore suo promissionem res consequitur, atque tandem pollicitatio impletur. Ecce enim res jam olim a Domino denuntiatas & jamdiu declaratas, nunc in Euangeliis completas videmus. Prophetavit Esaias, ex nuptiarum experte muliere nasciturum Emmanuelem: ipseque Deus apparens ex Maria Virgine genitus, Prophetæ sermonem complevit. Michæas ipsum locum ante designarat, in quo nasciturus Christus esset; ipseque Dominus Bethlehem in præsepe repositus, Prophetam vere dixisse declaravit. Zacharias Jerosolymæ ingressum Salvatoris prænuntiavit: ipse Dominus asinum quæsitum mittens, atque illo vectus ingrediens, prophetiam implevit. In summa, ne singula quæ scripta sunt recenseam; ipse plenitudo legis & Prophetarum effectus est. Nam quæ per eos prænuntiarat, ea præsens ipse complebat, ajebatque: *Ego ipse qui loquor, adsum*. En itaque quæ olim de Salvatore in Psalmis prædicata sunt, hæc jam militum ausu complentur. Quæ enim passurum ipsum prænuntiavit, hæc jam Judæorum populi perficiunt, dividentes vestimenta Salvatoris, & potantes eum aceto atque felle. *Hæc enim*, inquit, *facta sunt, ut implerentur Scripturæ*: quarum altera dicit: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*: altera vero: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*.

Esai. 52. 6. — Mat. 27. 35. — Psal. 21. 19. — Psal. 68. 22.

An prophetæ causa sint futurorum.

9. Multi qui Euangelia legunt, audientes illud: *Ut impleretur quod scriptum est*, arbitrati sunt, ea quæ gesta sunt, nulla alia de causa fieri, quam ut Scripturæ implerentur: atque exinde æstimarunt, eos qui ista facerent, non modo inculpatos esse; sed potius laude dignos, quod non peccando, sed Scripturis ministrando, talia perpetrarent: neque enim vera fuisse Prophetarum verba, nisi acta sua subsequuta fuissent. Quod illi maxime opinati sunt ex his Euangelii secundum Joannem dictis, ubi cum Judæorum enarrat incredulitatem, ex Esaiæ prophetia sic ait: *Cum tot signa coram eis fecisset, non crediderunt: ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?* Si enim ideo non crediderunt Judæi, ut Esaiæ sermo impleretur; non illi incredulitatis suæ causa sunt, sed qui ista dixerat, unde factum est ut hæc complerentur. Tolle, inquient, Prophetæ verbum, & plane futurum est ut illi credant. Sed hæc ejusmodique sententia a veritate multum aberrat: nam neque Propheta in causa illis est, neque Judæi culpa incredulitatis sunt liberi. Sed Propheta, prospiciens quæ facturi essent, ea prænuntiavit: ipsi vero deinde, ea perpetrantes, declaraverunt verum fuisse Prophetæ sermonem: nec quasi propheticis sermonibus ministrarent, hæc contra Christum sunt ausi: sed sua sponte, suopte proposito ea facinora admisere; ita ut nequaquam illis in causa fuerit Propheta, sed sua ipsorum voluntas; imo ipsi potius Prophetæ in causa fuerunt, ut talia de ipsis prænuntiaret. Nam Prophetæ quidem proprium est futura videre, neque hallucinari: operum autem quisque suorum voluntatem causam habet. Et quemadmodum nos, ea quæ in conspectu sunt videntes, nequaquam fallimur, neque nos alio modo videmus quam fiant, neque alio modo fiunt, quam nos videamus; sed ut fiunt, videmus, & ut videmus fiunt; eo quoque modo Prophetæ futura, tamquam præsentia, videbant: necessumque erat ut fierent ea quæ ipsi viderent, & vicissim, ut viderent ipsi quæ futura essent. Et rursum, quemadmodum quæ oculis videmus, necesse prorsus est ut exsistant, nam quæ fiunt videmus, neque alio possunt esse modo quam nos videamus; sic & quæ Prophetæ prospiciebant, necesse prorsus erat ut fierent, neque alio modo quam ipsi prævidissent. Siquidem nisi futura prævidissent, nequaquam Prophetæ fuissent. Et sciendum prorsus est, Prophetas, non legum esse magistros; ut ea solum quæ illi jubent, perficiantur; sed futurorum esse prænuntiatores. Non enim quia dicunt, res eveniunt, sed quia eventuræ erant, ideo illi prænunciant, necessumque est non mentiri Prophetas, cum vere res ut sunt videant. Si namque Prophetæ non prænuntiassent, nihilominus Judæorum fuisset propositum talia perpetrandi. Atque in summa Sancti, nequaquam verbis suis necessitatem inducunt, ut res eveniant; sed cum prævideant eorum propositum qui acturi sunt, id significant. At sicut objecere illi refragatores: Tolle Prophetæ sermonem, & plane credent Judæi; ita dixerim ego: Tolle Judæorum acta, & nequaquam talia de illis prophetaverit Esaias.

Joan. 12. 37. — Esai. 53. 1.

10. Si itaque dixerit Joannes: *Non crediderunt in illum Judæi, ut impleretur sermo Esaiæ*; ne Prophetæ sermoni imputes eorum incredulitatem, sed ipsorum Judæorum facinori. Nam quæ jam illi perpetrabant, hæc jamdiu præviderat Propheta: necesseque fuit illum non mentiri, ut palam foret, eum illa vere prævidisse quæ jam gesta sunt. Ut namque sermo illius verus apud posteros videretur, deprehensi sunt increduli, etiamsi latere curarent. Erant enim illi proposito suo improbi; cum autem suam occultarent incredulitatem, sermo iste adfuit qui eos coargueret. Ideone igitur non crediderunt, quod sermo iste latere volentes illos coarguerit? Quod si rursum dicat quispiam: Non poterant Judæi credere, quia hæc de illis scripta erant; impossibilitatem, agentium voluntati ne tribueris. Poterant enim mutare sententiam, sed impossibile erat mentiri Prophetam. Cum enim revera vidisset, fieri nequibat ut hallucinaretur. Non alio enim modo rem vidit, quam quo

Joan. 12. 37.

gesta est: atque illi increduli deprehensi sont. Eadem ratione illud in Virgine miraculum impletum est, & quod a Joanne narratur, hodie contigit: omnia item quæcumque scripta sunt impleta fuere. Non enim ideo evenere quia scripta sunt; sed quia evenere, ideo prænuntiata fuerant. Sic jam de vestimentorum divisione actum est: & prout actum est, ita prævisum fuerat: & ut prius significatum prænuntiatumque fuit, ita completum gestumque est. Scriptum autem est ita:
Mat. 27. 37. *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam; Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Matthæus certe cum reliquis Euangelistis simplicius factam divisionem ait; Joannes vero, modum divisionis, causamque missæ sor-
Joan. 19. 23. tis declarat his verbis: *Milites igitur cum crucifixissent Jesum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem. Tunicam vero, quia erat inconsutilis desuper contexta per totum, dixerunt ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus erit: ut impleretur Scriptura: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

11. Fortassis jam quispiam erit qui his auditis erubescat fortassis quidem erit, qui Dominum cernens illusum, abductum, cæsum, pudore adficiatur: fortassis jam aliquis videns Dominum, Salvatorem & Regem universi, a Pilato judicatum, & crucifixum a Judæis, pudore adficiatur, oculosque demittat. Nam neque sol tulit hoc spectaculum, sed obscuratus totus est, ut aliorum oculos averteret: nec curavit ultra præceptum illuminandi homines; sed tum prævaricari ausus est, cum videret Dominum, qui sibi hoc mandatum dedisset, ab hominibus cruciari. Sed si caussam ediscamus cur ita excruciatus sit, non ultra erubescemus, sed mirabimur bonitatem humanitatemque illius; glorificabimur & ipsi, quemadmodum Paulus, in Cruce: quia non ipse Dominus propter sese, sed nos in ipso patiebamur. * Permagnum quippe erat hominum peccatum, hujusmodique malum, totum orbem præoccuparat: quod magnum quidem jamdiu erat, paulatim vero auctum, ac hominibus intolerandum evaserat. Siquidem peccati regnum in omnes & contra omnes invaluerat. Dominus autem noster immortalis & incorruptibilis est: atque ut immortalis & incorruptibilis, ita bonus humanusque. Boni namque Patris bonum Verbum exsistit: quare non tulit ut opificium suum periret: neque sustinuit, ut operum suorum alter esset Dominus: sed intolerandam videns malitiam, mortaleque genus non valere morti obsistere, neque posse pœnam suorum malorum persolvere: nam malitiæ excessus omne supplicium superabat; videns item Patris sui bonitatem, suamque potentiam
1. Cor. 1. 24. & virtutem: *Christus* enim *Dei virtus & Dei sapientia;* commotus fuit suo erga homines amore, miseratusque nostram infirmitatem, eamdem induit. Ipse e-
Esai. 53. 4. nim, ut ait Propheta, infirmitates nostras tulit, & morbos gestavit. Miseratus item nostram mortalita-
Philip. 2. 8. tem, eadem amictus est. Ait enim Paulus: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Cum videret item nos non ad solutionem supplicii
Galat. 3. 13. sufficere, suscepit illam: *Christus enim factus est pro nobis maledictum.* Atque sic humanis circumamictus indutusque, per sese quæ nostra erant Patri obtulit; ut quasi ipse pateretur, hominem patientem illæsum redderet, & parva magnis commutaret. Descendit enim, ut nobis adscensum præpararet: nativitatem expertus est, ut nos per eum ingenito amici essemus: infirmatus propter nos est, ut nos excitaremur in virtute, & diceremus, quemadmodum Paulus: *Omnia possum in eo qui me confortat Jesu Christo.* Philip. 4. 13. Sumsit corpus corruptibile, ut corruptibile indueret incorruptionem: induit mortale, ut mortale indueret immortalitatem. Demum factus est homo & mortuus est, ut nos, qui utpote homines moriebamur, deificaremur, neque mortis regnum ultra sustineremus. Mors enim nobis non dominatur, ut Apostolicus sermo prædicat, propterea crucifixus est, ut maledictum redimeret, & nos benedictionem hæreditate acciperemus. Ipse namque cum pateretur, nullatenus lædebatur; imo potius dona largiebatur: & moriens, mortuus non remansit, sed potius mortuos vivificabat: nec immolatus periit, sed immolationis suæ sanguine omnes prorsus liberavit, ipseque mansit impatibilis.

12. Quomodo autem id factum sit si quis quærat, audiat. Duarum in eo rerum concursus fuit; rerum, inquam, non æqualium, sed quæ nullo modo comparari possent. Mortale quippe immortali complicabatur, & corruptibile corpus incorruptibili Verbo cohæsit. Neque tamen id, quod mortale erat, læsit illud quod immortale: impassibile quippe erat: morteque victa, magis impassibile remansit: nam ea quæ vincunt, victis semper dominantur. Itaque ob conjunctum immortale Verbum, mors in ipso admirabili quodam modo, quasi stipula a facie ignis evanescebat. Verbum porro cum incorruptibile esset, sua conjunctione id quod corruptibile erat adjuvabat: tenebræ enim a lumine illustrantur, & quod minus est, a majore benedicitur. Quapropter jam a carnificibus exuitur pelliceas vestes, quibus in Adamo induti sumus, ut earum loco Christum induere possimus. Eadem item de causa, vestimenta sua dividi patitur, ut nos Verbum indivisibile ex Patre procedens habeamus: nam, *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus.* Joan. 10. 30. Quamobrem in vestem sortem mittunt, quod ille patienter negligit, ut sors & hæreditas nostra sit Christus, ut ait Psalmista: *Dominus pars hæreditatis meæ & Calicis mei.* Psal. 15. 5. Vetus opinio fuit Adamum fuisse in Calvariæ loco sepultum. Quare non alibi patitur, non alio loco cruci affigitur, quam in Calvariæ loco, quem Hebræorum magistri ajunt fuisse Adami sepulchrum: ibi namque illum post maledictionem sepultum fuisse asseverant. Quod si ita se res habet, miror ejus loci proprietatem. Oportuit enim Christum, cum primum Adamum renovare vellet, in eo pati loco, ut ejus abolito peccato, ab universo illud hominum genere auferret: & cum audisset Adam: *Terra es, & in terram reverteris,* Genes. 3. 19. ideo illic reponeretur, ut ibidem Adamum inveniens, maledictum solveret. & loco illius: *Terra es, & in terram reverteris;* jam diceret: *Exsurge qui dormis, & excitare ex mortuis, & illuminabit te Christus:* Ephes. 5. 14. & rursum: *Surge, & veni, sequere me;* ut non ulterius in terra reponaris, sed in cælos adscendas. Necesse quippe est, excitato Salvatore, excitari cum illo Adamum, omnesque ex Adamo oriundos. Atque ut, mortuo Adamo, nos quoque per eum mortui manebamus; ita excitato corpore Dominico, necesse demum est omnes cum illo resurgere. Hæc Pauli sententia est: hæc enim scribit ad Corinthios: *Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* 1. Cor. 15. 22.

13. Quo autem modo illum in Crucem egerint, operæ pretium erit ut ex iis quæ scripta sunt videamus, neque enim ea nobis inutilia fuerint: neque simplici modo in Euangeliis scriptum est. Postquam judicatus esset Dominus; judicatus quippe est, & ante Præsidem stetit. Ne quis eam rem esse pudori arbitretur: nostrum quippe causa id ille passus est, ut ne si quas ille insidias passus sit silentio prætermissum esset, lateret

Ju-

* Permagnum quippe &c. *hæc & sequentia quædam reperiuntur adhuc semel in Basiliensi, Anglicano & Latt. edit. ac & in codice II. nostro sub titulo, de Passione. Fragmentum igitur repertum, per Basiliensem secundum & Anglicanum secundum, signari intellige.* Hæc Felckm. quibus adjicimus, hoc fragmentum haberi in editione Basiliensi anni 1556. pag. 579. & sic inchoari; *Hominum certe peccata.*

Judæorum conspiratio; sed ut ex judicio manifesta foret insidiantium calumnia. Si enim judicatus non fuisset Salvator, sub dubia incertaque suspicione latuisset Judæorum adversus eum invidia; cum autem judicatus sit, id nemini latere potest. Et quidem Pilatus ipse Salvatoris innocentiam puritatemque testatus est, Judæorumque insidias aperuit. *Mat. 27. 18.* *Sciebat enim*, inquit, *quod per invidiam tradidissent illum*. Nec cognovisset Pilatus Judæorum invidiam, nisi Salvator ad judicium stetisset. Rem magnam mirabilemque Salvator præstitit, qui tacendo, nec respondendo, eo judicem compulit, ut conspirationem declararet, & fateretur sese turbis magis quam justitiæ obtemperasse. Qui si Pilato respondisset, suspicio fuisset eum formidine mortis corripi; cum tacuerit autem, admirabilis prorsus ejus constantia & fortitudo. Quod autem ita eum Pilatus defenderet, nihil aliud id erat quam quod crederet eum qui in judicio stabat esse Deum. Et sane cum a Pilato judicaretur, ejus uxori oraculum edidit: ut silentio quidem, ejus fortitudinem stuperet; oraculo autem agnosceret, se non hominem, sed Deum judicare. Timuit igitur judex reum, imo magis ipse judicati terrore judicabatur, quam ipse judicans Dominum perterreret. *Mat. 27. 24.* Quare manus abluit, aitque: *Innocens ego sum ab hoc sanguine:* etsi postea Judæorum gratia permotus, ipsis sese insidiantibus adjecit; ita ut ad Crucem illum traderet. Traditur ergo Salvator, atque traditus mortem non perhorruit; imo potius sese nudavit cum illa congressurus, ac fugientem persequutus est serpentem. Non enim quasi moriens sese habuit Dominus; imo potius quasi mortem ad idipsum persequens.

14. Porro hic infelix diabolus, conspecto hoc in Pilato miraculo, quod ipse Judex plus expavesceret quam judicatus, animadversaque Domini in sese exuendo fiducia, nihil non tentatum reliquit, ut nosset id quod prius nosse non potuit, ubi illum in Monte tentavit, ut edisceret, an hic esset Filius Dei. Tunc pudefactus, mortis tempus observabat, ratus se in qua re sibi omnes subegerat, morte scilicet; in eadem se posse hunc etiam tentare. *Luc. 4. 13.* Scriptum quippe est apud Lucam, diabolum cum complesset omnem tentationem, ab eo ad tempus abscessisse. Hoc autem ipsum tempus est quo sese adversarius norat ab omnibus conculcandum esse, si jam excideret: nullum enim illi aliud, omnibus destituto, supererat certamen. Quare nihil non agebat, ut edisceret an hic Salvator esset: quod ideo ille agebat, ut si re vera edisceret quis esset, accedere non auderet, gnarus inaccessæ illius ac divinæ potestatis. Dominus autem videns ejus vafritiem, sciensque illum non honoris causa, sed ut homines in servitute retineret illud observare, quo in omnes tyrannidem exerceret, suam ipsius Deitatem occultavit, & ut homo sese gessit: ne ille se ut Deum adtingere non ausus, abiret illæsus: sed contra cum homine quem despiceret, congressus, ab hominibus deinceps inciperet illudi. Et quemadmodum si quis cernens adversarium suum perterritum aufugere, exinde infirmitatem simulaverit, qua eum ad pugnam pertrahat: tumque ille qui fugit ad simulatam respiciens infirmitatem, cum confidentia accesserit, & generosus ille athleta qui infirmitate illa provocarat, sua virtute superaverit; ita & Dominus, humana provocans infirmitate, sua virtute vires homini addidit contra inimicum. Quare imminente morte, cœpit pavere & anxius esse, rogabatque ut transiret calix ille, *Matth. 26. 41.* atque clamabat: *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma;* ut adversarius noster ad ipsum ut hominem accedens, divinam experiretur virtutem.

15. His igitur adductus miser ille, illusus est, atque ad Dominum accessit. Hinc conspecta ejus fortitudine, exhorruit: visa deinde corporis ejus infirmitate, audaciam resumsit: ac deinde videre erat diabolum quidem cum toto suo exercitu, cum principatibus, cum potestatibus suis fugere; Dominum vero, humanis armis diabolicam turmam insequi. Non multo quippe hinc temporis spatio, inimicum omnibus spoliavit, quando demum pudore adfectus per sese omnia movit contra Dominum; Judæos scilicet ut conspirationem struerent, Pilatum ut damnaret, milites ut ipsi illuderent, ignarus se ea omnia adversum sese moliri. Nam cæca res est malitia, & improvida res est improbitas, ut quę non intelligeret se suas contra se manus acuere. Quemadmodum enim si quis serpentem manu sua apprehenderit, & voluerit alteri projicere, ipseque mordeatur: aut igne manu correpto velit inimico nocere, ignoretque sese comburi; ita malitia adversus eos dimicat, qui illa utuntur, magisque illos lædit quibus inest, quam eos adversum quos eam immittunt. Sic Pharao capere dum vellet, captus est, & exorsus persequi, persequutionem passus est, & dum necem aliis moliretur, submersus est. Ita & Goliath, quibus gloriabatur, iis detruncatus est, & spoliare parans, spoliatus est. Idipsum misero evenit diabolo, qui dum tentare vellet, in malum incidit: dum milites commovere cuperet, magis ipse in carnificibus commotus omnia contra sese agebat. Nam etiam tum cum spoliaretur, latebat hominibus victoria; quam ipse infelix, invitus licet, in lucem protulit: cum enim exueretur Dominus, trophæumque adversus diabolum invisibiliter erigeretur; ut palam id fieret, statim induerunt illum, ut Joannes ait, purpura; ut Matthæus & Marcus, chlamyde coccinea, capiti ejus coronam ex spinis imposuerunt, arundinem in manum tradiderunt, & cum ita producerent, genua flectebant ante illum.

16. Miraculum novum & incredibile magnęque victoriæ plane argumentum! quem enim ut hominem condemnaverant, hunc exinde morientem ut Deum adorabant: & quem aspernabantur, quasi nullius pretii hominem, hunc Regem confitebantur; a quo vilia abstulerant vestimenta, eum purpura circumdabant: quem ignari contumeliis afficiebant, eum Prophetam licet inviti appellabant: quem cum ludibrio cędebant, ei victoriæ indicia tradebant, chlamydem coccineam, coronam de spinis, & arundinem. Nam licet ea per contumeliam agerent: at ignorabant se etiam invitos ab ipso spoliari. Cum enim peccato terra a diabolo cruentata, & sanguine plusquam aquis imbuta esset, quod ab initio sanguinem Abelis hiatu suo recepisset, ac deinceps homines sanguinem sanguini adderent admiscerentque, ut scriptum est: *Osee 4. 2.* *Maledictum & mendacium & furtum, & adulterium effusa sunt super terram, & sanguinem sanguini admiscent.* Eratque ea de causa maledicta terra, dicente Deo: *Et nunc maledicta terra, quæ aperuit os suum, ut exciperet sanguinem Abelis fratris tui:* *Genes. 4. 11. sed diverso.* Cui jam antea Dominus ob prævaricationem Adami maledixerat, his verbis: *Maledicta terra in operibus tuis: In ærumnis comedes illam omnibus diebus vitæ tuæ.* *Genes. 3. 17.* Prorsusque erant omnia sanguine plena, & propter maledictum undique spinæ exoriebantur. Et hoc chirographum nactus inimicus noster, in omnes insurgebat, in omnesque ut sibi subditos tyrannidem exercebat. Ideo Dominus cum eum omnibus spoliasset, demum ad mortem abductus, iis induebatur; ut palam faceret, mortis victoriam, non temere, sed pro salute nostra partam esse. Gestabatque in chlamyde coccinea sanguinem, spinas in corona, chirographum vero in arundine, in quo jam olim scripserat contra nos diabolus; ut una cum morte, hæc etiam demum aboleret; creaturasque iis perpurgaret: & pro spinis quidem

dem lignum vitæ largiretur: pro peccati sanguine, proprio sanguine terram & universos emundaret: pro maledicto, omnes demum terræ incolas beatos Matth. 5.4. diceret, his verbis: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Idcirco enim nostrum ferens sanguinem, proprium sanguinem super eam effudit; ex quo factum est ut pro spinis, bona multa, & vita io illa germinaret: in quam David respiciens ait: Psal. 26,13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*.

17. Alia quoque ratione coronam spineam gestabat, ut solicitudines in hac vita nostras auferret. Injecit enim infelix ille, licet invitus, nostras in illum solicitudines, ignorans, Dominum illas gestantem, nos in illius perniciem, solicitudinibus vacuos redditurum; ita ut verbi sementem a spinis perpurgatam habeamus; in oratione vero mentem curis minime abstractam. Ipse enim pro nobis doluit solicitusque fuit, ut nos doloribus vacaremus. Ideoque rursum arundinem ex eis accepit Dominus, ipseque diabolus eam Domino tradidit, ignarus sese contra se gladium acuere. Dicitur enim arundo, serpentibus occidendis apta, frangique illos arundine potius quam instrumento alio. Cum igitur ipse Dominus Sabaoth, ut ait Esaias, persequeretur fugientem draconem, serpentem, magnum diabolum: Ideo quod illi exitiale erat ab eis accepit Dominus; ut propriis sibi rebus debilitato diabolo, rebus Domini homines fortiores 1. Reg. 17. 51. redderentur. Quale David in Goliath designavit, qui accepto inimici gladio, eo ipso caput inimici præcidit. Idipsum jam Salvator præstitit, accepta ab ipsis arundine, ut non modo nos a serpentis fallacia liberaret; sed etiam ipsum serpentem arundine occideret, mortuumque exhiberet. Ita igitur illusus scelestus ille, videns se ab iis excidisse rebus, quibus adversum nos efferebatur: vidensque se a terra exturbatum, terramque a sanguine & spinis emundari: seseque videns amisisse chirographum & calamum, in quo adversum nos scripserat, rursum non audenda audet, seque ipsum magis ea re percutit. Cum enim audisset improbus ille Dominum dicentem: *Spiritus promtus* Matth. 26. 41. *est, caro autem infirma*, ratus Verbum una cum corpore infirmari, nec corpus, Verbi virtute corroborari, rursum nefaria aggreditur, carnificesque contra Salvatorem concitavit, ipse vero spinis adhæsit, in iisque volutatus, rem passus est sibi contrariam. Dum illas enim teneret amisit ipsas, quas putabat, amissas, resumere se tandem posse: at non prius illas recipere valuit, quam Salvator maledictionem nostram in ipsis sitam elevasset. Maledictionem quippe illam cum gestasset Dominus; tum demum recepit ille spinas & chlamydem: quæ nullam tum adversus nos vim haberent, sed potius improbitatem eorum arguerent. Jam enim ipse diabolus in spinis, quasi in stimulis contra nos calcitrat. Ipsi quoque de coccinea chlamyde dicitur: Quemadmodum vestimentum sanguine conspersum mundum non est; ita neque tu mundus eris, quia terram meam perdidisti, populumque meum occidisti.

18. Quamobrem jam carnifices concitans in Salvatorem, calcitravit in spinis quasi in stimulis, potius ipse percussus, quam percuteret. Quos enim ipse commovit in Salvatorem, iidem adversus ipsum arma sumebant. Accepta quippe a Salvatore arundine, rati se illum percutere, cæcutiebant, atque ipsum se concitantem diabolum in spinis cædebant. Ac veluti gentes quæ contra Jerusalem ascenderant, se mutuo cædebant in valle Josaphat, & qui persequebantur Israelem, ad oras progressi, in se mutuo ignari congrediebantur, sese mutuo capiebant; sic jam qui Dominum persequebantur, se ignari cædebant, nihil ipsum, sed sese potius lædentes. Quemadmodum enim siquis manu petram percutere velit, petram quidem non scindit, sed manum vulnerat, eodem modo qui contra Dominum agebant, utpote contra incorruptibilem ausi, in perniciem ibant: & qui contra immortalem certare audebant, mortem ipsi sibi conscivere. Quodque pessimum erat, a suis ipse membris lædebatur: quod versutissimo illi summo pudori fuit. Nam si a Domino vapulasset, poterat vel quodammodo gloriari: cum autem ab iis quos in servitutem redegerat, percutiatur, hoc omne dedecus transcendit. Attamen non eorum ictu serpens occiditur: neque tantum potuere illi homines carnificesque. Sed mœrori erat contumelia a Judæis sibi illata: vulneravit tamen illum non eorum percussio; sed Dominus qui illorum percussionem propulsabat, necnon ea virtus quæ ex manu salvatoris in arundinem permeavit. Nam in hoc quoque humana præferens Dominus objiciensque, serpentem in spinis excepit, & quasi homo verberatus, serpentem concessit a carnificibus verberari: ut qui se olim Deum esse gloriabatur, & sese jactitabat quod Dominum tentasset, a carnificibus vapulans summum inde dedecus auferret.

19. Hæc porro ipsi præter sententiam & voluntatem obtigere. Nam dum turbam moveret ad clamandum contra Salvatorem, ignorabat se silentium sibi noxium inducere: dum Pilatum concitaret, nesciebat se pro formidine constantiam animique firmitatem efficere: dum incitaret ad verberandum Salvatorem, multum a scopo aberrabat, cum hinc ejus clementia tolerantiaque palam fieret. Demum dum in Salvatorem debaccharetur, non advertebat, virtutem se contra improbitatem armis instruere: inimicus namque omni gaudet malitia & improbitate. Si quid enim malum reperiatur, illud diabolicum est telum: nam aut formidine mortis, aut defensionis causa peccatum suadet. Quare Dominus omnia sustinuit; ut in formidine fortitudinem; in contumelia tolerantiam; in ira mansuetudinem; demum in omnibus virtutem vitio opponendam doceret. Ac primum quidem docuerat percutienti maxillam offerendam esse aliam: &, *Ne timete* Mat. 10.25. *ab iis qui occidunt corpus:* &, *Ab eo qui tua auferat, ne repetas:* &, *Benedicite persequentibus vos*. Mat. 5.44. Ne vero quibusdam impossibile videretur præceptum, ideo per sese omnia exhibuit Dominus: atque ex iis quæ passus est, suasit omnibus qui contumelia afficerentur, ne vicissim inferrent contumeliam: verberatis, ne verberarent: illusis, ne irascerentur: neve ab eo qui nostra auferat, repetamus illa, & in summa ne mortem expavescamus; imo ipsam spe futurorum contemnamus. Eo enim modo, facilior est victoria de diabolo deque omni peccato; quam si nos ipsi vindicemus. Vindicantes enim, & injuria injuriam, contumelia contumeliam propulsantes, augemus alimusque contra nos ipsos malitiam, nec magis inimicos quam nos ipsos lædimus, ob condemnationem scilicet & judicium futurum de iis qui malitia utuntur. Cum autem læsi injuriam, ut Dominus, sustinemus, & convitiantibus patientiam opponimus, minitantibus fortitudinem, morti spem immortalitatis; in his prorsus cruciamus inimicum: ipseque ejusmodi panoplia decidit, qua nos instruens Paulus ait: *Induite igitur armaturam Dei, ut possitis stare adversus* Ephes. 6.11. *insidias diaboli*. Hæc enim patiente Salvatore, evenit illud: *Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem*. Luc. 10. 18.

20. Statim igitur postquam in his sese strenue gessisset Dominus, cecidissetque inimicus, imposuerunt illi Crucem: signum victoriæ, vel inviti, adversum seipsos revera præbentes. Quamdiu enim staret inimicus, habebant carnifices lignum; cum autem lapsus fractusque est, tunc trophæum suscepit Dominus,

& sibi

& sibi bajulavit. Decebat quippe victorem de diabolo triumphantem, deferre per sese trophæum, nec alii concedere deferendum. Accepit autem ab ipsis cum trophæo vestimenta sua, proficiscens ad mortem; ut ea ipsa in morte exueret. Ideo rursum exutus, concitavit illos ut se adducerent. Dum abduceretur autem, secundum Joannem, Crucem ipse suam bajulavit, secundum alios vero Euangelistas, Simon vir Cyrenæus Crucem tulit: quod contrarium non est Joanni: neque enim Joannes aliis Euangelistis contraria scribit, sed utrumque factum est: nam sibi Dominus Crucem bajulavit, & rursum postea Simon homo tulit illam. Primum itaque quasi diaboli trophæum gestabat, libenterque sibi Crucem bajulavit: non enim coactus mortem adiit. Ac rursum tulit illam Simon homo, ut omnibus notum esset, non sua Dominum, sed hominum morte mori. His ita gestis, festinus ad locum venit, quo ipsum in Crucem adscendere par erat, ut chirographum contra nos scriptum, quod ab inimicis abstulerat adfigeret Cruci, atque exutis principatibus & potestatibus, cum fiducia illos in Cruce traduceret, de illis triumpharet, ostenderetque ereptum ex leone hominem: ac demum proprio sanguine terram adspergeret, emundaret, atque expiaret. Id cum facturus esset exuit vestimenta. Decebat enim eum, cum hominem introduceret in Paradisum, tunicas exuere, quas accepit Adam cum ex Paradiso exturbaretur. Cum enim ille peccasset, ac demum moriturus esset, accepit pelliceas vestes, ex mortuis animalibus factas, symbolum mortis ob peccatum sibi inductæ.

21. Sed Dominus, qui propter nos omnia nostra suscepit, illa induit, ut post exueret, & horum loco nos indueret vita & incorruptione: induit etiam cum bis vestem inconsutilem desuper contextam per totum; ut saltem ex istis possent Judæi credere, quis & unde esset qui hæc indueret: non ex terra scilicet, sed desuper advenisse Verbum, neque divisibile sed indivisibile Patris Verbum esse, ipsumque factum hominem, non consutum corpus ex viro & muliere habuisse, sed ex sola Virgine arte Spiritus contextum. Unde milites alia quidem vestimenta dividunt, quæ divisibilia erant, & in quatuor dividunt partes: quia pro peccato orbis in quatuor partes divisi in Orientem scilicet, Occidentem, Aquilonem & Meridiem, illa gestabat: quibus indutum illum con-
Joan. 1. 29. spicatus Joannes, ait: *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*. Solam tunicam scindere non potuerunt, terrore signi per eam exhibiti. Eratque illud non ipsorum, sed suspensi Salvatoris opus. Nam suspensus, ut homo, principatus persequebatur, diabolum comprehendebat, carnifices perterrebat, ne scinderent tunicam: ut manente illa, maneret Judæorum convictio, quæ non multo post accidit, cum, scisso velo, tunica Salvatoris divisa non est a carnificibus; sed integra permansit. Manet enim Euangelium semper integrum, divisis umbris. Ceterum cum exutus vestimentis properaret ad mortem, rursum diabolus, videns Salvatoris alacritatem, seque ex cælo delapsum, ex terraque exturbatum: quid ageret non habuit: omnia quippe ipsi erant tumultu & anxietate plena. Manere non poterat, fugere exhorrescebat: memor tamen eos qui morerentur, in terra mori oportere,
Genes. 3. 19. quemadmodum scriptum est: *Terra es; & in terram reverteris*, non ausus in terra manere ne ibi comprehenderetur, demum per aerem volitavit; ut saltem ita, Dominico corpore in terra posito, liberum sibi aerem retineret. Sed Dominus hac in re humano generi amanter consulens, non in terra mortuus est, sed per Crucem in aerem conscendit, ibi quoque serpen-
Ephes. 6. 12. tem persequens; ut etiam inde principem potestatis aeris deturbaret, & spiritualia nequitiæ dejiceret, ac ne sic quidem terram absque remedio reliquit. Nam in Cruce suspensus, aerem purgavit manuum expansione: terram autem redemit, sanguine & aqua lateris sui abluendo ipsam.

22. Quid igitur inimico talia patienti restabat agendum? Ex cælo deciderat, ex terra deturbatus, ex aere depulsus erat: ad hæc summus pudor aderat, quod multa pollicitus, nihil efficeret. Omni ergo ex parte superatus, ac undique consilii inops, statuit saltem infernum sibi servare: hic enim solus ipsi supererat locus. Quare metuens ne Dominus eo descendens, inde etiam se expelleret, omnesque sibi subditos liberaret, omnia miscuit, omnia commovit, omnes in auxilium vocavit, Judæos iterum concitavit ut Dominum probris & contumeliis adficerent, irriderentque: ac demum quidquid sibi telorum supererat, id immisit in Dominum, tentans si quo modo illum peccatis obnoxium, hac saltem ratione superaret. Judæi igitur Dominum irridebant dicentes: *Si Filius Dei* *Mat. 27. 40.*
es, descende de Cruce. At Salvator, qui revera Filius Dei erat, non fugiendo mortem, sed exspectando, atque ita calcando ipsam, voluit dignosci, se Filium esse Dei, atque veram vitam. Poterat enim ex Cruce descendere, qui alios suscitarat mortuos; sed descensio illa mortis fuga visa esset: contra si in Cruce permaneret, nihil id aliud indicabat, quam, eum qui permaneret esse vitam. Quamobrem multa diabolo cura fuit, ut Dominus hisce opprobriis afficeretur, volebatque ipsum descendere de Cruce, neque inter mortuos versari; ut sic illæsus abiret, mortuorumque dominium retineret. Metuebat enim, *Psal. 67. 19.*
ne, quemadmodum scriptum est, ascendens in crucis sublime, captivam duceret captivitatem, & acciperet dona hominibus. Suspicatus enim est, ne hic esset de quo hæc scripta erant. Unde versipellis ille rursum Pharisæos commovit, ac demum eo usque deduxit illos, ut se credituros pollicerentur, si solum descenderet de Cruce. Omnia porro movebat, omnia præter animi sententiam promittebat, modo id efficeret, ne moreretur, neve descenderet in infernum. Denuo igitur Pharisæis auctor fuit ut dicerent: *Alios sal-* *Mat. 27. 42.*
vos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credemus ei. Minime autem credere volebat Pharisæos magister ille impietatis draco; sed optabat Dominum vitare mortem. Neque volebat ediscere, an posset ipse sese salvum facere; sed metuebat ne aliis salus efficeretur. Nam si semel cognovisset, alios ipsum posse salvos facere, nihil dubium erat, eum qui aliis salutem impertiret, esse Salvatorem atque vitam.

23. Ea igitur de causa convitiabantur illi, ne aliis salus fieret. Noverat enim ille versutus, non mori quidem Dominum; sed ejus mortem, vitam salutemque omnibus fore. Quamobrem volebat illum ex Cruce descendere, eoque deduxit Pharisæos ut se credituros pollicerentur; ut ea saltem promissione quæ volebat consequeretur. Dominus autem revera Salvator, qui non sua, sed nostra quæreret; non ex eo quod sese salvum faceret, sed ex eo quod creaturas redimeret, volebat Salvator agnosci. Non enim medicus, quod sanus ipse sit, medicus agnoscetur; nisi circa ægrotos suam exhibeat artem: & sol non si in se radios contrahat, pro lumine agnoscetur, nisi per orbem illos diffundat, iisque tenebras illustret. Ita quoque Dominus non sese salvum fecit: nam salute non egebat qui Salvator esset: sed per beneficia aliis collata volebat ab omnibus Salvator agnosci. Sed nec ex Cruce descendendo, voluit nosci Filius Dei, sed in ea manendo. Majorem enim fidem salutemque mors Salva-

toris adfert hominibus, quam adtulisset descensus de Cruce. Certe pendente adhuc in Cruce Domino, monumenta aperiebantur, quique in iis jacebant salvi efficiebantur: latro autem suspensus in ipsum credidit; ut palam faceret se revera Salvatorem esse: atque moriens fidei fructum multiplicabat. Ad hæc sane obstupuit diabolus, summaque anxietate, nec immerito, correptus fuit, dum cerneret se in perniciem ire, latronem vero in cruce, cui olim furtum suaserat, credere: quemque ad blasphemandum concitarat, vidit adorare Dominum, alterumque latronem increpare, imo potius in latrone diabolum. Excruciabatur iterum, quod quem, ut latronem occiderat, eumdem videret in Paradisum transferri.

24. Videns autem omnia sua arma dejecta, nullumque a se immissum fuisse teli genus, quod non esset a Domino confractum, quemadmodum scriptum est: *Psalm. 9. 7.* *Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates destruxisti*; ideo conturbatus & anxius, Salvatorem demum tentavit potare felle & aceto: sed ignorabat idipsum in sese moliri. Iræ quippe acerbitatem ex transgressione legis obortam, in qua detinebat universos, Salvatori tradidit: quam ille acceptam absumsit & evacuavit, ut pro aceto, quod miscuit sapientia vinum nobis potandum daret: pro felle, eloquia melle & favo dulciora nobis impertiret: & pro eo quod nostra gustasset, nobis diceret: *Psalm. 33. 9.* *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*. Ut autem eo excidit, atque spoliatus est, pudefactus demum, incidit in aliquam suspicionem, dum talia cerneret, se scilicet non contra hominem, sed contra Deum pugnare. Videbat enim quibus in rebus omnes capere tentaret, in iisdem se pudore affici, magisque labi, quam dejicere alios: demumque secedere tentavit, ac fugiendo terga dare. Dum enim eum suspensum cerneret mortem nihilominus persequi, timuit ne hic esset de quo scriptum est: Exaltabitur Dominus, ut misereatur nostri. Quæ causa erat, ut omnia relinquere & fugere pararet, invidens iis quos miseratus ille esset. Sed Dominus vere Salvator, nolens eum illæsum abire, nec imperfectum opus deserere, neque eos, qui in inferno erant, inimico deditios relinquere, magno mirabilique stratagemate usus est. Cum enim audacem illum perculsum, trementem & formidantem cerneret, rursum se decidere simulat, ut accedentem inimicum, omnino subigeret. Draco enim nolebat mori Dominum, aut pendere in ligno; sed optabat ut Dominus descenderet de Cruce, & non moreretur; aut si non descendisset, ut maneret in Cruce quidem, sed non moreretur. Metuebat enim, ne id fieret quod scriptum est: *Esai. 61. 1.* *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, Evangelizare pauperibus misit me, & prædicare captivis emissionem, & cæcis visus restitutionem*. Quamobrem metuebat, ne hic ille esset unctus & missus, ac ne demum omnibus libertas foret.

25. Omnibus itaque nudatus, optabat inferni saltem imperium tenere. Alia siquidem ei formido erat, num is esset qui tenebras illustraret, de quo scriptum est: *Esai. 9. 1.* *Galilæa gentium, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. Illum enim audierat ita loquentem: *Joan. 8. 12.* *Ego sum lux*. Unde metuebat ne moreretur, & ipse ex omnibus exturbaretur. Dominus porro cum illum fugam parare cerneret, ne elaberetur inimicus, voces emittit humanas, vocesque infirmitatis, ajens: *Elohi*, *Marc. 15. 34.* *Elohi, lema sabachthani*, id est *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Quod ideo fecit, ut diabolus, quem ut Deum reformidarat, hunc ratus jam hominem esse infirmum, fugam cohiberet. His adductus vocibus sceleratissimus ille, ad eum denuo ut hominem accedens confractus est. Judæis enim auctor fuerat, ut ad necem eum postularent: resque illi præter spem accidit; non in alia quippe parte quam in latere confossus est, unde sanguis & aqua manavit; ut quoniam prius per mulierem ex latere formatam, venerat deceptio; ita per latus secundi Adami redemtio & emundatio prioris efficeretur: redemtio per sanguinem, emundatio per aquam. Hoc autem nequaquam ex sententia diabolo obtigit, cum ea morte, quia metuebat, obierit Dominus, atque ille omnibus exspoliatus est: ratusque se Christum in morte tenere, ipse potius mortuus esse deprehensus est: atque gloriatus quod homini insidiatus esset, id effecit, ut Deus agnosceretur. Nam statim atque mortuus est, rerum natura sole destituta fuit, velum Templi scissum est, terra tremuit & petræ scissæ sunt, milites, cum inferni janitoribus terrore perculsi sunt. Ex quibus videre erat non ultra hominem, sed vere Deum in corpore, ut ajebant ipsi spectatores: *Matth. 27. 54.* *Vere hic est Filius Dei*. Nam multa monumenta aperta sunt, & qui in illis mortui jacebant resurrexere.

26. Vere cæca res est malitia; dum speraret enim se unum occisurum, omnibus privatus est: ratusque se illum ad inferna dejecturum, ipse ab inferno pulsus est. Atque nulli non palam fuit, non infirmitate carnis obiisse Salvatorem, sed mortem ad necem persequutum esse, ut, abolita illa, liberaret omnes quotquot metu mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Non diu itaque postea, dolores solvit inferni, & alios excitavit dicens: *Matth. 26. 46.* *Surgite hinc abeamus*. Ipse autem resurrexit, & ad vitam rediit ex morte, illiusque audaciam ludibrio habuit: ut in Hymnis prænuntiatum fuit, Spiritu dicente: *Psalm. 2. 4.* *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos*. Vere quippe irridetur, ita ludibrio habitus, rebusque illi præter animi sententiam accidentibus. Instar enim cujusdam animalculi, cui nomen vespa, quod cum petra congressum, nihilque illa impetu suo læsa, amittit ipsum potius aculeum; ita & mors congrediens cum vita, quæ est Christus, multum frustrata est: non enim potuit eum morte detinere, sed potius aculeum perdidit; ita ut qui olim aculeum reformidabant, jam irrideant illum dicendo: *1. Cor. 15. 55.* *Ubi est mors aculeus tuus? ubi, inferne victoria tua?* Et rursum: *Esai. 25. 8.* *Deglutivit mors & prævaluit*: iterumque: *Apoc. 7. 17.* *Abstulit Deus omnem lacrymam ab omni vultu*.

27. Dehinc exturbatus ex inferno miser, sedens ad ostia, vinctos omnes conspexit Salvatoris fortitudine educi, mortuos resurgere, captivos dimitti liberos: Sanctos qui cum Abrahamo erant obviam venire, omnesque tympana pulsare, quemadmodum scriptum est: *Psalm. 67. 26.* *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum*. Gaudere omnes qui libertate donati fuerant, ac dicere: *Psal. 125. 1.* *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudin os nostrum & lingua nostra exsultatione*. Ipsi quoque Angeli, & omnis exercitus Angelorum, Hymnos canebant, ac dicebant: *Luc. 2. 14.* *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas*: occurrebantque redemtis juvenculis animabus. Tum animæ concurrebant cum Angelis, ascendebantque Patriarchæ, omnia undique una personabant cum lætitia & Psalmis, ob reportatam de morte victoriam. Ac quemadmodum Davidi, cum prostratus jaceret Goliath, occurrebant puellarum chori cum tympanis, ajebantque: *1. Reg. 18. 7.* *Percussit David in decem millibus suis*; ita simile quid factum est in morte Salvatoris. Resurgente namque illo, omnes occurrebant cum choris, hymnis & tympanis, mutuo dicentes: *Psal. 94. 1.* *Venite exsultemus Domino, jubilemus Deo Jacob*. Alii choreas agebant, hæc dicentes: *Psal. 67. 19.* *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Alii quidam ad spectaculum omnes vocabant, his

ver-

Psalm. 65. 1. verbis: *Jubilate Deo omnis terra, psallite nomini ejus:* ac rursum: Psal. 45. 10. *Venite & videte opera Domini, terribilis in consiliis super filios hominum: auferens bella usque ad extremum terræ.* Non enim ultra inimicitiæ & bellum; sed omnia in pace erant, hoste prostrato atque mortuo, ac eo qui olim tyrannidem exercebat manibus pedibusque ligato. Alii rursum quibus nota erat diaboli audacia, necnon ingentes insidiæ; jamque ipsum cernentes mortuum: Esai. 14. 12. cum admiratione dicebant: *Quomodo cecidit ex cælo lucifer, qui mane oriebatur?* Hierem. 50. 23. Et quomodo contritus confractusque est omnis malleus universæ terræ? cum admiratione namque, magno erant omnes stupore correpti. B Mirabantur enim magnum cernentes tyrannum, derepente prostratum mortuumque: stupebant vero lapsus causam ignorantes, maxime quia non credebant in morte mortem aboleri, nec tantum in Cruce serpentem confringi. Unde rursum mirabantur, dicen- Hierem. 40. 23. tes: *Quomodo capta est Babylon?* Ad hæc enim jam videbant exspoliatum infernum.

28. Hæc dum cerneret, hæc dum audiret miser ille, furere, excruciari, lacrymari. Dum quippe se exspoliatum videret, sese dolore macerabat; contra cernens alios a se olim in luctu lacrymisque detentos, jam C in Domino psallere, se ipse disrumpebat: videns se irrideri, ac ludibrio haberi acriter sese discerpebat, ac consilii inops, solum dentibus stridebat, ut testatur qui illum respiciebat Psalmista, his verbis: Psalm. 36. 12. *Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis. Dominus autem irridebit eum.* Ac rursum: Psal. 111. 10. *Peccator videbit & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet.* Stridebat vero, quod doleret se umquam cum Salvatore congredi ausum esse; sciebat autem se antea justos aggredi ausum, nihil ejusmodi passum fuisse. Nam etsi Abeli insidiatus fuisset, Patriarchas adflixisset, Esaiæ parasset insidias, Hieremiæ contumeliam fecisset, Jobum ten- D tasset; mors tamen invalescebat, regnabatque ab Adamo usque ad Moysem. Jam vero simili audacia adversus Dominum usus, se plane Irum factum, undequaque pulsum, ab omnibus conculcatum animadvertebat. Salvatoris quippe opus fuit, non ipsi tantum morti illudere, sed etiam nos eidem superiores constituere: ut non solum nos a servitute liberaret, sed etiam eum qui nos in servitutem redegerat opprimeret, ne rursum invalescens nos deciperet, neve sua victoria in cassum abiret. Quapropter ipse cum illusisset morti, nobis item eam calcandam tradit, dicens: Luc. 10. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones & supra* E *omnem virtutem inimici.* Ac rursum: Psalm. 90. 13. *Conculcabis leonem & draconem.* Olim namque serpens Evam decepit, ejusque invidia mors intravit in mundum: jam vero conculcatur, & volens decipere audit: Marc. 8. 33. *Vade retro me Satana.* Olim adversarius noster diabolus, quasi leo circumibat, sitiens animam nostram: jam vero conculcatur cum dracone, ac demum brevi Deus conteret Satanam sub pedibus nostris. Tantumque Esai. 11. 8. despicitur, tantum illuditur; ut ne quispiam reformidet ad foramen aspidum admovere manum. Hæc enim Esaias prophetavit, cujus verus est sermo.

29. Pueri ergo voluptatem, quæ ipsos olim senes decipiebat, jam irrident: necdum ad legitimam progressi ætatem, continentia, quæ legem superat, lumbos præcingunt: manentque virgines, serpentinæ voluptatis fallacias verbo calcant, nihil ejus lethiferos morsus veriti. Jam vero quidam, ipsum diaboli stimulum calcantes, mortem non exhorruere; sed morte vitam suam commutarunt, Verbi martyres effecti: ideo enim mortuus Dominus est. Multi vero terrenis derelictis rebus, libero gressu aerem peragrant, & in cælo vitam degunt: nihil ultra veriti A principem aeris, imo potius, si prohibere voluerit, increpantes ac dicentes: *Vade retro me, Satana,* quoniam Marc. 8. 33. Dominum Deum meum festino adorare: ideo namque Salvator in aere crucifixus est. Via autem paradisi, olim per peccatum clausa, jam volentibus patet: ut ait Paulus, qui eo loci raptus est, & ad cælos ascendit. Ideo Dominus illusit serpenti: cessavitque infernus, non ultra imperante morte, sed resuscitatis omnibus. Diabolus autem non jam inde in nos insurgit: cecidit enim, atque prostratus, in pectus plane & in ventrem suum provolvitur: ea enim de causa surrexit Dominus. Et homines quidem di- B dicerunt aspernari divitias corporales, & ditescunt verbo & scientia: draco autem qui se divitem esse gloriabatur, denudatus est, jamque nudus, Irus, & pauper est, ab omnibus expoliatus. Nam qui olim medius inter Cherubinos versabatur, omnique lapide pretioso indutus erat, sardio, jaspide & achate, jam demum in papyro, arundine & silice dormit, ut in Job de illo narratur. Ideo enim Dominus pauper Job. 8. 17. 2. Cor. 8. 9. fuit, ut nos ejus inopia ditesceremus, diabolusque nudatus est. Quodque mirabile, magnumque contigit in rerum natura, homines ad mortem properant C optantes adventum Domini; miser autem diabolus, qui olim mortis imperium habuit jam metuit eum qui venturus est, judiciumque reformidat: novit enim sibi paratum ignem & angelis suis. Ideo enim Dominus meus judicatus est, ut nos a judicio liberaret, illumque condemnaret.

30. Ceterum de divina cognitione in omnes ubique disseminata quid est quod loquamur, cum res gestæ ex se fidem habeant? Nulla enim præterit dies, qua quidam homines idola non deserant, propriasque ac paternas leges non abnegent, ut ad Deum confugiant, ac Christi leges accipere postulent, incredibili D miraculo in eum credentes. Nam qui hactenus idololatræ fuere, atque Christum ut hominem calumniati sunt, eum deinceps, idolis abnegatis, Deum agnoscunt: & quos in idolis dæmonas reformidabant, ipsos agnito Domino demum deserunt, atque ex aliis pellunt: quam item, idololatræ dum essent, voluptatem metuebant, eam in Christo despiciunt: peccatumque a quo pridem superabantur, jam signo Crucis vincunt ludibrioque habent. Et sane virginitatem quam olim esse non credebant, quod non posse putarent virtutem hujusmodi in hominibus reperiri; in Salvatorem postea credentes ex Virgine natum, non modo existere E credunt, imo vero ipsi eamdem colunt, quod tamen Ethnici qui adbuc in idololatria permanent credere nolunt. Ad hæc, omnia jam veneficia cessavere, omnis magia abolita, universa Græcorum infatuata sapientia est. In divinis quippe, non verbis, sed factis est opus: neque pronuntiatio linguæ, sed animæ adfectus prodest. Græci igitur verbis non percipiunt ea quæ fide Christiani exhibent: & quæ verbis magi efficiunt, hæc, silentibus nobis, signo Crucis evanescunt: item quæ de immortalitate in dubium vocant, hæc Martyres Christi, non verbis, sed operibus exhibent: & de qua virginitate Magi & Græci Philosophi F dubitant, hanc in Christo mulieres colunt: & quibus dæmonibus, ut diis illi supplicant; eos pueruli in Christo persequuntur. Demum vir qui Christum gestat, quasi Deus est in terra, erga homines quidem patiens & mansuetus: & ac si cum sola circum omnia gyraret, omnibus cælestem exhibet vitam.

31. En tibi unum ex præclaris Crucis facinoribus: hæc mors effecit Salvatoris. Nequaquam enim hominis est opus, sed Dei. Atque ideo ut homo passus est, ut hominibus quæ supra hominem & divina sunt, largiretur. Illius ergo sunt præclara gesta, quæ apud homines jam emicant. Nam si Paulus loquatur,

Chri-

Christus in ipso loquitur: si magna & mirabilia perpetraverit, Christi gratia est quæ talia operatur: & si in omnes permeavit Dei cognitio, non hominum est ejusmodi doctrina, sed ipsius descendentis Verbi, mediatoris Dei & hominum. Hoc enim scriptum est, quod Judæi quidem olim reticuere, sed jam com- Joan. 6. 45. pletum vident; hoc, inquam, scriptum est: *Erunt* Hier. 31. 33. & 34. *omnes docibiles Dei*, ut ait Hieremias Propheta: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus:* ac deinde subinfert: *Non docebit quisque proximum suum, & quisque fratrem suum, dicentes: Cognosce Dominum; quia omnes me cognoscent, a parvo usque ad magnum eorum; quia propitius ero iniquitatibus eorum.* Quis enim est qui B ipsos idola colentes ad pœnitentiam movet, nisi Dominus? Et quis eos ex idolorum servitute e- Joan. 12. 32. ducit, nisi ipse Christus, qui ait: *Cum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum?* Nam id certe summopere mirandum, quod dum idola colunt, eorum mens aperiatur, ut intelligant, quos olim deos arbitrabantur, ligna & lapides esse: quem vero crucifixum irridebant, eum non hominem, sed Deum agnoscant. Mentis autem magister non homo est, sed qui mentem solus videt Deus. Beata vere & vivifica Crux Salvatoris, quæ de morte triumphasti, & eum qui in sua potestate mortem tenebat, diabolum nempe, sustulisti. O divinum Verbum & vere sapientia Patris, tu versuti illius faciem ostendisti, & pli- 2. Cor. 2. 11. cas pectoris illius nudasti, ita ut & nos dicamus: *Non enim ejus cogitationes ignoramus.* Hominum amator ac bone Domine, tu nos captivos redemisti, peccato servientes, per propriam mortem Domine liberasti. Scimus enim nos a peccato fuisse liberatos. O vere pacis conciliator Fili Dei, tu adoptionem filiorum dedisti nobis, reconcilistisque nobis Patri tuo, inimicitiam in carne destruxisti. Ditissime Salvator & vere Rex, tu namque pauper fuisti, ut nos tua paupertate ditescceremus: tu nobis regnum cælorum largitus es. Creator & opifex omnium, Verbum Patris, tu nos iterum creasti, tuaque sumus opificia, conditi ad bona opera. Vere lux & splendor Patris, tu quippe nos in tenebris illustrasti, non videntes nos ad lucem adduxisti. Forma atque imago vera Patris: tu nos perditos formasti, & imaginem Dei iterum reddidisti. Deus Verbum & vere vita: tu mortuos vivificasti nos, corruptos renovasti, induens incorruptione. Vere virtus, brachium & dextera Patris: tu dolores mortis solvisti, portas æreas & vectes ferreos confregisti, quemadmodum ait Scriptura. Tu draconem serpentem diabolum, hamo circumegisti humano, in trophæo Crucis. Per te tuamque divinam virtutem, omnes eum calcant, omnes ei illudunt. Te enim ei primum illudente, initium creaturæ Domini incœpit esse, conditæ ad ei illudendum. Te illum prosternente, res mirabilis visa omnibus est, ut dice- Esai. 14. 12. rent: *Quomodo cecidit de cælo lucifer, qui mane oriebatur?* Te accipiente ab illo chirographum adversum nos exaratum, affigenteque illud Cruci, ludibrio Esai. 14. 4. illum habent universi, dicentes: *Quomodo cessavit exactor, quievit accelerater? contrivit Deus jugum peccatorum. Jam enim ei substernitur putrede, & operimentum ejus efficitur vermis.* Nec est ultra qui draconem reformidet; sed te, & per te Patrem adorant.

32. Sic resurgens Dominus, statim morti illusit, nosque ab ea liberavit. Judæi autem ne ista quidem videntes pudore sunt affecti, ignorantes se ista contra Salvatorem ausos, adversum sese ea ipsa moliri. Non videbant quippe se Dominum tradendo, traditionem Jerusalem provocare, dicente Hierem. 32. 4. Hieremia Propheta: *Traditione tradetur Jerusalem in manus Nabuchodonosor Regis Babylonis.* Neque ad- A vertebant nolentes Domino servire, sese diabolo in servos subjicere, ipsique ministrare ad insidias adversus Christum. Ignorabant enim se Barrabbam postulando, atque Dominum occidendo, Barrabbæ vitam acturos esse, omneque seditionis cædisque genus apud se augendum fore, atque repudiare se lucem & veritatem, & quidquid est Dominus, ut ait Esaias: *Ec-* Esai. 3. 1. *ce dominator Dominus Sabaoth, auferet a Judæa, & a Jerusalem, validum & validam, robur panis & robur aquæ, gigantem & fortem, principem & bellatorem, & judicem, & prophetam & ariolum & senem, quinquagenarium & admirabilem consiliarium, & sapientem* B *architectum & prudentem auscultatorem. Et constituam adolescentes principes eorum, & illusores eis dominabuntur.* Illudebant enim miseri Domino, neque advertebant propheticum adversum se sermonem impleri qui ait: *Illusores eorum dominabuntur.* Hoc enim est in Salvatore mirandum, quod Cruci affixus pro humano quidem genere pateretur, morti vero illuderet, & in Judæorum malum implerentur quæ scripta essent. Quod autem lux ab illis ablata sit, scriptum est in Hieremia his verbis: *Verbum quod factum est super Hiere-* Hierem. 25. 1. *miam in omnem populum Juda.* Postea hæc adjicit: Ibid. v. 10. *Auferam ab illis vocem lætitiæ & vocem gaudii, vocem* C *sponsi & vocem sponsæ, odorem unguenti & lumen lucernæ.* Revera tradidere Dominum gentibus, atque cæcutientes ignorabant se haud diu postea in gentibus polluendos esse, & in suam hæreditatem gentes contra se ingressuras esse, quemadmodum scriptum est: *Deus* Psal. 78. 1. *venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Dum negarent se Dominum Regem habere, ignorabant privari se Davidico honore: siquidem illi repositum erat Davidis regnum, quod usque ad Salvatoris adventum perduravit, teste Jacobo: *Non* Genes. 49. 10. D *deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat ille cui repositum est, & ipse est exspectatio gentium.* Et nudantes Dominum, atque verberantes, nesciebant se ab illo nudari, & planctum sibimetipsis concitare; ait quippe ipse Dominus: *Auferam vesti-* Osee 2. 9. *menta mea, & linteamina, ut ne turpitudinem ejus operiant:* & rursum: *Propterea planget & lugebit, incedet* Michæa 1. 8. *discalceata & nuda: faciet planctum veluti draconum, & luctum veluti filiarum sirenum.* Et curantes ut imponeretur ei chlamys coccinea, non viderunt se adversum se implere illam Spiritus sancti accusationem: *Manus* Esaia 1. 15. *vestræ sanguine sunt plenæ.* Gaudentes autem quod Sal- E vator spinis circumdaretur, cæcutiebant, non videntes se illas contra sese circumponere: scriptum est enim: *Obstupescite, lugete quæ in fiducia fuistis, exuite vos, nu-* Esai. 32. 11. *dæ estote, circumcingite lumbos, & super ubera planctum facite ab agro desiderii, & a vinea germinationis. Terra populi mei spina, & fœnum ascendet, & ex omni domo lætitia auferetur.* Dominum irridebant, ut Filium Dei, (sese dicentem) neque videbant se adoptionem abjicere, ut ipse testatur his verbis: *Filios generavi & exalta-* Esai. 1. 2. *vi, ipsi autem spreverunt me.* Et, *Ecce relinquitur vobis* Mat. 23. 38. *domus vestra.* Potabant eum aceto & felle, sed hac in re quoque valde cæci. Nam Deus vineam ex Ægypto F transtulerat, & plantaverat illam, & exspectavit ex illa se percepturum fructum, uvam & vinum: illi autem insipientes, pro vino acetum, pro uva fel reddidere: argumentum sane Sodomiticæ suæ improbitatis exhibentes; illorum enim uva fel est, ut in Deutero- Deut. 32. 32. nomio scriptum est. Ideo namque Dominus & Salvator noster, cum sciret ejusmodi fructum ab illis proventurum, prædixit illis parabolam vitis, & quod ab illis auferendum esset Regnum cælorum, tradendumque genti facienti fructus ejus. Ad hæc, divisere carnificibus vestimenta, ignari divisionis dispersionisque futuræ sibi inter gentes:

ait

Zach. 14. 1. ait enim Propheta: *Ecce venient dies Domini, & dividentur spolia tua in te. Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prœlium, & capietur civitas, & diripientur domus, & mulieres violabuntur.* Et
Osee 5. 7. rursum: *Nunc comedet rubigo fortes eorum.* Et ut
Mich. 2. 4. Michæas ait: *In illa die sumetur super vos parabola, & plorabitur ploratus cum cantico, his verbis: Ærumna ærumnosa facta est portio populi mei, funiculo dimensi sunt illam, nec erat qui impediret eum ne averteretur: agros vestros dimensi sunt.* Et ut compendio dicam, adversus Dominum ausi, suam ipsi contra sese provocabant diem, quam prædi-
Esaie 34. 8. xit Propheta: *Dies enim judicii Domini, retributionis judicii Sion. Et convertentur valles in picem, & terra ejus in sulphur. Eritque terra eorum quasi pix ardens nocte & die, & non exstinguetur in sempiternum, ascendetque fumus ejus sursum. Hæc in generationem desolabitur, & habitabunt in ea volucres & erinacei, & ibides & corvi. Et inducetur in eam funiculus geometriæ eremi, & onocentauri habitabunt in ea. Principes ejus non erunt: Reges & magnates ejus erunt in perniciem. Et pullulabunt in civitatibus ejus ligna spinea, & in præsidiis ejus. Et erit stabulum sirenum, & tugurium struthionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & clamabunt alter ad alterum. Ibi requiescent onocentauri: invenerunt enim sibi requiem. Ibi nidum fecit erinaceus, & servavit terra campos suos cum securitate.*

33. In has calamitates inciderunt Judæi, cum putarent se Dominum occidere: hæc adversum se provocarunt, dum clamarent in Salvatorem: in his damnati sunt, dum vellent condemnare Dominum. Quisquis transierit, sit, si velit, judex, nec ex rebus occultis obscurisque, sed ex gestis veritatem colligat. Consideretque, qui sit dominicæ mortis fructus quod Judaicarum insidiarum emolumentum. Siquidem mors Salvatoris, orbem terrarum liberavit, ita ut gentes Deum glorificent: Judæorum vero furor civitatem cum ipsis Judæis perdidit, & in Dei cognitione ipsos excæcavit. Mors Domini mortuos vivificavit: Judæorum insidiæ Judæos ipsos vita privarunt, & jam absque Domino sunt. Crux Salvatoris Ecclesiam gentium, cum deserta esset, habitatoribus frequentavit: Judæi vero improbitate sua orbe terrarum sese excluserunt, nec jam civitatem ullam habent. Ac rursum, Mors Salvatoris, Regnum cælorum exhibuit: Judæi contra furore suo, Reges suos perdiderunt, & magnates amiserunt. Ad hæc, Crux Domini Angelos cum hominibus sociavit, & conciliatrix ipsa fuit mutuæ illorum amicitiæ: at Judæi insidiis suis, dæmonum contubernium lucrati sunt. Mors Christi allevavit hominum peccandi insipientiam: Judæi vero præ furore insipientes facti sunt, jamque cum sirenis, erinaceis & struthionibus moribus conversantur, moribus absurdi perinde atque onocentauri. Pro lege enim apud illos injustitia
Psal. 57. 5. obtinet: pro mansuetudine, *furor illis secundum similitudinem serpentis.* In summa, nihil apud illos quod non ipsis mortem inferat. Annon morti Domini adhærere convenit, ac dimittere confessum Pharisæorum? Annon præstat Crucem potius adorare, quam Judæorum & mundi amicitiam nobis conciliare? Ideo
Philip. 3. 8. namque scripsit beatus Paulus: *Omnia arbitratus sum detrimenta, ut Christum lucrifaciam:* quare gloriam sibi
Galat. 6. 14. Crucem arbitratur, ajens: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quamobrem ipse Dominus ait: *Quicumque non tulerit Crucem suam, & sequutus me fuerit, non est me dignus, nec potest meus esse discipulus.* Mat. 10. 38.

34. Sed hic multa cautione est opus, ne sicut Judæi tollamus Crucem, non sicut Paulus. Paulus namque ut tropæum peccati gestabat Crucem; Judæi vero ut Dominum occiderent. Quapropter caute ac sobrie agendum, ne dum incusamus Judæos paria cum illis contra Dominum faciamus. Multi siquidem adorantes Dominum, nec sicut dignum illo est vitam agentes, non advertunt se reos effici mortis Salvatoris: nam, *Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*, testatur Apostolus. 1 Cor. 11. 27.
Eadem ratione: *Qui odit fratrem suum, non diligit Dominum*; sed perinde atque Judæi illum odio habet. Qui autem pauperem nihili facit, is Dominum, ut Judæi, contumelia afficit. Hoc Salomon ait: *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus.* Qui Prov. 14. 31.
negligit pauperem esurientem, sitientem & nudum, similis est Judæis qui Dominum exuerunt, & potaverunt aceto & felle. Et qui munera super innocentes acceperit nihil differt ab eo qui Dominum vendidit, Juda: ipse enim quoque justitiam, quæ est Dominus, vendit, ut ille Christum vendidit. Et qui non judicat pupillo, nec viduæ jus suum reddit, is est similis insidiatoribus & calumniatoribus Domini. Demum, quæ quis in proximum operatur, ea reputantur facta in Dominum, qui propter nos descendit, & pro nobis mortuus est. Ita namque ait ipse Dominus in Euangeliis: *In quantum uni ex pusillis istis fecistis, mihi fecistis.* Mat. 25. 40.
Rursum hoc necessarie sciendum observandumque est: Qui fornicatur, suam ipse animam perdit, contumeliaque afficit, ut Judæi templum & corpus Domini. Qui vero, *templum Domini violaverit, disperdet illum Deus*, ut Paulus scribit. 1. Cor. 3. 17.
Et qui sub regno peccati degit, nihil differt a Judæis abnegantibus dicentibusque se, non Dominum, sed Cæsarem regem habere. Nec ignorandum est, eum qui voluptatibus subjicitur, iisque multum delectatur, ipsum, inquam, ut Judæos, Barrabbam postulare, & Dominum occidere. Ita namque Judæi, improbos Barrabbæ mores diligentes, demum virtutem sunt persequuti. Sciendum item, eum qui in fide firmus non est, similem iis esse qui increduli ajebant: *Si Filius Dei est, descendat nunc de Cruce, & credemus ei.* Mat. 27. 42.
Nam hæc illi per incredulitatem dicebant. Quid igitur in hisce agendum? Nihil aliud quam credere Christo, & secundum illum vitam instituere, quemadmodum & Paulus ait: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, & Judæorum aversari amicitiam, incredulitatem, subsannationes, fabulas, genealogias interminatas, quæ potius quæstiones adferunt, quam ædificationem Dei in fide; adhærere autem Cruci, & ut illa dignum est vitam instituere: atque easdem quas Paulus voces proferre: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Nam si ita vitam agamus, credamusque in Dominum, cognoscemus ejus in cælos assumtionem, ejusque ad dexteram majestatis sessionem: videbimusque Angelorum subjectionem ejusque secundum adventum cum gloria futurum: quem Angeli prænuntiant, Sancti decantant: omnes autem qui vident, exsultant, & gaudent in Christo Jesu, per quem Patri gloria & imperium in sæcula sæculorum, amen. 1. Cor. 4. 16. Galat. 6. 14.

IN LIBRUM DE VIRGINITATE

MONITUM.

I. HAUD *abs re dubitavit Erasmus sit ne Athanasii hic liber, cujus sane stylus simplex & incultus, Athanasiano longe inferior videtur. Post Erasmum vero Sculterus hujusmodi ea de re tulit judicium.* De Virginitate, *inquit*, sive de Meditatione liber, si Athanasii est, mire dejecit stylum, inquit Erasmus. Ego vero & gravitatem Theologicam abjecisse Athanasium dixerim, si istas pueriles præceptiones virgini præscripsit. Certe commune nihil habent cum germanis Patris celeberrimi scriptis. *Sed obstupescas plane, si advertas, cujusmodi sint istæ pueriles præceptiones.* Hortatur virgines, *subdit Scultetus*, ad contemtum pecuniæ, jejunium, sobriam vitam, castitatem, preces, conversationem sanctam, eleemosynam, meditationes sanctas, recitationem Psalmorum & alia id genus. Præscribit & certas horas lectioni, synaxi, deprecationi, hymnis. Testificatur, illum in tertio ordine Angelorum inventum iri, qui præcepta hæc servaverit. De salute sua neminem ante obitum certum esse posse docet. *En tibi, Sculteti judicio,* pueriles præceptiones, *quæ tamen aliæ non sunt quam eæ quas Dominus in Euangelio, D. Paulus in Epistolis suis tradidit. Unde præceptiones istas arbitramur esse pii cujusdam, rerumque Ecclesiasticarum periti viri: Athanasii tamen esse vix crediderimus, cum ob diversum orationis genus, tum quia in antiquis collectionibus Athanasianis non reperitur.*

II. *Ceterum palam est diversum esse hunc librum, a sermonibus consolatoriis ad Virginem laudatis a Theodoreto lib. 2. Hist. Eccl. c. 4. de quibus alias. Nulla quippe hic mentio persequutionis, cujus causa illos edidit Athanasius. Porro hoc in opusculo memorantur hymnus,* Gloria in excelsis: *cantus,* Alleluja, *versiculus,* Gloria Patri &c. Et nunc & semper &c. *& alia id genus, quæ fortassis sequioris quam Athanasiani ævi videbuntur. Sed de his fuse in Præfatione generali.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

De Virginitate, sive de Ascesi.

1. EXORDIUM sermonis salutis ad Virginem. A Primum omnium crede in unum Deum Patrem omnipotentem, visibilium & invisibilium conditorem. Et in unigenitum ejus Filium Jesum Christum, qui est substantia Patris, Patrique per omnia potentia æqualis, qui ante sæcula fuit. Et in Spiritum sanctum, qui est in Patre & in Filio, quique a Patre mittitur, & per Filium datur. Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres hypostases, deitas una, una potestas, unum Baptisma. Ipse enim Deus noster, Pater omnium, intra sex dies fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Ipse namque cælum sole, & luna, & syderibus pulcherrimis exornavit, & terram decenter fundavit super aquas, & ornavit eam plantis omnique genere lignorum. Jussu ejus erumpunt fluvii melliflui, & fontes perennes, & injunxit terræ, & produxit carnem, & creavit omnes bestias terræ secundum genus suum, & volucria cæli secundum genus suum. Præcepit aquis, & produxerunt pisces, & condidit immanes balænas. Postremo omnium fecit hominem, & omnia ei ad ministerium donavit. Dixit enim Dominus Deus
Gen. 1: 26. Filio suo: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & formavit Deus hominem, sumens limum de terra, & posuit eum in paradiso voluptatis. Immisit autem Deus in Adam soporem, & consopivit eum, & sumsit unam ex costis ejus, & carnem pro ea substituit, & ædificavit costam, quam sumserat, in mulierem, eamque ad Adam perduxit, & dixit Adam: Hæc caro nunc ex carne mea, & os ex ossibus meis: Ipsa vocabitur virago, quoniam ex viro suo sumta est. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & conjungetur uxori suæ, eruntque duo in carne una.*

2. Audi, ancilla Christi, & quicunque salutem quærunt, & auscultant verba oris mei: & accipiant aures tuæ a Deo inspiratos sermones. *Hoc enim mysterium*, inquit divus Paulus, *magnum est*, eo quod Ephes. 5. 32.
omnis, qui agglutinatur uxori, ambo unum corpus sint. Ita quoque omnis vir sive mulier agglutinatus Domino, unus spiritus est. Si enim qui mundo copulantur, relinquunt patrem & matrem, ut mortalibus hominibus copulentur; quanto magis virgo continens relinquere debet terrestria omnia, & Domino soli agglutinari? Hujus mei dicti testis est ipse Apostolus, ita loquens: *Mulier innupta solicita est eorum, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* 1. Cor. 7. 34.
B *Nupta vero solicita est eorum, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, & divisa est.* Hoc igitur dico, quod Quid sit vera continentia.
omnis virgo, aut vidua continens, si curam suam collocet in hoc mundo, ejus rei cura illi pro marito est: sive possessiones, sive alias substantias possideat, ipsa solicitudo contaminat ejus animam. Ut enim per virum corpus contaminatur, ita quoque habitus mundani, & animam & corpus continentis conspurcant, neque jam est sancta corpore & spiritu. Quæ autem curat opus Domini, hujus sponsus
C est Christus. Ea enim, quæ coaptatur viro corruptibili, voluntatem viri sui facit, ita enim scriptum est: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir:* ac 1. Cor. 7. 4.
rursum: *Quemadmodum Ecclesia subjicitur Domino, ita quoque mulieres viris suis in omnibus.* Exemplo namque mundanarum rerum, si ita velimus, cælestia intellexerimus. Quæ autem conjungitur cælesti sponso, voluntatem sui sponsi facit.

3. Ea autem est voluntas Christi, ut is qui ipsi coagglutinatus est, nihil secum omnino hujus sæculi ferat, nihil terrestria curet; sed solum ut Crucem ejus, qui pro se crucifixus est, bajulare velit: curamque ac solicitudinem gerat, die ac nocte, ut perpetuis hymnis, & glo-

& glorificationibus eum celebret, illuminatum habeat mentis oculum, sciat illius voluntatem & ei obsequatur, cor simplex possideat, & mentem puram. Misericors sit, ut quemadmodum ipse miserator & misericors est, ita & nos quoque eum sequamur. Mansuetus & quietus atque patiens sit, nulli malum pro malo reddens, multas contumelias sustinens, quemadmodum ipse a Judæis contumeliia affectus, eas sustinuit. Verbera & cruciatus ferat: nam & ipse quoque hæc passus est: alapa enim a ministro Pontificis cæsus, nihil cootra fecit, sed tantum dixit:

Joan. 18. 23.

Si male loquutus sum, testimonium perbibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Nonne potuit, qui terræ imperavit, ut Dathan & Abiron vivos deglutiret, rursum imperare, ut eum, qui manum extendit, ut cæderet

1. Pet. 2. 21.

suum Conditorem, vivum deglutiret? Sed sustinoit, nobis relinquens exemplum, ut nos per ejus vestigia incedamus. Tu autem homo noo sustines ab ejusdem naturę homine contumeliis affici. Imitare Dominum tuum. Si enim ille, cum Deus esset, toleravit propter te ab homine peccatore colaphis cædi; tu scilicet indignaris, quod homo similis tibi convitium dicit, & paras ultionem? Proh immensam animi stoliditatem, & stultitiam magnam! Ideo nobis pœna destinata est, & ignem ipsi nobis accendimus, quod cum rationales simus, irrationalibus bestiis nos similea reddamus. In multa humilitate io hunc mundum venit: & opulentua cum esset, egenus factus est propter nos, ut nos illius egestate ditesceremus. Et Deus cum esset, homo factus est propter nos, & natus est ex Deipara Maria, ut nos liberaret a potentia diaboli.

Quid sit vera prudentia.

4. Quapropter qui salvus esse cupit, faciat se stultum in hoc mundo, ut a Domino audiat sapiens. Ab hominibus contra, ii, qui in dando & accipiendo, in emendo, vendendo, negotiisque gerendis, in fraudando, fœnerando versuti sunt, & ex uno obolo duos facere norunt, prudentes appellari solent. Sed Deus hos ipsos, stultos, imprudentes, & peccatores vocat. Audi enim, inquit, quid Deus per Prophetam Hieremiam dicat:

Hierem. 4. 22.

Populus iste filii sunt prudentes ad malefaciendum, cæterum benefacere non noverunt.

1. Cor. 3. 18. & 19.

Beatusque Paulus ait: *Sapientia mundi hujus, stultitia est apud Deum, & qui vult sapiens esse, fiat stultus, ut sapiens efficiatur.* Idem rursus ait:

1. Cor. 14. 20.

Fratres, ne pueri sitis animo, sed malitia parvuli sitis. Deus enim ad terrestria nos stultos esse vult, & ad cælestia prudentes. Nam & adversarius noster diabolus prudens est in malitia, & nos oportet adversus eum prudenter incedere, ut vincamus illius versutas insidias. Dicit enim Salvator in Euangeliis:

Mat. 10. 16.

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Qui autem ab eo prudens vocatur, is est qui sapienter agit ad faciendam voluntatem Dei, & ad servanda præcepta ejus.

De humilitate.

5. Ingens remedium est ad salutem, animi humilitas: Siquidem satanas non ob scortationem, aut adulterium, aut furtum dejectus est ex cælis, sed superbia illum inde pręcipitavit ad inferiores abyssi partes, cujus hæc verba fuere:

Esai. 14. 14.

Ascendam, & ponam thronum meum e region: Dei, & ero similis Altissimo: Et ob hæc verba dejectus est, ignisque æternus illius hæreditas & portio fuit. Superbia itaque in diabolo est, humilitas contra in Christo: ipse namque Dominus ait:

Mat. 20. 26.

Si quis inter vos cupiat fieri magnus, sit omnium minister. Deus enim, humilium est.

De jejunio, oratione, eleemosyne, obedientia.

6. Amemus valde jejunium; magnum enim munimentum est jejunium, oratio item, & eleemosyna; ex morte quippe hominem liberant. Ut enim ob esum & inobedientiam exturbatus est Adam ex paradiso, ita rursum per jejunium & obedientiam in paradisum, qui volet, ingredietur. In hac virtute cultum corporis tui, & ornamenta quære, o Virgo, & placebis cælesti sponso. Nam quæ mundo sociantur, & unguentis, aromatibus & bonis odoribus, & amictu pretioso, & auro venustant sua corpora, ut placeant hominibus; Deo placere non possunt. Christus autem nihil horum a te requirit, nisi solum cor mundum & corpus incontaminatum, jejunioque maceratum. Quod si accedant aliqui & dicant tibi, Ne frequenter jejunes, ne imbecillior fias; nec illis credas, nec auscultes: istos enim inimicus submittit. Reminiscere ejus, quod scriptum est, cum Daniel & tres pueri capti essent a Rege Babylonis Nabuchodonosore, & alii pueri una cum illis: jussissetque Rex, ut de sua mensa comederent, & de suo vino biberent, Danielem & tres pueros noluisse contaminari ex mensa regia, & ad Eunuchum dixisse qui eos curabat:

Dan. 1. 12.

Da nobis de leguminibus terræ, & vescemur eis. Quibus respondit Eunuchus: Timeo ego Regem, qui hunc cibum vobis & potum imperavit dari, ne facies vestræ Regi præ cæteris pueris, qui Regia mensa aluntur, appareant squalidiores, & puniat me. Cui responderunt: Experire id in servis tuis plus minus decem diebus, & da nobis postulatum. Et dedit eis legumina ad cibum, & aquam ad potom, & introduxit eos ad Regem, & visæ suot species illorum eximiæ super eos, qui ex regia mensa vescebantur.

7. Vides quid faciat jejunium. morbos sanat, fluxiones corporis exsiccat; dæmones fugat, malas cogitationes expellit, mentem nitidiorem, cor purgatum, corpus sanctificatum efficit, & ad thronum Dei hominem sistit. Sed ne putes ista temere dici: habes ejus rei testimonium in Euangeliis, ab ipso Salvatore prolatum:

Matth. 17. 18. & 20.

Sciscitati sunt ab eo discipuli, dicentes, Domine, declara nobis, quonam pacto immundi spiritus fugantur. Quibus respondit Dominus, *Hoc genus non ejicitur, nisi orationibus & jejuniis.* Quisquis igitur ab immundo spiritu vexatur, si ei in mentem venerit, atque usus fuerit hoc remedio, id est, jejunio; statim spiritus malus angustiatus secedit, veritus jejunium. Multum enim dæmones delectantur crapula, ebrietate & otio corporis. Magna virtus jejunium, & præclara per illud eduntur facinora. Alioquin unde homioes tantas virtutes operantur & signa edunt, eorumque opera infirmis sanitatem Dominus tribuit, nisi plane ob ascesin, humilitatem & probum vitæ institutum? jejunium enim Angelorum est vita, quo qui utitur Angeliei ordiois censendus est. Neque arbitrere, dilecte, ea simplieiter in re consistere jejunium. Non enim qui a cibis solum abstinet, is recte agit; sed ejus qui abstinet ab omni opere malo, jejunium acceptum habebitur. Nam si jejunes, nec observes os tuum ne loquatur malum, nec caveas tibi ab iracundia, mendacio, perjurio: si quid mali contra proximom tuum loquare; si, inquam, ex jejunantis ore, horum quidpiam proficiscatur, nihil hinc utilitatis percipit, sed totum laborem suum perdit. Tu itaque Christi famola, & quotquot salutem consequi cupiunt, si jejunaveris, purifica temetipsam ab omni pecuniæ amore: quia qui pecuniam amat, non potest Deum diligere.

1. Tim. 6. 10.

Radix enim omnium malorum est avaritia.

Ambitio & arrogantia vitanda.

8. Ambitionem & arrogantiam summopere fugias. Si tibi cogitatio suggerat, te ob profectum in virtute magnam præclaramque esse, ne credas ei. Inimicus enim est, qui te impedit, & ambitionem subjicit. Ne itaque eam admittas cogitationem, quæ laudes repræsentet tuas. Quod si tibi sese talis offerat cogitatio: Noli tam graves subire labores, cum alias

possis

possis salutem consequi; ne illi obsequare. Inimicus namque est, qui tibi mollitiem, segnitiemque ejusmodi subjicit, ut te a probo tuo vitæ instituto dejiciat. Multa quippe sunt ejus machinamenta adversus Doi servos. Submittit enim hominibus cogitationes: incipit laudare, ut corda eorum extollat. Tu vero ne hominum laudes admittas. Quod si quis tibi dixerit: Beata es; responde illi: Quando vita probe peracta ex hoc corpore excessero, tuoc beata prædicabor. Jam enim non credam me beatam esse. Homines quippe quasi ventus; ita mutamur. Plerumque suadet tibi, ut eos qui comedunt despicias: sed ne credas ei, alienus quippe est; quin potius te omnium minimam reputeto, ut multos præmittas in regnum cælorum, & e Deo exalteris. Si suadet tibi inimicus ingeetem ascesin seu exercitationem, ut corpus tuum, infirmum & inutile efficiat: tuum jejunium modum habeat. Jejuna itaque totum annum oisi aliud postulet necessitas; hora autem nona in hymnis & orationibus transacte, sume panes tuos cum oleribus oleo conditis. Omnia pura sunt quæcumque inanimata.

Bonum in occulto agendum.

9. Tu autem, o Virgo, id age, ut nemo tuam norit ascesin, ne ex cognatis quidem tuis: sed si quid agis, in occulto age: & Peter tuus cælestis qui videt in occulto, reddet tibi in publico. Quod si vitam tuam manifesteveris, hinc tibi nascetur inanis gloriæ cupiditas, atque detrimentum senties. Si vero animam repereris tibi consentientem, atque Deo eadem ratione servientem, huic soli secreta tua revelato: hac enim in re non est inanis glorie. Loquuta namque es ut salva fieret anime: magnam mercedem recipies, si per te anima salutem consequatur. Quibus inest eudiendi desiderium loquero quę sint utilia. Quod si ille audierit & audita non exsequatur, ne loquere ultra. Ait eoim Dominus, *Ne date sancta canibus: neque prejicite margaritas vestras ante porcos.* Canes namque & porcos vocat Dominus eos, qui turpem agunt vitam. Margaritæ quippe pretiosæ sunt Dei verba, quæ iis tantum qui digni sunt tribuuntur.

Mat. 7. 6.

10. O beata anima quæ sermones audierit hoc in libro scriptos, atque exsequuta eos fuerit. Testificor omni homini, qui audierit hæc verba & fecerit ea, quod nomen ejus scribendum sit in libro vitæ, & quod ipse in tertio Angelorum ordine sit collocandus. Si igitur ores aut psallas, legasve, seorsum sede: nemo audiat nisi tu sola. Et si habeas concordem unam aut alteram Virginem, ait enim Christus: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: abjice muliebrem sensum, ac fiduciam virileque robur adsume. Nam in regno cælorum non est masculus neque fœmina; sed quæcumque mulieres Domino placuerunt, virorum ordinem accipiunt. Juvenilia ornamenta obliviscere, ut bonæ viduæ pretium accipias. Ait enim beatus Paulus: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Quæ vere vidua est & desolata, in Deo sperat, & permanet in obsecrationibus & orationibus nocte & die. Quæ autem in delitiis est, mortua est. Vidua eligatur non minus annorum sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor: Si hospites exceperit, si liberos educaverit, si pedes Sanctorum laverit, si afflictis opem tulerit, si omne bonum opus prosequuta fuerit. Juniores viduas recusa: cum enim lascivierint adversus Christum, tunc nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Mat. 18. 20.

1. Tim. 5. 5.

Modus vestimentorum virginis.

11. Tu autem si non facias tibi juveniles habitus, non audies junior, sed ætate grandior, honorque tibi erit quasi ætate majori. Materia vestimentorum tuorum, ne sit magni pretii. Ependytes tuus niger, neque tinctus, sed nativi
A coloris, aut onychinus. Masorium sine fimbriis ejusdem coloris: manicæ laneæ, brachia usque ed digitos obtegentes: capilli capitis circum tonsi, & vitta lanea caput adstringens, cucullule & superhumerale sine fimbriis. Si viro occurras facies velata demissaque esto, neque homioi vultum adtollas, sed dumtaxat Deo tuo. Cum ed orandum steteris, sint pedes tui calceis operti. Ejusmodi enim vestimenti genus, sanctitatem præsert. Ne exuaris ad usque nuditatem: nocte dieque, vestis tegat carnem tuam. Numquam te elia fœmina nudam
B videat, nisi in summa necessitate: neque te ipsa consideres, nudo corpore. A quo tempore enim statuisti Deo casta esse, corpus tuum sanctificatum & templum Dei est. Non debet igitur templum Dei ebullo retegi. Non ibis ad balneum, si quidem sana sis, nisi in summa necessitate: neque immergas totum corpus tuum in aquam, quia sancta es Domino Deo. Non contamines carnem tuam ulla re mundana, sed faciem tantum tuam lava, & manus pedesque. Cum laveris faciem tuam ne lavato embabus manibus, neque expoliveris genas vultus tui, ne herbam, ne ni-
C trum, eut quid simile adhibueris: nam quæ mundanæ sunt talia faciunt; sed aqua munda laveris.

Qui corporis cultus.

12. Ne pretioso unguento corpus tuum uoxeris, neve aromatibus magni pretii vestes adspergas tuas. Quod si corpus tuum imbecillius evaserit, vino modico utere ob stomachum. Si vero, quod ebsit, in malum iocidas; teipsam cura, nec des hominibus locum dicendi, tibi ex ascesi seu exercitatione eem ægritudinem accidisse. Sed priusquam te aliquis id moneet tute curam habeto tui, donec brevi surgas, & assuetam regulam trahas. Per omne tempus vitæ tuæ in jejuniis, orationibus & eleemosynis persevera.
D Beatus qui hæc audit & perficit. Nocte dieque ne recedat verbum Dei ex ore tuo. Sit autem opus tuum omni tempore, meditatio divinarum Scripturarum. Psalterium habeto & Psalmos edisce. Sol oriens librum videat in manibus tuis: & post tertiam horam synaxes confice, quia ea ipsa hora compactum est lignum Crucis. Sexta hora similiter tuas ebsolve orationes cum Psalmis, fletu & obsecratione: quia ea ipsa hora Filius Dei in Cruce suspensus est. Nona iterum hora in hymnis & laudibus cum lacrymis confitens peccata tua, Deum obsecra: quie ea ipsa hora Dominus pendens in Cruce tradidit spiri-
E tum. Et post synaxin horæ nonæ, comede panem tuum gratias Deo agens in mensa tua, bis verbis: Benedictus Deus, qui miseratur nos, & alit nos a juventute nostra: *Qui dat escam omni carni.* Imple gaudio & lætitia corda nostra, ut in omnibus omnem sufficientiam babeotes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo te decet gloria, imperium, honor & adoratio, cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum, amen.

1. Tim. 5. 23.

Benedictio mensæ.

Psal. 135. 25.

2. Cor. 9. 8.

13. Porro cum in mensa sederis, cœperisque frangere panem, ipso ter consignato signo Cru-
F cis, ita gratias age: Gratias tibi egimus, Pater noster, de sancta Resurrectione tua, quam per Jesum Filium tuum nobis manifestasti; & sicut hic, qui supra mensam est, paois, dispersus olim, & coactus, factus est unum; sic congregetur Ecclesia tua a finibus terræ in Regnum tuum, quia tua est virtus & gloria in sæcula sæculorum, amen. Quam quidem orationem in frangendo panem comestura dicere debes: cum autem eum in mensa repones, mox sessura, orationem, *Pater noster*, integrem recita: supra scriptam vero orationem, *Benedictus Deus*, pransi ac surgentes

a men-

a mensa dicimus. Quod si adsint tecum duæ vel tres virgines, gratias agant super panem, & una tecum orent. Quod si adsit catechumena in mensa, ne oret cum fidelibus, neque cum illa sedeas ut panem comedas. Neque sedebis item ut comedas cibum tuum cum mulieribus negligentioribus & facetis, absque necessitate. Tu enim Sancta es Domino Deo tuo, & cibus tuus atque potus sanctificatus est; nam orationibus sanctisque verbis sanctificatur. Virgines piæ & religiosæ tecum comedant. Non cœnabis cum fœminis superbis, neque habebis mulierem arrogantem tibi familiarem. Ait enim divina Scri- Eccl. 13. 1. ptura: *Qui tangit picem inquinabitur, & qui communicat cum superbo, similis erit ei*. Sedente tecum in mensa fœmina divite, si videris pauperem mulierem, voca eam ad cibum, neque pudore ob præsentem divitem retinearis. Ne ames hominum gloriam, plus quam gloriam Dei. Deus enim egenorum & despectorum Deus est.

14. Beata anima quæ ista servarit. Non est bonum juvenculam cum juvencula versari: alioquin nihil boni faciunt, altera enim alteri non obsequitur, altera alteram contemnit. Sed bonum est juvenculam subesse anui. Siquidem anus non consentit voluntati juvenculæ. Væ virgini, quæ non subest regulæ: est enim quasi navicula sine gubernatore. Confractis quippe gubernaculis, nec ducem habens, ultro citroque jactatur a fluctibus, donec in petram offendens, derepente pereat. Ita est omnis virgo quæ non habet quem vereatur. Beata Virgo quæ est sub regula: erit namque quasi vitis in paradiso fructifera, ad quam veniens agricola putat palmites ejus, eam irrigat, malasque circum herbas evellit. Illa vero dum habet qui se excolat, fructum suum pretiosum reddit in tempore opportuno. Hæc custodi, & glorificationes illas in mensa servato, eritque cibus potusque tuus sanctificatus. Cum itaque a mensa sur- Ps. 110. 4. rexeris, rursum gratias agendo, ter dicito: *Misericors & miserator Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Et nunc & semper & in sæcula*. Et post gloriam Deo datam, orationem his comple verbis: Deus omnipotens, & Dominus noster Jesus Christus, quod est nomen super omne nomen, gratias agimus tibi & laudamus te, quia dignatus es nos bonorum tuorum participes fieri, & escarum carnalium. Rogamus & obsecramus te, Domine, ut cælestea cibos donea nobis. Et da nobis tremere & timere terribile & honorabile nomen tuum, & non transgredi mandata tua: legem tuam & justificationes tuas infere cordibus nostris. Sanctifica autem spiritum, animam & corpus nostrum, per dilectum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo te decet gloria, imperium, honor & adoratio in sæcula sæculorum, amen.

15. Sunt enim ex mundanis complures, qui amentes, velut bruta animantia pabulum sumunt. Qui mane surgentes, quærunt quem defraudent, quem opprimant, ut fœdum ventrem suum impleant. Isti Deum in mensa glorificare non norunt. Philipp. 3. 18. De istis ait divinus Paulus: *Hi sunt inimici Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cælis est*. Hi feris & jumentis deteriores sunt: nam jumenta & feræ norunt conditorem suum Deum, & benedicunt illi; homines contra, ejus manu formati, & imaginem ipsius ferentes, non noverunt conditorem suum: sed ore quidem illum confitentur, operibus autem ne- Jacob. 2. 19. gant. *Tu credis quoniam Deus est, bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt: sed fides sine operibus mortua est*. Quid enim prodest homini confiteri Deum esse, si malis eum operibus abnegat? Quomodo se confitetur Dominum habere, si ei non serviat? idem enim audit Dominum suum. Et servi quidem norunt emtores suos, & honorant illos: nosque itidem debemus illum honorare, non tantum verbo, sed etiam opere. Ipse namque Dominus noster Jesus Christus testificatus est in Euangelio: *Non omnis qui* Matth. 7. 21. *dicit mihi, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælis*: & rursum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Exod. 20. 7. Iterumque præcepit nobis dicens: *Discedat ab iniquitate* 2. Tim. 2. 19. *omnis, qui nominat nomen Domini*. Vis nosse bestias & jumenta cognoscere Deum, eique benedicere? audi Spiritum sanctum præcipientem illis in hymnis: *Benedicite* Dan. 3. 81. *bestiæ & omnia pecora Domino*. Nisi benedicerent, nequaquam id præcepisset eis. Nec ipsa tantum benedicunt Deum; sed & omnis creatura quæ apparet & oculis percipitur, utraque non cessant confiteri.

16. Tu itaque, ancilla Dei, sive surgis, sive sedes, sive quid operis facis, sive comedis, sive lectum petis ut somnum capias, sive e lecto surgis, ne absistat hymnus Dei a labiis tuis. Beatæ aures, quæ excipiunt hos sermones. Si ingrediaris hora duodecima, majorem longioremque facies synaxin cum sociis tuis virginibus. Sin nulla adest socia, sola id exsequare, Deo præsente & audiente. Bonum est lacrymas effundere in conspectu Dei. Recordare horæ duodecimæ, qua Dominus noster descendit in infernum, quem ut vidit infernus exhorruit, & perculsus ait: Quis est hic, qui in potestate & magna virtute descendit? Quis est hic, qui portas inferni æreas contrivit, & vectes Psal. 106. 16. adamantinos confregit? Quis est hic, qui descendit de cælis, & crucifixus est, nec a me, quæ mors sum, domitus est? Quis est hic, qui vincula solvit eorum qui a me captivi detinebantur? Quis est hic, qui sua morte me mortem destruit?

17. Ideo ea ipsa hora adtentiores esse debemus, & Virtus lacrymarum. cum lacrymis nocte invocare Dominum. Magna quippe virtus est lacrymarum, & præclara res est: magna enim peccata, magnæ iniquitates lacrymis delentur. Pro teste mihi est sanctum Euangelium. Cum enim Salvator traditus esset Judæis, Petrus ter illum cum juramento negavit, priusquam gallus cantaret: Dominus autem conversus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, quod dixerat sibi: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis, &* Matth. 26. 34. *egressus foras, flevit amare*. Vides quod in lacrymis sit remedium: perspectum habes qualem deleverit iniquitatem. Quid enim hoc malo deterius, quo ter juramento adhibito, Dominum suum negavit? & tamen tantum flagitium lacrymis extersit. Vides quanta sit vis lacrymarum: hæc enim ad commonitionem nostram scripta sunt, ut nos hæc imitati, vitam possideamus æternam. Non multi sunt, qui lacrymarum gratiam habeant: sed quotquot mentem sursum erectam habent, quotquot terrena obliviscuntur, quotquot carnis curam non habent, qui ignorant prorsus an sit mundus, qui membra sua mortificaverunt, quæ sunt super terram: his solis datur luctus lacrymarum. Nam cum mente sint pura & perspicace mentis oculo, dum in terra degunt, vident inferni supplicia, & æternos cruciatus, quibus torquentur peccatores: necnon æternum ignem, tenebras exteriores, fletum & stridorem dentium. Vident quoque dona cælestia, quæ largitus Deus est sanctis viris, glorias, coronas, stolas sanctas, regia indumenta, lucidas cellas, inenarrabiles delitias, vitam æternam. Ecquid ultra non dixerim? Quod omnium mirabilissimum est, qui pura est mente, ipsum Deum interioribus oculis perspicit. Quomodo.

do igitur flere, lugere non velit, qui ista videat? [A] Flet enim atque lamentatur, ut a gravibus suppliciis eripiatur: rursum flet & obsecrat, ut dignus fiat cælestium ejusmodi bonorum.

18. Ideo hunc mundum oderant Sancti, gnari qualia bona possessuri essent. Itaque quisquis in hoc mundo requiem habet, ne speret se requiem accepturum æternam. Nam regnum cælorum, eorum non est qui requiem hic habent, sed eorum qui in ærumnis & angustiis multis hanc degerint vitam. Illud enim regnum non gratis datur, sed magno labore maximis sudoribus ipsum adepti sunt, qui eo digni sunt habiri. Non curant quantumcumque hic [B] laboraverint. Eo enim ingressi, laborum dolorumque mox obliviscuntur quantumcumque sint perpessi in hoc vano mundo, ob magnam & inenarrabilem sibi datam requiem. Quid ais homo? Ecce binæ viæ tibi sunt propositæ, vita & mors: qua volueris, incede. Ecce ignem & aquam, quocumque volueris extende manum tuam. Penes te est, si lubeat, vitam possidere; penes te est, si placuerit, mortem adipisci. Mors itaque hic mundus est: vita vero est justitia. Quamobrem tanto intervallo mundus distat a justitia, quanto mors a vita. Si igitur ambulas in mundo, in morte ambulas, & extra Deum es, secundum [C] divinam Scripturam: quod si in justitia ambulas, in vita ambulas, & nequaquam te adtinget mors. Apud justos enim non est mors, sed translatio. Transfertur enim justus ex hoc mundo in requiem æternam. Et quasi quis ex carcere evadat; sic Sancti ex hac misera vita discedunt ad bona sibi parata:
1. Cor. 2. 9. *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se*. Peccatores autem hic misere laborant, & illic rursum ignis ipsos exspectat. Qui duplici de causa flere debent, quia hic in angusto sunt, nec tamen ibi [D] libertatem adipiscentur. Quare ait divina Scriptura:
Prov. 11. 5. *Quam se cumque in partem convertat impius, subruitur*. Angustiæ enim illi sunt undique: illic dolores, hic ærumnæ. Nullus quippe homo est, quin laboret in hac misera vita, pauper & dives, servus & liber, peccator & justus. Omnes pariter laborant, unusque casus omnibus obveniet, sive peccatori sive justo, in hoc scilicet mundo.

19. At ibi non ita se res habet, sed alius atque alius ordo. Alius quippe est labor justi in hoc mundo, & alius, peccatoris. Nam justus laborat, non quo ventrem impleat: nullam quippe carnis solicitudinem [E] habet, neque cogitat se carnem gestare; sed nocte dieque laborat Deum quærendo, somnum plerumque modicum capit, pane & aqua non saturatur: in desertis errat locis, corpus suum multis afficit ærumnis, donec immarcessibilem coronam accipiat, quæ ipsi reposita est. Contra peccator laboribus & ærumnis premitur, non propter justitiam, sed propter hanc miseram carnem, ob turpem mulierem, aliis atque aliis calamitatibus affligitur, nec præsentibus contentus, in miseria atque invidia degit. Sed nihil eorum perspectum habent amentes: excæcavit enim illos materia, & multæ mun- [F] di hujus curæ: errantque donec in eos immittatur miles ille violentus, qui nec personam verebitur, nec munera accipiet. Animæ quippe illorum vi abducentur ab Angelis immitibus, suamque a Deo sententiam accipient. Vani enim cum sint, in vanum laboraverunt in hoc mundo: terrena sunt operati, quocirca & ipsi in perditionem abierunt. Non enim memores fuere Dei dum in terra essent: [A] neque curæ illis fuit ut Dei timorem præ oculis haberent: quare nec illos curat Deus. Justus enim est Deus, & justum judicium ejus. Nam cum venerit judicaturus mundum, tunc reddet unicuique juxta opera sua. Beatum cor quod hæc suscipit. Psalm. 118. 137.

20. Media nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum. Ea enim ipsa hora resurrexit Dominus noster ex mortuis, & Patrem suum hymnis celebravir: quare injunctum nobis est ut ea ipsa hora hymnos Deo dicamus. Surgens porro dic primo hunc versum: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ*: & precare, in- [B] cipeque recitare quinquagesimum Psalmum donec absolvas. Hæc sint constituta tibi per singulos dies. Tot Psalmos recita, quot poteris stando recitare: atque per Psalmos singulos oratio & genuflexio persolvatur, confitendo cum lacrymis Domino peccata tua, & rogando ut tibi dimittantur: post ternos Psalmos dices, Alleluja. Quod si tecum fuerint Virgines, ipsæ quoque psallant, & alia post aliam orationem absolvite. Matutina hora, hunc dicito Psalmum: *Deus Deus meus ad te luce vigile. Sitivit in te anima mea*. Sub diluculum vero: *Benedicite omnia opera Domini Domino: Gloria* [C] *in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus beneplacitum. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te &c.*
Psalmi, Alleluia: Hymnus, Gloria in excelsis. Psalm. 118. 62. Psalm. 62. 2. Daniel. 3. 57. Luc. 2. 14.

21. Caritatem autem, quæ omnium maxima est, custodiamus. Nam, *Diliges*, ait, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua, & ex tota anima tua, & proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ*. Matth. 22. 37. Deus caritas est, & ipse prior dilexit hominem, ac se ipse tradidit pro nobis, ut nos liberaret ab omni iniquitate. Si igitur ipse Dominus pro nobis mortuus est, & ipsi pro aliis debemus animas nostras ponere. Deus caritas est, & [D] qui habet caritatem Deum habet. Ipse namque dixit: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Joan. 13. 35. Quantumcumque enim laboraverit homo, si dilectionem non habeat erga proximum, frustra laboraverit. Ita ostendas dilectionem erga proximum, non verbo tantum, sed etiam opere. Non retinebis offensam alicujus in corde tuo, alioquin precatio tua ad Deum pura non ascendet. Non occidet enim sol super iracundiam vestram. Mansuetudinem, patientiam, tolerantiam & simplicitatem infantiæ retine. Ait quippe Dominus: *Nisi convertamini, & efficiamini sicut parvuli, non* [E] *intrabitis in regnum cælorum*. Matth. 18. 3.

22. Ne contristere si quid adversum accidat tibi, neque de accepto damno vel contumelia doleas: *Tristitia enim hujus mundi, mortem operatur*. 2. Cor. 7. 10. De tuis solum peccatis doleas: de alia re parvi momenti ne contristere. Ne adtollas vocem in aliquem præ iracundia: ancillam quippe Domini non decet disceptare. Non exibit de ore tuo maledictum, non contumelia, non obtrectatio. Os enim tuum sanctificatum est hymnis & laudibus Dei. Par non est prodire te absque magna necessitate. Quietem ama quantum potes. Servorum Dei ne obliviscere, neque [F] deleantur illi ex corde tuo. Si vir sanctus venerit in domum tuam, ita excipito illum, quasi Filium Dei: ait enim Dominus noster Jesus Christus: *Qui vos suscipit, me suscipit*. Marc. 9. 36. Si ingressus fuerit vir justus in domum tuam, * cum timore & tremore occurres ipsi, & procides humi ad pedes ejus adorans. Non enim illum adorabis, sed Deum qui misit ipsum. Aqua accepta lavabis pedes ejus, & cum omni reverentia verba illius audies. Non confidas in tua castitate, ne cadas;

* In hæc verba notat Fele. *Quod hic mentio est domus Monialis propriæ, videtur id innuere auctorem loqui de genere Monacharum, quæ non in cœnobiis, sed domi suæ vivunt: observantes tamen regulam claustralium in victu & amictu. Quod genus frequens videas in Walachia, Russia & cæteris Orientalibus provinciis.*

A ιadas; sed time: quanto tempore timebis non peccabis. Expedit continentem, seorsum panem suum comedere. Si sederis ad mensam cum virginibus, de cibis omnibus propositis comedes cum illis. Nam si non comederis, videbere illas improbare. Non declarabis ascesin seu exercitationem tuam. Si vinum non bibas & bibant ipsæ, parum bibito earum gratia. Quod si adsint magnæ anus, & largius te bibere cogant, ne audias illas, sed dic illis: Vos in ascesi seu exercitatione multa juventutem vestram transegistis: at ego ne ad primum quidem vestrum gradum perveni. Porro de hospitalitate & eleemosynis, non opus est ut admonearis. Id enim tu sponte tua facies. B

23. In Ecclesia tace, nec quidquam loquare; sed adtende solum lectioni. Si tibi in mentem venerit aliquod opus peragere, ne temere id agas, ne illudat tibi inimicus; sed cum consilio majorum omnia exsequare. Cum psalles aut orabis, ne sinito peregrinas cogitationes cor subire tuum. Rogo te, dilecta, ut adtendas audiasque præcepta hoc in libro scripta. Nec solum oculis exterioribus quæ scripta sunt percipias, sed etiam interioribus. Singulisque præceptis animum adhibe, & illa exsequere. Si enim ista servaveris, Regio thalamo digna habeberis. Ne dixeris in corde tuo: Quonam modo hæc præstare potero? C Ne timore corripiaris in cogitatione tua; sed si cum omni alacritate ea custodieris, Deum habebis adjutorem. Nam timentibus Deum Dei præcepta non sunt difficilia. Nulla hora deficiat oleum in lampade tua, ne veniens sponsus, eam exstinctam inveniat. Ignoras enim qua hora venturus sit, primone somno an mane. Parata igitur esto; ut cum venerit, una cum prudentibus obviam ipsi venias, habens oleum in lampada tua, hoc est, bona opera tua. Singulis horis memento exitus tui: quotidia mortem ante oculos habeto: recordare apud quem te sisti oportet.

24. Grave quiddam est ascesis, difficilis continentia; sed nihil dulcius cælesti sponso. Hic parum laboramus, & illic vitam æternam consequemur; ait enim beatus Paulus: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Rom. 8. 18. Bonum est fugere turbam, & seorsum secedere. Magna virtus continentia, magna gloria castitas, magna encomia virginitatis. (Continentiæ & virginitatis laudes.) O virginitas, immaniæ divitiæ! o virginitas, corona immarcessibilis! o virginitas, templum Dei & Spiritus sancti habitaculum! o virginitas, margarita pretiosa, multis latens, a paucis inventa! o continentia Dei amica, & a Sanctis celabrata! o continentia multis odiosa, iis qui te digni sunt agnita! o continentia quæ effugis mortem & infernum, & ab immortalitate possideris! o continentia, gaudium Prophetarum, & Apostolorum gloriatio! o continentia Angelorum vita, & Sanctorum hominum corona! Beatus ast qui te tenet, beatus qui perdurat in tui tolerantia, quia post modicum laborem, multum in te gaudebit. Beatus qui jejunaverit universo hoc tempore, quia in cælesti Jerusalem habitabit, cum Angalis choreas aget, cum Prophetis & Apostolis requiescet.

25. Hæc tibi scripsi, soror dilecta, quæ cum Christo choreas agis, ad fulcimentum & utilitatem animæ tuæ. Na declines igitur a sermonibus istis ad dextaram vel ad sinistram. Quisquis enim audierit sermones istos, & despexerit, ingens illi erit damnatio. Tu autem, soror honoratissima, quæ hunc librum possides, faxit Deus ut hæc observes, in hisque verseris, illustrata mente, puro corde, illuminatis mentis oculis; ut accipias immarcessibilem coronam, quam præparavit Deus diligentibus se, per Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum, amen.

IN SYNOPSIN SCRIPTURÆ SACRÆ

ADMONITIO.

I. DE *hoc libro variæ sunt eruditorum sententiæ. Alii namque verum germanumque Athanasii esse fœtum autumant; alii, nec injuria, ejus* γνησιότητα *in suspicionem vocant. Ex iis vero qui Athanasio hoc operis adjudicant, sunt qui arbitrentur Synopsin hanc Scripturæ sacræ esse illa* πυκτία τῆς θείας γραφῶν, *quæ Constantis Augusti rogatu se adornasse, & ad ipsum Imperatorem transmisisse testatur Athanasius in Apologia ad Constantium num.* 4. *Nos secus existimamus;* πυκτία *quippe illa* τῆς θείας γραφῶν, *nihil esse aliud arbitramur, quam ipsam Sacram Scripturam, quæ ad faciliorem legentis usum, in plura volumina compingeretur;* πυκτία *quippe significant volumina. Sic Gregor. Nazianz. Epist. ad Philagrium pag.* 827. πυκτίον Δημοσθενικὸν *vocat, volumen operum Demosthenis, & Epist. ad Theodorum Thyanensem p.* 843. πυκτίον τῆς Ὠριγένους φιλοκαλίας, *vocat Librum seu volumen Origenis Philocaliæ. Insignior exstat locus apud eumdem Epist. ad Adamantium p.* 896. ἰδοὺ σοι καὶ πυκτία παρ' ἡμῶν, ἅπερ ζητεῖς, ὅσα τὰς σῆτας διέφυγε, καὶ τὸν καπνὸν, ὑπὲρ ὃ κατεῖχον. En libros eos a nobis habes, quos postulas, eos inquam omnes, qui tineas effugerunt, fumumque supra quem siti erant. *Hinc manifestum est* πυκτία τῆς θείας γραφῶν, *esse, non opus aliquod in Scripturam compositum, sed libros seu volumina Scripturarum ipsarum, quæ Athanasius transmisit ad Constantem Imperatorem. Plura possemus proferre hujus rei asserendæ causa, sed hæc erunt, ni fallor, satis.*

II. *Licet porro Synopsis isthæc sit accurati cujusdam, & Scripturarum peritissimi Scriptoris, nobis videtur non esse Athanasii. Primo namque a nemine antiquorum memoratur opus simile ab Athanasio adornatum fuisse. At certe vix potuit ab Hieronymo aliisque Patribus, iis maxime qui Scripturas explanarunt, & a Photio ipso, tam insigne opus Athanasianum prætermitti.* 2°. *In nullis Athanasianis collectionibus comparet, sed ex uno tantum manuscripto Græco prodiit.* 3°. *In enumerandis libris quibus in Ecclesia contradicitur, multum discrepat Scriptor iste ab Athanasio; nam librum Pastoris nusquam memorat, quem tamen Athanasius in Epistola festali numerat inter illos qui in Ecclesia leguntur, alibique vocat librum Pastoris, utilissimum. Multi item libri inter eos quibus contradicitur in finem hujus Synopseos recensentur, quorum ne verbum quidem in memorata Festali Epistola. Ad hæc in Apocryphis Novi Testamenti numerantur in Synopsi* Κλημέντια, *seu Homiliæ Clementinæ, quarum mentionem primo reperimus diu post Athanasii ævum apud Nicephorum Patriarcham. Sunt enim illæ opus diversum a Recognitionibus, quarum Origenes, Rufinus & alii meminere, licet ejusdem sint argumenti, &, ut videtur, postea confictæ.* 4°. *Quæ de variis Scripturæ Sacræ versionibus postremo loco dicuntur ex Epiphanio de Mensuris expressa sunt, ut nemo non videt, & ibidem nos advertimus. Responderi forsan posset, hæc postrema adjectitia esse. Sed id gratis omnino dicitur, cum*

con-

consequenter ponantur in Codice unde Synopsis istbæc prodiit: & alioquin tanta ubique appareat hujus Scriptoris diligentia, ut nihil omnino omittendum censuerit; quare & quæ de versionibus leguntur, & quæ postea de amissis libris in Scriptura Veteri memoratis tractantur, unius ejusdem Synopseos Scriptoris esse arbitramur. 5°. Licet in simplici recensione eorum quæ in Scripturis Sacris continentur, qualis est ista Synopsis, vix styli genus & ratio deprehendi queat, quisquis tamen Athanasianæ orationi assuetus erit, non uno loco diversa loquendi genera animadvertet. In Athanasio enim τὸ σεμνὸν ubique comparet, ut ait Photius, hic vero Scriptor multitudine verborum epithetorumque supereffluit. Exempli causa, post factam priorem librorum Scripturæ enumerationem, quibusdam præmissis ita habet: ἐπείπερ θεῖον κατὰ τὴν ἐκείνων ἀπόλαυσιν καὶ συμφορίαν, ἀλλὰ μυρία καὶ ἀναγκαιότατα βιβλία ἐξηκοντίσθησαν ὑπὸ τῶν κατὰ καιροὺς μεγάλων καὶ σοφωτάτων θεοφόρων πατέρων, εἰς μαρτυρίαν τῶν προλαβόντων καὶ διαφώνων. Quæ sane & multa his similia quivis emunctæ naris homo non Athanasii, sed alterius cujusdam Scriptoris Athanasio ætate inferioris esse censuerit. Nam Græci sequioris ævi epithetis & verborum multitudine gaudebant. Insuper nonnullæ voces hic exstant quas nonnisi post Athanasii ætatem usitatas reperimus, quale est, illud in cap. de libro Judicum, ποσοῦνται pro numerantur, & alibi, σωματοποιούμενον. Cyrill. Alex. ποσοῦσθαι usurpat, nec antea vocem illam me reperisse memini: in Logarica item Alexii Comneni a nobis edita legimus σωματοποιεῖται, eadem sententia: quod conjecturæ tantum loco ponimus. Hæc in causa nobis fuere, ut Synopsin Scripturæ Sacræ inter dubia & suspecta opera recenseremus. Mittimus alia quædam argumenta, a nonnullis allata, ut Synopsin Athanasio abjudicarent, quæ minoris momenti esse arbitramur.

III. *Theodorus porro Balsamon ad Canonem 27. Synod. Carthag. p. 636. memorat Canonica Athanasii & Amphilochii, indicatque ibi veros & Canonicos contineri Scripturæ libros. κανονικὰ vero ista, autumant nonnulli esse hanc Scripturæ Synopsin: sed nusquam reperimus hunc librum, Canonicum seu κανονικὰ, appellari. κανονικὰ igitur Athanasii & Amphilochii, sunt Epistolæ seu alia Opuscula eorumdem Patrum, quæ in collectionibus Canonum Græcis locum habent, & vocantur illic ut plurimum Epistolæ Canonicæ: ejusmodi sunt tres Epistolæ Athanasii quæ ex Canonum collectione desumtæ sunt & ad calcem primi Tomi a nobis repositæ, in quarum secunda, cui titulus, Epistola Festalis, habetur catalogus librorum Scripturæ, ad quem hic haud dubie respicit Theodorus Balsamon, in iisdemque collectionibus Canonum mss. exstat carmen Amphilochii, in quo recensentur Canonici Scripturæ Libri, quo spectat idem Theod. Balsamon. Ceterum tres Epistolæ illæ Athanasii, pariterque carmen Amphilochii, cusa sunt in postrema collectione Canonum Anglicana, secundo Tomo inter Epistolas Canonicas.*

IV. *Eximia sane est hæc Synopsis, cujusque tandem sit auctoris, & tanta cura, sagacitate, eruditione elaborata, ut nihil supra. Non modo quippe, singuli Scripturæ Libri, accuratissime in ea recensentur & in Epitomen aptissime rediguntur; sed multa disquiruntur quæ spectant Chronologiam, Librorum Scripturæ auctores, nominis singulorum Librorum rationem & causam, variarum versionum historiam paucis comprehensam. Denum nihil pene retro reliquisse videtur Scriptor iste, quod vir Græce solum eruditus præstare possit. Multæ porro mendæ in nominibus maxime propriis, uti solitum est, irrepserant, quas quoad licuit emendavimus: & ad finem non pauca quæ Latine tantum cusa erant in prius editis, ex manuscriptis desumta Græce edidimus.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Brevis divinæ Scripturæ Veteris ac Novi Testamenti Synopsis, id est compendium.

I. OMNIS nostrum Christianorum Scriptura, divinitus inspirata est, librosque habet non A indefinitos, sed definitos, ac certo canone comprehensos. Et veteris quidem Testamenti hi sunt.

Genesis, cujus initium est: *In principio fecit Deus cælum & terram.*

Exodus, cujus initium est: *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui in Ægyptum ingressi sunt.*

Leviticus, cujus principium est: *Et vocavit Dominus Moysen, & loquutus est illi in tabernaculo testimonii.* B

Numeri, cujus initium est: *Et loquutus est Dominus ad Moysen, in solitudine Sina, in tabernaculo testimonii.*

Deuteronomium, cujus initium est: *Isti sunt sermones, quos loquutus est Moyses ad omnem Israelem trans Jordanem, in solitudine ad occasum, prope mare rubrum.*

Jesus filius Nave, cujus initium est: *Et factum est* C *post mortem servi Domini, dixit Dominus ad Jesu, Filium Nave, famulum Moysis.*

Judices, cujus initium est: *Et factum est post mortem Jesu, & interrogarunt filii Israel Dominum, dicentes. Quis ascendet dux adversus Chananæos?*

Ruth, cujus initium est: *Et factum est, cum judicarent judices, facta est fames in terra.*

Regum, primus & secundus, in unum computantur librum, & primi quidem initium est: *Et homo erat ex Armathaim Sipha, de monte Ephraim, & nomen illi Elcana, filius Jeremeel, filii Heli.*

Secundi vero initium est: *Et factum est post mortem Saulis, David percusso Amalec reversus est.*

Regum tertius & quartus, & ipsi pro uno connumerantur libro. Et tertii quidem initium est: *Et Rex David senior, ætate jam grandis erat. Et operiebant eum vestibus, nec tamen calefiebat.*

Quarti vero principium est: *Et prævaricatus est Moab adversus Israelem, post mortem Achab.*

Paralipomenon primus & secundus, pro uno libro computantur. Et primi quidem initium est: *Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Enoch, Mathusala, Lamech, Noe.*

Secundi vero initium: *Et confirmatus est Salomon filius Davidis, in regno suo. Et Dominus Deus ipsius cum ipso, & magnificavit eum ad sublime usque.*

Esdras primus & secundus, uno comprehendun-

tur

tur volumine. Et primi quidem initium est: * *Et obtulit Josias pascha in Jerusalem Domino suo, quartadecima die mensis primi.*

Secundi vero: *Et in primo anno Cyri Regis Persarum, ut adimpleretur sermo, qui ab ore Hieremiæ processerat, excitavit Dominus spiritum Cyri, Regis Persarum.*

Psalterium Davidicum, habens Psalmos CLI. Cujus initium est: *Beatus vir qui non ambulavit in consilio impiorum.*

Parabolæ Salomonis, cujus principium est: *Parabolæ Salomonis, filii Davidis: qui regnavit in Israel, ad cognoscendam sapientiam & disciplinam.*

Ecclesiastes ejusdem, cujus initium est: *Verba Ecclesiastæ, filii Davidis, Regis Israel in Jerusalem. Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Canticum Canticorum, ejusdem, cujus principium est: *Canticum Canticorum, quod est Salomoni. Osculetur me osculis oris sui. Quia meliora sunt ubera tua vino.*

Job, cujus principium est: *Homo quidam erat in regione Ausitide, nomine Job. Et erat homo ille inculpatus & religiosus.*

Duodecim Prophetæ, uno volumine comprehensi. Sunt autem isti, Osee primus, cujus initium est: *Sermo Domini, qui factus est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ & Joatham & Achaz, & Ezechiæ, Regum Juda, & in diebus Jeroboam, filii Joas, Regis Israel. Principium sermonis Domini in Osee.*

Deinde Amos, cujus principium est: *Sermones Amos, qui facti sunt in Accarim, ex Thecua, quos vidit super Jerusalem, in diebus Oziæ Regis Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas, Regis Israel, biennio ante terræ motum.*

Michæas, cujus principium est: *Et factus est sermo Domini ad Michæam Morathitem, in diebus Joatham, & Achaz & Ezechiæ Regum Juda, quem vidit super Samariam & Jerusalem.*

Joel, cujus initium est: *Sermo Domini, qui factus est ad Joelem, filium Bathuel. Audite hæc omnia senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ.*

Abdias, cujus principium est: *Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Idumæam.*

Jonas, cujus initium est: *Et factus est sermo Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: Surge & vade in Niniven civitatem magnam.*

Nahum, cujus initium est: *Assumtio Ninive, liber visionis Nahum Elcesæi.*

Ambacum, cujus initium est: *Assumtio, quam vidit Ambacum Propheta.*

Sophonias, cujus initium est: *Sermo Domini, qui factus est ad Sophoniam filium Chus, filii Godoliæ, filii Amoriæ, filii Ezekiæ, in diebus Josiæ, filii Amos, Regis Juda.*

Aggæus, cujus initium est: *In anno secunda Darii Regis, mense sexto, die prima mensis, factus est sermo Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens.*

Zacharias, cujus initium est: *In octavo mense, anno secundo Darii, factus est sermo Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filii Addo, Prophetam, dicens.*

Malachias, cujus initium est: *Assumtio sermonis Domini ad Israel in manu Angeli ejus.*

Hi sunt duodecim Prophetæ uno volumine comprehensi. Sequuntur reliqui quatuor, quorum cuique proprium annumeratur volumen. Et hi sunt.

Esaias, cujus initium est: *Visio, quam vidit Esaias filius Amos, quam vidit adversus Judæam, & adversus Hierusalem, in regno Oziæ, & Joatham, & Achaz, & Ezekiæ, qui regnarunt in Judæa. Audi cælum & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est.*

Hieremias, cujus initium est: *Verbum Dei, quod factum est ad Hieremiam filium Chelkiæ, qui erat ex Sacerdotibus.*

Ezechiel, cujus principium est: *Et factum est in anno tricesimo, mense quarto, & ego eram in medio captivitatis ad flumen Chobar, & aperti sunt cæli: & vidi visiones Dei.*

Daniel, cujus exordium est: ** *Et erat vir habitans in Babylone, & nomen illi Joakim, & accepit uxorem, nomine Susannam, filiam Chelkiæ, pulchram valde, ac timentem Dominum.*

2. Sunt itaque Canonici veteris Testamenti libri numero viginti duo, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud illos sunt elementa.

Præter istos autem sunt adhuc alii ejusdem veteris Testamenti libri non canonici, qui cathechumenis tantum leguntur. Scilicet

Sapientia Salomonis, cujus exordium est: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.*

Sapientia Jesu, filii Sirach, cujus initium est: *Omnis sapientia a Domino est, & cum ipso est in sæculum.*

Esther, cujus initium est: *** *Anno secundo, regnante Artaxerxe Magno, una die mensis Nisan, somnium vidit Mardochæus, filius Jairi, filii Semei, filii Kisæi, ex tribu Beniamin.*

Judith, cujus principium est: *Anno duodecimo regni Nabuchodonosor, qui in Assyria regnavit, in Ninive civitate magna, in diebus Arphaxad, qui Medorum Rex fuit in Ecbatanis.*

Tobit, cujus exordium est: *Liber sermonum Tobit, filii Tobiel, filii Ananiel, filii Aduel, filii Gabael, ex semine Asiel de tribu Nephthalim: qui in captivitatem adductus fuit in diebus Ennemesari Regis Assyriorum.*

Tot sunt libri Veteris Testamenti, non Canonici. Quidam vero ex veteribus, apud Hebræos pro Canonicis reputari dixerunt, librum Esther; & historiam Ruth cum historiis Judicum uno libro comprehendi & annumerari: Esther vero pro alio libro computari: atque ita rursus numerum viginti duo Canonicorum librorum, apud illos compleri volunt.

3. Et tot quidem sunt & ejusmodi cum in Canone, tum extra Canonem, Veteris Testamenti libri.

Novi vero, determinati & Canonici sunt isti.

Secundum Matthæum, cujus initium est: *Liber generationis Jesu Christi, filii Abraham.*

Secundum Marcum, cujus initium est: *Principium Evangelii Jesu Christi, filii Dei: sicut scriptum est in Esaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam.*

Secundum Lucam, cujus initium est: *Quoniam multi conati sunt contexere narrationem de iis rebus, quæ certissimæ sunt inter nos fidei.*

Secundum Joannem, cujus principium est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.*

Acta Apostolorum, quorum principium est: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere & docere.*

Catholicæ Epistolæ diversorum Apostolorum, omnes numero septem, uno comprehensæ volumine.

Jacobi una, cujus principium est: *Jacobus Dei ac Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, Salutem.*

* Qui dicitur Esdræ primus in Græcis exemplaribus, hic tertius est in Bibliis nostris, & jam inter Apocrypha computatur. Inchoaturque a 35. capite Paralipomenon, nec legitur in Hebraico. Qui autem secundus hic dicitur, primus est in Hebraico textu.

** Nec in Græcis, nec in Latinis exemplaribus Prophetia Danielis jam incipit a Susannæ historia, in Græco Script. jam legitur, Sovrano.

*** Hæc non habentur in Hebraico textu. In Vulgata autem leguntur cap. 13.

Petri duæ, & prioris quidem initium est: *Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi, gratia vobis & pax multiplicetur.*

Posterioris vero initium: *Simeon Petrus & Apostolus Jesu Christi, his, qui coæqualem fidem nobiscum sortiti sunt, in justitia Domini nostri Jesu Christi.*

Joannis tres, & primæ quidem initium est: *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.*

Secundæ vero initium: *Senior Electæ Dominæ, & filiis ipsius, quos ego dilige in veritate.*

Tertiæ exordium: *Senior Gaio dilecto, quem ego diligo in veritate.*

Judæ una, cujus initium est: *Judas Jesu Christi servus, frater vero Jacobi, dilectis in Deo Patre, & Jesu Christo, servatis, vocatis.*

Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, in unum volumen enumeratæ.

Prima, ad Romanos, cujus principium est: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus segregatus in Euangelium Dei.*

Ad Corinthios duæ, primæ initium est: *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater: Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.*

Secundæ principium est: *Paulus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.*

Quarta, ad Galatas, cujus principium est: *Paulus Apostelus non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum & Deum Patrem.*

Quinta, ad Ephesios, cujus initium est: *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu.*

Sexta, ad Philippenses, cujus exordium est: *Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis.*

Septima, ad Colnssenses. cujus exordium est: *Paulus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, his qui sunt Colossis, Sanctis ac fidelibus fratribus in Christo.*

Ad Thessalonicenses duæ, primæ initium est: *Paulus & Silvanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre, & Domino Jesu Christo.*

Secundæ initium: *Paulus & Silvanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.*

Decima, ad Hebræos, cujus exnrdium est: *Multifariam & multis modis olim Deus loquutus patribus per Prophetas, novissime extremis diebus loquutus est nobis in Filio.*

Ad Timotheum duæ, primæ initium est: *Paulus Apostolus Jesu Christi, secundum præceptum Dei Salvatoris nostri & Christi Jesu, qui est spes nostra, Timotheo germano filio in fide.*

Secundæ vern initium est: *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, juxta promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu, Timotheo dilecte filio.*

Tertiadecima, ad Titum, cujus initium est: *Paulus servus Dei. Apostolus vero Jesu Christi, secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis ejus, quæ est secundum pietatem in spe vitæ æternæ.*

Quartadecima, ad Philemonem, cujus initium est: *Paulus vinctus Jesu Christi, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adjutori nostro.*

Est præterea & Apocalypsis Joannis Theologi, a priscis sanctis, & Spiritum Dei gestantibus patribus, velut quæ illius sit accepta & approbata, cujus principium est: *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus, ut ostendat servis suis, quæ oporteat fieri cito, & significavit mittens per Angelum suum, servo suo Joanni.*

4. Hi sunt & tot novi Testamenti libri Canonici, & fidei nostræ veluti primitiæ quædam, vel anchoræ & sustentacula, utpote ab ipsis Apostolis Christi, qui & cum illo conversati, & ab eo edocti sunt, conscripti & editi. Quamquam postea ad istnrum normam & consnnantiam, & alii innumeri sunt a magnis, sapientissimis, Deiferis patribus, temporum successu, ad præmissorum testimonium & illustrationem elaborati: de quibus nunc nobis non est sermo, cum sint admodum multi & infiniti, simulque nmnes ejusdem normæ, veteres illos subsequantur, eademque exponant, atque declarent.

In istis itaque, sicut dictum est, comprehensi sunt omnes cum Veteris, tum Novi Testamenti libri, quos paucis, quod ad numerum tantum attinet, jam perstrinximus: deinceps vero de iisdem libris fusius nnbis agendum est; a quo scilicet singuli conscripti sint, & unde quisque habeat quod sortitus est nomen: quidque in se contineat, summatim & compendiose, juxta præmissum ordinem, singulis ex nomine descriptis, exponendum est.

Liber I. Genesis.

5. Liber hic Geneseos, Moysis est, qui ea, quæ in illo continentur, ex jussu Domini loquutus est & scripsit. Vocatur autem hoc nomine, quod & universnrum, cæli pariter ac terræ, hominumque & nmnium eorum, quæ videntur, generationem, & ipsam paradisi plantationem complectatur. Enarrat autem, quod primo die facta sit lux: altero firmamentum, quod Deus cælum vocavit: tertio, quod congregatæ sint aquæ, visaque arida, & collectinnes aquarum vncaverit maria, aridam vero, terram: terraque germinaverit herbam fœni, & omne lignum: quarto, quod processerit sol & luna, & universus astrnrum chorus: quinto, quod facta sit volucrium, piscium, & cetorum quæ in aquis sunt, generatio: sexto, quod facta sint quadrupedia, & bestiæ, & serpentes, & jumenta, homoque ad imaginem & similitudinem Dei formatus: septimo vero, quod Deus ab nperibus suis requieverit, dieique septimo benedixerit. Deinde & hoc libro commemoratur transgressio Adæ, illiusque e paradiso ejectio. Abelis per fratrem Cain facta cædes. Translatio Enochi, fabricatio arcæ, diluvium, temporibus Noe factum, structura turris, divisio linguarum, dispersio nationum, & egressus Abrahæ ex Chaldæa. Continet autem hic liber & Sodomorum subversionem, & legem de circumcisione latam, jusjurandum promissionis Dei Abrahæ factæ, generationem Isaac & Jacob, & eorum qui ex illo sunt Patriarcharum, & quod Abraham vixerit annos * centum octoginta: Ismael vero ex Agar, annos natus 137. mortuus sit. Præterea quomodo Joseph a fratribus sit venditus & adductus in Ægyptum, calumniamque a domina sua passus, & in carcerem conjectus, & tandem totius Ægypti princeps constitutus. Istis subjungitur descensus Jacob in Ægyptum cum filiis suis, numero 75. & quomodo illic constitutus Jacob, benedictionemque Patriarchis filiis suis impartitus, mortuus sit annos natus 147. corpusque illius translatum ac sepultum in terra Chanaan. Et quod Jnseph post famem Ægypti, annos vixerit 66. mortuusque sit anno ætatis suæ 110. posteaquam de ossibus suis mandaverat, ut & ipsa in monumentum patrum transferrentur.

* Vixit centum 175. annos.

Liber

Liber II. Exodus.

6. Et hunc Exodi librum Moyses, de quo jam meminimus, conscripsit. Vocatur autem hoc nomine, quia Exodum seu egressionem filiorum Israel ex Ægypto continet, quæ contigit post promissionem Abrahæ factam anno quadringentesimo tricesimo, post incolatum vero in Ægypto ducentesimo quintodecimo, (tot enim annos in illa exularunt) & post decem plagas Pharaoni Ægypti tyranno illatas. Nam decem hasce plagas contra illum Dominus induxit: primam, qua fluminis undam mutavit in sanguinem. Alteram, qua ranas in tota Ægypto produxit. Tertiam, qua Cinifes. Quartam, qua muscam caninam. Quintam, qua mortem jumentorum. Sextam, qua ulcera turgentia & urentia hominibus & jumentis immisit. Septimam, qua grandinem & ignem flammantem dejecit. Octavam, qua locustam. Nonam, qua triduanas universæ Ægypto tenebras, demta terra filiorum Israel, intulit. Decimam, qua omnes Ægypti primogenitos ab homine usque ad jumenta occidit. Deinde commemoratur, quomodo egressum populum persequutus sit Pharao, & Israel quidem sicco pede mare rubrum hac atque illac divisum transierit: Ægyptii vero, populum insectati, cum Pharaone in ipso mari submersi sint. Comprehenditur & hoc libro, quomodo Jannes ac Mambres Ægyptiorum magi principio quidem Mosi restiterint, tandem vero pudefacti discesserint. Præterea enarratur Paschatis lex, aquæ acerbitaa in dulcedinem mutata, coturnicum data copia e cælo, suppeditatum manna, data ipsis aqua e petra, quam & tentationem & jurgium Moyses appellavit. Tunc & Sabbati observantia initium sumsit, & legislatio divinitus in monte Sina per Mosem in duabus tabulis lapideis facta est. Et de tabernaculo deque indumento, cum summi Pontificis, tum reliquorum sacerdotum parandis, in hoc libro significatur. Rerum autem omnium artifices fuere, Beseleel ex tribu Juda, & Liab ex tribu Dan. Operum vero sumtus, auri talenta viginti novem, & sicli septingenti: argenti vero talenta centum (& * sicli 1775.) æris autem septuaginta talenta, & sicli bis mille quingenti. Continet hic liber & transgressionem populi, qua vitulum sub monte conflavit. Et quomodo Amalec per extensionem manuum Mosis percussus sit, necnon deinceps leges & justificationes, & ante istas decem præcepta tabulis inscripta, quorum primum est: Ego sum Dominus Deus tuus. Alterum: Non facies tibi ipsi simulacrum, neque ullius rei similitudinem. Tertium, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartum, Recordare diei Sabbatorum. Quintum, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Sextum, Non occides. Septimum, Non mœchaberis. Octavum, Non furaberis. Nonum. Non dices contra proximum tuum falsum testimonium. Decimum, Non concupisces uxorem proximi tui, neque quidquam eorum, quæ sunt proximi tui. Tabernaculum autem anno secundo post egressum Ægypti, neomenia primi mensis perfectum est. Et in istis terminatur Exodi liber.

Liber III. Leviticus.

7. Et hic liber Leviticus a Moyse conscriptus est. Id autem nominis ob eam causam accepit, quod peculiariter universam Levitici muneris formam contineat, & quo pacto ex tribu Levi in sacerdotes electi sint & uncti Aaron & filii illius: & quidquid discriminis est inter sacrificia & oblationes: & qualis sit

A universus tabernaculi cultus: qualis item sit Levitici ac sacerdotalis muneris functio. Deinde & cujusque sacrificii legem exponit, cum ejus, quod salutis gratia, tum ejus quod pro delicto, sive spontaneo, sive involuntario sit offerendum; & quomodo oblata singula dividenda sint & referenda. Enarratur item in hoc libro, quæ sit summi sacerdotis & aliorum sacerdotum unctio: ad hæc. judicium & cognitio indiciorum quibus tam hominum, quam indumentorum, parietumque domorum lepra deprehendi possit. & qui sit eorum expiandorum ritus. Præterea quæ sit lex ac distinctio connubiorum legitimorum, & quæ pro illegitimis
B legitimis sint habenda. Item quid discriminis sit inter munda & immunda animantia, volucres, ac pisces quoque; videlicet, quibusnam ex istis vesci possint Hebræi, quibusnam vero abstinere debeant. Declarat etiam qui sit tubarum dies in neomenia mensis septimi, & magni jejunii præceptum, quod eodem septimo mense, decima mensis custodiendum sit, quam Sabbatum sabbatorum, & peccati remissionem vocat. Festum autem Tabernaculorum, decima quinta mensis ejusdem celebrandum ponit. Agit quoque de festis, & quæ in illis offerenda sint præcipit: item de manumittendis Hebræis, qui in servitu-
C tem venundati sint, de debitorum remissione, de quiete septimo quoque anno terræ concedenda. Ad hæc de legalibus, præceptis ac testimoniis admonet, simulque servantibus illa, bona pollicetur, transgredientibus vero, gravissima mala minatur. Inter cibos vero mundos & immundos ad hunc modum discernit: In jumentis istiusmodi munda esse dicit: videlicet, quæ ungulam dividunt, & geminas ungulas habent, ac ruminationem regerunt. Qualia sunt, vitulus, ovis, capra, cervus, caprea, oryx, bubalus, pygargus, tragelaphus, camelopardalis, & quæ sunt hu-
D jusmodi. Si vero cuipiam horum aliquid defuerit, pro immundo habendum decernit; ut sunt camelus, lepus, & chœrogryllius. Nam ista animantia ruminant quidem, ungulam vero non findunt: & sus quoque: etenim & ipse quidem ungulas habet ac dividit, sed non ruminat. De volatilibus vero, quæ edi vetat, hæc sunt: Aquila, gryphes, haliaetus, vultur, milvius, & his similia: corvus item & quæ illi similia, passer, & noctua, & larus, & similia, accipiter, & quæ illi consimilia sunt, nycticorax, cataractes, ibis, porphyrio, pelicanus, cygnus, erodius, & charadrius, cum similibus aliis, & upu-
E pa, & vespertilio. De volatilibus repentibus, quæ quatuor pedibus gradiuntur, omnia dicit esse immunda. Contra vero quæ crura pedibus sublimiora habent, ita ut illis in terra salant, qualia sunt bruchus, attago, locusta, & quæ his sunt similia, & lacerta. In aquis vero sive in mari, sive fluminibus, ac torrentibus nata, munda habenda, quæcunque pennulas & squamas habent; ut trigla, scarus, glaucus, cestreus & quæ his sunt similia. Quæ vero aliquo horum carent, immunda nec edenda esse dicit, videlicet, sepias, quæ pennulas quidem habent, squamas vero non habent. Ex illis autem,
F quæ supra terram repunt, immunda esse definit ista, mustelam, crocodilum terrestrem, mygalen, chamæleonta, stellionem, sauram & talpam. De serpentibus, & quæ illis similia sunt, superfluum esset admonere: hoc namque animantium genus manifesto dicit omnibus abominandum ac detestandum. Attamen in Deuteronomio illorum meminit.

Liber IV. Numeri.

8. Ejusdem Moysis est & hic Numerorum liber.

Vo-

* Siclorum argenti summam ex LXX. supplevimus Exod. 39.

Vocatur autem hoc nomine, quia in eo totius populi numerus continetur, recensita jussu Domini, unaquaque Judæorum tribu. Numeratus est vero populus a vicesimo anno, & supra, quisque vir bello aptus, absque tribu Levi: illa namque separatim numerata est. Et inventus est numerus eorum, qui recensiti sunt, sexcenta tria millia quingenti, & quinquaginta. Qui vero populum numeraverunt, erant Moyses & Aaron, & cum illis cujusque tribus princeps. Et nomina principum erant ista, & hic illorum numerus.

(De filiis Juda Naasson filius Aminadab, quorum numerus erat 74600.)

* De filiis Ruben, Elisur filius Sediur, quorum numerus erat 46500.

De filiis Simeon, Salamiel filius Surisadai, quorum numerus erat septuaginta quatuor millia sexcenti.

De filiis Isachar, Nathanael filius Sogar, quorum numerus erat 54400.

De filiis Zabulon, Eliab filius Chelon, quorum numerus erat ** quinquaginta septem millia quadringenti.

De filiis Joseph, de tribu Ephraim, Elisama filius Emiud, quorum numerus erat quadraginta duo millia quingenti.

De filiis Manasse, Gamaliel filius Phadassur, quorum numerus erat triginta duo millia trecenti.

De filiis Beniamin, Abida filius Gedeon, quorum numerus erat triginta quinque millia quadringenti.

De filiis Dan, Achiezer filius Amisadai, quorum numerus erat sexaginta duo millia septingenti.

De filiis Aser, Phageel filius Echran, quorum numerus erat quadraginta & unum millia quinganti.

De filiis Gad, Elisaph filius Raguel, quorum numerus erat quadraginta quinque millia, sexcenti quinquaginta.

De filiis Nephtalim, Achire filius Ænan, quorum numerus erat quinquaginta tria millia quadringenti.

Iste est populi bellici numerus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta.

Tribum vero Levi, Moyses & Aaron, secundum vocem Domini, separatim soli recensuerunt, a mense uno & supra, eratque numerus illorum viginti duo millia.

Masculos autem primogenitos omnium aliarum tribuum solus Moyses numeravit, & inventus illorum numerus est viginti duo millia ducenti septuaginta tres. Horumque primogenitorum loco adsignati sunt Deo Levitæ. Totidem enim & illi erant. Et jubentur & isti sanctificari per Moysem & deputantur per Aaronem, ut loco populi, operarentur opera Domini, & portarent vasa tabernaculi, servirentque ipsi Aaroni & filiis ejus. Comprehenditur item hoc libro & dispositio, juxta quam populus proficisci jubebatur, & tabernaculi erectio, præceptum de tubis, ut iis convocaretur populus. Hoc item libro narratur dedicatio altaris, & quomodo tabernaculum unxerit, ipsumque & quæcunque in illo erant, sanctificaverit: quo ordine offerendum fuerit in dedicatione altaris, quo tempore ministrarent Levitæ: quod ab ætatis anno vigesimo quinto principium illis esset ministrandi: quinquagesimo vero finem ministrandi facerent, sed ita ut postea tabernaculi tantum custodiam haberent.

Scriptum quoque est de aqua convictionis quæ maledicta erat: de lege votariorum, quomodo vino abstinere, nec caput tondere debeant. Item quomodo murmuranti propter carnis cupiditatem populo, coturnices Deus, deinde & sitienti, iterumque murmuranti, aquam ex petra dederit, quam Moses Aquam contradictionis vocavit. Misit & exploratores ex unaquaque tribu unum, inter quos erant Jesus Nave &

A Chaleb Jephone. Hic & Synagoga Core contra Moysem insurrexit, vivique intra terram cum Dathan & Abiron absorpti sunt: tum Maria soror Aaronis lepra percussa est: virgaque Aaronis germinavit nucem. Postea mortuus est Aaron in monte Hor, cui successit Eleazar filius ejus. Hoc libro & historia Balaam & asinæ ipsius humana voce loquutæ scribitur: & quomodo Rex quidem Moabitarum Balac, confusus sit: populo autem per consilium Balaam polluto, Phinees mulierem Madianitidem cum Zambre Israelita, ex tribu Symeon propter scortationem confoderit, atque ea ratione iram Dei sedaverit. Ad hæc posteaquam B contra Deum & Moysem loquutus esset populus, serpentum morsibus cruciabatur: at demum rogantibus illis, serpentem æneum fieri jussit Deus ac suspendi, quo viso viveret, qui a serpentibus esset vulneratus. Præcipit etiam hoc libro Deus Moysi & Eleazaro Sacerdoti, denuo recensere populum, a vigesimo anno & supra, cujus tum inventus est numerus, sexcenta millia mille septingenti triginta. Et Levitæ quoque iterum separatim numerati sunt, & inventus est illorum numerus viginti tria millia. Recensiti sunt autem in Araboth Moab, ad Jordanem contra Jericho. In istis autem nemo eorum erat, qui antea nu- C merati fuerant. Mortui quippe erant, præter Chaleb & Jesu Nave.

Complexus est hoc quoque volumine Moyses juxta Domini verba, profectiones & mansiones Israelis, quibus ex Ægypto profecti subinde quieverant. Et sunt istæ: Ramesse Ægypti primo mense postridie Paschatis profecti, venerunt in Sochoth. De Sochoth in Buthan. De Buthan in Beelsephon, contra Magdolon. De Beelsephon per mare transierunt. De mari in Amaritudines, de Amaritudinibus ad Elim, ubi erant palmæ. De Elim in desertum Seir. E deserto Seir in Raphaca. De Raphaca D in Elim. De Elim in Raphidim. De Raphidim in solitudinem Sina. De solitudine Sina ad Sepulcra concupiscentiæ. De Sepulcris concupiscentiæ in Asiroth. De Asiroth in Rathama. De Rathama in Remmon Phares. De Remmon Phares in Lemona. De Lemona in Dessan. De Dessan in Macellath. De Macellath in Saphar. De Saphar in Charadath. De Charadath in Maceloth. De Maceloth in Cataath. De Cataath in Tarath. De Tarath in Matteca. De Matteca in Selmona. De Selmona in Masuroth. De Masuroth in Banæa. De E Banæa ad montem Gadgad. De monte Gadgad in Etabatha. De Etabatha in Sebrona. De Sebrona in Gesiongaber. De Gesiongaber in solitudinem Sin. E solitudine Sin in solitudinem Pharan, quæ est Cades: ibi mortua est Mariam. E Cades ad montem Hor, prope terram Edom, quo conscenso Aaron summus sacerdos jussu Domini mortuus est, anno egressionis filiorum Israel quadragesimo, mense quinto, prima mensis: cum vixisset annos centum viginti tres. De monte Hor ad Selmona. De Selmone in Phino. De Phino in Soboth. De Soboth in Gæ, in ulteriori F parte ad terminos Moab. De Gæ in Dæbongad. A Dæbongad ad Gelmondeblathem. De Gelmondeblathem, ad montes Abarim e regione Abau. De montibus Abarim ad occidentem Moab. prope Jordanem juxta Jericho, ubi castrametati sunt. Mansiones sunt quadraginta tres.

Hic vero tandem trans Jordanem fusis ac devictis gentibus Moyses, ac occisis Sehon Rege Amorrhæorum, & Og Rege Basan, qui ex Gigantibus erat, eas regiones Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manassa da-

* Hic tribus Juda omittitur, cæteræque tribus alio habentur ordine quam lib. Num. cap. 2.
** Num. 2. 15. 59300. habentur.

se dari jubetur, disponique ut Levitis filii Israel de possessionis suæ sortibus darent civitates ad habitandum, & civitatum suburbia: deinde & civitates refugii, tres trans Jordanem, & tres in terra Chanaan, quæ ad hoc positæ essent, ut ad eas fugeret, si quispiam hominem contra animi sui sententiam occidisset, ne præcipitanter ab occisi cognato deprehensus interimeretur, donec judicio coram Synagoga sisti posset. Jubetur hoc libro populus fimbrias in palliis facere, & fimbriis adnectere vittas hyacinthinas, ut illis conspectis mandatorum Dei ne obliviscerentur. Hic accipiunt & filiæ Salpaad sortem patris sui, & illarum occasione mandatum Domini datur, & lex ponitur, qua pro legitimis decernuntur cum consobrinis inita conjugia. Moyses vero terram promissionis vidit de monte Abarim, hoc est Abau: audivitque a Deo, quod illam ingressurus non esset, propter exacerbationem ad Aquam contradictionis factam. Mortuus est autem Aaron annorum centum viginti trium, anno post exitum Ægypti quadragesimo, mense quinto. Qui autem ad explorandam terram missi sunt, quisque de sua tribu, juxta mandatum Domini desumti sunt: horum nomina sunt ista. De tribu Ruben, Salamiel filius Zacchur. De tribu Simeon, Saphat filius Suri. De tribu Juda, Chaleb filius Jephone. De tribu Isachar, Ilaal filius Joseph. De tribu Ephraim, Nauses filius Nave. De tribu Benjamin, Phaltin filius Raphu. De tribu Zabulon, Gudiel filius Sudi. De tribu Joseph, filiorum Manasses, Gaddi filius Sussi. De tribu Dan, Amies filius Gamæ. De tribu Aser, Sathur filius Michael. De tribu Nephthalim, Nabi filius Nabi. De tribu Gad, Gaddidudiel filins Machi. Locus vero, unde missi sunt, est Pharan & Cades Barne. Tunc Nause filium Nave Moyses Jesum nominavit. Tempus autem, quo missi sunt, erat veris medium, in quo jam præmaturi botri erant; & dies, quibus terram explorarunt, fuerunt quadraginta.

Liber V. Deuteronomium.

9. Et hunc librum Moyses conscripsit, & quæ in illo sunt loquutus est. Vocatur autem hoc nomine, quod post acceptam in tabulis scriptam legem, veluti secundam legem, hosce libri præsentis sermones, ex præcepto Domini Moyses Israeli loquutus sit. Nam posteaquam Moyses quæ hoc libro continentur loquutus esset, ad hunc modum in isto Deuteronomio ea conscripta sunt: *Hæc sunt verba fœderis, quæ Dominus Moysi præcepit proponere filiis Israel in terra Moab, præter fœdus quod pepigit cum eis in Horeb.* Quapropter & tabulę quidem in Horeb recitatæ, & in medio arcæ collocatæ sunt: hunc vero librum Sacerdotibus Moyses, arcam portantibus, ad latera arcæ in testimonium ponere jussit, & septimo quoque anno in die remissionis, quando & festum Tabernaculorum celebrabatur, legi præcepit. Hæc prima quidem est ratio, ob quam hic liber Deuteronomium vocatus est. Altera vero est, quod in ipso, quidquid ante dictum fuerat, sive in Exodo, sive in Levitico, sive in Numeris, omnia legitima, justificationes & præcepta, repetit & declarat, & populum iterum admonet, ut ea custodiat. Resumit etiam istbic exitum populi ex Ægypto, & cuncta illis præstita beneficia, signa quoque & portenta, ne Dei, qui illa patraverat, obliviscerentur. Decernit etiam benedictionem iis, qui legem custodiunt, maledictionem vero iis, qui illam transgrediuntur, & benedictionem in monte Garizin promulgari mandat, per Simeon, Levi, Juda, Isachar, Joseph & Benjamin: maledictionem vero in monte Gæbal, per Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan, & Nephthalim. Ad recordationem vero, & ju-

A gem meditationem, prolixam Odam ex jussu Domini conscripsit, ut illam perdiscentes ac semper meditantes, ne Dei obliviscerentur. Postquam vero singulis tribubus benedixit, benedictionemque illarum litteris mandavit, ac manus suas super Jesum Nave, ut sibi secundum mandatum Dei succederet, posuit; in montem Abarim, qui est Abau, conscendit: ibique juxta verbum Domini mortuus est, annorum centum viginti, cum necdum oculi ipsius caligassent, nec facies ejus quidquam tabis sensisset. Nemo autem sepulcrum illius novit in hodiernum usque diem. B

Liber VI. Jesus Filius Nave.

10. Qui deinceps ad Esdram usque sequuntur libri, non prorsus ab illis sunt conscripti, quorum inscriptiones præferunt, & de quibus tractant. Feruntur autem a Prophetis, qui singulis temporibus vixerunt, esse scripti. Differendum itaque est de illorum inscriptionibus. Præsens liber inscriptionem habet Jesus Nave: propterea quod ipse Jesus Nave Moysis successor, populique dux fuit, cujus hoc libro historia & res gestæ continentur. Enarratur hic quomodo Jor- C dani fluvii pars superior ex parte fontis defluens immota steterit, inferior vero decurrens evacuata sit, & populus sicco pede transierit: & quomodo in Galgalis omnes in solitudine natos cultris saxeis circumciderit, locumque illum Galgal vocaverit. Quod cum primum populus Jordane transmisso de terræ illius frugibus edisset, manna deinceps desierit: quod urbis Jericho mœnia ultro corruerint: Raab meretrix propter hospitio susceptos & occultatos exploratores servata sit: Sol in medio cæli decursu juxta Gabaonem, orante Jesu Nave, integri diei spatio, donec ille hostes devicisset, steterit. Postquam vero Amor- D rhæos & omnes illorum Reges expugnasset, omnem eam terram novem tribubus cum dimidia Manasse distribuisset, & populum annos xxvi. gubernasset, mortuus est annorum cx. Qui vero terram populo diviserunt, erant Eleazarus sacerdos, & ipse Jesus Nave, ac de unaquaque tribu vir unus. De tribu Juda, Chaleb. De tribu Simeon, Salamiel. De tribu Benjamin, Eldad. De tribu Dan, Baccheir. De tribu Manasse, Aniel. De tribu Ephraim, Camuel. De tribu Zabulon, Elisaphan. De tribu Isachar, Phitiel. De tribu Aser, Achior. De tribu Nephthalim, Phathael. E Reges autem illius terræ, quos Moyses & filii Israel trans Jordanem ab ortu solis, & valle Arnon usque ad montem Hermon, omni terra Arrhaba ab Oriente subjugata percusserunt, hos fuisse dicit: Sehon Regem Amorrhæorum, qui in Esebon habitavit ac regnavit. Et Og Regem Basan, qui ex gigantibus adhuc superer at, & habitavit in Astaroth, & in Edraim, regnavitque a monte Hermon, usque ad terminos Gergesi, & dimidium Galaad. His occisis dedit Moyses ipsorum terram Rubenitis, Gaditis, ac dimidiæ tribui Manasse. Reges vero Amorrhæorum, quos sustulere Jesus Nave cum filiis Israel, postquam Jordanem transi- F issent juxta mare in planicie Libani, usque ad montem Chelca, ascendentibus in Seir: quorum terram Jesus reliquis tribubus, juxta cujusque sortem possidendam dedit, hos esse dicit: Chetæum, Amorrhæum, Chananæum, Pherezæum, Evæum, Jebusæum, Regem Jericho, Regem Hai, quæ contermina est Bethel, Regem Jerusalem, Regem Chebron, Regem Jerimuth, Regem Lachis, Regem Elam, Regem Gazer, Regem Dabir, Regem Gise, Regem Aermath, Regem Ærath, Regem Arath, Regem Lobna, Regem Odollam, Regem Elat, Regem Athaphuth,

phuth, Regem Opher, Regem Ophec Arothæ, Regem Asom, Regem Somoon, Regem Mambroth, Regem Ziph, Regem Cades, Regem Zaac, Regem Manedoth, Regem Jocom (montis) Carmeli, Regem Eddor io Phenedaor, Regem Gid Galilææ, Regem Thersa.

Liber VII. Judices.

11. Vocatur hic liber Judicum, quia post mortem Jesu Nave populum suum Deus a relictis Chananæorum gentibus pressum, per Judices liberavit: quorum hoc volumine singulorum facta & vitæ tempus continentur. Sunt autem isti. Primus Gothoniel: hic occidit Chusarsathaim Regem * Syriæ fluviorum, qui populum Israel afflixerat annos quadraginta. Post hunc Avod Ambidexter. Hic Æglom Regem Moabitarum gladio ancipiti palmæ longitudinem habente interemit, a quo fuerat afflictus Israel annos decem & octo: & ipse gubernavit Israelem annos octoginta. Postea * Tamegar filius Dinach, qui sexceotos de Philistiim vomere percussit, anoumque unum, populum judicavit. Hunc excepit Barach filius Abineem: hic expugnavit Jabin & Sisarao, qui Israelem annos viginti afflixerunt. Sisaram autem Jael, uxor Cather Cinæi clavo occidit. Judicavit iste Israelem annos quadraginta. Post hunc Gedeon, qui & Jerobaal dictus est. Percussit iste Madian, & Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana ipsorum principes ac turrim Phanuel subvertit, priocipesque illorum cum spinis trituravit ac contrivit, a quibus afflictus fuerat Israel annos septem. Judicavit autem ipse Israelem annos quadraginta. Post illum Abimelech, filius Gedeonis ex concubina, qui fratres suos ex liberis natos, septuaginta viros, super lapidem unum occidit. Fuga autem unus ex illis, Joatham elapsus est. Ipse vero Abimelech, etiam illis, qui cum ipso conspiraverant, factus est instar ignis e rhamno. Postquam autem multos occidit, mortuus est & ipse, molæ fragmine de muro per mulierem demisso prostratus, imperiumque tenuit annos tres. Deinde Thola filies Phua, patrui Abimelech, qui imperavit annos 23. Hunc excepit Jair Galaadites, qui judicavit annos 22. Postea Jephte Galaadites. Iste percussit Ammonitas & Phylistæos, qui Israelem afflixerant annos decem & octo. Cum autem in bello votum fecisset, oblaturum se io sacrificium, quidquid post victoriam domum reverтenti primum occurreret, filiam in occursum progressam, impetrato primum ad lugendam virginitatem bimestri spatio, immolandam obtulit. Judicavit autem populum annos sex. Postea Abæsan Bethleemita, judicavit annos septem. Deinde Ailon Zabulonites annos decem. Post illum Labdon Pharathonites annos octo. Postea Samson de stirpe Dan. Hic io mandibula asini, interdum & virga, aliquando etiam immissis vulpibus, & novissime per ruinam domus, Philistæos percussit, a quibus Israel afflictus fuerat annos 40. Judicavit autem Israelem annos 20. Fueruot itaque judices Israelis numero 13. Anni vero illorum fuerunt 411.

* Idest Mesopotamiæ.

Liber VIII. Ruth.

12. Ita vocatur hic liber, quod historiam Ruth tantum complectatur. Est autem Ruth genere Moabitis, castitate vero clara. Relicta cognatione paternaque superstitione, ad verum Dei cultum conversa, Bethleem Judææ cum socru sua subito concessit, ubi & Booz ex tribu Juda, matrimonio conjuncta est, ex qua postea David origo sic contexitur. Booz ex Ruth genuit filium Obed: Obed vero genuit Jesse: Jesse Davidem.

Liber IX. Regnorum primus & secundus.

13. Regnorum nominantur hi libri, quia Regum cum Juda tum Israel facta & annos continent. Enarrantur autem primo libro ista. Mors Eli Sacerdotis ac filiorum ipsius. Ortus Samuelis, & quomodo populus, hactenus a Deo gubernatus, qui singulis temporibus liberatorem ipsis excitaverat, Regem sibi secundum morem gentium petierit a Samuele, qui Saulem illis de tribu Benjamin dederit, & ex illo deinceps & in Israel Reges esse cœperint. Continetur etiam hoc volumine, quomodo, ubi mandatum Dei transgressus esset Saul, ablatum sit a stirpe ipsius regnum, & David in ipsius locum unctus sit, atque in hujus stirpem translatum regnum. Præterea commemoratur: quod per Davidem Goliath minutissimo occisus sit lapillo: Saul vero, postquam tripudiantes mulieres David decem millia, & sibi mille dederant, iovidia percitus Davidem persequutus est, David tamen servatus, & Saul tandem bello arctatus, consultis Pythonissis, interemtus occubuerit. Et hac re terminatur primus Regnorum liber.

14. In secundo autem libro, Sauli David in regnum succedit. Memphiboseth autem filius Saulis initio regnare cum vellet, cootendebat: tandem vero universæ tribus Davidi junguntur. Cunctos hostes bello superat David, Bersabee uxorem Uriæ sibi sumit. Abesalom patrem suum Davidem persequutus est: paulo post in bello occiditur Abesalom. David numerato populo iram in se divinam provocat, quæ postea placato Deo cessat. Et hic secundus Regnorum liber, senio confecto Davide, finitur. Habuit autem sub se David quosdam viros fortes, magnos ac multos, quorum minores Centuriones, majores vero Chiliarchas constituit. Habentur quorumdam ipsorum nomina & res gestæ. ** Sebochæ Astotheus, qui Seph filium Rapha ex gigantibus nati percussit. Eleaoam filius Ariorgi Bethleemites. Hic percussit Goliath Chetæum, cujus hastæ lignum instar liciatorii texentium erat: fuit autem & ipse filius Rapha. Jonathan filius Semesi fratris David. Iste percussit virum quendam de Ramedon, qui Israeli conviciatus fuerat, & senos digitos in manibus ac totidem habebat in pedibus, & ipse filius Rapha, ex gigantibus nati. Adinoo Asonæus. Hic frameam suam adversus octingentos milites simul congregatos eduxit. Jessæbada, filius Achamane. Et iste eosem suum contra trecentos vulneratos uno tempore eduxit. Eleanan filius Sose. Hic cum essent congregati Philistiim, solus in eos irruit, atque tantam illorum stragem edidit, ut manui ipsius hasta agglutinaretur, & populus post ipsius tergum cæsos spoliabat. Mara filius Asa Saruchæus. Iste irrueotibus Philistæis ac partem agri lente refertam depopulari volentibus, fugiente populo, solus obstitit, & Philistæos persequutus, agri partem servavit. Eleazar filius Dodetharchoni. Iste, tempore messis hordeaceę, cum irrumperent Philistæi, & populus fugeret, solus restitit, & Philistæos persequutus, hordeum defendit ac servavit. Tres vero fortes ex triginta eraot cum Davide. Et cum Philistæi Bethleem obsidione cinxissent, atque ex cisterna Bethleem bibere cuperet David, hi tres castra Philistinorum perruperunt, haustamque ex cisterna aquam Davidi attulerunt. Admiratus David ipsorum virtutem aquam quidem accepit, bibere vero noluit, sed libavit eam Domino, dicens: *Propisius sit mihi Dominus, ne hoc faciam. An sanguinem istorum*

* Non legitur in Scriptura quod judicaverit Israelem anno uno, ut hic fertur.
** Hæc nomina multum variant in 2. Reg. 23. & in 1. Paralip. 27.

ſtorum hominum, qui cum animarum ſuarum periculo profecti ſunt, bibam? Baneas filius Jodae, qui multa fortia ſacta deſignavit, & filios Ariel Moab percuſſit, & cum in die nivis ad ciſternam deſcendiſſet, leonem percuſſit. Hic & fortem quendam virum Ægyptium quinque cubitorum ſtaturam habentem, & haſtam inſtar ſcalæ nauticæ geſtantem, percuſſit: haſtam enim illi ademit, ac illa eum occidit. Abiſa frater Joab filius Sarviæ ſororis Davidis, princeps erat & iſte inter tres, de quibus dictum eſt. Percuſſit autem tempore quodam triginta vulneratos lancea ſua, & capreæ inſtar currebat in montibus: & præterea percuſſit & occidit Esbien, qui Davidem occidere volebat. Erat autem Esbien de genere Rapha, & haſta ipſius trecentos æris ſiclos ponderabat, & clavam geſtabat. Itaque iſti erant magni & potentes. Bellatorum autem in univerſum habuit David myriades triginta quatuor & ducentos.

Liber X. Regnorum tertius ac quartus.

15. In tertio Regnorum continentur iſta: Adonias, ſenio jam gravato Davide patre, ſeipſum extollit, & ſine patris conſcientia Regem ſe declarat. Quo cognito David, mittit Nathan Prophetam & Sadoch ſacerdotem, ac Baneam filium Jodae: præcipitque eis, ut Salomonem ungant in Regem, quod & faciunt, adbuc vivente Davide. Adoniæ itaque res confeſtim peſſumdantur. Salomon vero, cum ſucceſſiſſet patri, ſeptennio domum Domini, & muros Jeruſalem ædificavit. Erant autem illi ſeptuaginta millia proſelytorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum, item proſelytorum. Qui autem operibus præerant, numero erant ter mille viginti. Alimoniam vero illorum ſingulis menſibus duodecim viri adminiſtrabant. Impendebantur autem ſingulis diebus cori ſimilaginis triginta, ſarinæ contulæ cori ſexaginta, vituli ſelecti decem, boves paſcui viginti, oves centum, exceptis cervis & capreis, atque altilibus ſaginatis. Gregem vero habuit, equarum, quas fœturæ gratia alebat, quadraginta millia, equorum vero currulium duodecim millia. Divitiæ illius erant multæ. Singulis enim annis afferebantur illi auri talenta ſexcenta ſexaginta ſex, abſque tributis, quæ pendebantur a ſubditis. Sed & Regina Saba, cum ad ipſum veniſſet, dedit ei auri talenta centum viginti, lapides pretioſos, & aromata infinita. Poſt mortem Salomonis in regnum ſuccedit Roboam filius ejus: ſub quo ſciſſum eſt regnum, ita ut decem tribus Samariam abſceſſerint, duæ vero reliquæ in Jeruſalem manſerint; Juda videlicet & Benjamin. Complectitur itaque tertius hic liber res geſtas & annos Regum iſtorum: Salomonis, qui ſimul omnium tribuum Rex erat. Poſtquam autem diviſum eſt regnum, ut diximus, in Judæa duarum tribuum principatum geſſerunt Roboam, Abia, Aſa & Joſaphat: decem vero reliquarum in Samaria, Jeroboam, Nabath, Baaſa, Elan, Zambre & Achaab. Tractat & de Prophetis videlicet iſtis: de Nathan, Gad, & Achia Selonita, necnon de eo qui contra altare Samariæ clamavit. De Elia & Eliſæo, & eo, qui (Regi) Achaab prophetavit de filio Ader, & illius percuſſore, qui & Achaab reprehendit. Quod filii Prophetarum ſeorſum vitam ducerent. Habetur etiam hoc libro, quomodo prophetaverit Elias, & non pluerit per tres annos, & corvi propter verbum Domini mane panes, veſperi carnes ipſi detulerint. Effecit etiam in Sarephta Sidoniæ per verbum Domini, ut hydria ſarinæ viduæ non defecerit, & oleario vaſculo nihil deceſſerit. Præterea & filium ejus mortuum orando vitæ reſtituit, & Prophetas Baal occidi curavit, quorum numerus erat quadringenti quinquaginta. Jordanem quoque melote percuſſit, undaque illius utrinque diviſa, pedes fluvium tranſivit. Terminatur autem tertius hic liber morte Achaab Regis Iſrael, & morte Joſaphat Regis Juda, deſinens in principium regni Ochoziæ filii Achaab, & in principium regni Joram filii Joſaphat Regis Juda.

Liber IV. Regnorum.

16. In quarto libro enarratur, quomodo duo duces quinquagenarii Regis Ochoziæ igne cælitus per verbum Eliæ Prophetæ conſumti, & Elias tandem ſublatus ſit, ſpirituſque Eliæ in Eliſæo requieverit, ita ut eſſent ei duplicia in ſpiritu. Quomodo Eliſæus Sunamitidis filium mortuum precando excitaverit, & Neæman Syrum a lepra mundaverit, vaſcula uxoris Prophetæ mortui in verbo Domini oleo repleverit: item quod ſuper oſſa ipſius mortui cujuſdam accincti hominis cadaver conjectum, mox atque Prophetæ oſſa tetigerat, revixerit: quod cum melote Eliæ Jordanem percuſſerit, diremtaque hac atque illac unda, pedibus & ipſe fluvium tranſiverit. Continetur etiam iſto volumine, quomodo Senacherim & Rapſakes poſt multas blaſphemias profligati ſunt, deque exercitu ipſorum una nocte occiſa ſunt centum octoginta quinque virorum millia: & quomodo Joſias Rex univerſa ſimulacra ſuſtulerit, lucos ſucciderit, & Paſcha, ſicut ſcriptum eſt, rite ſervaverit. Habet hic liber Regum quoque geſta & annos, eorum, qui in Judæa regnarunt, Joram, Ochoziæ, Joas, Amaſiæ, Oziæ, Joatham, Achaz, Ezechiæ, Manaſſe, Amos, Joſiæ, Joachaz, Eliakim, Joakim, & Matthanan, qui & Sedekias dicebatur. Eorum vero, qui in Samaria; Ochoziæ, Joram, Jehu, Joachaz, Joas, Jeroboam, Zachariæ, Sellum, Manaem, Phakeſſiæ, Phakes, Oſee: & de Prophetis, Elia, Eliſæo, Eſaia, & Jeremia. Præterea quomodo regnum Samariæ deſierit, ſub Oſee filio Hela, qui Phakee filium Romeliæ occidit, regnum vero Jeroſolymitanum ſub Sedekia ceſſavit. Nam & ipſe in Babylonem abductus, & effoſſis oculis in piſtrinum annos viginti ſex abjectus eſt. Poſtea vero Rex Babylonis Regem Joakim exaltavit, thronumque illius ſupra cunctos qui illic erant Reges extulit, & cum eo edit & bibit omnibus diebus vitæ ipſius. In hiſque deſinit liber iſte, in ſervitutem abducto jam populo, & tota urbe capta.

Epitoma geſtorum Regum Judæ & Iſrael.

17. Ab initio repetenda nobis hæc ſunt, & per epitomen exponenda omnium Regum cum Judææ, tum Samariæ nomina, res geſtæ, & Regni cujuſque anni. Et primum de Regibus Jeruſalem. Poſt interitum Saulis qui annos regnaverat quadraginta, regnavit David ſuper univerſum Iſraelem, & ipſe annos quadraginta: in Chebron, ſeptem: deinde ſuper omnem Iſraelem, & Judam triginta tres: & fecit quod rectum erat, corde perfecto. Sub hoc erant Prophetæ, Samuel, Nathan, Gad. Salomon filius David, & ipſe ſuper omnem populum regnavit annos quadraginta: & fecit quod malum erat. Sub iſto erant Prophetæ, Nathan & Gad. Roboam filius Salomonis regnavit annos ſeptemdecim, & fecit quod malum erat. Sub hoc ſciſſum eſt regnum, & manſerunt cum ipſo in Jeruſalem tribus duæ, Juda & Benjamin: in Samaria vero reliquæ decem. Hujus tempore erant Prophetæ Achias Selonites, & Samæas, & Addo. Abias filius ejus regnavit annos tres. Cor hujus non erat perfectum.

Titulus adjectus fuit ab editoribus Parisienſibus.

fectum, sicut Davidis, sed ambulavit in peccatis patris sui: sub hoc vixit Addo Propheta. Assa filius ejus regnavit annos quadraginta & unum, & fecit quod rectum erat: verumtamen adhuc manebant excelsa: sub isto Prophetæ erant Azarias, filius Oded, & Anami. Josaphat filius ejus regnavit annos viginti quinque, & fecit quod rectum erat, attamen adhuc erant excelsa. Postea objurgatus eo nomine fuit, quod amicitiam junxerat cum Ochozia rege Israel, & in nautica negotiatione socius illi fuerat. Hujus tempore erant Prophetæ Elias, Elisæe, Michæas, Hiu filius Anami, Oziel filius Zacharię, & Eliada Odię de Marisa. Joram filius Josaphat regnavit annos octo, & fecit quod malum erat. Habuit enim uxorem filiam Achaab: hujus ęvo erant Prophetæ Elias & Elisæus. Ochozias filius ejus, regnavit annum unum, & fecit quod malum erat. Post hunc regnavit mater ipsius Gotholia annos septem. Joas filius Ochoziæ regnavit annos quadraginta. Iste occidit Zachariam, & donec Jodae vir prudens viveret, a quo instituebatur, fecit quod rectum erat. Hunc interfecerunt ipsius servi in domo Maeloth: hujus tempore prophetavit Azarias filius Jodae. Amesias filius ejus regnavit annos viginti novem, & fecit initio regni, quod rectum erat, sed non sicut David, nam adhuc populus immolabat in excelsis, & lucos non excidit: sub hoc prophetarunt Prophetę quidam, quorum tamen nomina scripta non sunt. Postquam vero eos qui in Seir habitabant, percussit, in superbiam elatus est, idola habitantium in Seir coluit, & in manus hostium traditus, percussus est. Azarias, qui & Ozias, annos quinquaginta duo; & primum, quod rectum erat fecit, sicut & pater ipsius, excelsa tamen non abstulit. Cum autem prospere rem ageret, elatus est animo, voluitque per seipsum adolere in Templo, quod solis sacerdotibus licebat. Quapropter

2. Paral. 26. 18. & lepra percussus est, postquam audisset, *Non tuum est, Ozia, adolere Domino, sed sacerdotum filiorum Aaron, qui sanctificati sunt:* sub hoc prophetavit Esaias. Joatham filius ejus annos sedecim, & fecit quod rectum erat, quemadmodum pater ejus: verumtamen excelsa non est demolitus, & sub hoc erat Esaias. Achaz filius ejus regnavit annos sedecim, & fecit quod malum erat. In diebus ejus erant Prophetę Esaias & Oded. Ezekias filius ejus annos viginti novem, & fecit quod rectum erat, sicut David perfecte. Iste abstulit serpentem æneum, quem suspenderat Moses: sub hoc quoque erat Esaias. Isto regnante Senacherim & Rapsakes Assyrii Dominum blasphemarunt, qui quidem postea percussi sunt, tum autem una nocte cæsi sunt ab Angelo 185000. Ezekias vero cum ægrotaret, & jam moriturus esset, ad prorogationem vitæ annos 15. accepit. Manasses filius Ezekiæ, annos 55. & malum fecit. Quæ namque Ezekias pater ejus demolitus fuerat, ipse restituit: alter Jeroboam factus Judæ, ita ut hujus causa idem acciderit Jerusalem, quod

2. Paral. 33. 9. Samariæ. De illo namque dictum est: *Qui peccare fecit Judam*: Quare & in Babylonem captivus abductus est. In captivitate tamen constitutus, ut in Paralipomenis scriptum est, pœnitentiam egit: quæ causa fuit ut illum Deus in Jerusalem reduxerit, ubi & regnum recuperavit. Postquam vero pœnitentiam egisset, & populum, ut Deo serviret, docuisset, tandem mortuus est. In civitate tamen David non est sepultus, sed in horto suo, in horto Hoza. Amos filius ejus regnavit annos duos, & fecit quod malum erat, sicut pater ejus Manasses: & occiderunt illum pueri ipsius, sepultusque est in horto Hoza, in quo sepultus est & pater ipsius. Josias filius ejus regnavit annos 31. Hunc populus Regem creavit, cum annos octo natus esset, & fecit quod rectum erat, ambulavitque in omni via David, nec declinavit ad

A dexteram, vel ad sinistram. Etenim lucos succidit, & omnia simulacra sustulit, cum annorum esset sedecim; legem vero Dei quæsivit, & cum neglectam invenisset, legi curavit, ac Pascha prædicavit, celebravitque, sicut scriptum est. Hunc occidit Pharao Nechao ad Euphratem, cum contentio inter eos orta esset. Hujus tempore fuerunt Prophetæ Jeremias, Sophonias & Olda Prophetissa, uxor Selle. Joakaz filius ejus regnavit menses tres, & fecit quod malum erat, transtulitque illum Pharao Nechao: sub hoc quoque vixit Jeremias. Eliakim alter filius Josiæ, qui & Joakim mutato nomine dictus est, regnavit annos 11. & fecit quod ma-

B lum erat. Joakim, qui & Jechonias filius ejus, regnavit menses tres, & fecit quod malum erat, translatusque est in Babylonem. Manthanan filius ejus. Hunc Nabuchodonosor constituit Regem, Sedekiamque mutato nomine vocavit; regnavit annos 11. & fecit quod malum erat. Sub isto quoque erat Jeremias. Huc usque duravit regnum Juda, tuncque subversum est, sicut & regnum Samariæ: urbs namque (Jerusalem) capta & universi in Babylonem captivi, cum vasis, abducti sunt.

Reges itaque in Jerusalem, a Davide usque ad captivitatem Babylonicam fuerunt viginti unus: præter Gotholiam, quæ & ipsa, sicut dictum est, post

C Ochoziæ filii mortem septem annos regnavit.

Reges Israel.

18. Consequenter & de Regibus Israel, qui in Samaria regnarunt, dicendum est: nempe, quo quisque vocatus sit nomine, quot annos regnaverit, & quomodo vixerit. Titulus adjectus fuit ab editoribus Parisiensibus.

Jeroboam filius Nabath, cum rediisset ex Ægypto, diviso regno primus regnavit in Samaria. Ita autem quod malum erat fecit, ut similis illi non fuerit. Ve-

D ritus enim ne regnum ejus dissolveretur, duos aureos vitulos fecit, & populum seduxit, dicens: *Hi sunt dii, qui eduxerunt nos ex Ægypto*. 3. Reg. 12. 28 Instituit etiam ipsis sacerdotes, atque ita peccare fecit Israelem. Ipsum enim omnes postea reges imitati sunt; regnavit autem annos 24. Sub hoc erat Propheta Achia Selonita; & qui contra ipsum super altare vociferatus est.

Nabath filius ejus, regnavit annos duos, & fecit quod malum erat. Nec amplius post illum de genere ipsius quisquam regnavit. Baasa de alia stirpe, regnavit annos 24. & fecit quod malum erat. Ela filius ejus ann. 2. & fecit quod malum erat, nec de hujus stirpe

E postea quisquam regnavit. * Zambre alterius generis regnavit annos 12. & fecit quod malum erat. Achaab filius ejus regnavit annos 22. &. plusquam ceteri, fecit quod malum erat. Sub hoc Prophetæ erant, Elias, Elisæus, Michæas, & qui Regi Achaab de Syria & filio Ader prophetavit, qui proprio jussu percussus ac vulneratus, Regem Achaab redarguit. Et prætera seorsum habitantes multi prophetarum filii. Ochozias filius ejus, regnavit annos duos, & fecit quod malum erat. Hujus quoque tempore erant Elias & Elisæus: quinquagenarios enim illius igne percussit Elias in verbo Domini. Joaram alter filius A-

F chaab, regnavit annos duodecim, & fecit quod malum erat. Post hunc nemo amplius de hac stirpe regnavit. Sub isto assumtus est Elias. Elisæus vero perduravit usque ad Jeroboam filium Joas Regem Israel. Erant autem sub istis etiam filii Prophetarum. Jehu de alia stirpe filius Namesse, regnavit annos viginti octo. Hic genus Achaab sustulit, & Prophetas Baal per insidias occidit, statuamque illius contrivit. Et cum in hisce fecisset quod rectum erat, promissionem accepit quod ipsius filii ad quartam usque generationem sessuri essent super thronum Israel. Verumtamen

le-

* In libro 3. Reg. dicitur Zambri regnasse septem tantum dies, & post eum Amri pater Achaab, duodecim annos.

legem Domini non servavit toto corde: neque enim a A peccatis Jeroboam abstinuit, circa vitulos illos.

Joachaz filius ejus, regnavit annos 17. fecitque quod malum erat. Joas filius ejus regnavit annos sedecim, & fecit quod malum erat. Jerusalem expugnavit, aurum & vasa abstulit. Jeroboam filius ejus regnavit annos 41. & fecit quod malum erat. Zacharias filius Jeroboam, regnavit menses sex, & operatus est malum. Hactenus genus Jehu in quartam generationem duravit. Sellum ex alia progenie filius Jabis, regnavit dies triginta, & fecit quod malum erat. Manaem ex alia genere filius Gadde, regnavit annos 20. & fecit quod malum erat. Phakeias filius Manaem, B regnavit annos 10. & fecit quod erat malum. Hujus tempore prophetarunt Esaias & Osee. Phakee, de alia stirpe, filius Romeliæ, regnavit annos 20. Hic occidit Phakeiam, & fecit quod malum erat. Sub hoc quoque erant Esaias & Osee Prophetæ. Osee aliunde natus filius Ela, regnavit annos 9. Iste occidit Regem Phakee, & fecit quod malum erat, verumtamen non sicut qui ante ipsum regnarunt.

In isto Osee finitum est regnum Samariæ. Tunc enim cessavit, ac periit Samaria, quam deinceps Assyrii inhabitarunt, ex quibus orti sunt hæretici C Samaritæ, qui & Sadducæi vocantur.

Collecta itaque eorum tempora, qui Jerosolymis a Davide usque ad Sedekiam regnaverunt, annos constituunt quadringentos. Reges universi fuerunt viginti unus, demta Gotholia, & cuncti ejusdem stirpis, Davidis videlicet, ut ab initio ad finem usque filius a patre regnum hæreditario jure acceperit. Ex his autem novem, quod rectum, duodecim vero quod malum erat, operati sunt, demta Gotholia.

Eorum vero tempora, qui in Samaria a Jeroboam usque ad Osee regnarunt, anni sunt ducenti sexaginta: D Reges autem universi decem & octo ex diversis stirpibus. Horum octo regnum invaserunt: omnes vero quod malum erat fecerunt, juxta peccatum Jeroboam.

Liber XI. Paralipomenon 1. & 2.

19. Hoc nomine vocantur isti libri, quod multa in libris Regnorum prætermissa in ipsis continentur. Habetur autem in primo libro omnium tribuum genealogia ab Adam usque ad Reges secundum tribus, & populos, & familias, & domos. In secundo vero exponuntur gesta Regum.

E Supra quidem dictum est, quod qui Regum facta & tempora conscripserunt, Prophetæ fuerint, qui singulis temporibus vixerunt. Ut autem speciatim quid quisque scripserit, cognoscatur, ex Paralipomenis ista annotavimus: Davidis historias scripserunt Samuel, Nathan & Gad Prophetæ. Salomonis, Nathan & Achia Prophetæ. Jeroboam, Samæas & Addo Prophetæ. Abiæ, Addo Propheta. Asæ facta habentur in libro Sermonum de Regibus Juda. Josaphat, Jehu Propheta, filius Aname, qui librum Sermonum de Regibus Juda F scripsit. Quæ Joas gessit, relata sunt in scripturam Regnorum. Quæ Amasias in libro sunt Regum Juda & Israel. Quæ Ozias, scripsit Esaias Propheta. Quæ Joatham, sunt in libro Regum & Juda & Israel. Quæ Achaz, in libro habentur Regum, Juda & Israel. Quæ Ezekias fecit, scripsit Esaias Propheta filius Amos. Quæ Manasse, relata sunt in sermonem videntium. Quæ Josias, in libro sunt Regum Juda. Quæ Joakim, in libro habentur Regum Juda & Israel.

Liber XII. Esdræ primus & secundus.

20. Hi duo libri ab eo conscripti sunt, cujus & inscriptionem præferunt. Esdras enim iste Sacerdos & lector cum esset, reditum filiorum Israel ex Perside ad Jerusalem, enarravit. In primo libro tradit, quomodo cura reditus fuerit in manu Jesu filii Josedec & Esdræ; & Zorobabel, & Neemiæ Eunuchi Judæi. Occasio vero reditus hæc fuit. Tres milites Regem custodientes, quorum unus erat Zorobabel, circa quæstionem quamdam contendebant, facta promissione, ut qui vinceret, a Rege quicquid vellet, peteret. Cum primus dixisset fortius esse vinum, alter fortiorem esse Regem, Zorobabel contendit fortiores esse mulieres, veritatemque super omnia excellere. Hæc quia loquutus Zorobabel, victor evasit: cum jussus esset petere quod vellet, petiit, ut captivitas solveretur, & Jerusalem ædificaretur. Atque ita ut petiit, factum est: dimissaque est captivitas. Tunc enim temporis adimpleti erant sexaginta iræ anni. Qui vero Jerosolymam e captivitate ascenderunt de tribubus Juda & Benjamin, cum Levitis, in universum numero fuerunt quadraginta duo millia trecenti & sexaginta. Servi vero illorum & ancillæ, septem millia trecenti triginta quatuor. Cantores ducenti quadraginta quinque. Cameli quadringenti triginta quinque. Asini sex millia septingenti viginti. Ædificatores autem erant Zorobabel & Jesus filius Josedec & Neemias. Esdras vero cum esset dexter in cognitione legis, legem protulit atque legit, constituitque cuncta ad templum pertinentia, & Levitas quoque ipse ex lege designabat. Præterea & alienigenas uxores abjici curavit ab illis, qui eas tempore captivitatis duxerant. Abjecerunt enim illas omnes, & mundati sunt, & pascha, sicut scriptum est, & jejunium legitime servaverunt.

Qui primus Esdræ hic dicitur, est in Vulgata tertius & ad calcem bibliorum positus extra canonicos.

Cap. 3. *Cap. 4.* *Cap. 5.* *Cap. 6. 7.* *Cap. 8. 9.*

Secundo autem libro eadem quidem de reditu Babylone ait, præter problemata. Plura vero de Neemia Eunucho exponit, quomodo & ipse templi ædificationem petiverit. Et quomodo Esdras quidem lectoris fungeretur officio, Jesus vero & Banæas & Abias populum erudirent. Quod Esdras scientiam Domini legendo explicuerit, populus, per lectionem illius, quę facienda erant intellexerit, & Pascha celebraverit. Servarunt etiam jejunium mense septimo, & festum Tabernaculorum, sicut scriptum est. *Non fecerant*, inquit, *ad hunc modum a diebus Jesu filii Nave.* Esdras vero cum vidisset mulieres Azotias Hebręis conjugio junctas, lugens ac plorans, effecit, ut omnes promitterent se legem Dei servaturos: & ejecit mulieres illas, tanquam illegitimo conjugio junctas, & jurarunt universi se legem servaturos. Atque ita sanctificati & mundati, exhilarati sunt, & abiit quisque in domum suam. Narratur autem & hoc de Esdra, quod cum libri per incuriam populi ac diuturnam captivitatem periissent, ipse illos, cum vir esset honesti studiosus, industrius, & lector, apud se omnes custodiverit, & tandem protulerit, omnibusque tradiderit, atque ita Biblia servaverit.

Liber XIII. Psalterium Davidis.

21. Tametsi hic Psalmorum liber solius habet Davidis inscriptionem, multorum tamen aliorum quoque in illo sunt Psalmi; scilicet Asaph, Idithum, filiorum Core, Aggæi, Zachariæ, & Æmam Israelitæ. Sunt etiam nonnulli, qui una ab omnibus sunt dicti, quotquot videlicet alleluja habent. Itaque Esdras omnes hosce Psalmos a quibuscunque dictos

uno complexus est libro, qui quidem quasi communes sint Psalmi omnes quos continet, Psalmorum liber vocatur; soli vero Davidi inscribitur, quia ille primus spiritum psallendi a Deo accepit, primusque Psalmos composuit & scripsit, & prædictos Psalmistas ipse ex sacerdotibus selegit ac instituit, stationemque locorum illis, & ordinem melodiæ, ac tempus psallendi matutinum & vespertinum determinavit: & ita ordinavit ut alii aperto, alii clauso templo, alii a dextris, alii a sinistris starent: atque ita quidam Deo psallerent, laudemque ac hymnum voce canerent; quidam vero confessionem ac laudem pulsarent, illi in cinyris, citharis, nablis ac cymbalis, isti tubis in exaltando personarent. Sacerdotes igitur qui arcam Dei sub Davide portabant, erant numero mille & duo; nempe, ex filiis Caath, Uriel princeps & fratres ejus centum & decem. Ex filiis Merari, Ase princeps & fratres ejus 250. Ex filiis Gedeon, Joel princeps & fratres ejus 150. Ex filiis Elisaphat Samæas princeps & fratres ejus 200. Ex filiis Chebron, Ener princeps & fratres ejus 80. Ex filiis Eziel, Aminadam princeps & fratres ejus 112. Psaltæ vero selecti ex ipsis erant, de quibus supra dictum est. Hi ad hunc modum instituti erant. Asaph & Æthan filii Core cymbalis æneis personabant, ut ab omnibus audirentur. Zacharias vero & Oziel Samiramothith, Eloni, Eliab, Masæas, Banæas, Idithum, in nablis & psalterio, Matthæas, & Emphanæas, & Macæa, & Abdedom, & Heil, & Ozias filius Æman, in cinyris & citharis. Masse vero & Aggæus & Zacharias, & Bane, & Eliezer, sacerdotes, tubis clangebant. Et reliquos Psalmos quos isti quoque Spiritu sancto moti conscripserant, Esdras Davidis Psalmis conjunxit, & ex omnibus ita coadunatis unum hunc Psalmorum librum, ut dictum est, constituit. Est autem inter Psalmos dilucida ad hunc modum ponenda distinctio. Sunt enim proprie Davidis, quotquot istam habent inscriptionem, *Davidis*. Videlicet isti, 25. 26. 27. 36. 151. Qui vero ab aliis compositi, Davidi inscribuntur, sunt quotquot inscriptionem hanc, *Davidi*, similiter habent, qui quidem sunt isti: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 37. 39. 40. 41. 49. 50. 51. 52. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 62. 63. 64. 67. 68. 69. 70. 85. 90. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 100. 102. 103. 107. 108. 109. 136. 137. 138. 139. 140. 143. 144. Eorum vero, qui hanc inscriptionem, *Davidi*, habent, alii inscribuntur, *In finem*: alii tantum, *Psalmus*. Qui autem inscribuntur, *In finem Psalmus Davidi*, sunt isti: 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 18. 19. 20. 21. 29. 30. 39. 40. 50. 64. 67. 108. 138. 139. Qui inscribuntur tantum, *Davidi*: absque illa particula, *In finem*: hi sunt, 3. 7. 14. 22. 24. 28. 37. 42. 62. 93. 97. 98. 107. 140. 142. Rursus eorum qui inscribuntur, *In finem Psalmus Davidi*, hæc est subdivisio. Alii inscriptionem habent, *Psalmus Cantici*, scilicet, 4. 64. Alii tantum, *Psalmus*, videlicet, 5. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 18. 19. 20. 21. 30. 39. 40. 50. 63. 108. 138. 139. Qui vero inscriptus est, *In Hymnis*, Psalmus est, 6. qui vero inscribuntur, *Psalmi Cantici*, 29. 63. Sunt & alii, qui inscriptionem quidem habent, *In finem Davidi*, Psalmi tamen inscriptionem non habent, sed aliam, & sunt isti, 17. 35. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 68. 69. Horum qui differentem habent inscriptionem, alius inscribitur, *Verba Cantici*, ut 17. alii, *Davidi* tantum, ut 35. 68. 69. alii, *Intellectus*, ut 51. 52. alii, *In Hymnis intellectus*, ut 53. 54. Nonnulli, *In tituli inscri*- A *ptionem* habent, ut 55. 56. 57. 58. 59. Est qui *in Hymnis* inscribitur, ut 60. Eorum vero, qui, *Psalmus Davidi*, absque illo, *In finem* inscribuntur, est Canticum Psalmi 107. tantum. Porro qui nec, *In finem*, nec, *Psalmus*, sed simpliciter, *Davidi* inscribuntur, sunt, 15. 16. 31. 32. 70. 85. 90. 92. 94. 95. 96. 100. 102. 103. 136. 137. 141. 143. 144. & ex his iterum alius, *Canticum*, inscribitur, ut 95. alius, *Tituli inscriptio*, ut 15. alii, *Oratio*, ut 16. 82. alii, *Intellectus*, ut 31. 100. 141. hic, *Filiorum Aminadam*, ut 70. illi, *Laus Cantici*, ut 90. 92. 94. iste *Laudationis*, 144. Rursus, qui neque, *Davidis*, neque, *Davidi*, B inscribuntur, sed aliis assignantur, sunt isti, 38. 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 86. 87. 91. 99. 104. 105. 106. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 134. 135. 145. 146. 147. 148. 149. 150. Et horum quidam inscribuntur, *Asaph*: quidam, *Filiis Core*, *Asaph & Æthan*: quidam, *Idithum*: alii, *Aggæi & Zachariæ*: alii, *Alleluja*. Asaph sunt isti, 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. Ex quibus alii inscriptionem habentes, *In finem Psalmus Asaph*, sunt hi, 74. 75. 76. 79. 80. alii tantum, *Psalmus Asaph*, 72. 78. 81. alius, *In Hymnis*, ut 75. alii, *Canticum Psalmi Asa*- C *pho*, ut 79. 82. quidam, *Intellectus*, inscriptionem habent, ut 73. 77. quidam, *Super torcularia*, ut 80. ille, *pro iis qui immutabuntur*, ut 79. hic, *Psalmus Cantici*, ut 74. Qui, *Alleluja* inscribuntur, sunt isti, 104. 105. 106. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 134. 135. 145. 146. 147. 148. 149. 150. Ex his *Aggæi* sunt *& Zachariæ* 145. 147. 148. Qui, *Filiis Core* inscribuntur, sunt, 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86. 87. Ex his alii inscriptionem habent, *In finem filiis Core*, ut sunt, 41. 43. 44. 48. 83. 84. Alii, *In finem pro filiis Core*, ut 45. 46. quidam, *Psal*- D *mus Cantici filiis Core*, ut 47. 86. 87. *Intellectus Æthan Israelitæ*, 88. Sunt qui inscribuntur, *In finem Idithum Canticum*, ut 38. 61. Qui vero *Graduum* sunt, omnes sunt cantica, ut, 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. Ex his, *Salomoni*, inscriptus est, 126. *Davidi* vero, 130. 131. 132. Itaque ista est divisio inscriptionum, quæ Psalmis quibusdam præmittuntur. Communes vero sunt in hoc libro qui Psalmi tantum inscribuntur, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 18. 19. 20. 21. 29. 30. 39. 40. 50. 60. 61. 63. 64. 65. 66. 67. 72. 78. 81. 108. 138. 139. qui *Psalmus Canticum*, 4. 64. E qui *Psalmi Cantici*, 29. 47. 67. 86. 87. qui *Canticum* tantum, 38. 76. 95. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. *Canticum Psalmi*, 65. 82. 107. qui, *Verba Cantici*, 17. qui, *Laus Cantici*, 90. 92. 94. *Laus*, 144. *In Hymnis*, 60. 75. *In Hymnis intellectus*, 53. 54. *In Hymnis Psalmus*, 6. 66. *Intellectus*, 31. 51. 52. 73. 77. 88. 100. 141. *Ad inscriptionem tituli*, 15. 55. 56. 57. 58. 59. *Oratio*, 16. 85. 89. 101. *Oratio Mosi hominis Dei*, 89. *In Salomonem*, 71. Sine nomine, 9. 65. 66. 91. 99. 101. *Alleluja*, 104. 105. 106. 110. 111. 112. 113. 114. 116. 117. 118. 134. 135. 145. 146. 147. 148. 149. 150. *Davidi*, simpliciter, 32. 34. 35. 96. 102. 103. 136. 137. Qui a Davide vero & reliquis omnibus dicti sunt, & inscripti, *In finem*, sunt isti, 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. F 12. 13. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 30. 35. 38. 39. 40. 41. 43. 44. 45. 46. 48. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 74. 75. 76. 79. 80. 83. 84. 108. 138. 139. Qui Davidis tantum sunt proprii, hi sunt, 25. 26. 27. 36. & 151. Post universam hanc divisionem, deinceps necessarium est separatim etiam quorumdam Psalmorum inscriptiones cognoscere. Primus quidem & secundus inscriptione carent. Tertius vero inscriptus est:

[Margin note, beside "ab omnibus audirentur": Hæc nomina diverse leguntur. 1. Paral. 16. 5.]

[Margin note, beside "qui Psalmus Canticum, 4. 64.": Hæc non omnino sunt accurata.]

est: *Quando a facie Abesalom filii sui aufugit*. 142. *Quando filius ipsum persequutus est*. 5. *Pro ea quæ hæreditatem accipit*. 6. & 11. *Pro octava*. 7. *Super sermonibus Chusi filii Jemeni*. 8. 80. & 83. *Pro torcularibus*. 9. *Pro absconditis filii*. 45. *Pro absconditis*. 15. *In tituli inscriptionem*. 16. & 85. *Oratio*. 17. *Quando eripuit eum Dominus e manu omnium inimicorum ipsius*. 21. *Pro susceptione matutina*. 23. *Prima Sabbatorum*. 26. *Antequam ungeretur*. 28. *Exitus tabernaculi*. 29. *In dedicatione domus*. 30. *Extasis*. 31. *Intellectus*. 33. *Quando mutavit faciem suam ante Abimelech*. 35. *Servo Domini Davidi*. 37. *Ad rememorationem diei Sabbati*. 44. *Pro commutandis, ad intellectum filiis Core Canticum super dilecto*. 68. *Pro commutandis*. 77. *Pro commutandis testimonium super Assyrio*. 50. *Cum venisset ad eum Nathan Propheta, postquam esset ad Bersabee ingressus*. 51. *Cum venisset Doec Idumæus ad Saulem, nunciassetque illi ac dixisset: Venit David ad domum Abimelech*. 52. *Super Maeleth*. 53. *Cum venissent ad Saulem Ziphæi, illique dixissent, an non est absconditus apud nos David?* 55. *Cum tenuissent eum Philistæi in Geth*. 56. *Cum ante faciem Saulis in speluncam fugisset*. 58. *Cum misisset Saul, qui domum ejus observarent, ut eum occideret*. 59. *Cum incendisset Mesopotamiam Syriæ, & Syriam Sobal, & reversus Joab percussisset in valle Salinarum duodecim millia*. 62. *Cum esset in solitudine Idumææ*. 65. *Resurrectionis*. 69. *Ad rememorationem, quod me servaverit Dominus*. 70. *Filiorum Ada, priorum captivorum*. 71. *In Salomonem*. 75. *In Assyrium*. 87. *Super Maeleth ad respondendum*. 91. *Pro die Sabbati*. 23. *Prima Sabbatorum*. 92. *In diem ante Sabbatum quando habitata est terra*. 93. *In quarta Sabbati*. 95. *Cum domus ædificaretur post captivitatem*. 96. *Quando constituta est ejus terra*. 99. *Ad confessionem*. 101. *Precatio pauperi cum in angustiis esset, & orationem suam ante Dominum effunderet*. 141. *Precatio cum esset in spelunca*. 143. *Contra Goliath*. 151. *Psalmus hic peculiariter Davidi, & extra numerum reliquorum, quando singulari certamine cum Goliath congressus est*.

De diapsalmate quoque tractandum est, in quibus Psalmis illud & quoties in unoquoque inveniatur. In secundo Psalmo, semel: in tertio, bis: in quarto, bis: in septimo, semel: in nono, canticum diapsalmatis: in 23. semel: in 31. bis: in 33. semel: in 38. bis: in 43. semel: in 45. bis: in 46. semel: in 47. semel: in 48. bis: in 51. bis: in 53. semel: in 54. bis: in 56. bis: in 58. bis: in 59. semel: in 60. semel: in 61. bis: in 65. ter: in 66. bis: in 67. quater: in 74. semel: in 75. bis: in 76. ter: in 80. semel: in 81. semel: in 82. semel: in 83. semel: in 84. semel: in 86. bis: in 88. quinquies: in 93. semel: in 139. ter: in 142. semel. Demum quotquot per alleluja inscribuntur, & qui graduum sunt, diapsalma non habent.

Liber XIV. Proverbia Salomonis.

22. Salomon filius Davidis, cum regnum patris sui suscepisset, a Deo petiit, ut sapientiam acciperet magis quam divitias, & hostium ultionem. Hanc cum accepisset, & præ omnibus mortalibus, qui ante & post ipsum fuerunt, sapiens esset: ac cum in omnibus dictis factisque suis admirationi esset, tria millia parabolarum, & quinque millia cantica proloquutus est: disputavitque de omnibus, tam de iis quæ ex terra proveniunt, quam de omnis generis animantibus. Scripsit libros in Canonem receptos tres: hunc videlicet, qui Proverbia dicitur, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum, & alium præter istos, in Canonem non receptum, sicut ante dictum est, qui Sapientia Salomonis dicitur. Præsentem autem librum Proverbia inscripsit, quod Proverbia sint verba sapientium, velut ænigmata, quæ quidem aliud ex se exhibent, aliud vero per suspicionem indicant. Horum autem species sunt, Proverbia. Ad hunc etenim modum discipuli Domini in Euangelio secundum Joannem loquuntur, quando Domino, cum antea multa obscura sententia loquutus esset, tandem dicunt ei: *Ecce nunc palam loqueris, & Proverbium nullum dicis*, ut intelligas Proverbia non aperto, sed obscuro sensu dici. Quoniam igitur tales plerumque sunt in hoc libro sententiæ, ideo parœmiæ seu Proverbia, inscriptus hic liber est. Est autem inde dicta parœmia, quod per vias, tales sententiæ conscribi solitæ essent, ad correctionem & doctrinam eorum, qui iter instituerent. Per vias autem scribebantur, propterea quod non omnes, veritatis sermones capiebant: ut vel in transeundo & talia conspiciendo quæ scripta essent, exquirerent, atque ita erudirentur homines. Parœmias itaque ad hunc modum nonnulli definiunt, dictum parodium, (seu in via positum) ab uno quodam ad multa translatum. In hoc igitur libro scientia sapientiæ & disciplinæ, intellectus sermonum prudentiæ, strophæ verborum, justitiæ veræ intellectus, ad dirigendum judicia, & pollicitatio cognoscendarum ex istis parabolarum, dictorum sapientium, ænigmatum, & obscurorum sermonum. Et sunt scientię sapientiam ac disciplinam tradentes. Cum & Gręci sapientiam se habere polliceantur, & hęretici habere se disciplinam arbitrentur; ideo hic veram sapientiam ac disciplinam docet, ne specie ac similitudine sapientię quisquam in sophismata Gręcorum & hęreticorum incidat. Gręci namque putantes se aliquos esse, & *dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt*; hęretici vero eruditos esse se rati, aversi sunt, & peccant proprio judicio condemnati. Sapiens vero si divina eloquia audierit, sapientior erit. Etenim si legitima Dei audierit & custodierit, & in disciplina Domini negligens non fuerit, nec in ea defecerit, filius sapiens evadet, & eruditus factus cognitionem Dei confestim accipiet. Hac enim sapientes instituuntur. Sermonum vero prudentum intellectus, doctrina est de solo vero Deo. Græcorum namque alii corpus esse dixerunt Deum, alii simulacris etiam ipsum assimilarunt. Hæretici vero & ipsi in veri cognitione desipuerunt. Propterea hic de vera cognitione Dei hæc enarrat. Quod quidem ineffabilis sit: *Gloria Dei abscondit verbum*. De providentia vero illius sic loquitur: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*. Et iterum: *Dives & pauper alter alteri occurrerunt, utrosque vero fecit Dominus*. Et: *Dum conveniunt fœnerator ac debitor, utrosque speculatur Dominus*. Et: *Sunt enim in conspectu oculorum Dei viæ viri, & omnes orbitas ejus speculatur*. Judicium quoque ejus commemorat, dicens: *Sacrificia impiorum, abominationes sunt domini: vota autem recte ambulantium, accepta sunt apud eum*. Et iterum: *Domos conviciatorum dissipat Dominus, firmat autem terminum viduæ*. Opificium vero illius non simpliciter, sed eo quod per Verbum, ac sapientiam suam cuncta faciat: qui potissimus veri Dei character est, quod sit Filii Pater. Ait igitur: *Sapientia Deus fundavit terram*. Et iterum: *Dominus fecit regiones & deserta, & summitates habitatas ejus quæ sub cælo est. Quando præparabat cælum, aderam ipsi: quando separabat thronum suum supra ventos, quando validas faciebat desuper nubes, cum eo eram cuncta com-*

Joan. 16. 29. — Παροιμία cur ita vocetur. — Rom. 1. 22. — Tit. 3. 10. — Prov. 25. 2. — Prov. 15. 3. — Prov. 22. 2. — Prov. 29. 13. — Prov. 5. 21. — Prov. 15. 8. — Prov. 15. 25. — Prov. 3. 19. — Prov. 8. 27.

Prov. 8. 31. *componens. Ego eram in qua lætabatur, singulis diebus lætabar in conspectu illius*. Strophæ quoque verborum insunt isti libro: nam si quis ea mente verset, reserabit ac inveniet sententiam in ipsis sitam. Qualia sunt hæc: Prov. 10. 5. *Incolumis evasit ab æstu filius intelligens, corrumpitur* Prov. 27. 25. *autem a vento in messe filius iniquus*. Et iterum: *Solicito cura quæ in agro sunt viridia, & herbam demetes, ac fænum montanum collige, ut oves habeas ad vesti-* Prov. 23. 1. *tum*. Et rursus: *Si conviva sederis ad cœnam in mensa magnatum, mente intelligas quæ apponuntur tibi*. Et alia consimilia. Veræ justitiæ dictus est intellectus: quoniam differenter quidam justitiæ vocabulum accipiunt, B aliis dicentibus justitiam esse, si reddat quis quod custodiendum accepit: aliis vero, si malum reddatur pro malo, & bonum pro bono. Hujusmodi autem definitiones exactæ ac justæ non sunt. Ne dixeris enim, quo ille erga me usus est modo, eodem utar ego, pœnas de illo sumam, pro injuria qua me affecit. Quamobrem hic, quæ vera sit justitia, docet: eam videlicet veram esse justitiam, si unicuique quod suum est redda- Prov. 3. 9. tur. *Cumprimis honora*, inquit, *Dominum de justis tuis laboribus, & primitias illi da, de tuis justitiæ fru-* Prov. 24. 21. *ctibus. Deinde honora Regem, & parentibus debitum exhibe officium, omnibus vero, quod æquum est*. Et C hic quidem unus est typus. Alter vero est, ut animum suum quisque justificet, æquabilitatem custodiendo, ita ut numquam in contrariam inæquabilitatem declinet: sed rationi obtemperet, ne malo consilio quo juventutis doctrina repudiatur, capiaris: sed cum consilio omnia facias, & cogitationes tuæ sint judicia, ita ut seipsum quisque judicet, & omne desiderium probum habeat: omne quippe justorum desiderium bonum est, & concupiscentia justi accepta est. Prov. 22. 24. Quod autem iracundiam spectat: *Ne sis amicus*, inquit, *viro furioso, & amico iracundo ne cohabites. Omnem enim iram suam emittit insipiens: sapiens vero illam ex parte recondit*. Qui seipsum ad hunc componit modum, & singulas cujusque D partis animæ actiones sanas & innocuas custodit, is demum veram agniturus est justitiam. Judicia vero dirigere potissimum quidem est, juste secundum Prov. 22. 24. legem Dei judicare, ut ait: *Aperi os tuum verbo Dei, & sane de omnibus judica. Pauperem vero & imbecillem dijudica. Qui namque dicit de impio: Justus est, exsecrabilis est populis, & odiosus inter gentes*. Prov. 24. 23. *Personam enim in judicio revereri bonum non est*. Hoc quidem palam & aperte dicendum est: deinde, ut quod judicium in alios quispiam profert, idipsum in sese dirigat, seque ipse examinet: Corripiatque, si excesserit ira: cohibeat, si vehementior fuerit concupiscen- E Prov. 6. 9. tia: excitet, si dormierit vis ratiocinii: *Quousque*, ajens, *piger, jaces?* Ita enim se juste gerens, accusatorque sui factus, rectum judicium Rom. 2. 22. proferre discet, nec audiet ab alio: *Qui alium doces, teipsum non doces? Qui ais, Non mœchaberis, mœcharis?* Quemadmodum enim qui iter facit, si recta gradiatur via, ad finem viæ pervenit; sic, qui recta profert judicia, justus agnoscetur & sapiens. Parabolæ autem dicuntur sermones, quasi imagines eorum quæ dicuntur. Ex ipsis enim per similitudinem, quod dicitur, intelligitur. Ita namque Dominus, ut ait Mar- F Marc. 4. 30. cus, dixit: *Cui assimilabo Regnum Dei? aut qua parabola adumbrabo illud?* Ut nimirum parabola sit de rebus per similitudinem dictis. Cum dixisset enim: Matth. 13. 33. *Simile est regnum Dei*: deinde intulit: *Ideo in parabolis loquor illis*. Hujusmodi itaque sunt Parabolæ: *Sicut e-* Prov. 25. 13. *missio nivis in messe allevat æstum, sic nuntius fidelis iis qui miserunt illum*. Et rursum: *Sicut venti & nubes* Prov. 25. 13. *& pluviæ, sic qui gloriantur in dono mendaci*, & his similia. Dicta porro sapientum sunt, non sophismata verborum, neque sermones probabilitatis specie de- A cipientes, sed veri & accurati: non quasi cujusdam jussione habiti, sed per se noti, & quasi sententiæ eorum prolati. Quales sunt: *Corde lætante, floret vul-* Prov. 15. 13. *tus; cum autem in tristitia est, deprimitur*. Et: *Cor re-* Prov. 15. 14. *ctum quærit sensum; os autem indisciplinatorum, cognoscet mala*. Et: *Odium excitat contentionem: Omnes au-* Prov. 10. 12. *tem eos qui contentiosi non sunt contegit amicitia*. Et: *Qui negotium contemnit, contemnetur ab ipso; qui vero* Prov. 10. 13. *mandatum veretur, ille sanus est*. Aliorum namque hominum sermones, ut plurimum ambigui sunt; sapientium vero, quales sunt isti, veri sunt & omni ex parte accurati, ita ut minime ipsis contradicatur. Et B alii quidem homines ex fine operis rem declarant, quale est: Iniquus res est mala: &, mœchus pravum quid est, quod cuivis manifestum est. Sapientes autem initium operum prædicunt, & quasi symbola animi motuum prænuntiant; ut quisque, agnitis malorum principiis, sibi caveat, qualia sunt superius dicta: *Odium suscitat contentionem, omnes autem qui non* Prov. 10. 12. *contendunt, contegit amicitia*. Contentiosus enim ex odio malitiæ hujus principium habet, nec quispiam dixerit contentiosum se diligere. Contra, qui contentiosus non est, dilectionis indicium habet: nec contentiosum quispiam dixerit eum qui diligit, ut C rursum dicitur: *In concupiscentiis est omnis otiosus, &* Prov. 14. 17. *iracundus absque consilio agit*. Nam otiosi animam significat in omnibus concupiscentiis esse demersam; & iracundum, nullum rectum habere consilium ostendit. Hi itaque plane, mores declarant, & actionis principium unde ordiatur, dum ajunt: odium præcedere rixas: caritatem esse principium & causam qua vitantur contentiones: otio præire pravam voluptatem, iracundo præire consilii inopiam: & causam quare quis despiciatur, esse contemtum legis: quod sanitatem præcedat timor Dei: item quod principium perditionis animæ sit, non custodire os suum, quod terrori præeat temeritas. Si eo D modo singula dicta expenderis, deprehendes ea ideo esse scripta atque prolata, ut qui audierint malorum bonorumque principia edocti, prava fugiant, bona operentur. Ænigmata porro & obscuri sermones, ita caute sunt posita, ut eum qui legerit mœrore afficiant, quod nihil statim exhibeant, nullum sensum subindicent: attamen dum accurate expenduntur, suam sententiam indicant. Qualia sunt: *San-* Prov. 30. 15. *guisugæ tres erant filiæ admodum dilectæ: & hæ tres, & quarta non dicunt, satis est. Infernus, & amor mulieris, & tartarus, & terra quæ non saturatur aqua, & aqua, & ignis, nunquam dicunt,* E *satis est*. Et iterum: *Tria sunt, quæ intellectu* Prov. 30. 18. *mihi sunt impossibilia, & quartum non cognosco; vestigia aquilæ volantis, & vias serpentis supra petram, & vias navis in mari euntis, & vias viri in adolescentia*: & quæcumque ejusmodi sunt ænigmata: alia namque statim indicant, aliam tamen sententiam exhibent: & obscura quidem sunt, absconditum vero sensum habent.

Liber XV. Ecclesiastes.

23. Et hunc librum scripsit Salomon: ut supra dictum est. Dicitur autem Ecclesiastes, quoniam F ita hunc nominavit auctor ipse, qui scripsit in principio ipsius dicens: *Verba Ecclesiastæ filii Davidis Regis Israel in Jerusalem: Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes*. Variis vero nominibus vocatus est Salomon; Sapiens, quia sapientiæ particeps fuit, Prudens, eo quod veritatis in ipso fuit prudentia, Doctus, quoniam veram a Domino doctrinam habuit. Ecclesiastes vero vocatus est, quia ad populum ipse concionatus, & quæ spiritus sunt loquutus est. In hoc autem libro de naturali theoria philosophatur.

Quo-

Quoniam enim Ægyptii de illa suas jam habebant i- A maginationes, & Græci hisce de rebus fabulaturi e- rant: ob eam ipse causam impulsu Spiritus sancti eos qui de istis inquirere conabantur, compescit, dicens: Eccles. 8. 17. *Non poterit homo invenire opus, quod sub sole factum est: quamvis quærendo fatigetur, non inveniet*. Damnat etiam Ægyptiorum religinnem circa divininationem Eccles. 11. 5. ex hominis nativitate dicens: *Qui observat ventum non seret, & qui adspicit ad nubes non metet, in quibus agnosci non potest, quæ sit via spiritus. Sicut ossa in ventre uterum gestantis, ita non cognosces opera Dei, quæcumque faciet universa*. Deinde & de singulorum B theoria tractans, fatetur, quod de talibus vane quæratur, & quod ejusmodi nihil pariant aliud, quam laborem. Non enim ex illorum cognitione, sed ex vita & actibus sapiens & justus quivis comprobatur. Eccles. 9. 1. Dicit namque: *Etenim quæcunque scire se dixerit sapiens, ea non poterit invenire. Quoniam totum hoc tradidi cordi meo, & totum hoc vidit anima mea, quod justi & sapientes, & opera eorum sunt in manu Dei*. Recte igitur talium rerum inquisitionem prætergressus, & in contemplanda mortalium politia constitutus, cum multos & varios videret hominum casus, concludit, quod providentia administrentur omnia, C Eccles. 9. 11. dicens: *Cursus non est velocium, nec bellum prudentium, nec sapientis panis, nec prudentium opulentia, nec cognoscentium gratia: quoniam tempus & occasio simul* Eccles. 5. 9. *omnibus istis occurrent. In omnibus enim est, rex agri culti. Neque enim quisquam in istis consilii sui Dominus est. Quis est enim homo, qui possit ire retro consilium, quæcumque fecerunt ipsum? Et quod nihil potestatis amplius in hac vita habeat homo, quam faciendi bonum & malum, & præparandi opera sua ad exitum. Nam &* Eccles. 5. 17. *quod edit & bibit, hoc donum Dei est. Unde sive quæratur, quomodo facta sint, quæ videntur, sive adsint pecaniæ, sive voluptas abundantiæ: omnia hæc vanitas* D *vanitatum, & nihil amplius quam superfluitas consilii & voluntatis conatus*. Cum ait autem, hæc esse vanitatem, futurorum æternitatem significat. Quapropter & universa transcendens, hortatur ut æternorum memoriam servemus, & sciamus futurum aliquando, ut mundus hic finiatur, cum dicit, fore ut Eccles. 12. 3. molentes cessent: *In die, qua commovebuntur custodes domus & natabunt viri potentes, & molentes cessaverunt*. Et quæ finem mundi subsequuntur exponit, di- Eccl. 12, 14. cens: *Quoniam cuncta, quæ fiunt, ducet Deus in judicium, in omni errato, sive bonum, sive malum*. His ostendit quod illud: *Vanitas vanitatum*, non ad hoc dixerit, E ut creaturam criminaretur; sed quod æterna contemplatus, rerum temporalium desiderium admoneret esse vanitatem. Et ubi judicium futurum esse docet, innuit fore resurrectionem mortuorum, & actorum retributionem. Deinde cum dicit, *cessaverunt molentes*, ostendit non vanam esse ipsam creaturam, sed potius omnibus esse pietatis magistram. Siquidem ipsius ordo & ornatus, de factore ipso ac creatore prædicatio est: in qua sunt & Prophetæ, & Euangelistæ, & Doctores, tanquam molentes unicuique alimoniam, per doctrinam, videlicet pietatis scientiam: qui molentes tandem in con- F summatione otiabuntur. Tum enim non docebunt amplius, instar molentium, sed quisque secundum acta judicabitur.

Liber XVI. Canticum Canticorum.

24. Hic quoque liber, Salomonis est opus, ut superius declaratum est. Totumque ab initio usque ad finem mystice & cum allegoria ænigmatica conscripsit. Sententia quippe dogmatum ejus, non aperta, sed occulta est. Attamen si accurate perqui-

ratur, invenietur. Quapropter expedit, ut qui prudentes sunt, in toto hoc libro allegorice versentur; ne propter imperitorum ignorantiam, quæ hic dicuntur contemtui habeantur. Canticum autem Canticorum ideo vocatur, quod post alia cantica subsequatur, & quod non aliud postea Canticum sit exspectandum: aliud autem dico, non librum; sed quod in libro significatur. Quod dico tale est: Omnis divina Scriptura, de Verbi descensu ad nos, & de adventu ejus in carne prophetiam habet. Hæc namque voluntas Dei est: Prophetis & universæ divinæ Scripturæ, illud potissimum erat annuntiandum. Huic autem divinæ narrationi, consequenter addidere sermones de Gentibus Babylonis, Damasci, Moab, aliorumque. Atque in singulis Scripturis peccantes increpant, peccatores hortantur ad pœnitentiam, comminantes futurum ignis judicium. Aliæ igitur Scripturæ prænuntiant, ut Moyses cum ait: *Prophetam vobis excitabit Dominus Deus noster ex fratribus nostris, sicut me*. Deut. 18. 15. Esaias vero: *Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium*. Esai. 7. 14. Michæas autem: *Erit in novissimis diebus illustris mons Domini*. Mich. 4. 1. Et alius alio modo, secundum Spiritus gratiam, prædicit. His autem omnibus loquentibus, exspectabatur adhuc qui prænuntiatus fuit Dominus. Quapropter multi eum prænuntiabant: & donec venit, prophetantes non cessavere. Et hæc omnia sunt cantica. Canticum vero Canticorum, neque prophetandi, neque prænuntiandi modo scriptum est: sed quem alii prænuntiarunt, eum quasi jam venerit, & jam carnem assumserit, ostendit. Quare quasi in conjugio Verbi & carnis, epithalamium canit Canticum Canticorum. Et aliæ quidem Scripturæ de Salvatore loquuntur, & interea alia quædam annuntiant: hic vero liber conjugium tantum Verbi & carnis canit. Quamobrem in aliis quidem Scripturis, quia alia quædam significantur, indignationis & iræ sermones ac formidabiles minæ insunt: præsens vero liber, quoniam nihil aliud, quam Verbi præsentiam significat, jucunditatis tantum & gaudii ac lætitiæ sermones habet. Sponso siquidem præsente, omnes lætari convenit, nec cuiquam lugendum est: sicut & ipse Dominus dixit. Etenim ipse præsens infirmitates nostras portavit, & mœstitias vertit in gaudium. Quemadmodum igitur post Salvatoris dispensationem, nullum amplius Prophetam exspectamus, ita post illa, quæ in hoc Canticorum Cantico significata sunt, non est aliud, quod recentius aliquid significet, exspectandum. Etenim quæ in hoc Cantico significantur, eadem & in Prophetis & aliis scripturis per intervalla dicta deprehenduntur. Rursus quemadmodum Agnum Dei Joannes ostendit, atque ad Joannem usque Lex est & Prophetæ: ita quæ in Cantico Canticorum significantur, finis sunt omnium eorum, quæ in universa Scriptura significantur. Quid enim aliud post Christi adventum exspectandum est, quam judicium & retributio? Propterea Cataphryges Prophetas post Dominum introducentes falluntur, atque ideo tanquam hæretici condemnati sunt. Canticum igitur est Canticorum: quia nihil aliud postea, quæ hic canuntur, exspectandum est. Et sicut in lege, Sancta erant, & post Sancta, Sancta Sanctorum, post Sancta vero Sanctorum, nullus alius interior locus habebatur; ita post Cantica, Canticum est Canticorum, post Canticum vero Canticorum, non est interior aliqua & recentior exspectanda promissio. Semel enim Verbum caro factum est, opusque consummavit. Est autem totus hic liber plenus dialogorum veteris populi ad Verbum, & summatim humani generis ad Verbum, & Ecclesiæ ex gentibus coactæ ad idem, & rursus Verbi ad eamdem, & ad genus humanum. Deinde gentium

ad Jerusalem, & Jerusalem, de Ecclesia ex gentibus A coacta & de seipsa, dialogus. Postea & ministrantium Angelorum ad homines vocatos prædicatio. Veteris itaque populi precantis ipsum (Verbum) ut descen- Cant. 1. 1. deret, & carni conjungeretur, hæc sunt: *Osculetur me osculis oris sui; quoniam meliora sunt ubera tua vino.* Et Cant. 7. 13. iterum hortatur his verbis: *Nova & vetera servavi tibi, dilecte mi.* In commune vero omnium vox est ad Cant. 8. 1. Varbum, ut carnem nostram assumat: *Quis det te, consobrine mi, sugentem ubera matris meæ? inveniam te foris, osculabor te, nec contemnent me. Apprehendam te, ducam te in domum matris meæ, & in cubiculum ejus qui me concepit.* Precati sunt enim, ut carnem assumaret B non aliunde, sed ex ea ipsa matrice, ex qua nati sumus, licet non eodem, quo nos, modo, nempe ax viro & muliere. Corpus enim sibi, utpote Creator, ex sola Virgine assumsit: attamen ex homine: homo enim fuit genitrix Dei Maria. Verbi vero, ex Virgine jam carnem Cant. 5. 1. assumentis, ad precantes se sunt ista: *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa, vindemiavi myrrham meam cum aromatibus meis, comedi panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* In proprium enim hortum, creaturam videlicet, ingressus, carnem sibi ex Virgine assumsit, & homo factus est. Mortale C qnidem corpus erat, verum cum suavi odore sanctissimi Verbi conjunctum. Et licet ut homo lactis cibum corpori suo admiserit, tamen & vinum illi perfectionis suæ impertiit. Etenim quemadmodum lac comedit, ita & divinitatis opera in ipso perfecit. Deinde Verbum carnem indutum veterem populum, ut cui primum oracula Dei concredita fuerant, ad se vocat, Cant. 2. 10. 11. 12. 13. his verbis: *Surge, accede ad me, amica mea, formosa mea, columba mea, quoniam ecce hyems transiit, imber abiit, ac profectus est sibi. Flores apparuerunt in terra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ nostræ florent.* D Ita enim docet, quasi primus populus umbram quæ in lege est ad tempus acceperit: & quasi vocem turturis agnoscentem admonet. Postquam autem Jerusalem advocavit, advocat deinceps & eos, qui sunt ex gentibus, (unus est enim & Judæorum & gentium Domi- Cant. 4. 8. nus) his verbis: *Veni de Libano sponsa. De Libano venias, & transeas ab initio fidei. De vertice Sanir & Aermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Hanc enim ab idololatria moribusque ferinis ad fidem vocat. Illa igitur ex gentibus vocata & jam compun- Cant. 1. 6. cta, Verbo ad hunc modum loquitur: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meri-* E *die; ne fiam tanquam oberrans inter greges sodalium suorum.* Etenim cum experimento didicisset, quam prona esset ad varias mutationes, rogabat ut confirmaretur & corroboraretur; ne idipsum postea sibi accideret. Exoratumque Verbum, Cant. 1. 7. docet illam his verbis: *Si ignoras te, o pulcra inter mulieres, egredere ad vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.* Nemo quippe Deum cognoscere potest, nisi primum cognoscat seipsum. Nam pietas erga Deum, est principium sensus: sensus vero est, non externus ille, sed intellectus animæ cum fide conjunctus. Jerusalem videns Gentium vocationem factam in præputio fidei, cum admiratione F Cant. 7. 1. ait: *Quid videbitis in Sunamitide, quæ venit sicut chori castrorum?* Non enim ex una Gente, sed ex omnibus venerunt, relictis propriis castris, confractisque gladiis, deinceps quæ pacis sunt sapientes. Ecclesia vero ex Gentibus, videns Jerusalem, quasi se arguentem, sesa desendit, dicens non inanem fuisse vocatio- Cant. 1. 4. 5. nem suam: *Nigra sum & formosa, Filia Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia obtuitus est me sol. Filii matris meæ pugnaverunt contra me: posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi.* Nigra sum, sed sub ipso sole sum. Licet enim cum præputio sim, at idolis renuntiavi, & egressa sum e domo matris meæ, sicut & Abraham: ajusdem enim sum fidei. Quamobrem rogo, *Introduc me in cellam vina-* Cant. 2. 4. 5. *riam, ordinate in me caritatem, servate me unguentis, stipate me malis, quia dilectione vulnerata sum.* Nolite præputium adtendere, sed in caritate suscipe me, o Lex & Prophetæ. Etiamsi feritate putida sim, sed tu me institue, & suavi tuo odore confirma: nam dilectione vulnerata sum. Ideo, *adjuro vos, Filiæ Jerusalem, in* Cant. 2. 7. *vietatibus & fortitudinibus agri, ne evigiletis & excitetis dilectionem, donec ipsa velit.* Adjuro vos, o Patres, non per potentias, id enim non licet; sed in virtutibus paradisi, ut in illum respicientes, sicut Adamum, ita & me suscipiatis. Nam & ibi non erat circumcisio. Nunc Adæ conditio renovatur. Verbum vero, Gentium fide conspecta & probata, dicit, *Pulcra es, amica mea, sicut beneplacitum, & formosa,* Cant. 6. 3. *sicut Jerusalem, terribilis sicut castrorum acies ordinata.* Oportet enim eos, qui ex gentibus sunt, non esse dissimiles Jerosolymæ, ut fiat unus populus. Hoc autem fit, quando simul & legem honoramus, & in Christum credimus. Est anim unus Deus, & Legis, & Euangeliorum. Et qui Jerusalem assimilatus non fuerit, non efficitur Verbi amicus. Jerusalem fidem filiorum videns, & Verbi humanitatem, dicit: *Descendi in hortum nucum, ut viderem germina* Cant. 6. 10. *torrentis: num floruerint mala punica: ibi dabo ubera mea. Non cognovit anima mea, posuit me currus Aminadab.* In hortum enim nucum, hoc est, in Scripturas veni, quæ instar nucum sunt, foris duræ, intus spirituales. Vidi, quod jungenda sum, velut in curru, gentium vocationi. Conjunctis igitur utrisque populis, in orbem terrarum emissa ast prædicatio, & hujus ministri fiunt Angeli, dicentes: *Egredimini & videte Salomonem in corona, qua coronavit ipsum mater ejus, in die desponsationis ejus, & in die lætitiæ cordis ejus.* Qui namque e malitia egreditur, immutabilem Verbi & carnis unitatem videbit. Quando enim Verbi nobiscum, per corporis unionem, facta est desponsatio, tunc & de morte victoriam retulit, propter quam & omnia lætitia adimplevit. Hujusmodi sunt dialogi, in hoc Cantico Canticorum, ex quibus occasione sumta poterit quis in ipsa libelli lectione, similia similibus adaptare secundum sententiam.

Liber XVII. Job.

25. Job inscriptus est hic liber, quoniam historiam illius complectitur: nempe quid perpessus sit, tentatus a diabolo, & quomodo vicerit, ac illatas plagas pie toleraverit: rursus omnia duplicata receperit, illustriorque, quam fuerat antea, factus, iterum decem liberos susceperit. Passus est autem, cum annos septuaginta natus esset, ita ut omnes ipsius anni fuerint 240. Post acceptas enim plagas annos adhuc vixit 170. Vixit autem Job ante Moysem: erat enim quintus ab Abraham ex posteris Esau. Venerunt ad eum consolandi gratia, propter plagam quam ferebat, tres amici ejus, Eliphaz Thæmanorum Rex, Baldad Sauchæorum Tyrannus, & Sophar Rex Minæorum. Loquutique sunt illi contentiosius & sine commiseratione, insultantes afflicto, quod in peccatum illis est imputatum. Job vero Deum pro illis precatus est, & condonatum est eis peccatum. Sunt autem dialogi Job, quos cum amicis habuit, novem: Eliphaz vero ad Job tres: Sophar duo, & Baldad tres. Et Elius quoque filii Barachiel, Buziti, unus est dialogus. Tandem

vero

vero Dominus illum per turbinem ac nubes appel- A
lavit; & Job Domino secundo cum illo loquutus respondit.

Liber XVIII. duodecim Prophetæ. Osee primus.

26. Etiam ante hunc fuerunt Prophetæ. Nam tempore Davidis fuerunt Samuel, Nathan & Gad. Roboam, Abia & Asa regnantibus, Achias Silonites, Sameas, Addo, Azarias & Anemi. Sub Josaphat & Achab, Elias & Elisæus, & qui prophetavit Regi Achaab de Syria, & qui seipsum vulnerari fecit, & Regem Achaab corripuit, & Jehu filius Ame & Oziel & Eliada. Verum nulla habentur istorum scripta, nisi tantum quæ in Regnorum historiis & libris Paralipomenon dixisse leguntur. Inter eos vero qui scripserunt, quorum & scripta circumferuntur, primi fuerunt Osee & Esaias. Sub iisdem enim Regibus, Oziæ, Joatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Judæ; & Jeroboam filii Joas Regis Israelis prophetarunt. Factum est autem verbum (Domini) ad Osee, & prophetavit contra Sacerdotes & Israelem, contra domum Re-
gis, & de interitu Samariæ. Postquam vero illos C
coarguit & in incredulitate conclusit, significat Ecclesiam ex gentibus, per mulierem meretricem quam accepit, acceptamque resipiscere fecit, & ad se adduxit. Prophetat etiam de Salvatoris adventu.

Amos, secundus.

27. Et hic, quod ad prophetandi principium attinet, eodem quo Osee & Esaias vixit tempore: fuit enim sub Ozia Rege Juda, & in diebus Jeroboam, filii Joas, Regis Israel, biennio D
ante terræ motum. Vidit autem quædam, & prophetavit contra Jerusalem & contra Israelem Samariæ, & contra gentes Damasci, Gazæ, Ascalonis, Azoti, Accaronis, Tyri, Idumææ, Thæman, filiorum Ammon & Moab. Arguit omnes & in incredulitate conclusit. Porro Amasia sacerdote Bethel, apud Regem Jeroboam, ipsum accusante, quasi contra ipsum & contra Samariam & contra populum loqueretur; non tamen ideo cessavit ille, sed confidenter oracula Dei denunciabat. Prophetavit etiam de Salvatoris adventu.

Michæas, tertius.

28. Iste secundus quidem ex prædictis fuit: nam post Oziæ tempus prophetavit. Verum eodem quo illi tempore vixit: nam & ipse sub Joatham & Achaz & Ezechia prophetare cœpit. Factum est autem ad eum verbum Domini, & prophetavit contra Jerusalem, & Samariam, & contra Prophetas populi seductores, & contra Achaab. Prænuncia-
Mich. 4. 1. vit etiam adventum Salvatoris, dicens: *Erit in novissimis diebus illustris mons Domini.*

Joel filius Bathuel, quartus.

29. Ad hunc quoque factum est verbum Domini, & prophetat senioribus, & omnibus habitatoribus terræ, de captivitate terræ, & eorum qui in illa erant. Prophetat etiam de gratia Spiritus sancti, & ea, quæ per Salvatorem in omnes futura erat. Prædicat item de jejunio & pœnitentia, deque Salvatoris adventu, & de signis quæ in cruce futura erant.

Abdias, quintus.

30. Visionem iste annunciat contra Idumæam, & finem ejus, & contra gentes, quæ Israeli insultarant. Prædicit enim futurum, ut domus Esau a Jacob deleatur.

Jonas, sextus.

31. Ad hunc factum est verbum Domini, ut abiret in Niniven, ibique prædicaret: *Adhuc tres* Jona 3. 4.
B *dies & Ninive subvertetur.* Sed Jonas prædicationem hanc fugiens, navem conscendit, ex qua postea, oborta tempestate ejectus, & a ceto marino devoratus est. Post tres autem dies ejecit cetus Jonam viventem. Atque ita secundo factum est ad eum verbum Domini, et abiit et prædicavit in Ninive. Illi audita hac prædicatione, pœnitentiam egerunt, et amovit ab illis Dominus iram suam. Adventus Domini signum ipse ex rebus ipsis factus est, devoratus a ceto, et post triduum salvus redditus.

Nahum Elcesæi, septimus.

32. Onus de perditione Ninive, librum visionis prophetat iste: et prædicat quidem de festo: verum simul in ipsa de Salvatore prænunciat. Et reliqua omnia contra Niniven sunt, et finem ipsius et inimicorum Israelis denuntiat.

Ambacum, octavus.

33. Onus et hic vidit et prophetat, de captivitate quidem Jerosolymæ precatus, de adventu item Salvatoris prænunciavit. Invehitur autem et prophetat contra contemtores. Deinde habetur precatio Prophetæ cum Cantico, in quo tria sunt diapsalmata, canente Propheta de adventu Salvatoris, et de victoria de morte reportanda.

Sophonias filius Chusi, nonus.

34. Hic et Hieremias contemporanei fuerunt. Nam uterque sub Josia Rege Juda prophetavit. Factum est autem ad eum verbum Domini, et prophetavit in Jerusalem, et omni Juda: prædixit-
E que diem, in quo tollenda essent omnia idola, et nemora, futurusque esset fletus multus ac planctus. Prophetat autem et de Salvatore, et de resurrectione, qua nostri gratia resurrexit. Deinde prophetat et contra Gazam et Ascalonem, et Azotum, et Accaronem, et contra Moab, et Ammon, et Damascum et Niniven, et Æthiopas.

Aggæus, decimus.

35. Hic post captivitatem solutam in reditu prophetavit Jerosolymis, sub Dario Rege Persarum an-
F no regni illius secundo, mense sexto, factum est in manu ejus verbum Domini, et prophetavit Zorobabeli, Jesu, et Josedec ac populo, de ædificanda Hierosolyma. Prophetavit etiam de derelictione domesticorum, et de vocatione gentium.

Zacharias filius Addo, undecimus.

36. Et hic in secundo anno Darii prophetavit: at in mense octavo factum est ad eum verbum Domini, et loquutus est illi Angelus Domini, et prophetavit ad patres et ad Jerusalem. Multas autem
ac

ac varias visiones vidit, et de Salvatore multis prophetavit, significavitque, quod super asino et pullo subjugalis venturus esset.

Malachias, duodecimus.

37. Hic quoque post captivitatem sub Dario fuit. Onus autem verbi Domini in manu Angeli ejus, & prophetat contra Israelem. Exprobrat autem Israeli transgressiones ejus, accusat illum neglectarum decimarum, & omissæ communicationis cum pauperibus. Prophetat etiam de die judicii, & de splendore Salvatoris, Eliamque ante adventum Salvatoris mittendum prænunciat.

Liber XIX. Esaias filius Amos.

38. Hic & Osee, sicut supra diximus, eodem tempore vixerunt. Nam & iste sub Ozia, & Joatham, & Achaz, & Ezechia Regibus Juda fuit. Accepta autem visione prophetavit contra Judæam & Jerusalem. Et factum est ad eum verbum Domini. Et maxima pars prophetiæ ejus, Euangelium est de adventu verbi Dei in carnem, & de passionibus, quas nostri gratia suscepit. Prophetat etiam circa gentes, videlicet contra Babylonem, in Philistæos, & contra Damascum. Visionem Ægypti, visionem Idumææ, visionem phalangis Sion, visionem Tyri, visionem quadrupedium in solitudine. Enarrat etiam egressum Senacherim, arrogantiam Rapsacis, & utriusque casum ac perditionem. Præterea dicit Ezechiam cum in morbum incidisset, & moriturus esset, oratione sua annorum quindecim vitæ accessionem impetrasse. Prophetat etiam Eunuchis et gentibus, et in fine de die judicii.

Liber XX. Hieremias filius Helciæ de Sacerdotibus.

39. Hic et Sophonias, quemadmodum supra diximus, contemporanei fuerunt. Pervenit autem Hieremias, usque ad tempus Joakim, et undecimum annum Sedekiæ Regis Juda, et usque ad captivitatem populi. Verbum vero Dei factum est ad eum, ubi sermo Domini ad ipsum factus est. Est autem sæpenumero ad eum factus. Et multis reprehendit injustitias Hierusalem. Prophetavit in Hierusalem, de futura siccitate, et contra gentes Aeilem, et de adventu Regis Babylonii ad excidendam terram Ægypti, et adversus Babylonem. Est etiam in hoc libro verbum, quod Dominus Hieremiæ mandavit, ut diceret Saræ filio Neriæ, & Idumææ, & filiis Ammon, & Cedar Reginæ Aulæ, quam percussit Nabucodonosor Rex Babylonis, & Damasco, & Moab, & in Jerusalem & Judam, & domum Achabin, & de filiis Adab, & Judæis habitantibus in terra Ægypti, & sedentibus in Magdolo, & in Taphnis, & in terra Pathuræ: & ad Baruch, eum sermones istos in librum ex ore Hieremiæ conscriberet. Continet etiam hic liber circa finem, quomodo Judæi insidias struxerint Prophetæ, & in lacum cœni eum abjecerint: Abdemelech vero Æthiops illum eduxerit.

Baruch, librum inscripsit, quia ille cum sermones istos ex ore Hieremiæ scripsisset iis qui in Babylone captivi erant, legit, ut consolaretur illos, & spem in Deum annunciaret.

Lamentationes librum inscripsit, quia istis sermonibus de Jerusalem lamentatus est Hieremias, quando capta est, & populus in captivitatem abductus.

Epistola Hieremiæ, sic dicta est, quod hanc A Hieremias scripserit in captivitate, ut contra idola cautos redderet, ne, conspectis illis, ad cultum ipsorum cum idololatris abducerentur.

Liber XXI. Ezechiel filius Buzi Sacerdos.

40. Hic post Hieremiam in captivitate fuit, & quinto anno captivitatis Joakim prophetare cœpit. Factus est autem sermo Domini ad eum, & super eum fuit manus Domini, & visionem ab initio vidit animantis quatuor facierum, admirabilem, supra modum stupendam & interpretatu difficilem. Prophe- B tavit contra Prophetas Israelis, de ligno viris & enarratio de Aquila, & contestatus est Hierusalem de iniquitatibus & peccatis ipsius, & de parabola, quam in ore habebant, nempe, *Patres comederunt uvam immaturam, & dentes filiorum obstupuerunt*. Et filiis Ammon, & de Oola & Oliba, & lamentationes in Sur, & contra Sidona, & de die Domini, Pharaoni regi Ægypti, & lamentationem in Pharaonem & Ægyptum, & in montem Seir, & de ossibus eorum, qui ad vitam redituri sint, & in Gog, & terram Magog. Item principi Tyri, & lamentationem contra C ipsum: & filiis populi ejus: et contra pastores Israelis. Postremo ædificationem Templi et Jerusalem describit ac prophetat.

Liber XXII. Daniel.

41. Et iste in captivitate fuit usque ad Regem Cyrum Persam. Causam Susannæ ipse judicavit, et seniores tamquam sycophantas condemnavit. Deinde somnia Regis patefecit et interpretatus est. Visiones quoque perfectas vidit, de regnis duas, et de adventu Salvatoris et cessatione Je- D rusalem, adventuque Antichristi duas. Narrat etiam de martyrio Sedrach, Misach et Abdenago, deque illorum hymno: et quod ipsi quidem servati (in igne,) qui succenderant vero a flamma consumti sint, et quod Regem facti pœnituerit. Ad hæc, quomodo ipse bis fit in lacum leonum abjectus: primum, quod cum Babylonii Regem Darium orarent, ipse solus Deum orasset. Secundo, quod sub Cyro Rege Bel destruxisset, et draconem interemisset: et quomodo ipse servatus a leonibus, et e lacu subductus, insidiatores vero ipsius in eumdem lacum leonum de- E jecti confestim ab ipsis devorati sint.

Finis librorum canonicorum veteris Testamenti, numero viginti duo, ad numerum litterarum Hebræarum computati. Totidem namque apud eos sunt litterarum elementa, sicut diximus. Similiter de aliis veteris Testamenti libris dicendum est, qui in canone quidem non sunt, sed leguntur tantum, sicut supra dictum est.

Liber Hester.

42. Sic vocatur hic liber, quia historiam Hesteris F complectitur, quomodo per illam Deus universam Judæorum gentem jamjam perituram servaverit, & Aman, qui insidias machinabatur, percusserit. Gesta sunt autem ista in Susis, hoc modo. Artaxerxes Rex, repudiata uxore sua, aliam in regno suo, quæ omnium esset pulcherrima & formosissima, quam in uxorem acciperet, quæsivit. Et inventa est Hester natione Judæa. Illi cognatus erat nomine Mardochæus, & ipse ex captivitate, quæ sub Sedekia facta fuerat, in eadem regione. Rex autem cum magni faceret aulicorum suorum quemdam nomine Aman, jusserat illum ab omnibus adorari. Sed cum Mardochæus

chæus ob Dei sui cultum, non adoraret illum; rem indigne tulit Aman; & cum cognovisset quod Judæus esset, Regi Artaxerxi persuasit, ut scripto juberet universos in regno suo Judæos uno die mensis duodecimi penitus ac funditus deleri. Re comperta Mardochæus luxit & jejunavit, atque ante Hester provolutus, ut ipsa opem ferret, precatus est. Hester itaque, præmissis jejunio & precationibus ad Deum, regali se mundo ornavit, nec vocata (erat autem illicitum non vocatis adire Regem) extra temporis opportunitatem ad Regem ingressa est, sperans precationem, opportunitatis loco futuram: cum insolentiam facti admiratus esset Rex, illa in terram præ metu collapsa est. At Regis iracundiam Deus in suavem affectum, & mansuetudinem immutavit, ita ut e solio surgens conjugem prostratam erigeret, & metum ponere hortaretur, imo optionem daret petendi quidquid vellet. Illa, ut Rex cum Aman ad convivium suum venire dignaretur, non semel, sed secundo quoque petiit. Aman præ gaudio effusus ac gestiens, quod dignus haberetur a Regina vocari ad convivium, adhuc amplius adversus Mardochæum erigebatur: curavitque lignum sublime excidi, volens in eo sequente die suspendere Mardochæum. Rex vero, bona quadam providentia, noctem illam duxit insomnem, & cum dormire nequiret, jussit sibi commentarios actorum suorum legi. Cumque legerentur, ventum est ad eum locum, in quo scriptum erat beneficium Regi a Mardochæo collatum. Duos enim Eunuchos Regi insidiantes, Regi prodiderat, & convicerat. Hic Rex ob Mardochæi officium grato adfectus animo, quærebat quonam illum honore pro hoc beneficio donaret. Cum autem mane ad se ingrederetur Aman, quærit ab illo Rex; quonam & quali honore dignus sit is, qui Regem beneficio affecisset. Ad hoc Aman, cum se arbitraretur eum esse de quo Rex quærebat, dignum esse dixit qui alter Rex vocaretur. Rex igitur Mardochæum illo honore celebrari, & Aman ante illum procedere jussit. Hester vero opportunitatem nacta pro Judæis oravit. Deinde cum Rex mœrore affectus, propter indignum contra Judæos edictum, & adversus Aman ira commotus esset, ipse Aman, Rege absente, Reginæ supplicavit, ad genua illius procumbens atque adorans. Rex cum regressus videret Aman genua Reginæ contingere, suspicatus, quod turpitudinis causa id faceret, jussit Aman in ligno, quod Mardochæo paraverat, suspendi: scripsit autem, ut Judæi quidem omnes incolumitate fruerentur, hostes vero eorum ab ipsis interimerentur. Numerus autem eorum, qui a Judæis occisi sunt, fuit quindecim millium: ideoque festi illis fuere dies quartus decimus, & quintus decimus mensis duodecimi, qui vocatur Ader. Dicitur autem illa dies ipsorum lingua Phrure. Quapropter & Judæi in illa Aman comburunt, & festum diem agunt salutis ipsorum memorialem.

In festo Phurim Aman comburitur a Judæis. Vide in Cod. Theodosiano leg. 18. de Judæis.

Liber Judith.

43. Hoc nomine vocatur iste liber, quia historiam Judith continet, quomodo scilicet Deus filios Israel ab Holopherne impugnatos & obsessos, ejus opera liberaverit, Holophernemque percusserit. Est autem historia talis. Nabuchodonosor Assyriorum Rex, cum bellum gereret adversus Arphaxad Regem Medorum, ab omnibus gentibus ad Ægyptum usque auxilia petierat. Cum vero nemo auxilium misisset, sed renuissent omnes, posteaquam victoriam esset assequutus, & Arphaxad bello superasset, bellum intulit iis, qui nihil auxilii miserant, misitque Holophernem adversum eos cum magno exercitu. Hic alias quidem gentes omnes bello cœpit, & idola ipsarum confregit. Israelitæ vero sese communierunt, nec Holopherni obsequuti, neque minis illius perterriti sunt. Scripsit itaque Sacerdos Joakim civibus Bethyluæ, ut viam Holopherni obstruerent, isthac enim iter facturus erat. Illi autem viam obstruxerunt. Holophernes igitur aciem instruxit ad pugnam. Achior vero princeps Ammonitarum consilium dedit Holopherni, ne genti Hebræorum bellum inferret, quod illi a Deo protegerentur. Ille indignatus misit eum Bethyluam, interitum illi comminatus, si quando Hebræos vinceret. Achior itaque Bethyluæ quiescebat: Holophernes vero civitatem obsidebat, & jam aquas illius occupaverat. Cum siti jam periclitaretur populus, & principes civitatem tradituri essent, Judith depositis viduitatis vestibus, (maritum enim mortuum lugebat, & quotidie jejunabat) seipsam instar sponsæ ornavit, & multis adhortata primores civitatis, ne civitatem, adusque quinque dies hosti traderent, ad Holophernem egressa est, & cum sua illum sapientia decepisset, tertia post die, ignorantibus hoc illius militibus, eum capite truncavit. Quo facto fugerunt Assyrii: Israelitæ vero undequaque concurrentes Assyrios trucidarunt. Atque ita liberati sunt, hostiumque spoliis direptis, Judith quæcunque Holophernis fuerant tradiderunt. Ipsa vero Judith Jerosolymam profecta omnia obtulit Domino, indeque domum reversa, idem pietatis exercitium retinuit, & ad mortem usque vidua permansit: nemo enim illi nuptias persuadere potuit. Mortua est autem, postquam in viduitate honeste vixisset, ætatis anno centesimo quinto.

Liber Tobit.

44. Hoc nomine vocatur hic liber, quia historiam Tobit continet. Erat autem hic de tribu Nephthalim, in captivitatemque adductus degebat in civitate Ninive, misericors & religiosus. Etenim cum in captivitate esset, communem panem ex gentibus non comedit, sed seipsum custodivit. Erat autem annonæ præfectus apud Regem Enemesarum, & deposuit apud Gamaelum in Media decem talenta. Isti Tobiæ studium erat sepeliendi mortuos ex Judæis. Hujus gratia delatus ad Regem Achireleim, fuga sibi consulit. Regressusque e fuga, cum mortuum aliquem sepelisset, extra muros obdormivit, & cum pro more suo apertos haberet inter dormiendum oculos, albuginem illis contraxit, nec ultra videbat. Erat autem Ecbatanis filia Raguelis cognati ipsius, nomine Sara. Hanc dæmon Asmodæus non permittebat ut quisquam uxorem haberet. Occiderat enim jam septem, qui illam sponsam acceperant. Propter hanc causam cum vehementer contristata esset, oravit, misitque illi Deus auxiliatorem Raphaelem Archangelum. Tobit igitur cum filio suo Tobiæ mandasset, ne sibi aliunde uxorem, quam ex tribu & cognatione sua sumeret, decem illi talentorum chirographum dedit, præcepitque, ut abiret, & peteret ea. Filius autem, cum nec viam nosset, neo hominem ad quem erat proficiscendum, egressus est ut viæ sibi socium quæreret, & Dei providentia incidit in Raphaelem, qui hominis instar foris stabat, pretioque illum conduxit, eo quod se viæ hujus gnarum esse diceret. Comitatus itaque illum est Angelus in specie hominis, qui Azarias diceretur. Cum autem ad Tigridem usque fluvinm pervenissent, volebat Tobias in illo lavandi gratia descendere, & mox piscis quidam ingens insiluit in puerum. Angelus vero jussit illi; ut piscem hunc apprehenderet & in frusta secaret, & illius hepar, cor & bilem demeret & servaret. Rogante postea puero, in quem illa usum forent;

rent; respondit: Hepar & cor incensa, dæmonem fugabunt: bilis vero, oculorum albuginem repurgabit. Hujus ope & consilio Tobias filiam Raguelis Saram uxorem duxit, cum illo suffitu dæmonem fugasset, qui in superioribus Ægypti partibus ab Angelo ligatus est. Dum autem cum uxore maneret Tobias, Azariam tanquam hominem in Mediam misit: cumque per illum decem talenta recepisset, ad patrem una cum illo & uxore sua reversus est. Reversus vero puer, oculos patris felle piscis obliniit, quo facto, deciderunt ab illis squamæ, & mox visum recepit senex. Tobit porro cum excæcatus est, annorum erat 58. cum vero visum reciperet *66*. Tum demum cum Tobit videret, Angelus sese manifestavit, quod non homo esset, sed a Deo missus, ut ipsis & Sarę opem ferret. Ubi vero senex factus esset Tobit, filio suo Tobię mandavit, ut in Mediam abiret, quod futurum esset ut Ninive secundum verbum Jonę Prophetę subverteretur. Et deficiens mortuus est annorum 158. Filius vero ejus Tobias in Mediam migravit, ubi tandem sepultis socero ac socru, & de Ninive subversione percepta fama, mortuus est annorum 107.

Liber Sapientiæ Salomonis.

45. Sapientia Salomonis vocatur hic liber. Nam & hunc a Salomone scriptum esse dicunt. Continet autem & doctrinam justitiæ, & qua ratione cognoscendi sunt, cum improbi, tum probi viri: ad hæc & prophetiam de Christo. Docet etiam quomodo multo opus sit labore & desiderio ad comparandam sapientiam. Habetur quoque hic de nonnullis naturæ partibus disputatio. Item contra idola & illorum sculptores, contra eos, qui spem in illis ponunt, & ea adorant ac colunt. Præterea & hymnus adjuncta confessione mirabilium operationum, quę Israelitis coram ipsorum inimicis a Deo factę sunt. Igitur ipsa quidem libri hujus complexio huoc in modum habet: recapitulatio vero in istis est. In prooemiis adhortatio justi est ad cultum Dei, & reprehensio impii blasphemi. *Ne æmuleris*, inquit, *Antichristos, qui sunt ipsa mors*. Unde factum sit, quod impii eo devenerint, ut Dominum glorię crucifigerent, dum præsens sæculum illi anteferrent. Quod ipsi Apostolos persequuti sint & occiderint. Quod futuri sint quidam, qui legem Domini contemnant, quidam vero alii, qui illi sint obtemperaturi. Et quod Deus ne multitudini quidem eorum, qui impie in Christum agunt, sit parsurus. Etenim unius justi, Christo credentis, cura est Deo, etiam si in adolescentia moriatur. *Senectus quippe venerabilis est, non diuturna*. Et si impius mortem ejus, qui Christo credit, contemnit, a Christo tamen tales eliguntur. Impii ignominiosæ ruinæ tradentur, & grandi condemnatione prosternentur in judicii die, qui servos Christi persequuntur, videntes gloriam Christi & suorum, se vero ad supplicium rapi. Quod divitiæ nobis cum arrogantia contingant. Quæ sit ira Dei super eos, qui impie in Christum delinquunt. Adhortatio ad principes Israelis, ut Christo credant, imo potius denunciatio principibus Catholicę Ecclesiæ, quomodo regere debeant post illius abscessum. Quæ sit sapientia: Nempe Filius Dei. Et quomodo Verbum sit caro factum, inque nobis habitaverit. Quoniam & ego, inquit, eadem vobiscum passus sum, homo existens, & jussu Dei disciplinæ subditus. De Christo sapientiam Dei habente. Omnium, inquit, ex illa cognitionem habeo. In manu enim illius & nos sumus & sermones nostri. Quæ sit sapientia, & quomodo illa ad homines venerit. Cum enim unica sit, omnia potest, & cum in se ipsa maneat, omnia tamen innovat. *Quoniam*, inquit, *ab adolescentia sapientiam adamavi, omnia bona ex illa accepi*, carnalia & spiritualia. Cognita anim magnitudine sapientiæ, postulavi a Domino, ut daretur mihi Spiritus sanctus, qui me de illa illuminaret, & missus est, ut mecum laboraret. Cogitationes namque mortalium timidæ sunt. De operibus sapientiæ. Quomodo primum hominem custodiverit, a quantis malis Deus credentes sibi servet, & quanta illis bona præstet, ut videre est in Nne, Abraham, Loth, Jacob, Joseph, Israelitis, quos e manu Ægyptiorum per Mosem liberavit, & aqua ex prærupta petra potavit. Quomodo septem gentibus vespas miserit. Et lenitate usus etiam illis postea poenitentiæ locum dederit, per ista populum instruens, ut benignus esset & humanus. Contra elementorum, ranarum, sciniphorum, murium, locustarum, vesparum, serpentum, imaginum ex auro, argento, lapidibus, aut ligno fabricatarum, adoratores. Quod per lignum salus sit credentibus. De sculptoribus vel pictoribus idolorum, deque omnibus idololatriæ malis. De impia religione, & quot illi insint mala. De figulo & fictilibus idolis. De omnibus idolis, quæ a gentibus coluntur, inimicissimarum bestiarum, serpentum, catorum & similium. Quod Israeli Deus beneficium contulerit, pro ranis coturnices mittens. Quod contra morsum serpentum, per æneum serpentem in cruce suspensum salus populo facta sit, inimici vero ipsorum per locustas & mures occisi. Quod populum Angelorum cibo aluerit, quamcumque voluptatem habente, & ad quemcumque gustum apposito. Quod grandinem cum igne ad corrumpendas fruges in Ægyptios miserit. Quod palpabiles tenebras in Ægyptios demiserit, & quæ in ea re inerant mala: sanctis vero suis lucem in Ægypto, & columnam ignis in solitudine. Et quod propter occisos Israelitarum infantes, Ægyptiorum primogenitos mors, & submersio (ipsos Ægyptios) sustulerit: & pro morte primogenitorum, salus Israeli per sanguinem Agni concessa sit. Et pro morte justorum in solitudine, Aaron Dominum precibus & incenso placarit: pro morte vero Ægyptiorum in mari rubro, fuerit ira Dei absque misericordia, & iter populi insolens. Quod propter inhumanitatem erga advenas mala ista passi sint Ægyptii, quemadmodum & Sodomitæ. Quod elementa divino Christi judicio subsint, ad illius imperium pro arbitrio parata, sicut chordæ citharæ citharam pulsanti. In his comprehenditur omnis virtus sapientiæ Salomonis, quam Panareton vocant.

Sap. 4. 8.

Liber Sapientiæ Jesu filii Sirach.

46. Hic Jasus filius quidem fuit Sirach: nepos autem Jesu sibi cognominis. Hic itaque in temporibus vixit quæ subsequuta sunt captivitatem, reditum & Prophetas omnes. Avus ergo hujus Jesus, quemadmodum & ipse testatur, vir fuit industrius & prudentissimus, & non solum superiorum ante se sapientum apophthegmata collegit, sed & propria quædam de suo adjecit, multa sapientia & prudentia referta. Cum igitur hunc librum prior Jesus e vivis discedens post se reliquisset, Sirach filius ejus acceptum, Jesu filio suo reliquit. Is postea scripta illa in unum eumque per omnia continuum ordinem digesta, sub suo patris & avi nomine Sapientiam vocavit, ut ipso Sapientiæ nomine auditorem alliceret, & ad meditationem libri hujus amanter suscipiendam provocaret. Continet autem hic liber sermones prudentiæ, ænigmata & parabolas, ad hæc & pias quasdam veterum historias, de viris Deo acceptis, & simul illorum preces & hymnum. Præterea de beneficiis, quibus populum suum Deus dignatus est, & de malis, quibus hostes ipsorum adfecit. Hic itaque Jesus, cum esset

Salo-

Salomonis sectator, haud minus illo in illustranda sapientia & pietatis disciplina strenuum se gessit, vere multiscius exsistens & ita dictus. Hanc quidem complexionem, ut ita dicam, habet iste liber: recapitulatio vero ad hunc modum cognoscenda est. In procemio de omni Sapientia Domini disserit: * deinde de ira, de metu, deque animo imperterrito: de scientia sapientiæ: de timore Dei, quod oporteat absque hypocrisi accedere ad Deum. De tentationibus & patientia: de timiditate & animo dejecto: de dilectione Domini: de honorandis parentibus: de mansuetudine & æquitate animi humilis: de proterva & temeraria perquisitione rerum, quæ præceptæ non sunt: de præfracto & superbo: de intelligente & docto: de misericorde & pupillorum patrono, ad amicum obtemperantem et modestum: de exaltatione filiorum sapientiæ: de contumacia improborum: de pudore tam noxio, quam utili: de eo quod verba non debeant operibus præponi, nec quisquam debeat sua sponte docendi officium usurpare. Quod nemo debeat desiderio pecuniarum irretiri, nec putare quod impune delinquat, etiamsi non statim pœnas damus. Est enim Deus longanimis: quod curandum nobis, ut placetur, ne in concupiscentia cordis progrediamur. Quod non debeamus quovis vento circumferri: de nugacitate et arrogantia: de voluptuario: probatio fidi et infidi: de disciplina Domini, quod illa ab adolescentia ad senectutem usque desideranda sit: de auditu inutili, quod amicus prodi non debeat, neque declinandum sit a muliere sapiente: de domesticis, de possessionibus, de liberis, de uxoribus. Quod nemini malum facere debeamus, nec dominatum ambire, neque contemnere si peccemus. Quod nec debemus mentiri fratri, neque nugari coram senioribus, nec iterare sermonem: de gloria patris et matris: de reverentia ac metu Dei: de honorandis Sacerdotibus, et de curandis afflictis. Quod cujusque rei finem prius oporteat prospicere, quam actionem ordiri: quod cujusque sermonis, aut negotii postremi eventus prospiciendi sint. Quod vetustorum sapientum dissertationes contemnendæ non sint. Unde oriatur scortatio: veterem amicum non esse deserendum, eo quod similis sit vino novo novus amicus: de artifice sapiente, doctore selecto, et rege indisciplinato. Quod morbum diuturnum expetat medicus: de semine honorabili & infido: de famulo sapiente & principe opulento. Quod modica cum sit inter volucres apicula, fructus tamen illius primas obtineat inter dulcia. Quod absque judicio et re nondum explorata non sit querendum. Quod non oporteat esse curiosum, sed justum, eo quod Deus est qui ditat. Quod nihil ex humanis bonis ita constans putari debeat. Quod non sit familiariter cum quovis homine agendum, sed cum piis tantum et justis. Quod mali cavendi sint: quod nihil sit habendum commercii cum superbis, propter inquinationem, quæ ex illorum conversatione oritur: quod a multis colendus sit proximus, et quod unumquodque animal diligat sibi simile. Quemadmodum enim nulla communio est lupo cum agno, neque hyænæ pax est cum cane, ita neque peccatori cum pio: de parcis, qui nihil largiuntur aliis. Et quod nihil habeat contrarii, tam in divitiis, quam paupertate, justum et pium esse. Beatum reputari eum, qui ad mortem usque sapienter ac prudenter vivat, non qui dives sit in hoc mundo. De libero arbitrio: quod de apostasia non sit ratio exigenda a Domino, eo quod omnia tibi apposuerit: quod melius sit carere liberis, quam liberos habere malos: quod nihil Deo lateat: de cognitione et judicio Dei: et quod non putandum sit iniquos posse a Deo

* Musculus habet, Deinde de timore Domini, de ira, de metu, &c.

A abscondi, aut judicium ejus effugere: de creatis rebus: de formatione hominis, qua honoratus est: de latione legis: de eleemosyna et pœnitentia: de modesta responsione. Non esse vituperandum bonum opus, neque donum molesto sermone: quod qui principatum concupiscit, petulans sit, et in omnibus rebus præparatus. Non esse diffluendum luxu, et a quibus abstinendum sit: de custodia mysteriorum: de stulto: de sapientia per parabolas: de vita: de principio: de sapientibus et stultis: de filia audaci: de inconsiderantia stulti: de mente dura, et in quibus dissolvatur amicitia. Non esse peccatoribus inconsiderate loquendum: de discipli-

B na. Non esse postulandum juramentum: de custodia animæ et corporis: de homine scortatore: de muliere mala et adultera. Prophetia de Jesu Christo qui est sapientia Dei et filius, fluviis comparatus: de additione disciplinæ: de decem beatitudinibus: de inferenda plaga et ultione: de mercatoris delicto: de iis qui rem secretam revelant: de homine iracundo: de viro loquaci: de fœnore a proximo sumto et quod usura non accipienda, sed mutuo dandum sit egenti: de fidejussione proximi: de vita, quod liberi castigationibus sint instituendi: de sanitate corporis: de cibo, et anima: doctrina de divitiis: de magnatibus et ducibus: quæ fi-

C lio, uxori, fratri et amico præstanda sint: de servo facinoroso: de somniis insipientibus: de seductione et multa experientia: de timentibus Dominum: de sacrificiis et oblationibus, cum ex injustitia, tum ex justitia factis: de sacrificiis ex avaritia: contemnendas esse delicias et divitias: de helluonibus, et invidis, et insatiabilibus, et inordinate viventibus. Non esse inebriandum vino, sed quod satia sit bibendum: de exaltato homine moderato: de loquacitate seniorum, et loquacitate adolescentuli: de suscipienda disciplina legis, et de judiciis et justificationibus: credendum esse legi: de testamento Dei secundum

D generationem: et quod hominibus naturæ constitutio eadem sit, voluntatis vero diversa: unde benedictionis quidam participes, maledictioni vero nonnulli subjecti sunt: de populo electo: et quod bono contrarium sit malum, et pio peccator: quibus sit communicandum: qualis sit ducenda uxor: quales habendi amici: quibus utendum consiliariis: quos doctores assignet: cuique sciendum esse quid conducat: de honorandis medicis: quomodo lugendum sit super mortuo: de scriba & agricola sapiente: de vigiliis architecti, sive ærarii, sive figuli: de cu-

E stodienda hominis anima, & de sapientia permanente, & quanti illa sit pretii: de præscientia Dei, & creatione mundi: quod creatura piis in benedictionem, iniquis vero in maledictionem vertatur: quod occupatio magna cuivis homini sit creata, & jugum grave impositum filiis Adæ: quod quidquid ex terra est, ad terram revertatur, & quidquid ex aqua, ad mare defluat: de collatione bonorum, & quæ carnalia bona minoris sint momenti: quæ bona majora sint & spiritualia: de repetenda vitæ ratione: de morte homini diviti acerba: de bona morte pauperis: de non timenda morte: quod non sit cum probro vivendum, sed ratio habenda nominis boni: de disciplina pacis: quorum gratia sit erubescendum, de quibus non sit: quod nunquam ponenda cura filiæ virginis: quod sedendum non

F sit in medio mulierum propter scortationem: de opificio Domini: de sole, quod vas admirabile sit & opus Domini: de luna & astris: de arcu, nivibus, fulguribus, nebula, grandine, terræmotibus, tonitru, pluvia, pruina, caligine, de rore æstivali, de abysso terræ: de Jordane & mari: de omni vivente & pecude: de magnifica creatione Domini: de beneficiis ejus. Epilogus de Enoch & Noe: epilogus de Abraham & Isaac, & illorum tentationibus: epilogus de Jacob & Mo-

& Mose, & quæ ille mirabilia perpetravit: epilogus de Aarone & ipsius ministerio & sacerdotio: epilogus de Dathan, Abiron & Core: de primitiis primogenitorum, quæ ad Aaronem pertinebant: epilogus de Phinees filio Eleazari, quod tertius post Aaronem celebris fuerit: quod Davidi Dominus testamentum regni disposuerit: quod Jesus Nave successor Mosis inter Prophetas fuerit: quomodo in diebus Mosis Jesus Nave & Chaleb filius Jephone fecerint misericordiam, & ex duodecim servati sint: de Samuele, qui post Jesum inter Prophetas judicavit populum: de Natban Propheta, encomion in Davidem Regem. Quod Salomon sapiens quidem fuerit, tandem vero mulierum adamator evaserit, post iram pœniteotia misericordiam adeptus sit: de Jeroboam & Roboam schismatis auctoribus: de Propheta Elia, ignis mala consumens: de Elisæo Propheta & discipulo Eliæ, cujus etiam spiritu repletus est: de captivitate Regum Juda. Quod humilis fuerit Ezechias, & amicus Isaiæ, & occisor Rapsacis: quod liberarit Dominus Israelem per manum Isaiæ percussis castris Assyriorum: quod Josias Rax fuerit amicus Jeremiæ: de Propheta Ezechiele, quod in captivitate Babylonica fuerit: de ossibus duodecim Prophetarum: quod Zorobabei & Jesus filius Josedek domum Domini ædificaverint: quomodo Neemias muros Jerosolymæ collapsos erexerit: de Enoch, qui inter inclytos connumeratur: quod Joseph cum inclytis fuerit, & populum confortaverit: quod Sem & Seth celebres inter homines fuerint: quod Simon filius Oniæ celeberrimus in summo Sacerdotio fuerit: quod in omnibus istis laudandus sit Deus magnificus. Contra Samaritanos, qui Judaismum, & contra Judæos, qui Christum reprobarunt: de Epilogo totius libri: de oratione Jesu, filii Sirach, nepotis Jesu.

De libris Novi Testamenti jam dicere incipiendum.

Liber I. Euangelium secundum Matthæum.

47. Hoc nomine vocatur hic liber, quod ipse Matthæus discipulus Domini Euangelium hoc conscripserit. Narrat autem ab initio generationem Salvatoris secundum carnem, ex semine Davidis. Quapropter & ab illo genealogiam ad Christum usque quadraginta duabus generationibus deducit. Continet etiam baptisma Joannis, & tentationes quas in monte Christus a diabolo sustinuit, & signa & prodigia magna a Salvatore facta, Discipulorum electionem, mysterii traditionem. Quomodo tandem traditus sit Pilato, crucifixus corpore, corpusque ipsius positum io monumento: quod milites vestes ejus diviserint, ipse vero cum intra triduum resurrexisset, discipulis præceperit, ut docerent omnes gentes, & baptizarent eos, pollicitus illis, quod futurus esset cum illis cunctis diebus, usque ad consummationem sæculi. Signa vero, quæ a Christo facta Matthæus narrat, sunt ista. Leprosus mundatus est. Puer Centurionis etiam absens, jubente tantum Christo, curatus est. Socrus Petri febricitans sanata est. Vaspere facto obtulerunt ei dæmooiacos & male habentes, & spiritus ajecit verbo, alios quoque curavit hoc modo.
Cap. 1. Christi generatio describitur: bonum nuncium accepit Joseph:
Cap. 2. Magi adorant: descendit Christus in Ægyptum: Infantes occidit Herodes & moritur.
Cap. 3. Christus ex Ægypto reversus habitat Nazaret. Venit Joannes baptizans: aversatur Sadducæos, & Pharisæos.
Cap. 4. Baptizatur Christus, & tentatur a Satana: postea cum traditus esset Joannes, venit Capernaum. Vocat
A Petrum & Jacobum cum fratre. Curat multos, sedet Cap. 5.
in monte, & loquitur de beatitudinibus, ac subdit:
Vos estis sal: &, *Vos estis lux mundi*: hortatur eos de Matth. 5. 13.
vitæ institutione. Deinde præcepta legis intendit, ubi
& de dextero oculo dicit, & de studio inanis gloriæ,
& de amore pecuniæ, quodque ponenda sit alimoniæ Cap. 6.
solicitudo, nec esse nobis judicandum proximum. De- Cap. 7.
inde ait: *Ne projiciatis margaritas ante porcos*. Exhor- Cap. 7. v. 6.
tatio ad petendum: eadem de re parabola: de via angusta: de pseudoprophetis: de custodientibus præcepta. Hinc parabola domus supra petram ædificatæ.
Descendit de monte & curat leprosum, & puerum Cap. 8.
B Centurionis, ac socrum Petri, & multos alios. Scriba prohibetur, ne sequatur, & discipulus ad sequendum adigitur. Tempestatem maris sedat. Dæmones
invadunt porcos. Venit Jesus in suam civitatem: Cu- Cap. 9.
rat paralyticum: vocat Matthæum: accusant eum Pharisæi, quod cum Publicanis manducet: & discipuli Joannis, quod discipuli ejus non jejunent. Accedit ad eum princeps Synagogæ propter filiolam, & ipse puellam mortuam excitat: interea sanatur hæ-
morrhousa. Curaotur duo cæci, & mutus dæmoniacus. Cap. 10.
Vicos circuit Jesus. Mittit discipulos prædicatum, &
de multis ad eos differit. Mittit ad eum Joannes duos Cap. 11.
C ex discipulis suis, qui & laudatur. Expostulat Christus cum turbis de Joanne. Exprobrat civitatibus.
Confitetur patri. Vocat ad se oneratos. Iter facit per Cap. 12.
sata. Curat eum, qui manum aridam habebat. Judæi de occidendo eo consultant. Secedentem inde turba sequitur & curatur. Similiter & dæmoniacus cæcus & mutus. Tunc Judæi dicunt: *In Beelzebul ejicit dæmonia*. Deinde signum petuot, ipse vero signum Jonæ dedit. Prædicit illis, quod a Nioivitis sint con-
demnandi. Tunc dicit: *Quando spiritus immun-* Matth. 12.
dus exierit requiem quærens. Deinde Mater quæ- 41.
rit illi loqui. Navem ingressus parabolam dicit Cap. 13.
D de saminanta, & causam, propter quam in parabolis loquatur. Parabolam istam exponit, & addit alias, de thesauro, de margarita, de agro, de sinapi, de fermento. Parabolam de agro exponit in domo, & addit aliam de sagena. Beatos pronunciat discipulos, conferens eos viro patrifamilias. Venit in patriam,
quando & offenduotur Judæi. Tunc dicit: *Propheta* Matth. 13.
non est sine honore, nisi in patria sua. Auditis, quæ 57.
cum Joanne ab Herode gesta fuerant, secedit in de- Cap. 14.
sertum locum, ubi & quinque millia hominum pascit. Discipulos mittit navigio. Revertitur io montem orandi gratia. Advenit ad discipulos noctu na-
E vigantes. Petrum apprehendit super aquas. Venit
Gennesaret. Curantur multi. Accusant eum Pharisæi Cap. 15.
de (neglectis) purgationibus: os eis obturat & docet turbas de ratione ciborum. Interrogat eum Petrus de iis quæ dixerat, & ea ipsa Christus manifestius exponit. Vanit Tyrum, & mulier Chananæa ad eum accedit. Inde in montem juxta mare, & curat multos. Cibat quatuor millia virorum. Venit Magdala:
Quærunt signum Judæi. Ipse vero relictis illis trans- Cap. 16.
fretavit. Panes discipuli per oblivionem non sumserant: loquitur illis de fermento Pharisæorum.
F Egreditur Cæsaream. Interrogat discipulos de seipso: confitetur eum Petrus. Tunc de passione sua prædicit, & Petrum increpat, jubetque crucem tollere, si quis velit se sequi. Loquitur & de secundo suo
adventu. Ascendit in montem, ubi & transfiguratus Cap. 17.
est. Ubi descenderat, discipuli interrogant & discunt de Helia. Adducitur illi lunaticus & curatur. Exprobrat discipulis. In Galilæa illis de passione sua loquitur. Accedunt ad eum Capernaum qui didrachma
accipiebant. Percontantur discipuli, Quis major. Cap. 18.
Tunc advocato ad se parvulo dicit: *Quicumque scan-* Matth. 18. 6.
dalizaverit unum ex parvulis istis &c. Et: *Si oculus* Ibid. 8.

tuus,

Ibid. 10. *tuus, & manus tua scandalizat te*. Et: *Ne contemna-*
tis unum ex parvulis istis. Subjicitur parabola centum
Matth. 18. 15. ovium, & illud: *Si peccaverit in te frater tuus, corri-*
Ibid. 19. *pe eum*. Item, *Si duo ex vobis consenserint, quodcumque*
Ibid. 21. *petierint, accipient*. Petrus post ista dicit: *Quoties pec-*
cabit in me frater meus. Parabola ejus, qui decem
Cap. 19. millia talentorum debebat. Venit in Judæam. Curat
multos. Exponit causam divortii. Loquitur de ge-
neribus Eunuchorum. Benedicit parvulis. Accedit
Matth. 19. 25. & 29. ad eum dives. Interrogant discipuli: *Quis salvari po-*
test? Tunc dicit illis: *Sedebitis super sedes duode-*
Cap. 20. *cim. Et qui reliquerit domum, & quæ sequuntur*. Sub-
ditur parabola operariorum. Ascendens Jerosoly-
mam loquitur discipulis de morte sua. Uxor Zebedęi
petit primatum filiis suis. Zelo moventur Apostoli,
Cap. 21. & erudiuntur. Curantur duo cæci e Jericho. Subjun-
gitur historia de asina. Ingreditur in templum: eji-
cit vendentes, curat accedentes ægros. Deinde pueri
hymnum concinunt. Egreditur Bethaniam, & cum
regrederetur Jerosolymam arefacit ficum, dicitque di-
Matth. 21. 19. scipulis: *Et si monti isti dixeritis, projice te in mare,*
fiet, & quidquid credentes petieritis, accipietis. Inter-
Ibid. 23. rogant eum Sacerdotes, dicentes: *In qua potestate ista*
facis? Et ipse vicissim eos interrogat de baptismo Jo-
annis. Dicit illis parabolam de duobus filiis, deinde
de vinea & malis operariis, de nuptiis, & de reprobis
Cap. 22. vocatis. Tunc accedunt ad eum Judæi ut illaqueent
eum in sermone, & de numismate sciscitantur. In-
terrogant Sadducęi de muliere septem fratribus nupta.
Tum legis peritus, de primo legis mandato. Deinde
Cap. 22. 42. eos interrogat: *Quid vobis videtur de Cristo?* His ubi
Cap. 23. os obturasset, loquitur turbis de Scribis & Pharisæis,
Cap. 24. miseros dicens eos. Postea egressus ex templo ascendit
in montem olivarum, atque ibi de rebus futuris ad di-
Cap. 25. scipulos differit. Deinde parabolam subjicit de servo
supra domum constituto, deque decem virginibus, de
Cap. 26. quinque talentis & de hœdis ac ovibus. Congregantur
principes Sacerdotum & Scribę, consultantes quomo-
do caperent eum. Ipse vero Bethaniam venit in do-
mum Simonis, ubi ad eum accedit, quę alabastrum ha-
bebat. Paciscitur Judas cum Judæis. Mittuntur disci-
puli ad parandum Pascha. Convincit Judam Christus.
Mat. 26. 29. Tradit mysterium: postea dicit: *Non bibam amplius*
ex hac vite. Egreditur in montem olivarum. Prædicit
offendiculum passuros discipulos. Relinquit discipu-
los in Gethsemane, &, postquam tertio orasset,
Mat. 26. 46. *Eamus hinc*. Venit Judas cum turba: Petrus ampu-
tat auriculam servuli. Ducunt Jesum ad Caipham.
Cap. 27. Judicant eum & condemnant, & irrident. Petrus
negat. Ducunt Jesum ad Pilatum. Strangulat se
Judas. Judicatur Christus. Pilato consulit uxor ejus,
ut abstineat a Jesu: postea crucifigitur. Stant mu-
lieres, quæ cum Maria erant, spectantes a lon-
ge, quæ fierent. Corpus Domini accipit Joseph.
Petunt custodiam Judæi. Mulieres, quæ cum Maria
erant, vespere veniunt ad sepulcrum, & fit terræ
motus, audiuntque ab Angelo, quod resurrexerit.
Mittuntur a Christo ad discipulos. Audiunt Judæi
de terræ motu & resurrectione, dantque pecuniam
custodibus, ut mentiantur. Veniunt discipuli ad Je-
sum in Galilæam. Tradit illis Baptismum.

Liber II. Euangelium secundum Marcum.

Cap. 1. 48: Joannes baptizat Judæos. Christus venit a
Nazareth, baptizatur, & abit in desertum, ut ten-
tetur. Postea vero, tradito Joanne, venit in Galilæ-
am, & vocat Petrum cum fratre, Jacobum item cum
fratre. Ingreditur Capernaum, docet, curat ibi dæmo-
niacum, post hunc etiam socrum Petri, & multos a-
lios vesperi sanat. Egreditur in solitudinem. Circuit

A Galilæam. Curat leprosum. Venit Capernaum. Sa- Cap. 2.
nat Paralyticum, docet turbam. Vocat Levi filium
Alphæi, manducat cum publicanis. Accusant eum
hoc nomine Pharisæi. Quærunt de jejunio discipu-
li Joannis: ipse vero discipulos defendit. Transit Cap. 3.
per sata. Curat eum qui manum habebat ari-
dam. Secedit ad mare. Sequitur eum multitudo
magna. Confitentur dæmones. Advocat ad se
duodecim discipulos, ut mittat eos prædicatum.
Tunc Judæi dicunt: *In Beelzebul ejicit dæmonia*. Marc. 3. 22.
Venit ad eum mater ejus. Ingreditur navim, pa-
rabolam dicit de seminante, item de agro, & de
B sinapi. Tempestate jactantur discipuli in mari. In- Cap. 4.
crepat mare Christus. Curatur dæmoniacus in ter- Cap. 5.
ra Gergesenorum. Porci in mare præcipites dantur.
Transfretat, & Jairus pro filia orat. Sanatur hæmor-
rhousa. Venit in patriam, scandalizantur super ipso. Cap. 6.
Hic dicit: *Non est Propheta absque honore, nisi in* Marc. 6. 4.
patria sua. Mittit discipulos binos ac binos, mul-
taque illis mandat. Subjicitur historia eorum,
quæ ab Herode acta sunt cum Joanne. Redeunt
ad Christum discipuli. Alit turbas. Advenit ad
discipulos tempestate jactatos. Venit Gennesaret &
C curat multos. Disputat de manibus illotis. Venit Cap. 7.
Tyrum. Sanat filiam Syrophœnissæ, item surdum
& impeditæ linguæ. Alit turbam. Signum petunt Cap. 8.
Judæi, at ille nullum dat. Loquitur discipulis de fer-
mento Pharisæorum, & increpat eos. Curat cęcum
Bethsaidę. Interrogat discipulos de seipso: Petrus
consitetur, & increpatur passionis causa. Hic dicit
Christus: *Si quis vult venire post me*. Transfiguratur Marc. 8. 34.
in monte, loquitur de Helia. Adducitur ad eum Lu- Cap. 9.
naticus & curatur. Prędicit discipulis mortem ac
resurrectionem suam, & increpat eos, quod de pri-
matu in via disputaverant. Hic dicit: *Qui non est me-* Marc. 9. 15.
D *cum, contra me est*, de eo, qui dæmonia ejiciebat in
ipsius nomine. Post hæc dicit: *Qui scandalizaverit u-* Marc. 9. 41.
num ex pusillis. Et illud: *Vermis eorum non morietur,* Marc. 9. 47.
neque ignis exstinguetur. Edisserit de divortio. Parvu- Cap. 10.
lis benedicit. Dives quidam interrogat, quid faciat, ut
vivat: huic respondet. Ascendens Jerosolymam de
passione sua prædicit. Filii Zebedæi sedere petunt a
dextris ejus. Edisserit de animi humilitate. Visum re-
cipit Bartimæus. Deinde de pullo asinæ, ingreditur Cap. 11.
in templum, & vespere exit in Bethaniam. Deinde de
ficu. Ejicit ex templo vendentes. Vespere egreditur
de civitate. Admiratur Petrus, arefactam esse ficum.
E Adhortatur discipulos Jesus, ut credant. Jubet ut pec-
cata proximo remittantur. Regreditur in civitatem.
Interrogant eum Judæi, in qua potestate hæc faciat:
ipse vicissim eos interrogat de Baptismo Joannis. Pa- Cap. 12.
rabolam dicit de vinea, & de malis agricolis. Postea
de censu: de septem fratribus. Quæstionem movet
scriba quod sit primum legis mandatum, ac responsio-
nem datam probat. Christus interrogat de seipso. Po-
stea disputat contra Pharisæos, & de duobus denariis
viduæ. Egressus e templo subversionem illius prædi- Cap. 13.
cit. Discipuli de tempore interrogant, & prædicit
illis multa. Venit Bethaniam ad Simonem leprosum. Cap. 14.
F Istic effunditur unguentum. Paciscitur Judas cum Ju-
dæis. Mittuntur discipuli ad parandum Pascha. Con-
vincit Judam. Tradit mysteria. Egreditur ad montem
olivarum. Discipulis prædicit, quod scandalum pas-
suri essent, & Petro, quod negaturus sit. Precatur pa-
trem: deinde capitur. Petrus abscindit auriculam ser-
vi. Adolescens nudus aufugit. Ducitur Jesus ad Cai-
pham. Testimonium adfertur contra illum. Confite-
tur se esse filium Dei. Negat Petrus. Ducitur ad Pila-
tum Jesus: Crucifigitur. Erat ibi Maria Jacobi mino- Cap. 15.
ris, & Magdalena, & Salome. Joseph accipit corpus
Jesu. Venerunt mulieres post Sabbatum, aromata fe- Cap. 16.

rentes. Vident Angelum in monumento, & pertime-
ſcunt. Poſt reſurrectionem Chriſtus epparuit Mariæ,
ex qua ſeptem dæmonia ejecerat. Ipſe rem dixit ad
diſcipulos: illi vero non crediderunt. Poſtee eppa-
ruit duobus in via, deinde & undecim, quibus eti-
am incredulitatem exprobravit. Et miſit eos præ-
dicatum & baptizatum, & poteſtetem dedit fa-
ciendorum ſignorum. Poſtea aſſumtus eſt.

Liber III. Euangelium ſecundum Lucam.

Cap. 1. 49. Hiſtoriam nativitatis Joannis ſcribit, deinde &
Cap. 2. Chriſti: de Symeone. Anna confitetur Domino. Jeſus
Cap. 3. in templo manet inſciis parentibus. Joannes baptizat:
baptizatur & Chriſtus, cum ennorum eſſet triginte.
Cap. 4. Genealogia ejus. Ducitur in ſolitudinem. Venit Na-
zareth: legit in Synagoge. Dicit ed Judæos de vidua,
(ad quam divertit) Elies, & de Neeman leproſo, &
volunt eum præcipitem dare. Venit Capernaum. Cu-
rat dæmonio laborantem, & ſocrum Petri, alioſque
Cap. 5. multos. Egreditur in ſolitudinem. Venit in terram
Genneſaret, aſcendit naviculem Petri, ubi & rete ſcin-
debatur. Pertimeſcit Simon. Curat leproſum, deinde
paralyticum. Vocat Levi, apud quem & manducat:
culpatur a Phariſæis ob eam cauſam, & quod diſcipuli
Cap. 6. ipſius non jejunarent. Ambulat in Sebbato ſecundo-
primo per ſata. Altero Sabbato curat eum, qui ma-
num habebat aridam. Elegit duodecim. Recenſet bea-
titudines. Deplorat divites & ridentes. Adhortatur
ad dilectionem. De non ulciſcendo proximum. De
humanitate. Non eſſe nobis judicandum: eſſe imper-
tiendum. Parebolem dicit de erbore, & de eo qui ſer-
mones ſuos cuſtodiet, quod is ſimilis ſit domui fun-
Cap. 7. datæ ſupra petram. Venit Capernaum. Accedit ad
eum Centurio orans pro ſervo ſuo. Hinc excitetur
filius viduæ. Mittit ad eum Joannes diſcipulos ſuos.
Accuſat turbam Jeſus de Joanne. Comparat eam ge-
nerationem pueris inter ſe acclamantibus. Ingredi-
tur domum Phariſæi. Et ecce mulier peccatrix ela-
baſtrum effundit. Reprehendit hoc ſectum Phariſçus.
Parabolam ad eum dicit Jeſus de duobus debitoribus.
Cap. 8. Deinde circuit per civitates & vicos. Sequuntur eum
mulieres, quas cureverat. Perabolam dicit de ſemi-
nante. Venit ad eum mater ejus. Nevigant cum eo
diſcipuli: oritur tempeſtas. Veniunt Gadira. Le-
gio irruit in porcos. Deinde Jairus orat pro filia.
Sanatur hæmmorrhouſe. Excitet mortuam puel-
Cap. 9. lam. Mittit duodecim diſcipulos. Audit de eo He-
rodes. Secedit in ſolitudinem Jeſus. Alit turbas.
Luc. 9. 18. Interrogat, dicens: *Quem me eſſe dicunt homines?*
Petrus confitetur. Mendat illis ſilentium. Paſſionem
Ibid. 23. ac reſurrectionem ſuam prædicit. Ait: *Si quis vult
poſt me venire, abneget ſemetipſum*. Transfiguratur.
Deſcendit de monte. Curat lunaticum. Loquitur de
paſſione. Quærunt diſcipuli, quis major ſit. Jeſus ve-
Luc. 9. 50. ro docet eos. Deinde dicit: *Qui non eſt contra vos, pro
vobis eſt*, quod de eo dicit, qui in nomine ſuo dæmo-
nie ejiciebat, & ſe non ſequebatur. Volentem ingredi
in civitatem Samaritanorum, non receperunt eum: hinc
Diſcipuli volunt ignem cælitus depoſcere ſuper eos:
Jeſus vero corripuit eos. Quidam illum ſequi volens,
prohibetur. Alius vero edmonitus, ut ſequatur, abnuit.
Luc. 9. 62. Tunc dicit: *Nemo mittit manum ſuam ad aratrum, &
Cap. 10. poſt tergum cõvertitur.* Deſignat ſeptuaginta diſcipulos,
emittit eos binos ac binos, hortatus ne quidquam ſecũ
Luc. 10. 16. deferrent. Exprobrat civitatibus. Exinde dicit: *Qui vos
Ibid. 18. audit, me audit.* Item: *Videbam Satanam decidẽtem ſicut
fulgur:* & dat diſcipulis poteſtatem contra Satanam,
& admonet ne eo nomine gauderent. Deinde confi-
Luc. 10. 23. tetur Patri, & dicit diſcipulis: *Beati oculi qui vident
quæ vos videtis. Multi enim Prophetæ deſiderarunt vi-*

A *dere quæ vos videtis*. Tentat eum legiſperitus, & Pa-
rabole dicitur de eo qui deſcenderat in Jericho. Mar- Cap. 11.
tha accuſat ſororem ſuam. Orare docet diſcipu-
los, & parabolam dicit de eo, qui ab amico in le-
cto jam decumbente panes petit. Curat mutum dæmo-
niacum. Tunc dicunt: *In Beelzebul curat*. Deinde Luc. 11. 15.
dicit: *Cum Spiritus immundus egreſſus eſt, perambulat* Ibid. 24.
loca inaquoſa. Deinde mulier quædam ait: *Beatus ven-* Ibid. 27.
ter, & cetera. Futurum minatur, ut iſta generatio
condemnetur a Ninivitis, & dicit: *Nemo lucernam* Luc. 11. 33.
accendens ſub modio ponit. Ingreditur ad Phariſæum
prandendi gratia. Ille vero eum eccuſet, quod lotus
B non eſſet. Ad hunc dicit: *Vos mundatis quod extra po-* Ibid. 39.
culum eſt, & cetera. Et deplorat eos, ſimiliter & le-
giſperitos. Deinde dicit: *Nihil eſt occultum, &c.* Item: Luc. 12. 2.
Ne timeatis eos, qui corpus occidunt. Et illud: *Num-* Ibid. 4.
quid quinque paſſeres, &c. Et: *Quicumque blaſphema-* Ibid. 6. Ibid. 10.
verit in ſpiritum. Accedit ad eum quiſpiam, ut eum
fratre hæreditatem divideret. Deinde, qui putabatur
dives: de illius horreis. Hortatur ne ſoliciti ſimus
de alimonia. De eleemoſyna dicit, & de hero ſer-
vis ſuis miniſtrente: de ſervo fideli: de eo qui volun-
tatem Domini ſui novit quidem, ſed non facit. Et,
C *ignem*, inquit, *veni mittere*. Ait etiam de illis, qui Ibid. 49.
faciem cæli probare ſciebant. Et illud: *Cum vadis* Luc. 12. 58.
cum adverſario tuo ad magiſtratum. Deinde de Galilæis Cap. 13.
a Pileto occiſis, & de illis, qui prolepſu turris obru-
ti fuerant. Deinde Parabolam dicit de ficu ſterili.
Mulierem a dæmonio incurvatam curat in Sabbato:
factum hoc accuſent Judæi: ipſe vero os obturat eis.
Parebolem dicit de ſinepi, & de fermento. Interro-
gatur, an pauci ſint qui ſalventur. Hortatur ad ingre-
diendum per anguſtam portam, & ſubdit: *Venient ab* Luc. 13. 29.
oriente & ab occidente, & recumbent. Deinde dicunt
ei: *Exi, nam Herodes vult te occidere*. Reſpondet: Ibid. 31.
D *Ite ac dicite vulpi iſti, &c.* Poſt ad Jeruſalem Ibid. 32.
dicit: *Quoties volui congregare filios tuos, &c.* Cu- Ibid. 34.
rat hydropicum in domo Phariſæi. Differit de pri- Cap. 14.
mo accubitu, & qui vocandi ſint ad convivia. Dein-
de parabolem dicit de cœna & invitatis ad eam ve-
nire detrectantibus. Hortetur, ut relictis domeſti-
cis omnibus, ſe ſequamur. Parabolem addit de eo,
qui turrim ædificat, & de eo qui ad bellum inſtrui-
tur. Hinc ait: *Bonum eſt ſal*. Murmurant Phari- Luc. 14. 34.
ſæi, quod publicenos ſuſciperet. Parabolam ad eos Cap. 15.
dicit, de ove perdite, & de drecbma, deque filio Cap. 16.
prodigo: de œconomo ejecto: de evaritia: de ſu-
E perbie, & quod adimpleri oporteet quæcunque in
lege ſunt: de dimittente uxorem ſuam: de Laza-
ro ec divite. Quod remittenda ſint proximo quæ Cap. 17.
in nos deliquit. Et: *Quis*, inquit, *ſervum habet* Luc. 17. 7.
arantem, an ex agro revertenti non præcipit, &c. Dein-
de de decem leproſis. De adventu ſuo prædicit.
Quod ſemper ſit orandum. Parabolam dicit de vi- Cap. 18.
dua, & aliam de judice iniquo. Deinde: *Num*, Luc. 18. 8.
inquit, *fidem inveniet in terra filius hominis, cum ve-
nerit?* Parabole de Phariſæo & Publicano. Advo-
cet ad ſe parvulos. Accedit ad eum dives quidam
rogans, quid feciat, ut vitam æternam poſſideet:
F de paſſione ſua prædicit diſcipulis: ipſi vero non
intelligebant. Cæcus curatur prope Jericho; de Zac-
chæo. Parabolam dicit de eo, qui ſibi ipſi volebat Cap. 19.
acquirere regnum: de pullo aſinæ. Urbis exeidium
prædicit. Vendentes ejicit de templo. Tunc dicunt Cap. 20.
illi: *In qua poteſtate hæc facis?* Interrogat illos de Luc. 20. 2.
baptiſmete Joannis. Subjicitur parabola de vinea, &
improbis agricolis: de cenſu, & de muliere quæ ſe-
ptem fratribus nupta fuit. Deinde interrogat eos de
ſeipſo, quomodo dicant, ipſum eſſe filium Davidis:
edifferit de primo conſeſſu. Vidue denaria duo mit- Cap. 21.
tit (in gazophylacium.) De ſubverſione templi
præ-

prædicit, & de malis futuris. Judas paciſcitur cum
Cap. 22. Judæis. Diſcipulos mittit ad parandum paſcha.
Convincitur Judas poſt inſtitutum myſterium.
Contendunt inter ſe diſcipuli de primatu. Ad Si-
Luc. 22. 31. monem deinde dicit: *Ecce Satanas petiit vos*, præ-
dicitque illi negationem futuram, & jubet diſci-
pulis ut tollant ſecum crumenam. Capitur poſtea.
Negat eum Petrus. Cæditur a Judæis Jeſus. In-
terrogatur, num ipſe ſit Chriſtus, & reſpondet.
Ducitur ad Pilatum, & mittitur ad Herodem, il-
Cap. 23. linc rurſus ad Pilatum. Traditur ut crucifigatur,
ſequitur turba: ad mulieres de malis futuris diſſe-
Cap. 24. rit. Crucifigitur. Corpus ejus Joſeph ſepelit. De-
ferunt mulieres aromata ad ſepulcrum, ſed nemi-
nem inveniunt. Diſcunt a duobus Angelis, quod
reſurrexerit. Nunciant hoc diſcipulis. Illi non cre-
dunt. Petrus ad monumentum currit, & (ut mu-
lieres dixerunt) invenit. Apparet Chriſtus duo-
bus iter facientibus. Illi reverſi audiunt Domi-
num apparuiſſe Simoni. Mox ſtetit derepente in
medio eorum: ſtupefiunt diſcipuli: oſtendit eis
cicatricea, & comedit coram eis. Eductis autem
illis Bethaniam, aſſumtus eſt.

Liber IV. Euangelium ſecundum Joannem.

Cap. 1. 50. Joannes Chriſtum dicit Deum eſſe. Narrat
de Baptiſta: tum de Chriſto, & de Incarnatione.
Ad ſa miſſis reſpondet Baptiſta. Inſequente die
teſtatur de Jeſu, quod Spiritus deſcenderit ſuper
eum. Sequente iterum die teſtimonium perhi-
bet de Jeſu. Se ſe illi adjungit Andreas. Pe-
trum adducit Andreas ad Chriſtum. Poſtero die
vocat Philippum Andreas ad eum. Poſtero die
egreſſus in Galilæam Jeſus, vocat Philippum: hic
ducit Nathanael ad eum. Teſtimonium huic dat Je-
ſus. Nuptiæ fiunt in Cana. Poſtea venit Capernaum.
Cap. 2. Aſcendit Jeroſolymam in feſto Paſchatis: ejicit e
templo vendentes columbas. Multi credunt in eum.
Tum de Nicodemo. Poſt venit in Judæam & bapti-
zabant ipſius diſcipuli. Nunciatum eſt hoc Joanni.
Cap. 3. Audiens Jeſus id notum factum eſſe Phariſæis, de-
Cap. 4. ſcendit in Galilæam per Samariam. Subſequuntur ea,
quæ cum muliere Samaritana facta ſunt. Credunt Sa-
maritani. Venit Jeſus in Cana & accedit ad eum Re-
gulus, filii gratia. Redit Jeroſolymam. Sanat eum
Cap. 5. in Sabbato qui annis triginta octo paralyticus fuerat.
Quærunt eum Judæi occidere. Dicit eis, quod a Deo
miſſus ſit. Transfretat e regione Tiberiadis: erat au-
Cap. 6. tem Paſcha. Alit turbas. Volunt eum creare Regem,
& ſecedit in montem. Diſcipuli navigant Caper-
naum. Huc & Jeſus venit, & turbæ quoque eo conceſ-
ſere. Tunc ediſſerit illis de myſteriis. Illi vero non
ferentes quæ dicebantur, retro cedunt. Dicit duode-
Jo. 6. 68. cim (Apoſtolis:) *Au & vos vultis abire?* Tunc Pe-
Ibid. 69. trus reſpondet: *Verba vitæ æternæ habes, ad quem abi-*
Cap. 7. *bimus?* Cum eſſet feſtum Tabernaculorum, hortantur
eum fratres, ut aſcendat in templum. Ipſe vero tan-
dem aſcendit, & quærunt eum Judæi, atque indignan-
tur quod in Sabbato cæcum curaverat. Differit de Pa-
racleto, & alii credunt, alii non credunt. Reprehen-
duntur miniſtri a principibus Sacerdotum, quod non
cepiſſent eum. Diſputat cum eis Nicodemus: illi ve-
ro os ipſi obturant. Jeſus rurſum diſputat cum eis: ipſi
Cap. 8. contra verba ejus confutare conantur. Subjicitur de
muliere ſuper adulterio accuſata. Iterum ad eos lo-
quitur, dicens: *Ego vado, quo vos non poteſtis venire.*
Jo. 8. 21. Ipſi vero putabant, quod ſeipſum vellet interficere.
Deinde modum mortis ſuæ prædicit, & multi in eum
credunt. Tunc dicit illis: *Si manſeritis in ſermone meo,*
Jo. 8. 31. *veritas liberabit vos*, & alia multa. Dicunt ad eum Ju-
dæi: *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Viciſſim Ibid. 8. 48.
Jeſus multa ad eos ediſſerit, inter quæ & hoc dicit:
Antequam Abraham fieret, ego ſum. Tunc eum la- Ibid. 8. 58.
pidare volebant: ipſe vero digreſſus ab illis, curavit
cæcum luto. Poſtea ediſſerit de ovibus & paſtore per Cap. 9.
januam in ovile ingrediente: & ſchiſma oritur inter Cap. 10.
Judæos. In feſto Dedicationis ambulabat Jeſus in por-
ticu Salomonis. Interrogant eum Judæi, an ipſe ſit
Chriſtus? ubi vero hunc ſe eſſe dicit, tollunt lapides,
ut jaciant in eum; ut autem rogat hujus facinoris cau-
ſam, veniunt ad capiendum eum, ſed non potuerunt.
Abit in eum locum, ubi baptizaverat Joannes. Mit- Cap. 11.
tunt ad eum, ex Bethania, Martha & ſoror ejus, pro-
pter Lazarum. Volentem ire in Judæam prohibent
diſcipuli. Venit Bethaniam: excitat Lazarum. I-
terum de occidendo Jeſu conſultant Judæi. Tum
Caiphas prophetat. Secedit Jeſus in ſolitudinem E-
phraim. Deinde Judæi inter ſe diſceptant, num ven-
turus ſit ad diem feſtum. Ante ſex dies Paſchæ venit Cap. 12.
Bethaniam. Hic cœnantem unxit Maria: quam
rem indigne fert Judas. Hunc compeſcit Jeſus.
Iſthuc veniunt Judæi ad eum. Occurrunt illi tur-
bæ cum ramis palmarum, cum peteret Jeroſoly-
ma, & ſederet ſuper aſello. Tunc petunt Græci
videre eum. Parabolam dicit de grano frumenti,
& de illis, qui mortem metuunt. Subdit: *Pater,* Joan. 17. 1.
glorifica filium tuum: & vox facta eſt de cælo.
Turba putat tonitru inſonuiſſe. De modo mortis
ſuæ prædicit illis, & hortatur ad credendum: illi
vero non credunt, *ut ſermo*, inquit, *Eſaiæ implere-* Joan. 12. 38.
tur. Lavat diſcipulos: arguit Judam: ille acce- Cap. 13.
pta buccella, noctu egreditur. Exinde diſcipu-
los Jeſus alloquitur. Præcipit illis dilectionem. Pe- Cap. 14.
tro futuram negationem prædicit. Philippus petit Cap. 15.
videre Patrem. Prædicit eis de Paracleto: de multis Cap. 16.
aliis loquitur, & accuſat Judæos. Diſcipulis præ-
dicit futuram tribulationem, deinde iterum ju-
cunda, & rurſus triſtia. Patrem alloquitur. De- Cap. 17. 18.
inde venit in hortum & capitur. Petrus ampu-
tat auriculam ſervi. Ducunt Jeſum ad Annam.
Diſcipulus aliquis Petrum introducit in aulam.
Miniſter Jeſum cædit: dicit ad hunc: *Si male lo-*
quutus ſum, &c. Mittunt eum ad Caipham. Pe- Joan. 18. 23.
trus negat. Ducitur Jeſus ad Pilatum. Crucifigi- Cap. 19.
tur. Titulum imponunt. Stant juxta crucem Ma-
ter, & ſoror Matris ejus Maria Cleophæ, & Ma-
ria Magdalene. Tunc Matrem commendat Joan-
ni. Corpus ejus ſepelit Joſeph. Nicodemus affert
aloes & myrrhæ libras centum. Venit Maria Mag-
dalene, videt ſepulcrum vacuum. Vocat Petrum & Cap. 20.
Joannem. Hi abeunt viſum, & iterum ſecedunt.
Maria videt Angelos, & poſtea Jeſum ipſum,
qui & ei loquitur. Poſtea advenit ad Diſcipulos,
cum fores eſſent clauſæ, & dat illis Spiritum ſan-
ctum. Deinde loquitur Thomæ, qui non credide-
rat. Rurſus apparet Diſcipulis ad mare Tiberiadis,
ubi & multitudinem piſcium ceperunt, & come-
dit cum eis. Petro mandat ut oves ſuas paſcat,
prædicitque mortem qua moriturus erat, ac jubet
ut ſe ſequatur.

Liber V. Acta Apoſtolorum.

51. Hoc nomine vocatur hic liber, quod Apoſto-
lorum ſimul acta contineat. Qui vero illa enarrat,
Lucas eſt Euangeliſta, qui & librum hunc conſcri-
pſit. Eſt enim una cum Apoſtolis peregrinatus, &
maxime cum Paulo, & quæ exacte cognovit, lit-
teris mandavit. Narrat autem hoc libro, quomodo
Angelis ſuſcipientibus Dominus aſſumtus ſit: effu-
ſionem Spiritus ſancti in die Pentecoſtes, ſuper A-
poſto-

postolos, & omnes, qui tum præsentes erant, factam: A ordinationem Mathiæ in locum Judæ proditoris, & designationem septem Diaconorum, ac Pauli electionem, & quæcumque ille passus est, & quomodo tandem Romam profectus sit. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt ista: Primus Simon, qui vocatur Petrus: deinde Jacobus, filius Zebedæi, & Joannes frater ejus, Andreas, frater Petri, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Mathæus, Jacobus filius Alphæi, Simon zelotes, Judas Jacobi, qui & Thaddæus dicitur, & Judas Iscariotes, qui prodidit Dominum. Sed postquam Dominum prodidisset ac periisset, in ejus locum constitutus est B ab Apostolis Mathias, & connumeratus cum undecim reliquis, duodecimus. Postea vocatus est & Paulus, Vas electionis, missusque & ipse cum Barnaba ad prædicandum Euangelium Domini gentibus ubique. Septem autem Diaconorum ab Apostolis constitutorum hæc sunt nomina: Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas & Nicolaus. Horum itaque Apostolorum & Diaconorum acta enarrat Lucas, & quæ ab illis edita sunt signa, quæ ista sunt: Petrus & Joannes claudum ex nativitate, in porta speciosa sedentem, in nomine Domini curarunt. C Petrus Ananiam & Sapphiram uxorem ejus coarguit, quod suffurati fuissent de pretio agri, & de promissione Deo facta defraudassent, quam ob causam & e vestigio mortui sunt. Petrus Joppe Dorcada vita defunctam precibus suis e mortuis excitavit. Petrus vas plenum omnis generis animantibus, cælitus demissum vidit. Umbra Petri ægrotos, quos contingebat, sanabat. Petrus cum in carcere ligatus servaretur, per Angelum, insciis militibus, solutus est. Et Herodes vermium esca factus, exspiravit. Stephanus prodigia fecit & signa. Philippus D ad Eunuchum, Esaiæ prophetiam legentem, accessit & baptizavit illum. Idem Philippus multos malos spiritus in Samaria ejecit, & claudi ab illo ac paralitici curati sunt. Paulus cum appropinquaret Damasco, visionem vidit, & mox Euangelii præco factus est. Paulus cum esset Lystris Æneam a nativitate claudum, in nomine Domini curavit. Paulus per visionem in Macedoniam vocatus est. Paulus mulierem habentem spiritum Pythonis purgavit. Paulus & Silas Philippis in custodiam conjecti, & pedes eorum ligno constricti sunt. In medio autem noctis terræ motus factus est, & soluta sunt E eorum vincula. A corpore Pauli sudaria, ægrotis ac dæmoniacis imposita curationem adferebant. Paulus Troade Eutychum e fenestra prolapsum ac
Act. 20. 10. mortuum, excitavit dicens: *Anima ejus in ipso est*. Paulus in Cypro magum Elymam increpavit, qui & cæcus effectus est. Paulus cum Romam navigaret, tempestate agitatus est ipse, & quotquot cum illo in navi erant, noctes ac dies quatuordecim. Et cum universi mortem expectarent, adsti-
Act. 27. 24. tit Paulo Dominus, dicens: *Propter te largitus sum istis, ut vivant*, atque servati sunt. Paulum cum e navi egressus esset, vipera momordit, existimabant- F que omnes, quod moriturus esset: cum vero illæsus permaneret, arbitrati sunt Deum esse quemdam. Patrem Publii in insula dysenteria laborantem, impositis manibus sanitati restituit Paulus, & alios multos in eadem insula ægrotos curavit.

Liber VI. Epistolæ Catholicæ septem, quarum prima est Jacobi.

52. Ab auctoribus suis, & ipsæ nomina fortitæ sunt. Hanc enim Jacobus ad dispersos ex duodecim A tribubus, in Dominum nostrum Jesum Christum credentes, scripsit. Scripsit autem epistolam docendi causa, docens scilicet de tentationum discrimine, quænam a Deo, quæ vero ex proprio cujusque mortalium corde sint. Et quod non verbis tantum, sed & ipso opere ostendenda sit fides: quodque non auditores legis, sed factores justificentur. Præcipit etiam de divitibus, ne illi pauperibus in Ecclesiis præferantur, sed magis increpentur, tamquam superbi. Tandem injuria adfectos consolatus, & ad tolerantiam usque ad judicis adventum servandam adhortatus, ubi de patientia ex iis, quæ Job acciderunt, admonet, præcipit ut B Presbyteri vocentur ad ægrotos; studeaturque quomodo errantes ad veritatem convertantur, eo quod merces hujus operis apud Dominum remissio sit peccatorum: atque ita terminat epistolam.

Secunda, Petri.

53. Et hæc quoque ab eo denominata est, a quo est scripta. Petrus ipse enim docendi gratia epistolam hanc Judæis ad Christianismum conversis, in dispersione constitutis scripsit. Eos enim qui ex Judæis multi crediderant, confirmat. Et primum quidem expo- C nit ac declarat, quod fides in Christum a prophetis prænunciata, & per eosdem significata sit redemtio, quæ est per sanguinem ejus, & quod ipsis ac gentibus omnia sint per Euangelium annunciata, in quæ Angeli quoque prospicere desiderant. Deinde postquam suasit, ut digne conversentur eo, qui ipsos vocavit, admonet ut Regem honorent, & mulieribus simul ac viris concordiam præcipit. Et ubi ad mores honestos paucis adhortatus est, significat illis, quod & inferis facta sit a Domino prædicatio salutis, & resurrectionis, ut & ii, qui antea mortui sunt, resurgant, & ju- D dicentur quidem in corpore, in gratia vero resurrectionis persistant. Et quod finis omnium appropinquaverit, omnesque parati esse debeant ad dandam judici rationem. Atque ita claudit epistolam.

Tertia, & ipsa Petri.

54. Pari modo & ista ab eodem conscripta, ejusdem nomen præfert. Nam idem Petrus & hanc ad eos scripsit, qui jam crediderant. Est autem hæc epistola, commemoratio priorum. Cum nosset enim cito futuram corporis sui resolutionem, mature omnes admonuit de doctrina, qua pridem fuerant instituti. Et E primum quidem de fide differit, & ostendit, quod a Prophetis illa sit annunciata, & quod prophetiæ de Salvatore, non sint humanæ, sed a Deo prænunciatæ. Deinde denunciat illis, ne seductoribus adtendant, illorum perditionem futuram prædicens, quemadmodum & Angelis transgressoribus contigit. Significat autem in hac epistola futuros dies, quibus illusores passim circuibunt, & conabuntur aliquos seducere, dicentes, quod inaniter a nobis prædicetur adventus Salvatoris futurus, eo quod is cum semper prædicetur, nondum venerit. Ab his igitur maxime abstinere præcipit, do- F cens, ne moræ causa animum despondeamus: omne namque tempus nihil esse in conspectu Domini, cum una dies sit instar mille annorum, & mille anni instar unius diei. Affirmat simul & declarat, cito futurum Domini diem, præcipitque omnibus, ut ad illius adventum parati sint in bonis operibus, & amplectantur quæ ab Apostolo Paulo scripta sunt, nec aures accommodent his, qui ea calumniantur; cum iidem & universas divinas Scripturas calumnientur. Postquam igitur omnes admonuit ac docuit, ut ista futura sciant; hortatur, ne quisquam a fidei scopo aberret, atque ita finit epistolam.

Quar-

Quarta, Joannis.

55. Hoc nomine vocatur & ista, quod ipse Joannes Euangelista eam conscripserit, ut commonefaceret eos, qui jam in Dominum crediderant. Et primum quidem perinde atque in Euangelio, ita & in hac Epistola, de Verbi divinitate loquitur, ostendens illud in Deo semper esse, ac docens, Patrem esse lucem, ut ita cognoscamus Verbum esse splendorem ex luce. Differens autem de divinitate Verbi, exponit nostrum mysterium non esse nnvum, sed esse sempiternum ab initio: nunc vero manifestatum io Domino, qui vita est sempiterna & verus Deus. Causam etiam ob quam Verbum ad nos venerit & apparuerit, ponit; hanc videlicet, ut opera diaboli dissolveret, ac nos a morte liberaret, efficeretque, ut Patrem agnosceremus, & filium Dominum nostrum Jesum Christum. Scribit igitur ad omnem ætatem, ad pueros, ad adolescentes, ad senes; quod Deus innotuerit, diabolica operatio deinceps, deleta morte, devicta sit. Quod reliquum est per totam epistolam, dilectionem docet, volens, ut nos mutuo diligamus: propterea quod & Christus dilaxit nos. Disserit itaque de differentia timnris & dilectionis, filiorum Dei & filiorum diaboli, de peccato mortali, & non mortali, de differentia spirituum. Discernit demum, quisnam Spiritus ex Den, quis vero seductionis sit, & quando cognoscamur Filii Dei, quando vero diaboli. Item pro quo peccato orare debeamus. Et quod vocatione indignus sit, nec Christi esse dici possit, qui proximum noo diligit. Unitatem etiam Filii cum Patre ostendit, & quod qui Filium negat, nec Patrem habeat. Discernit quoque in hac epistola, quodnam sit proprium antichristi, nempe hoc, si dicat Jesum non esse Christum, ita ut quasi ille non sit, seipsum, mendax ille, dicat esse Christum. Hortatur autem per totam epistnlam eos qui Dominn credunt, ut ne animo sint abjecto, si odio habeantur in hoc mundn; sed magis gaudeant, quod odium mundi hujus declaret credentes migrasse ex hoc mundo, & posthac conversari in cælis. Et in calce epistolæ iterum admonet, filium Dei esse vitam æternam ac verum Deum, & ut illi serviamus, nosque ipsos ab idolis custodiamus.

Quinta, & ipsa Joannis.

56. Hanc quasi senior Dominæ scribit, & liberis ejus. Est autem argumentum epistolæ tale. Cum videret liberos hujus recte in fide conversari, multos autem seductores circumire, qui dicerent, adventum Christi in carne non esse factum, epistolam hanc scribit. Et principio quidem laudat liberos ejus, quod bene procederent. Deinde docet fidei nostræ mysterium non esse recens. Hortatur iterum ad dilectionem, & ut maneaot in doctrina, quæ ipsis erat tradita. Deinceps docet eos, antichristum esse, qui Christum in carne non venisse dicat. Denunciat autem illis, ne cos, qui hujusmodi sunt, in domum suam quisquam recipiat, neque salutem illis dicat, atque ita terminat epistolam.

Sexta, & ipsa Joannis.

57. Hæc quoque Joannis est, ut & inscriptio habet. Missa est autem ad Gajum. Et primum quidem laudat eum propter testimnnium hospitalitatis, qund habebat ab omnibus, hortaturque eum, ut in proposito persistat, ac fratres deducat ac recipiat. Rursum laudat ejus propositum. Accusat autem Diotrepheo, quod is non solum nihil præberet pauperibus, sed etiam alios prohiberet, ac multa nugaretur. Tales autem alienos esse dicit a veritate, neque cognoscere Deum. Demetrium vero commendat, optimum illi testimonium impendens.

Septima, Judæ.

58. Hanc quemadmodum fert inscriptio Judas epistolam scripsit, iis qui jam crediderant. Est autem argumeotum ejus tale: cum quidam fraudulenter ingressi docereot, indifferens esse peccatum, etiam eorum, qui Dominum negant, necesse habuit, ut scriberet, & cautos redderet fratres. Et initio quidem hortatur eos, ut certeot, atque in tradita sibi fide maneant. Deinde repudiat tales tanquam seductores, & denunciat, ne prorsus ullam cum ipsis communinnem haberent, scientes non esse satis quod vocati simus, nisi etiam digne ambulemus vocatione. Siquidem & priorem populum Dominus ex Ægypto eductum, cum in fide videret non persistere, perdiderit: & Angelis ordinem suum noo custodientibus, noo pepercerit. Oportere igitur ab hujusmodi homioibus secedere. Et Michaelem namque Archangelum non sustinuisse blasphemiam diaboli. Docet itaque perditionem istorum sicut Sodomorum futuram. Pnst hæc adhortatus ad bonos mores, & fidei stabilitatem a Domino apprecatus, claudit epistolam.

Liber VII. Quatuordecim Epistolæ Pauli, quarum prima est ad Romanos.

59. Pauli vocantur epistolæ, propterea quod eas ille scripsit. Et per has cum eos, quos viderat ac docuerat, admonet ac corrigit, tum quos non viderat instruere conatur ac docere, quemadmodum a legentibus edisci potest. Hanc autem ad Romanos Corintho scripsit, cum Rnmanos nondum quidem vidisset, audisset vero de illis, cuperetque videre eos. Et ioitin quidem laudat eorum fidem, quam videbat ubique annunciari. Deinde significat sæpenumero propositum sibi fuisse veniendi ad eos, propter desiderium, quo erga eos affectus erat, hactenus vero non licuisse. Deinceps docendi modo Epistnlam prosequitur, de vocatione Geotium, & quod circumcisio usque ad quoddam tempus fuerit, jam vero cessaverit. Quod per Christum solutum sit delictum Adæ: quod umbra legis transierit. Vocationem itaque Geotium consequenter recto ordine factam esse ad hunc modum probat; postquam ostendit universis hominibus insitam esse legem, & quosvis citra doctrinam (legis) naturali judicio ex ipsa rerum conditinne Deum cognoscere posse. Quapropter & merito Gentes priore loco accusat, quod cum ipsis cognitionem sui Deus ex operibus mundi patefecerit, & simul sempiternam potentiam suam, quæ Verbum ipsius est, in quo & per quod omnia fecit, ostenderit, ipsi non cognoverunt ex creaturis, Deum esse talium npificem; sed contra operibus illius, divinitatem adscribentes, creaturas potius adorarunt, quam creatorem. Accusat autem & Judæos, ut qui legem noo servarent, imo per transgressionem legis Deum potius dedecore adficerent. Atque ita utramque partem, tam Judæos, quam gentes arguit, & sub iniquitate transgressionis concludit, ut ostendat omnes pares esse factos, utpote ex æquo reos, & redemtoris egeotes. Porro quandoquidem gratia & remissio æqualiter contigit & Judæis & Gentibus, jure ac merito Gentium facta vocatio est: vocatione vero Geotium facta, necessario cessasse circumcisionem & legis umbram. Nam Abraham, inquit, non in circumcisione, sed ante circumcisionem justificatus, mutato nomine Abraham dictus est, quoniam futurus erat pater mul-

tarum Gentium, secundum fidem, quæ erat in præputio. Circumcisionem autem, postquam justificatus erat, accepit in carne, ut signum esset iis qui ex ipso secundum carnem nascituri erant, quod desitura tunc esset circumcisio, quando gentes fierent filii Abrahæ, inciperentque vivere secundum fidem Abrahæ, in qua ille, cum adhuc esset in præputio, justificatus est. Etenim horum gratia cum antea dictus esset Abram, vocatus est Abraham. Erat autem necessarium, ut venientibus rebus significatis, desineret signum. Quapropter si qui cogunt Gentes circumcidi, iidem tollant & nomen Abraham, & vocent eum Abram. Si vero Abraham vocatus est a Deo, non oportet gentes circumcidi: imo ne Judæi quidem secundum carnem amplius circumcidendi sunt, ut firmum sit nomen (Abrahæ) voceturque pater multarum gentium. Nulli enim posthac opus est, ut circumcidatur, cum sufficiat fides Abrahæ: nec opus est ulla legis umbra. Non enim justificatur quisquam ex talibus, sed ex fide, quemadmodum & Abraham. Postquam ista ad hunc modum probavit, iterum ostendit, quod nec Israeli, nec gentibus alia possit ratione redemtio & gratia obtingere, nisi vetustum illud peccatum, quod per Adam in omnes mortales pervenit, solvatur. Deleri autem per alium non posse, nisi per Filium Dei, per quem & ab initio maledictio facta sit. Neque enim possibile erat, ut alius delictum hoc solveret. Deinde scribit, quod nullo alio pacto id fieri potuit, quam ut corpore assumto Filius Dei fieret homo: ut corpus hoc, inquam, quod passionibus nobis simile esset, pro omnibus offerret, & omnes a morte liberaret. Et quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum ingressum est, ita & per unum hominem ad omnes mortales gratia perveniret. Deinceps vero, tamquam bonus œconomus, Judæos consolatur, quod legis transgressores futuri non sint, si in Christum credant: iis vero, qui ex gentibus crediderant, edicit, ne contra Israelem erigantur, sed agnoscant se, veluti ramos radici, ita Judæis insertos. His absolutis, hortatorios sermones pro moribus instituendis tradit, atque ita epistolam finit.

Secunda, ad Corinthios.

60. Hanc ad Corinthios scripsit ipse Paulus, ex Epheso Asiæ, tametsi eos jam viderat & docuerat, ut nihilominus eos admoneret. Occasio autem epistolæ hæc est. Corinthii, per contentionem congregati, sententiis inter se dissidebant, & denique erant inter eos schismata, quorum vitio fiebat, ut negligerent eum, qui novercam suam in uxorem sibi sumserat. Alii volebant uxores suas continentiæ obtentu, relinquere. Quidam in templis idolorum edebant, quasi indifferentia essent idolothyta. Erant qui reliquos contemnerent, eos vero, qui linguis loquebantur, suspicerent. Postremo & in mysterio resurrectionis quidam seducti erant, ita ut dicerent, futurum non esse, ut hæc nostra caro resurgat. Cum hæc omnia Corinthi moverentur, scribunt populi Apostolo, qui & ad omnia rescribit. Et primum quidem, testimonium illis dat prudentiæ & scientiæ, non autem laudat eos schismata facientes, sed suadet, ut virtutem putent non in sermone esse, sed in opere & potestate. Deinde postquam increpuit eum, qui novercam duxisset, adhortatusque ne litibus inter se contenderent, deinceps ad ea respondet, de quibus illi scripserant. De nuptiis docet, infractum esse debere conjugium, & precum gratia ad tempus ab illo vacari posse. Quoniam vero continentiam diligebant, de virginitate scribit, quod necessaria non sit, sed cujusque arbitrio permittenda. Subdit de idolothytis, ne abutantur scientia, sed conversentur in dilectione. Prohibet igitur convivia, quæ in templis idolorum fierent, ne pusilli scandalizarentur. Postea de donis spiritualibus scribit, ne charismatum gratia discrimen inter se statuant, neve præferant eum, qui charisma aliquod habet, ei, qui alio donatus est: nam omnia ejusdem esse Spiritus dicit. Deinde & de resurrectione docet, quod scilicet caro resurrectura sit, mortua quidem corruptibilis, excitanda vero incorrupta secundum gratiam Christi. Resurrectionem vero ex eo adstruit, quod Christus excitatus est. In calce hortatur de moribus instituendis, & de collecta ad subsidium sanctorum facienda præcipit, atque ita absolvit epistolam.

Tertia, iterum ad Corinthios.

61. Ad eosdem & hanc mittit e Macedonia. Est autem illius occasio talis. Priore accepta epistola Corinthii, compuncti super peccato ejus qui novercam suam duxerat, contristatique fuerant, quod tale peccatum neglexissent: deinde seducti fuerant ab illis, qui schismatum occasionem dederant, ita ut litteræ legis servandæ studerent, & gratiam Christi indifferentem judicarent, atque iis, qui in faciem sese jactabant, plus attenderent. De collecta vero in usus sanctorum facienda probe curabant. Ad ista igitur rescribit Apostolus. Et primum quidem laudat ipsos, quod ejecissent eum, qui deliquerat: deinde petentibus ipsis annuit & resipiscentem illum recipi jubet. Docet etiam hac epistola de lege, discriminans illic litteram, & ostendens, non esse litteram legis solam accipiendam, sed in littera sententiam eruendam: non enim verba tantum sunt lex, sed in verbis est sensus spiritus. Deinde, quod veniente Christo nova creatura facta sit, nec oporteat secundum vetustatem vivere, sed in omnibus, velut in nova creatura, renovari, & superfluam deinceps esse circumcisionem. Laudat eos etiam ministerii gratia, & adhortatur, ut ea in re abundent. Postea reprehendit eos, qui in faciem gloriabantur, ac recenset quæcunque passus erat propter Dominum, & visiones, quas viderat, exponit, & quomodo in Paradisum ad tertium cælum raptus sit. Tandem postquam illis denunciavit, ne peccent, sed si qui peccarint, resipiscant, eum gratiarum actione terminat epistolam.

Quarta, ad Galatas.

62. Hanc misit Roma, cum jam vidisset Galatas ac docuisset. Est autem ea epistolæ occasio. Galatæ postquam recte fuissent instituti ab Apostolo, & sincere in Christum credidissent, cum Apostolus profectus fuisset, seducti fuerant a quibusdam, ita ut circumciderentur. Hæc cum didicisset Apostolus, scribit ad eos: & initio quidem testimonium illis dat fidei, quam habuerant, & sinceri erga Christum animi; mox vero ideo reprehendit, quod stulte egissent ac mutati fuissent. Consequenter disputat de lege, & de fide quæ secundum Abraham est, ac ostendit cum ex lege, tum ex uxoribus Abrahæ, allegorice usurpatis, ad tempus usque datam esse umbram & circumcisionem, adventu vero Christi hæc fuisse abrogata. Hæc ubi ostendit, suadet illis, ne posthac amplius seductoribus aurem præbeant, sed magis fidei, quæ in Christo est, adhæreant, cognoscantque per gratiam, quæ in Christo est, abolitam esse carnis circumcisionem. Postremo adhortatus ad bonos mores, claudit epistolam.

Quin-

Quinta, ad Ephesios.

63. Misit & istam Romæ, cum nondum eos vidisset, audisset autem de illis. Occasio autem Epistolæ hæc est. Ephesii, cum credidissent in Dominum nostrum Jesum Christum, genuinam habebant in ipsum fidem, & erga omnes Sanctos dilectionem, cupiebantque a Paulo confirmari. Hoc ubi cognovisset, scribit ad eos hanc epistolam velut instituendi gratia. Et principio ostendit mysterium nostrum non esse recens, sed ab initio & ante mundi creationem beneplacitum Deo fuisse, ut Christus pro nobis pateretur, nosque salutem consequeremur. Deinde disserit de vocatione gentium, ut ostenderet eos merito credidisse: declaratque vocationem nostram non per hominem aliquem esse factam, sed per Christum, qui filius Dei est, ut etiam ex eo discerent, hominis se cultores non esse factos, ubi in Christum crediderunt, sed veros cultores Dei. Significat se quoque hujus gratia missum fuisse, ut prædicaret Evangelium, & quod curam ipsorum habeat. Postea, adhortatorios sermones viris ac mulieribus, patribus & liberis, dominis ac servis in hac epistola ponit: atque universos omnino contra diabolum & dæmones ejus instruit, dicens adversum illos nobis esse luctam. Et ubi tamquam bonus athletarum præceptor omnes contra diabolicas operationes verbis suis inunxit, epistolam claudit.

Sexta, ad Philippenses.

64. Hanc quoque Romæ misit: cum jam (Philippenses) vidisset ac docuisset. Argumentum epistolæ hoc est. Cum Philippenses subsidii ministerium Paulo misissent, & nonnulli circuirent, qui simplicium aures obtentu umbræ legis & circumcisionis corrumperent, ac dicerent sine illa non posse quemquam justificari, Apostolus re cognita Philippensibus scribit. Et primum quidem laudat eorum fidem, & significat, quod memoriam ipsorum habeat: Deinde enarrat, quomodo Romæ doctrinæ suæ rationem reddiderit, & quomodo nonnulli molestiam intulerint, dum in vinculis esset, invidiam ipsi excitantes. Postea adhortatur eos, ut se mutuo diligant: exposita Salvatoris benignitate, qui cum Deus esset, homo nostri gratia factus est. Postea de circumcisione ac veteri lege disputans, inutilem esse deinceps circumcisionem ostendit, sumto de se exemplo,
Philipp. 3. 7. cum dicit: *Hæc omnia propter Christum damnum esse judico*. Quapropter eos quoque, qui circumcisionem adhuc docebant, ac Philippenses seducere volebant, reprehendit, inimicosque Christi esse dicit. Laudat autem Philippenses propter communicationis, quod sibi impenderant, beneficium, & ubi ad bonos mores rursum adhortatus est, terminat epistolam.

Septima, ad Colossenses.

65. Hanc quoque Romæ misit, cum Colossenses nondum vidisset quidem, audissetque tantum de illis. Occasio autem epistolæ hæc est. Colossenses Græcis sophismatibus seducere tentabant quidam contra fidem Christi loquentes: necnon circa legales cibos, & circumcisionem. Hoc ubi didicisset Apostolus, hanc illis epistolam instruendi modo scribit. Et principio gratias agens Deo, significat eos e tenebris ad veritatis lucem esse translatos, & quod Christus, in quem crediderant, imago Dei sit, & Verbum per quod omnia facta sunt, & quod

A decuerit eum, qui rerum est opifex, primogenitum fieri creaturæ, & primogenitum ex mortuis: ut utraque conjungeret, & omnia vivificaret. Adhortatur etiam eos, ut in fide persistant, significans eis se Paulum, esse ministrum Evangelii, in quo instructi jam erant. Deinde de lege, & de cibis in lege memoratis disputat, de diebus etiam & annis exponit, & deinceps vetera omnia, circumcisionem quoque, abolita esse declarat. Auctor est etiam, ne decipi se sinant a sophistis, iisque qui se subornare vellent. Tandem hortatus parentes, liberos, viros, mulieres, servos & dominos, & alia quæ
B bonos mores concernunt loquutus, epistolam finit. Denunciat etiam illis, ut posteaquam apud illos lecta fuerit epistola, curent, ut & in Ecclesia Laodicensi legatur, & ut vicissim eam legant, quæ Laodicensibus scripta est.

Octava, ad Thessalonicenses.

66. Hanc mittit Athenis, cum eos jam antea vidisset, & cum ipsis conversatus esset. Occasio vero epistolæ hæc est. Cum multas afflictiones Berrhœæ perpessus esset Apostolus, Philippis quoque Mace-
C doniæ & Corinthi, sciretque, quæ passus fuerat Thessalonicæ, veritus, ne Thessalonicenses, auditis quæ passus erat in prædictis civitatibus, tentarentur a Tentatore & scandalizarentur, præsertim cum intellexisset eos mortuorum gratia multum lugere, misit ad eos Timotheum cum hac epistola. Et primum confirmat eos in fide, ne propter afflictiones concutiantur. Commonefacit enim eos, quomodo & in prima institutione didicerant, ferendas esse tribulationes, & quod insolens non sit, quod passi essent a Judæis, qui etiam Christum occiderunt. Esse enim
D proprium Christianorum affligi in hac vita. Hortatus autem eos multis, ut ita conversarentur, sicuti ab ipso acceperant, de mortuis etiam scribit, consolans eos ac docens, ne moleste ferant. Mortem enim non esse perditionem, sed viam resurrectionis. Deinde & de temporibus eos edocet, ut diem Domini occultum esse scientes, semper parati sint, nec quemquam attendant de illo nunciantem: futurum enim ita illis adventum, ut qui residui invenientur in eo die, non sint præventuri eos, qui ex mortuis excitabuntur, eo quod simul ac subito omnium sit futura mutatio. Denique ubi admonuit
E eos, ut meliores moribus evadant, hortatur etiam, ut semper in spe gaudeant, & precationi insistant, ac perpetuo gratias agant Domino. Tandem adjurat eos, ut epistolam hanc fratribus omnibus legant, atque ita illam finit.

Nona, item ad Thessalonicenses.

67. Hanc Romæ mittit. Occasio autem ejus talis est. Thessalonicæ quidam otiosi & inordinate viventes circuibant, ac fratres seducebant: quasi jam tum adventus Domini instaret. Seducebant autem
F auditores quasi Apostolo id manifestante, & ab ipso Spiritu sancto audissent. Quod ubi cognovit Apostolus, hanc ad eos epistolam scripsit. Et primum quidem crescentem eorum fidem laudat, & gloriatur in ipsis: quod afflictiones fortiter tolerabant propter Christum: consolatur eos etiam, quod futura sit a Deo ultio eorum, a quibus immerito affligebantur. Deinde vero & de adventu Salvatoris eos edocet, ne cuiquam credant, neve turbentur, sive per spiritum, sive tamquam ipse ea de re scripserit, nec ullo modo putent, eam jam instare, aut futuram esse, priusquam defectio veniat, &

post

post hanc Antichristus, filius ille perditionis, cujus A adventum in signis ac prodigiis mendacibus secundum operationem Satanæ futurum esse significat. Postea adhortatus eos, ut fortiter persistant, & traditiones, quas a se didicerant, servent, denunciat illis, ne quam cum iis, qui inordinate vivebant, communionem habeant, sed magis repudient eos. Declarat enim hujusmodi curiosos esse & errones. Prorsus autem præcipit eis, ut si quis sermonibus suis immorigerus sit, hunc e synagoga ejiciant. Ceterum pacem illis adprecatus, finit epistolam, salutatione propria manu scripta, quod cujusque epistolæ suæ signum esse indicat. B

Decima, ad Hebræos.

68. Hanc mittit ex Italia. Occasio autem epistolæ talis est: Quoniam Judæi legi & umbris illius incumbebant, ob eam causam Paulus Apostolus, doctor gentium factus & ad gentes missus, ut Euangelium illis prædicaret, cum omnibus gentibus scripsisset, jam deinceps omnibus etiam Hebræis, qui ex circumcisione crediderant, epistolam hanc scribit declarationibus & probationibus instructam, de Christi C adventu, & quod legis umbra desierit. Et principio declarat Prophetas ideo esse missos, ut de Salvatore prænunciarent, & ut post illos ipse Salvator veniret: servos esse Prophetas, & nuncios adventus ipsius. Ipsum vero Christum filium esse Dei, per quem omnia facta sint. Et quod hunc filium incarnari hominemque fieri oportuerit, ut per corporis sui immolationem mortem aboleret: neque enim per sanguinem vituli aut hirci, sed per sanguinem Christi fore mortalibus salutem. Ostendit etiam, quod lex neminem perfectum reddiderit, sed umbram habuerit futurorum bonorum, & quod populus requiem per illam non in- D venerit, sed communis nobis omnibus relinquatur quietis dies. Item declarat sacerdotale illud summi Sacerdotis munus ab Aarone ad Christum translatum esse, cujus typus fuit Melchisedec, non ex Levi ortus: & quod patres fide sint, non ex operibus legis, justificati. Tandem ubi & istos ad morum institutionem adhortatus est, ac tolerantiam eorum propter Christum laudavit, suasitque ut presbyteros honore afficiant, absolvit epistolam.

Undecima, ad Timotheum.

69. Hanc epistolam misit e Macedonia, cujus hæc est occasio. Ephesi quidam Judaizantes alienam conabantur invehere doctrinam, & simpliciores prætextu legis seducere. Hoc cum comperisset Apostolus, admonuit Timotheum, ut illic hæreret, quo eos corrigeret. Scribit autem illi epistolam hanc: & primum commonefacit eum, fidei, quæ in Christo est, gnarum, de lege docens, ut cohibeat eos, qui præter rectam doctrinam loquebantur, illosque increpet. Nam & ipse Apostolus Hymenæum & Alexandrum, naufragium circa fidem passos, Satanæ jam tradide- F rat, ut discerent non blasphemare. Ubi de istis admonuit, canones illi Ecclesiasticos deinceps præscribit de oratione, quomodo, & ubi, & pro quibus sit orandum. Quod mulieres in Ecclesiis tacere debeant, & magis discere, quam docere. De constitutione Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum. Quomodo se gerere & quales esse debeant, qui constituuntur. De viduis in Ecclesia, qua illæ ætate eligi, & quales esse debeant, ac quomodo illarum cura habenda sit. Juniores ad castitatem instituendas esse, ut nubant potius quam turpiter vivant. Divitibus denunciandum esse ne superbiant, neve spem collocent in divitiis suis. Postquam de istis præcepit, hortatur eum, ut hæc doceat, & ut aquam ultra non bibat, sed sibi ipsi & doctrinæ attendat, quod sciat fore tempora, quibus nonnulli a fide defecturi sint. Ubi etiam escas mundas esse docuit, ac præcepit, ut contentiosas & prophanas quæstiones aversetur, in quibus quidam gloriantes fidem transgressi jam erant, finit epistolam.

Duodecima, item ad Timotheum.

70. Hanc item ad Timotheum Roma misit. Occasio ejus talis est. Cum vellet Apostolus, postquam desertus erat ab iis, qui profectionis socii fuerant, ad se venire Timotheum, hanc scripsit epistolam. Et initio significat se memorem esse, cum pietatis ejus, tum fidei majorum ipsius. Deinde quod, qui ex Asia erant, ex quorum numero erant Phygellus & Hermogenes, aversati se sint, in catenis constitutum videntes. Onesiphorum vero laudat, quod is Romam venerit, & apud se manserit. Præcipit autem, ut stultas quæstiones aversetur, quod hinc pugnæ oboriantur. Nam hoc pacto Hymenæum & Philetum deflexos, transgressos esse veritatem, dicentes, resurrectionem jam esse factam, & nonnullos subvertere. Hoc itaque magis illum hortatur, ut sibi ipsi attendat & doctrinæ, sciatque futuros posterioribus temporibus homines, voluptatum magis quam Dei amantes, & ut ista prævidens, populum credentem communiat, ne quis ex illo seducatur. Postquam autem ad morum institutionem & doctrinæ severitatem multis illum adhortatus est, ac significavit tempus resolutionis suæ jam imminere, ut pro Christo immoletur, præcipit ei, ut ad se cito veniat, afferens secum penulam suam & libros. Hortatur etiam, ut Alexandrum ærarium caveat, ut qui se multis malis affecerit, atque ita claudit epistolam.

Decima tertia, ad Titum.

71. Hanc misit Nicopoli: nam ibi hybernavit. Est autem epistolæ Occasio talis. In Creta reliquerat Titum, ut clericos per civitates constitueret. Cum autem illic multi legis prætextu, populum credentem subducere conarentur, id ubi cognovit Apostolus, e- E pistolam scripsit. Et principio gratiis actis Deo propter ipsius pietatem, indicat fidem in Christum non esse recentem, sed a sæculo præparatam & a Deo promissam. Deinde de constituendis clericis docet, quomodo illi conversari & quales esse debeant. Præcipit etiam illi, ut increpet eos, qui sanæ fidei contradicerent, maxime eos, qui erant ex circumcisione: sciatque Cretenses esse otiosos, & opus habere increpatione. Et postquam docuit omnis generis escas esse mundas mundis, & quales esse debeant anus, quarum est officium castigare adolescentulas, admonet, quomodo servi dominis suis subjici debeant. Denique ubi admonuit, quod gratia Salvatoris non ex operibus nos justificaverit, sed ex divina benignitate, denunciavitque, ut legales pugnas, tanquam impudentes aversetur, significat illi, ut cum ad se miserit Artemam, ad se veniat. Præcipit etiam, ut auditores suos bonis operibus præesse doceat, atque ita terminat epistolam.

Decima quarta, ad Philemonem.

72. Hanc Roma mittit. Occasio autem ejus hæc est. Onesimus servus Philemonis aufugerat, & ad

ad Paulum venerat, atque ab illo in fide instructus, illi utilis ad ministerium erat. De hoc itaque scribit Philemoni, illique commendat Onesimum, ut sincere erga eum afficiatur, nec emplius eum habeat ut servum, sed ut fratrem. Hortatur illum etiam, ut hospitium sibi paret, ut ubi venerit, manendi locum inveniet: & sic finit epistolam.

Liber octavus, Apocalypsis Joannis.

73. Hoc nomine vocatur hic liber, quia hanc reveletionem ipse Joannes Euangelista & Theologus in Patmo insula dicta, dominico die vidit, jussusque conscripsit, ut ad septem Ecclesias mitteret, videlicet istas: Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyetiram, Sardes, Philadelphiam, & Laodiceam. Quæ vero in hec visione vidit, multe sunt ac varia. Ac demum perditionem etiam Antichristi cum diabolo vidit. Jubetur autem primum scribere singulis prædicterum Ecclesiarum Angelis secundum cujusque actiones. Multas itaque & admirabiles visiones vidit, ut septem candelabra aurea, & io medio illorum similem filio hominis: & interpretationem eccepit, candelabra illa esse septem Ecclesias, & eum, qui in medio erat, esse Dominum. Januam item vidit apertam io cælo, & Dominum in throno sedeotem, & viginti quatuor seniores, sedentes super thronos & adorantes Dominum. Vidit etiam septem sigille aperiri, & unoquoque aperto visio quædem apparebat. Vidit deinde septem Angelos habentes septem tubas, & unoquoque illorum clangente fiebat signum: septimo vero clangente audivit, qui dice-
Apoc. 11. 15. rent: *Regnum mundi, Domini factum*. Et arcam testamenti vidit in cælo. Deinde mulierem parturientem vidit & draconem ignitum, qui illam persequebatur. Mulier quidem serveta est in solitudine, draco vero abjectus in ignem. Postea bestiem vidit habentem cornua decem, & capita septem, & diademe ejus blasphemia plenum erat. Nomeo vero ejus non patefecit, sed numerum nominis ejus, nempe sexcenti sexaginta sex. Et virgines audivit canentes, & Agnum sequentes. Vidit etiam Angelum per medium cæli volantem, & sequentem alterum, aliumque postea: deinde & nubem candidam vidit, & insidentem illi similem filio homiois, in cepite coronam auream habentem, & in manu sua falcem ecutam. Deinde septem Angolos vidit, habentes plages septem novissimes, & phialas aureas plenas iræ Dei. Post hæc abletus est spiritu in solitudinem, & vidit mulierem sedentem super bestiam coccineam, habentem capita septem: & indicatum est ei ex hac futurum esse Antichristum. Vidit etiam cælum apertum, & equitem album, & erat nomen ejus, Verbum Dei. Deinde vidit bestiam, ac Reges terræ, bellum fecere volentes cum eo qui sedebat super equum album. Et apprehensa est bestia, & cum ipsa pseudopropheta, qui est Antichristus, & vidit eos abjici in stagnum ignis. Post ista vidit Angelum descendentem de cælo, & abjicientem Satanam cum his, qui characterem ipsius habebent, io ebyssum, & cleudentem desuper ipsum, ne posthac emplius seduceret gentes, donec consumti sint mille anni. Martyres deinde vidit cum gloria in Christo regnantes. Vidit item quod Satanas post mille annos solvendus sit, & abjiciendus in stagnum ignis, cum Antichristo, in sæcula sæculorum. Post hæc vidit cælum novum, terram novam ac Jerusalem novam, & fluvium aquæ vivæ, ac servos Dei contemplantes faciem ejus, & habentes nomen ejus in frontibus suis. Cum hæc vidisset Joannes, procidit, volens adorare Angelum, qui sibi hæc omoie ostenderat. At Angelus prohibuit illum dicens: *Non me, sed Deum adora: ego enim conservus tuus sum*. Cum autem ista videret, audivit a Domino nostro Jesu Christo, quod ipse sit qui est, & idem ipse sit verbum Dei, quod posterioribus temporibus propter nos incernatum est: homo, inquam, perfectus factus est, & Filius hominis vocatus est.

Sunt item alii quidam libri varii, præter prædictos, utriusque cum veteris, tum novi Testamenti; quorum aliis contradicitur, alii Apocryphi vocantur.

74. De libris veteris Testamenti, quibus contradicitur, jam antea diximus, ut sunt, Sepientia Salomonis, Sepientia Jesu filii Syrach, Esther, Judith, & Tobias. Istis etiam connumerantur Maccabæorum libri quatuor, Ptolemaici, Psalmi, & Canticum Salomonis, Susennæ historia. Hi ex veteri Testamento sunt, quibus contradicitur.

Apocryphi ex veteri Testamento sunt isti.

75. Enoch, Patriarchæ, Oratio Joseph, Testamentum Moysis, Assumtio Moysis, Abraham, Eldad & Modad, Eliæ Prophetæ, Sophoniæ Prophetæ, Zachariæ Patris Joannis, Baruch, Ambacum, Ezechiel & Daniel falso inscripti.

*Novi autem Testamenti, * quibus contradicitur, hi sunt.*

76. Itinera Petri, Itinera Joannis, Itinera Thomæ, Euangelium secundum Thomam, Doctrina Apostolorum, Clemeotina. Ex his veriora quædam & e Deo inspirata, versa & electa sunt, & ea sunt quæ leguntur.

Hi omnes cognitioois gratia expositi sunt, perverse tamen scripti, nothi, ac reprobi. Et nullus istorum, maxime Apocryphorum, approbatus aut utilis est, præsertim novi Testementi: sed omnes, iis exceptis de quibus actum est superius, qui & a priscis Sapientibus, ac Patribus approbati sunt, digni sunt qui abscondantur megis, quam qui legantur: etiam alii, & qui inter illos Euangelia quoque vocantur, præter quatuor ille quæ tradita nobis sunt. Nam quatuor nobis Euangelia secri sanctæ & Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ canones sanxerunt. Secundum Metthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem, juxta Prophetiam visionis, quam Ezechiel Propheta de quatuor Cherubim vidit. Quatuor enim Cherubim Propheta ille vidit; unum similem homini, id est, Euangelium secundum Metthæum: alium, similem vitulo, quo significatur Euangelium secundum Marcum: tertium, similem leoni, id est, Euangelium secundum Lucam: quartum, similem aquilæ, id est, Euengelium secundum Joannem. Præter quatuor ista nullum est aliud Euangelium.

Euangelium secundum Metthæum, ab ipso Matthæo, Hebraica dialecto conscriptum est, & editum Jerosolymis, interpretatumque est a Jacobo fratre Domini secundum carnem, qui & primus Jerosolymorum Episcopus constitutus est a sanctis Apostolis.

Euengelium secundum Mercum, Romæ quidem ab Apostolo Petro dictatum est, editum ** vero a

* Quæ hic ἀντιλεγόμενα quibus contradicitur dicuntur, apud Nicephorum vocantur Apocrypha, & ut putatur rectius. Porro apud eumdem adjiciuntur Ignatii & Polycarpi Epistolæ, quæ fortassis lapsu graphico, hic sunt omissæ.

** Quod ait (Scriptor iste) Marcum Romæ suum scripsisse Euangelium, Papias confirmat apud Eusebium l. 3. Historiæ cap. 14. Nec non Clemens Alex. apud eumdem. Chrysost. vero Homil. in Matth. scripsisse in Ægypto existimavit.

co a Marco beato Apostolo, & ab ipso Alexandriæ postea, & in Ægypto, & in Pentapoli, & in Libya prædicatum.

Evangelium secundum Lucam, dictatum quidem est ab Apostolo Paulo: conscriptum vero & editum a Luca beato Apostolo ac Medico. Quemadmodum & Apostolorum Acta, dictavit Apostolus Petrus, idem vero Lucas litteris mandavit.

Evangelium vero secundum Joannem, dictatum est ab Joanne Apostolo & dilecto, cum exsul esset in Patmo insula, & postea ab eodem Ephesi editum, per Gajum dilectum, Apostolorum hospitem, de quo & Paulus Romanis scribens dicit: *Salutat vos Gajus hospes meus & totius Ecclesiæ.* [Rom. 16. 23.]

Quænam & quot sint divinæ Scripturæ Versiones, seu Interpretationes ex Hebræo in Græcum sermonem. Ac quinam & quando illam sunt interpretati.

77. Prima versio est, LXXII. Interpretum. Hi cum Hebræi essent, electi sunt ex unaquaque tribu sex viri, & divinam scripturam sub Ptolemæo Philadelpho Rege, interpretati sunt, ducentis triginta annis ante nativitatem secundum carnem, Domini nostri Jesu Christi.

Altera est Aquilæ, qui cum Sinope Ponti oriundus, & Græcus esset, Jerosolymis baptizatus est. Postea vero reprobato Christianismo, Judæis se se conjunxit, & sacram Scripturam perversa ratione, sub Hadriano Imperatore, tabe corporis laborante, trecentis triginta post LXXII. versionem annis, interpretatus est.

Tertia interpretatio est * Symmachi. Hic cum Samaritanus esset, nec populo suo acceptus quod principatum adfectaret, ad Judæos se se recepit, ac secundo circumcisus est. Et ut Samaritanos subverteret, vertit & ipse divinam Scripturam sub Severo Imperatore, annis post versionem Aquilæ quinquaginta sex.

Quarta Theodotionis Ephesii est. Hic cum primum hæresin Marcionis Pontici sequeretur, postea sectatoribus hæresis illius succensens, & ipse sacram Scripturam, sub Commodo Imperatore, eo ipso tempore, ad subversionem prædictæ hæresis interpretatus est.

Quinta interpretatio ea est quæ abscondita in doliis inventa est, sub Antonino Imperatore, Caracalla dicto, in Jericho, a quodam ex illis, qui Jerosolymis litterati erant.

Sexta & ipsa in doliis latens inventa est, sub Alexandro Mamææ filio, Nicopoli ad Actium: a quodam Origenis familiari.

** Septima & postrema interpretatio, sancti Luciani, magni Asceta & martyris est, qui & ipse cum in prædictas versiones, & Hebraicos libros incidisset, & diligenter, quæ vel veritati deerant, vel superflua erant, inspexisset, ac suis quibusque Scripturarum locis correxisset, versionem hanc Christianis fratribus edidit; & post ipsius certamen & martyrium, quod sub Diocletiano & Maximiano Tyrannis sustinuit, liber ipsius manu scriptus, repertus est Nicomediæ, sub Constantino Magno Imperatore, apud Judæos, in pariete turrito calce circumlito, in quo custodiæ gratia positus fuerat.

*** *Quinam Libri in Scripturis memorati sunt, ut qui tum temporis exstarent, sed jam non reperiuntur.*

78. Libros Nathan, Addo, Achiæ Silonitæ, Semei & Jehu, exstare scriptum est in libro Regum. Prophetæ autem hi sunt qui prophetias suas conscripsere, quæ jam non reperiuntur.

Ter mille Psalmi Davidis in Paralipomenis esse dicuntur: e quibus centum quinquaginta duntaxat ab amicis Ezechiæ Regis selecti, reliqui autem absconditi fuere. Quinque millia Proverbiorum edita a Salomone tradit Paralipomenorum scriptura: sed nulla jam exstant quam ea quæ recipit Ecclesia. Canticum mysticum, ex compluribus Canticis selectum est. ipsa fert inscriptio. Josephus vero tradit Ezechielem Prophetam duos prophetiæ libros conscripsisse. scimus autem unum duntaxat reperiri. **** (Itaque hæc omnia per impiorum Judæorum amentiam & incuriam interiisse, manifestum est.)

* Quod hic dicitur sub Severo versionem a Symmacho editam fuisse, nequaquam referendum ad Severi, qui Pertinaci successit, tempora; sed ad Lucii Veri Imperium qui corrupte ab Epiphanio [illegible] haud semel vocatur. Nec desunt inter Latinos qui Lucium Verum, Severum corrupte nuncuparint. Nam si Severi temporibus edita fuit versio Symmachi, posterior haud dubie erit Theodotionis Versione, quæ sub Commodo adornata fuit. Hæc fusius Petavius in notis ad Epiphanium p. 398.

** Hæc non habentur apud Epiphanium, quia eas solum editiones ille commemorat, quæ in Hexaplis Origenis locum habuere.

*** Hæc habentur in mss. Reg. 218. Græce fol. 4. verso, & edita sunt a Cotelerio in notis ad Patres primi sæculi p. 339. eorumdem exemplar sua manu ex Barociano codice descriptum nobis transmisit Vir clarissimus Jacobus Mill. Principalis Collegii sancti Edmundi Oxoniensis, qui non pauca alia nobis perhumaniter officia contulit, confertque in dies, rogantibus. In prius editis unonisi Latine legebantur. Porro in manuscripto Reg. sub hoc titulo habetur. [illegible] Ex Josephi Commentario caput 138. Exstat autem Josephi hujus viri Christiani, ὑπομνηστικόν, pluribus constans quæstionibus in Bibliotheca Cantabrigiensi, citaturque a Patritio Junio in Notis ad Epistolam Clementis. Ceterum, ut existimamus, ex Josepho hæc mutuatus est Scriptor hujusce operis, ut superiora ex Epiphanio. In Baroc. sic legitur titulus, [illegible]

**** Quæ uncinis includuntur Latina, nusquam Græce reperimus, sed ex prius editis huc transtulimus.

IN

IN DISPUTATIONEM CONTRA ARIUM

ADMONITIO.


I. PRÆMISSIS *iis operibus quæ nostro doctorumque judicia aperta νοθείας vel γνησιότητος non habent indicia, ea jam edimus, quæ falso Athanasii præferre nomen liquidius comprobatur. Primum in editis occurrit, Disputatio contra Arium in Concilio Niceno. Opus jam pridem a viris doctis Athanasio abjudicatum. Libet autem hic apponere, quæ ad calcem Editionis Commelinianæ a Petro Felckmanno annotata sunt in variis lection.* p. 21. Inscriptio, *inquit*, hujus disputationis in Codice Augustano est: διάλεξις ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ πρὸς Ἄρειον. Sequentia vero desunt, ut & in Basil. & Anglic. codd. Et præterea eadem etiam in tempore fallunt. Nam quod dicitur, Nicænam Synodum habitam anno Christi 310. id verum esse non potest: siquidem ea Coss. Juliano & Paulino sive cœpta, sive finita est, ut patet ex Socrate lib. 1. Histor. cap. 13. Græc. Reg. edit. & ipsis Actis Nicænis nuper Lutetiæ editis, & Alphonso Pisano libro secundo & tertio de Synodo Nicæna.

At illi Coss. fuerunt circa annum 20. Imperii Constantini Mag. hoc est, (variant enim Auctores) inter annum Christi 325. & 329. Quare fieri non potest, ut is annus decimus fuerit supra trecentesimum. Præterea nec id, quod dicitur, Alexandrum egisse jam tum Episcopum Byzantii, quomodo verum esse possit, video: cum, ut patet ex historiis & ipsis Actorum Nicænorum subscriptionibus, Alexander Presbyter & legatus fuerit Metrophanis Episcopi Constantinopolitani. Videatur de hac re Alphonsus Pisanus de Concilio Niceno pag. 71. 322. 323. & 329. & Acta Nicæna part. 2.

Equidem non dubito Athanasium nostrum verios conflictus habuisse cum Ario in Synodo Nicæne, quando Cyrillus Alexandrinus alicubi refert eum in Nicæna Synodo omnibus admirationi fuisse, & Alexandro Episcopo quasi viæ ducem ad omnia: imo editus est jam pridem e M. Crusio Catalogus Bibliothecarum apud diversos Græcos Constantinopoli degentes, in quo refert, apud Illustriss. Principem Jacobum Marmoretam, haberi orationes dialecticas Athanasii Episcopi Alexandrini, quibus disputavit Niceæ in prima œcumenice Synodo contra Arium coram Imp. Constantino Magno. Verum an hæc, de qua hic, disputatio, aut de illarum numero, aut omnino Athanasii sit, video doctos non immerito dubitare. Quidquid sit nostri codices omnes magno consensu tribuunt eam Athanasio. *Cyrill. Tom. 5. parte 2. Epist. 1. ad Monach. Ægyptios p. 4.*

II. *Hæc Felckmannus, qui prius editorum titulum respicit, ubi sic legebatur.* διάλεξις ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ πρὸς Ἄρειον ἐν ἔτει τῆς θείας σαρκώσεως τι ἐν ἡμέραις τοῦ θειοτάτου βασιλέως Κωνσταντίνου, καὶ τοῦ μακαρίου Πάπα Σιλβέστρου, καὶ ἐπισκόπου Βυζαντίου Ἀλεξάνδρου. *Quod autem habet ille de Dialogis Athanasio adtributis, fuse a nobis alias pertractatum est. Hunc vero quod spectat Dialogum: Constat primo esse supposititium: tum ex styli genere, quod ab Athanasiano, mirum quam abhorreat; tum ex argumentis plerumque invalidis, ne umbram quidem Athanasianæ ἐνεργείας referentibus. Quare nec in antiquis Athanasii operum collectionibus comparet, nec ab antiquorum aliquo laudatur, quod sciamus quidem. Nec ideo quidquam in adversam dubii nascitur, quod, ut ait Felckmannus, omnes codices illum Athanasio tribuant. Nam ubi semel ab auctore, Athanasii nomen accepit, hinc consequitur, ut a librariis deinceps omnibus autographo hærentibus, Athanasii nomen præpositum fuerit.*

III. *Porro male jacet in titulo: Dialogus in Concilio Nicæno cum Ario habitus: palam quippe est vel ex ipso operis initio, non in Concilio admissam dici disputationem, sed in diversoria quodam: neque cum Ario hic colloquium habetur, sed cum Arii sequace. Quæ vero sequuntur in prius editis, de tempore Nicænæ Synodi, &c. in maxima codicum parte non comparent, ideoque illa expungere visum est.*



SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

MAGNI

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Disputatio habita in Concilio Niceno contra Arium.

1. DEI providentia, charissimis Fratribus comitatus, properabam ad desideratos mihi Dei servos. Cum autem propter corporis infirmitatem lente incederem, una cum illis Dei servis, interrogavit me quidam ex viæ comitibus de hac Domini sententia: *Pater meus qui misit me, major me est.* Hæc sciscitanti sic respondi: Istam quæstionem modo intermitte, Fratrum dulcissime: postquam autem, Deo permittente, domum remigraverimus, hac de re disseremus quam accuratissime. Hæc ubi dixeram, in corde meo subito oboritur pietatis instinctus, sicque mecum loquebar: haud sine causa beatus Paulus Timotheo suo discipulo B hæc scripsit: *Exerce teipsum ad pietatem.* Vere enim pietas erga Numen divinus thesaurus est bonis refertus, quæ nec loqui nec conjectare possumus. Mecum item reputabam, magnificum quiddam & augustum esse pietatem, quæ se adeuntem possit salvum facere. Venit quoque mihi in mentem parabola illa Domini mei Jesu Christi, qua significatur beatam pietatem magnum aliquid esse, & omni immortalium divitiarum genere abundare, raroque inter homines reperiri, nisi vix paucos e multis, qui mente veritatis studiosa, incorruptam ejus pulchritudinem consequantur. C Nec vero illi virtute sua amabilem ejus conspectum adepti sunt, sed suo in Deum amore, crebrisque precibus donum illud a Deo obtinuere, ut æternum gaudium in sinum recipiant, qui eximiam illius dignitatem contemplantur.

Joan. 14. 28. & cap. 12. 49.

1. Tim. 4. 7. Laus pietatis.

2. Ait Dominus: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, gaudet, deinde abit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Deinde quasi stans ipse in corde meo, sic me leniter alloquebatur: Homo, & si multa sint peccata tua, constanter D retine sinceram in Numen pietatem. Ob hanc enim Deus peccata condonat, mors vincitur, optimeque poterit homo in regnum cælorum pervenire. Præterea, illud quoque commemini: *Novit Deus pios liberare, iniquos vero servare in diem judicii, æterno igne puniendos.* Nam qui iniquus est, idem est & impius: ex impietate vero nascitur peccatum. Itaque mater omnium malorum est impietas, nutrix autem vituperabilium omnium est amentia. Quapropter beatus pietatis Filius, quia hic Filius Christi vocabitur.

Matth. 13. 44.

3. Interim vero ad locum, quo tendebamus, E sine mora devenimus, ibique germanos nacti, mutuo omnes gaudio perfruebamur, nos quod digni habiti fuissemus, qui sanctos videremus, illi quod fratres conspicerent. Cum autem inter nos colloqueremur, nec pauca, quæ venerandæ admodum religioni congruerent, multo cum ordine & modestia diceremus, ecce subito ex radice Arii Christo infensi, bellua humanam mentita speciem in nos insiliit, cumque aliquantisper pietatis verba audisset, eorum impatiens, ita cœpit loqui: Aut me vestram docete sententiam, aut ego quid sentiam vos A docebo. Cui ego: Ne omnes ad disputandum provoca; magni enim sunt in domo Dei. Sin autem in præsentia mecum tantum, qui minimus sum velis disputare, ad id me tibi libentissime offero. Profer primus propositionem: sed ita nos geramus, ut solo veri amore disseramus, nec divinis verbis, quæ a nobis mutuo afferenda sunt, pertinaciter repugnemus.

4. ARIUS dixit: Mihi in primis necessarium videtur, ut uterque nostrum, id de quo nobis agendum est, definiamus, breviterque exponamus, quæ nostra sit utriusque opinio de Deo, de Christo, & de Spiritu sancto: ut scopus sit aliquis nostris sermonibus, nec inaniter verbis digladiemur, pateatque quænam vicerit sententia, & quænam eversa fuerit. Tecum enim lubet de fide disceptare, maxime cum audiverim vos non recte de vera in Deum fide & pietate disserere.

5. ATHANASIUS respondit: Omnia, ut Deum decet, optime digessisti: ego vero quæ mea sit sententia, paucis dicam. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, qui semper sit Deus Pater. Et in Deum Verbum unigenitum Dei Filium, cumque simul cum proprio Patre exsistere, Filium item esse ex substantia Dei & Patris, Filium Patri æqualem esse, Filium ejusdem ac Deum esse dignitatis, ipsumque una cum Patre præsentem ubique esse divinitate, omniaque complecti sua substantia, nec ab ulla re contineri Filium Dei, sicuti nec Patrem ejus. Et in Spiritum sanctum, quem credo esse Patris substantiæ, simulque æternum cum Patre & Filio. Verbum dico in carne advenisse.

Athanasii fides.

6. *Ar.* Credo & ego in unum Deum æternum, & Filium ejus quem ante sæcula creavit Deus, & Filium fecit. Qui Filius cum omnia quæcumque habet, non haberet, ea a Deo accepit: quod non sit item Filius Patri æqualis, nec ejusdem ac ille dignitatis, sed ut res facta, gloria & virtute Deo sit inferior. Et in Spiritum sanctum, qui a Filio factus est. En quæ ego sentio.

Arii fides.

7. *Ath.* Jam cum omni arte ordire disputationem. Video enim te magnis malis detineri: quamquam tu nos, ipse aggressus reos esse velles, quasi non recte de Patre, & Filio, & Spiritu sancto sentiremus. *Ar.* Quomodo dicis Deum semper Patrem, qui cum solus esset Deus, sua voluntate creavit Filium suum, quemadmodum scriptum est? *Ath.* Ubinam scriptum est solum esse Patrem? *Ar.* Apud Paulum Apostolum ita scribentem: *Nobis vero unus Deus ex quo omnia.* *Ath.* Lege quæ sequuntur Apostoli verba: ait enim, *Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* *Ar.* Vides Filium ministrum, non autem per se opificem esse, ut ipse de se ait: *Nisi quid viderit Patrem facientem: quæ enim Pater facit, hæc & Filius facit.* Attende quomodo minister non autem creator sit Filius. *Ath.* Vide: noli cum veritate pugnare. Nam quod putas a Paulo de Deo Patre esse dictum, idem de Filio ab ipso dici reperies. Hæc sunt enim ejus verba: *Et ipse posuit in Ecclesia, primum Apostolos,*

Deus semper fuit Pater.

1. Cor. 8. 6.

Joan. 5. 19.

Filius creator est, non minister Patris.

Ephes. 4. 11.

los, deinde Prophetas, alios vero Evangelistas, alios pastores & magistros, ad perfectionem populorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli, nec fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ, in alea hominum, in astutia ad inducendum in errorem: sed veritatem sectantes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: EX QUO *totum corpus compactum & connexum per omnem commissuram subministrationis*, &c. Videsne eamdem vocem de Patre & Filio communiter dici, quam tu de solo Patre intellexisti?

8. *Ar.* Recte integrum Apostoli locum hac de re protulisti: verum quæ ego commemoravi Domini verba magis digna fide autumo esse quam
Joan. 5. 19. quæ habet Apostolus. Siquidem ait Dominus nihil se a seipso posse facere, nisi quid facientem viderit Patrem. *Ath.* Quid fecit Deus in principio? *Ar.* Cælum, terram, mare, & omnia quæ in illis continentur, uti scriptum est. *Ath.* Superest igitur ut ostendas quosnam cælos, quamve terram, mare & quæ his continentur, primum fecerit Deus, quæ deinde videns Filius, similiter ut Pater fecerit. *Ar.* Nefas dictu puto esse, primum mundum a Deo fuisse conditum, alterum autem a Filio, cum alter mundus demonstrari non possit; quippe cum perspicuum sit omnibus unum hunc mundum aspectabilem esse. *Ath.* Igitur Filius a se ipso universum creat. *Ar.* Quæso te, quomodo a seipso? Nemo sane id dixerit. *Ath.* Sapiens ubinam suum invenit consilium? *Ar.* In sapientia sua. *Ath.* Annon Christus Dei virtus & sapientia est, ut docet beatus Paulus? Ain, an negas? *Ar.*
1. Cor. 1. 24. Sine controversia Christus Dei virtus & Dei sapientia est. *Ath.* Num ergo sapientia aliunde efficitur sapiens? *Ar.* Absit. *Ath.* Igitur a seipsa omnia, ut sapientia, agit. *Ar.* Ita se res habet. Num igitur nihil creat Pater? *Ath.* Audi, nec temere loquare quæ nec dicere fas est, nec audire, quasi nemo possit ista tua evertere. Verumtamen jam mihi responde ad id quod te interrogo. Is qui potens est, quomodo ipse per se agit? *Ar.* Omnia virtute sua efficit. *Ath.* Annon vero Christus convenienter Dei virtus exsistit? *Ar.* Nemo non fateatur. *Ath.* Itaque cum Christus sit Dei virtus, quæ virtus, id est Christus, efficit, eadem efficit Pater.

9. *Ar.* Qui fit ut quæ Christus efficit, ea Deus efficiat? *Ath.* An virtus sive potentia distinguitur ab eo qui potens est? *Ar.* Absit. Ecquis enim vidit unquam athletam in luctatione seorsim fortiter se gerentem, & seorsim ejusdem virtutem? Nam si ita esset, ad utrumque certe præmia sive coronas deferre oporteret. *Ath.* Recte dicis. Quapropter si id in homine agnoscis, nempe, nec ejus virtutem separatim quid efficere, nec corpus aliud quid agere: profecto Christus, qui paterna est virtus, omnia, quę pater efficit, ipse quoque absque ulla disjunctione efficit. *Ar.* dixit, Esto: Filius absque ulla disjunctione universum efficiat simul cum Deo: at numquid Deo possit æqualis esse, cum ipse Salvatorem audieris hæc dicentem: *Pater meus, qui misit me major me est?* *Ath.* Interrogabo te: tu vero mihi responde: Num salvator meus sibi contraria loquitur? *Ar.* Absit: ubique enim sibi ipsi consonat Filius Dei. *Ath.* Quomodo ergo Dominus alibi ait,
Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus?* *Ar.* An Sabellius es? *Ath.* Cur sim Sabellius? *Ar.* Quia Patrem & Filium unum esse dixisti. *Ath.* Ne me calumnieris. Nec enim dixi, Patrem & Filium unum esse, sed Dominum dixisse: *Ego & Pater unum sumus.* *Ar.* Atqui hæc ipsa est Sabellii hæresis. *Ath.* Num igitur Dominus qui ait: *Ego & Pater unum sumus*, Sabellius erat? An non omnes Christiani Jesum Filium Dei esse novimus? Tu vero ipsum dicis Sabellium esse & hæresis magistrum? *Ar.* Absit a me ut ita sentiam, sed Salvator de sua cum Patre concordia illa intellexit verba, *Ego & Pater unum sumus.* *Ath.* Cujus causa hæc dixit Dominus, quidve his volebat indicare? suamne, ut putas cum Patre concordiam, an potius divinitatem, ut recta ratio probat? si concordiam, ut existimas, igitur testes contra Patrem subornabat, ne videlicet a Patre abdicaretur: Quod si verum est; Filius ergo Patrem accusat, quod ingratum se præbuerit, nec pacta concordiæ servarit. Quod si ita esse velis, intellige, quæso, quo te hujusmodi abducat sententia.

10. *Ar.* Verum quid nos vis dicere, num quod Pater & Filius unum sit? *Ath.* Dominus Jesus non ait, *Ego & Pater unum sum, sed unum sumus:* hisque verbis, *unum sumus*, perfectam indicavit dualitatem; & dictione, *unum*, substantiam significavit. Quæ quia non intellexisti, in absurda idcirco incidisti. *Ar.* An non Dominus dixit, *Pater qui misit me, major me est?* *Ath.* An non Salvator dixit; *Ego & Pater unum sumus;* & rursus: *Qui vidit me, vidit* Joan. 14. 9.
Patrem? Immo Apostolus quoque Filii & Patris æqualitatem diserte his verbis declarat, *Qui cum in* Philip. 2. 7.
forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit: Viden' Filium proprio Patri æqualem esse, non autem minorem? *Arius.* Magna mihi videtur Scripturarum de re præsenti dissensio. *Ath.* Absit ut homo divinos Deique afflatu scriptos libros audeat calumniari, quasi scilicet non inter se in his omnibus consentirent. Certe omnes scripturæ, instar æquæ libræ, valde secum consentiunt. *Ar.* Qui fieri potest ut consentiant? Salvator ait: *Pater qui misit me, major me est:* idem rursus ait, *Ego & Pater unum sumus:* &, *Qui vidit me, vidit Patrem:* quibus verbis simillimam nullaque varietate diversam sui & Patris speciem designat: quemadmodum & Paulus scribit Filium proprio Patri æqualem esse. *Ath.* Audi, homo, & intellige illud capitulum, *Pater meus, qui misit me, major me est*, ab aliis minime differre capitulis. *Ar.* Si id ostenderis, quod sane fieri non potest, forte & me in tuam sententiam ire compelles.

11. *Ath.* Dei Filius Deusne est, vel non? *Ar.* Deus est creatus a Deo. *Ath.* Prout vis responde mihi ad id quod a te sciscitor. Dei Filius fecit ne omnia, an non? *Ar.* Jam supra concessum est omnia eum fecisse, quippe qui sit Dei virtus & sapientia. *Ath.* Omnia igitur Dei Filius continet, quæ ab ipso sunt facta, sive visibilia, sive invisibilia. *Ar.* Ita est. *Ath.* Ubique ergo adest natura suæ majestatis. Nam si dicas non ubique adesse: igitur res factas fateberis creatore majores esse. *Ar.* Adest ubique. *Ath.* Si igitur præsens ubique est Dei Verbum: quomodo illud intelligis, *Pater meus, qui misit me, major me est?* Da mihi rationem. *Ar.* Hic hæreo: sed oro, expone mihi qua ratione Salvator dixerit majorem se Patrem esse. *Ath.* Nisi mihi prius dixeris, quod a te postulo: nec ego quod vis tibi sum dicturus. *Ar.* Dic quod vis. *Ath.* Angeline incorporei sunt, an homines? *Ar.* Homines sunt in corpore: Angeli vero cum sint spiritus, incorporei sunt. *Ath.* Quinam igitur fatigantur: homines ne, an Angeli? *Ar.* dixit, Angeli incorporei sunt, ut cum illi ministrant, nullum lassitudinis experimentum percipiant. At homini proprium est fatigari, propter gravem nempe corporis

molem. *Ath.* Quomodo ergo fatigatus est Dominus? Scriptum enim est: *Jesus vero fatigatus ex itinere, sedebat.* *Ar.* Uti voluisti, eo me, Angelorum hominumque exemplo, adduxisti, ut fatear Verbum non ut Deum fatigatum esse. Scilicet ut appareret carnem hanc, quam prius Verbum & Deus non habebat, assumsisse; idcirco carni quæ sibi erant propria pati permisit, ut carnem esse evidens esset.

Joan. 4. 6.

12. *Ath.* Memor sis concessum antea esse Verbum & Deum ubique esse. *Ar.* Recte admodum. *Ath.* Si igitur ubique præsens est, cujus causa ait, *Pater meus, qui misit me, major me est?* *Ar.* Obsecro te, ne graveris velum a littera quam cito detrahere. Valde enim angor animo. *Ath.* Quis fatigatus est, homo ne, an Deus Verbum? *Ar.* Homo. *Ath.* Tuum igitur jam est intelligere. *Arius.* Percipio quid tuo hoc responso intelligas, nempe, cum Deus Verbum ubique adsit, clarum esse ipsum propter carnem dixisse, *Pater meus, qui misit me, major me est.* Hæc enim gradiebatur & fatigabatur, & a loco in locum migrabat. Certe id se recte habet.

13. *Ath.* Jam in mentem revoca quod dixisti, Deum Verbum creatum esse. Unde vis sumamus initium? Ego vero non audeo tam fidenter loqui contra æternam ejus Filii divinitatem. *Ar.* Ego quidem id ex Scripturis probo: tu vero undenam habes Filium æternum esse? *Ath.* Ego ex libris divino afflatu scriptis didici æternum esse Dei Filium. *Ar.* Quænam Scripturæ docent æternum esse Filium? *Ath.* Celeberrimus Paulus in medium prodiens, veritatem suo testimonio confirmabit. *Invisibilia enim ipsius,* inquit, *ex creatione mundi: per res factas intellecta conspiciuntur, sempiternaque ejus virtus, & divinitas: ut sint ipsi inexcusabiles, quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* *Ar.* Hæc de Patre dicit Scriptura. *Ath.* Nonne beatus Paulus eos arguit, qui Deum Dei Filium per corpus apparentem non cognoverant, nec sempiternam ejus divinitatem, qui universum adornavit? Siquidem ex magnitudine & pulchritudine rerum creatarum, convenienter cognosci, cum gratiarum actione debet creator. Manifestum est autem omnia quæ facta sunt per Verbum facta esse, nihilque sine illo esse factum. Quapropter deberes tu quoque ex præclara elementorum coagmentatione creatorem convenienter intelligere, teque tui ipsius non ignarum esse, percipereque mundum æterni Dei opus esse, nec potuisse creatam naturam taotum opus producere.

Filius Dei æternus est. — *Rom. 1. 20.* — *Sap. 13. 5.*

14. *Ar.* Esto, sit æternus Filius: sed ab æternitate creatus, æternitatem obtinet. *Ath.* Si æternus est Filius non est res creata: quod si res est ereata, non est æternus. *Ar.* Num hæc ego ex propria loquor auctoritate? Filius ipse ait se a Deo primum omnium creatum esse. *Ath.* Tibine soli an etiam aliis revelatum est hoc Filii Dei mysterium? *Ar.* *Non omnium est fides.* Verumtamen non mihi soli, sed etiam aliis cognita est hæc fides. *Ath.* Undenam vobis ea revelata est? Ex Deo, an ex hominibus? *Ar.* Ex Deo. *Ath.* Tune ipse auditor fuisti, an alii tibi narraverunt? *Ar.* Non mihi narraverunt, sed multi Sancti, in spiritu Dei loquentes, Filium creatum esse affirmarunt. *Ath.* Quinam sunt isti? An & nos nosse non possumus? *Ar.* Tute ipse nosti & Prophetas & Apostolos multis in locis dixisse Christum rem creatam esse. *Ath.* Te paulo ante dicentem audivi id a Filio dictum esse. jam transis ad Prophetas & Apostolos. Verum dic, amabo, quis Propheta ea de illo dixerit. *Ar.* Atqui modo etiam ajo id ipsum per sanctos Prophetas & Apostolos Filium dicere, quemadmodum per Salomonem ait, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua.* Vides Deum ante res omnes eum creasse, propter opera scilicet quæ per eum efficienda erant. *Ath.* Igitur, si credendum tibi est, res creatæ causa fuere cur creatus est Filius. *Ar.* Ita est. *Ath.* Ergo res a Deo creatæ, ipso sunt pretiosiores? Qui id fieri possit? Namque si ille propter ipsas factus sit, non vero ipsæ propter illum, ut putas, profecto ipsæ illo sunt pretiosiores. Verum absit ut nos ita sentiamus. Namque omnia propter Filium, uti scriptum est. *Decebat enim*, inquit Apostolus, *eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum passiones consummare.*

Res creata non potest esse æterna. — *2. Thess. 3. 2.* — *Prov. 8. 22.* — *Hebr. 2. 10.*

15. *Ar.* Ignosce mihi, qui dixerim Filium propter opera creatum fuisse. Verumtamen ante omnia creatus est. *Ath.* Quis ante omnia opera creatus est? *Ar.* Filius: quam ob causam primogenitus esse scribitur. *Ath.* Si quis Satanam adoret, rectene an male agit? *Ar.* Impius censendus ille est & Atheus, nec communes sensus habere, qui nec dignus sit homo appellari, sed inhumanus. *Athan.* Deus Job respondens ita de Satana loquutus est: *Ipse est principium figmenti Domini, factus ut illuderetur ab Angelis meis.* Tu igitur primam rem factam adorans, Satanam adoras, ut ostendimus. Quod si velis contendere Filio prius factum esse Satanam: eum ergo sancto Spiritu seniorem facis? Sic enim statuisti, Filium quidem a Deo creatum esse; Spiritum vero a Filio esse factum asseverasti. *Ar.* Me veritas circumscribit, non tu. Verumtamen quandoquidem me ad hoc adduxisti: te vicissim ego multis circumcludam auctoritatibus, quibus Christum rem creatam esse asseritur. *Ath.* Profer e thesauro quæ a Patre tuo sunt recondita. *Ar.* Meus Pater est, quem adoro Deum. Sed enim quid respondendum habes ad hæc verba, *Dominus creavit me*, cum Dominus ipse fateatur se a Patre suo creatum esse? *Ath.* Verba illa vim aliam spiritalem intus habent, divinumque in se recondunt thesaurum. *Ar.* Nec ego ad sola verba in hac Salomonis voce attendo: nec enim expers sum intelligentiæ, sed intelligo spiritalem sensum a peritis hic perspici. Quocirca nec ipse sum initiationis expers, sed verba quidem hæc esse dico, *Dominus creavit me*: vim autem his abditam majorem percipio, quam tu cum non intelligas, ignorantia constrictus, erras. Mali autem viri proprium est præstantioribus invidere. *Ath.* Quod igitur sentis, declara mihi absque invidia, quod quidem tibi præclarum videtur esse.

Job. 40. 19.

16. *Ar.* Nempe hæc verba, *Dominus creavit me*, sic accipio, ac si diceretur, *genuit me*. *Ath.* Si igitur genitus est Filius, non est certe creatus: aut si creatus est, non est genitus. *Ar.* Tu minime intelligis vim hujusce vocis. *Ath.* Ne me, oro, graveris perferre, donec intelligam. *Ar.* Ne passio aliqua intelligeretur, ait, *creavit me Dominus*: quapropter in Deo idem est creare ac gignere. *Ath.* Si igitur creare & gignere, idem in Deo est: omnes sane res creatæ, genitæ & fœtus Dei erunt. Quod si verum est, ergo Dominus frater est, secundum te, omnium quæ per ipsum facta sunt. Quomodo igitur unigenitus Dei est? *Ar.* Vox unigeniti de re præcipua, excellenti & maxima dicitur. *Ath.* An non cælum tibi maximum videtur? *Ar.* Admodum. *Ath.* Igitur Filius est secundum te. Terra vero & mare filiæ dicendæ erunt secundum te. *Ar.* Absit: unum solum Filium fecit Deus. *Ath.* An videntur tibi omnia ejusdem generationis decreto unigeoita esse nec ne? *Ar.* Sane quidem. *Ath.* Igitur si factus est, ut res aliæ creatæ, quomodo

Dei

Dei est Filius? *Ar.* Obsecro te: quomodo tu ipse intelligis hæc verba, *Dominus creavit me?*

17. *Ath.* Crede mihi: tibi non respondissem; sed in gratiam auditorum respondere non renuo. Salomon cum justus & sapientia plenus esset, dignus habitus est, qui parabola præsignificaret creationem templi, hoc est, corporis Domini Jesu, quemadmodum Dominus

Joan. 2. 19. ipse ad Judæos dixit, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: hoc autem dicebat de templo corporis sui*, ut ait Joannes. Verum etiam apertius his de rebus ita loquutus est Salomon: *Sapientia ædificavit*

Proverb. 9. *sibi domum, & erexit columnas septem. Immolavit victimas suas. Miscuit in cratere vinum suum, & paravit* B *mensam suam. Misit servos suos, alta voce invitans ad craterem, & dicens: Quisquis est insipiens, declinet ad me. His item qui intelligentiæ indigent, ait: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis: relinquite insipientiam, ut vivatis.* Scilicet sapientia, Dei Verbum est, quod Verbum cum esset dives, ineffabili sua & Patris benignitate pauper est effectum, ut nos illius paupertate ditaremur: qui item cum in forma Dei esset, in forma servi factus est: & qui proprii Patris erat æqualis, ut servus & conservus nobiscum est versatus: perfectus exsistens in divinitate, & per- C fectus in humanitate. Ille igitur, qui Verbum & Deus, sapientia & virtus paterna exsistit, & incorporeus est, ut Deus & Pater ejus, nostræ salutis causa, corpus in utero Mariæ Deiparæ, sine viri commercio ædificavit, factusque est, ut dixi, homo, seque exemplar exhibuit omnis virtutis: ut qui sequi voluerint, habeant divinæ veluti viæ exemplar, cui si similes efficiantur, divinæ naturæ fiunt par-

1. Cor. 11. ticipes, quemadmodum ait Vas electionis. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Itaque post suam passionem & resurrectionem sapientia, virtus, Verbum & Deus, Apostolos misit ad omnes D insipientes, stultos scilicet Ethnicos, Deum ignorantes: quibus mensam apposuit, hoc est, sanctum altare, & in eo panem cælestem & incorruptum: omnibus, qui ejus fiunt participes, vitam impertientem, sanctum videlicet imo sanctissimum ipsius corpus, ac vinum lætificans cor, sobriasque reddens eorum animas qui ex ipso degustaverint: itaque suum sanguinem veluti in cratere miscet, suosque per Apostolos invitat eos qui vocati sunt & electi, qui dimissa insipientia, regni cælorum cives efficiuntur, ejusque vocem audiunt. E

Sanctum altare est sapientiæ mensa; in qua panis cælestis, id est, sanctissimum Christi corpus, apponitur.

18, *Ar.* Quandoquidem hæc verba, *Dominus creavit me*, recte de corpore intellexisti: idcirco tibi assentior ob scriptum testimonium. Restat ut recta ad veritatem incedas, nec aliter facias. *Ath.* Quid me vis facere? Quidquid veritati gratum & amicum erit, amplectar libentissime. *Ar.* Locum tibi afferam, quem allegorice non poteris exponere: diserte enim docet ipsam Verbi essentiam esse a Patre factam. *Ath.* Si mihi ex libris divino instinctu scriptis attuleris testimonium, ut probes id quod contendis: non ego repugnabo: tantummodo attende, ne vos locum ad vestrum arbitrium scripseritis: F alioquin quæ a vobis dicentur, minime feram. *Ar.* Noli nobis obtrectare, tamquam Deum non timentibus. Vox est Apostoli quam proferendam dixi. *Ath.* Profer ergo ipsam. *Ar.* Petrus Apostolorum clarissimus, Israeli de re proposita testificans, sic

Act. 2. 36. loquitur: *Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum Deus fecit.* Numquid nos hanc vocem exaravimus? *Ath.* Non exarastis, sed adulterastis. *Arius.* Te conclusum vides, & ad injurias te vertis. Quin potius, si vales, ad hæc responde, vel sponte ad veritatem profuge. *Ath.*

A Perlege integrum capitulum. *Ar. Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum Deus fecit.* *Ath.* Noli Scripturæ verba mutilare. Enimvero si corpus manet, ut primo formatum est, formosum certe est: at si per partes discindatur, avellaturque manus, pes vel digitus, informe redditur. Quocirca recita Scripturæ verba quæ sequuntur. *Ar.* hæc sunt, *Jesum quem vos crucifixistis.*

19. *Ath.* Quis est qui crucifixus est, Verbumne Deus, an corpus quod Verbum Deus ex Maria virgine accepit? *Ar.* Num tu Verbum non fateris fuisse crucifixum? *Ath.* Ego Deum Verbum confiteor hominem factum, carne esse crucifixum. *Ar.* Quid est, carne: nonne Verbum passum est? *Ath.* Tu autem quid sentias primum fatere. *Ar.* Etiamsi tu non dicas, ego affirmo Verbum una cum carne clavis fuisse affixum & passum esse. *Athan.* Parabola tibi demonstrandum est, utrum Verbum & Deus passus sit. *Ar.* Dic quod lubet. *Ath.* Vidisti nunquam quempiam cruci affixum? *Ar.* Ita sane. *Ath.* Num ergo quamdiu corpus clavis in cruce detinetur, anima simul detinetur, nec a corpore potest recedere? *Ar.* Recedit, cum anima sit spiritus. *Ath.* Si recedit: clarum est eam in cruce non detineri, id est, in ligno & clavis, quod quidem verum est. Nam corpore in cruce detento, anima, quæ libera est, nec detineri potest, corpore relicto discedit ad suum locum. *Ar.* Id ita se habet. *Athan.* Quod si ergo in condemnato homine concedis animam nihil pati præsenti corporis supplicio; quomodo ais Verbum & Deum simul cum corpore fuisse clavis affixum? *Ar.* Demus ergo Deum Verbum non passum esse una cum corpore. *Ath.* Igitur Apostolus Petrus cautissime loquutus est, neminem volens præ ignorantia perire. Cum enim filii Israel Christum arbitrarentur hominem esse nobis similem, suo ille testimonio declaravit, illum electum Dei esse, hæcque erant quæ ajebat, Quamvis vos, ut hominem, justum suspendistis, ne ignoretis quia Deus hunc Christum & Dominum fecit. *Ar.* En igitur, Christus & Dominus a Deo factus est. *Ath.* Deus Verbum, Dei Filius, eratne Dominus ante passionem, an non? *Ar.* Certe Dominus erat. *Ath.* Atqui Petrus ait eum, quem Judæi crucifixerunt, factum fuisse Dominum. *Ar.* Quid sibi vult quod ais, crucifixerunt Christum & Dominum factum? Cupio nosse quid dicas.

20. *Ath.* Deus Verbum Dominus est omnium, cum sit semper Dominus. Postquam autem, ex carne peccati imperio subjecta, carnem assumsit, quemadmodum scriptum est, *Verbum caro factum est:* (carnem autem intelligo perfectum hominem quales nos sumus, quatenus nos homines tantum sumus: ipse enim absque peccato factus est homo) hunc igitur Christum & Dominum Deus fecit, hominem semine David prognatum, subjectis ei Principatibus, Potestatibus, Dominationibus, hominibus, Angelisque, unde omnium ipsi subjectorum factus est Christus & Dominus: Christus, inquam, propter sancti Spiritus factam in ipsum de cælo, instar olei, effusionem; Dominus autem, propter rerum omnium quem accepit dominatum. *Ar.* Seorsum igitur Filius & Dominus est Verbum & Deus, & seorsum homo? *Ath.* Absit. *Ar.* Dic igitur quanam ratione. Dixisti enim Dominum Deum Verbum, & templum ejus: nempe hominem, similiter Dominum. Ego vero censeo duos esse Dominos. *Ath.* Non sunt duo: absit. Unus enim est Dei Filius, homo propter nos factus. Num enim terrenus imperator, dic mihi, seorsum homo imperat, & seorsum purpura, necne? *Ar.* Qui fieri queat ut vel homo absque purpura imperet, vel seorsum regnet

Christus unus est Dominus.

par-

purpura? Nec tamen me fugit quid hujusmodi exemplo velis indicare. *Ath.* Si igitur fieri non potest, ut duo imperatores (hominem scilicet intelligo & purpuram) de uno imperatore dicantur: cur, quæso, seorsum Verbi & Dei agnoscemus dominatum, carnisque sanctæ & pretiosæ imperium distinguemus, quæ, instar purpuræ, indumentum facta est; quippe quæ imperatoris Verbi Dei facta sit indumentum? Sed & Apostolus Paulus disertissime unitatem dominatus,
Rom. 9. 5. quem dominicus homo cum Deo Verbo obtinet, his declarat verbis: *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus in sæcula. Amen.* Videsne Apostolum eum agnoscere Deum, qui est super omnia, qui ex semine fit David?

21. *Ar.* dixit: Nihil vereris Deum qui est super omnia, hominem dicere? *Ath.* Paulus non est veritus, nec ego vereor. quippe qui ex parte videam Dei œconomiam sive dispensationem. *Ar.* Quam dispensationem? *Ath.* Loquor de Dei, qui est super omnia, incarnatione. *Ar.* Confiteor quoque ipse Verbi incarnationem: sed Deum, qui est super omnia, crucifixum dicere non audeo. *Ath.* Audi, eoque magis admirare, quod Deum, qui est super omnia, confiteor, nec alium posse adversus illum æstimari: qui Deus cum semper sit, homo pro nobis est factus & crucifixus. *Ar.* Ubinam recentius istud scriptum est?
Baruch. 3. 36. *Ath.* Apud Jeremiam Prophetam, cujus hæc sunt verba: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Iste igitur, qui visus est, Deus erat & est, adversus quem non alius æstimabitur Deus, an non? *Ar.* Ut ait Propheta, ipse est Deus. Neque enim fas est dicere Patrem ipsum visum esse, factumque hominem, cum hominibus versatum esse, cum res sit manifesta Deum Verbum hominem esse factum. *Ath.* Igitur unus Filius, qui ante omnia sæcula una cum Patre exsistebat, Deusque erat invisibilis, factus est homo visibilis. *Ar.* Unum esse Filium Dei concessum est quidem: at certe non simul cum Patre infinite exsistit. *Ath.* An non sapientia & virtus simul cum Patre & Spiritu sancto exsistit? *Ar.* Ita est. *Ath.* Unus ergo est invisibilis Filius Dei, qui idem & visus est; incorporeus, qui & corpus assumsit; immortalis, qui & carne mortem est expertus; intactus idem & tactus. *Ar.* His quæ dixisti assentior. *Ath.* Ille igitur & Dominus & Deus est ob carnem cum Verbo conjunctam: nec separate aut dominationes dicuntur, aut Dei Filius JESUS-CHRISTUS, Verbum & Deus, unus est.

22. *Ar.* Recte admodum mihi se habere videtur hæc de Incarnatione definitio: verumtamen Filius minime est verus Deus, qualis est Pater. *Ath.* Unde hoc acceptum attulisti nobis? *Ar.* Nunquamne legisti Euangelium, ubi Dominus ita Patrem alloqui-
Joan. 17. 3. tur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum?* Vides solum verum Deum dixisse Patrem, utpote cum ipse non sit verus Deus? *Ath.* Id conjunctio est, verba quæ ante sunt posita & quæ sequuntur nullo modo dividens. Profecto qui recte sentiunt, illam agnoscunt conjunctionem in voce dominica. Nihilominus æquo animo audias quæ sum dicturus. Si quis alicui ita de Constantino præciperet: certo agnosce solum Augustum & Dominum terræ & maris Imperatorem Constantinum & Constantium filium ejus, num is filium cum Patre confiteretur, an non? *Ar.* Non leve est periculum dicere Constantium non imperare cum Constantino patre suo, eo quod una cum ipso numeretur. *Ath.* An ergo gravissimum periculum cernis impendere, si de Constantino & Constantio ita ausis loqui, nihil autem times qui talia de Jesu Christo & ejus Patre loqueris? Eamdem adversus Dominum exhibere debes pietatem, ac in memoratum Constantinum. Non abstulisti ab ejus filio Constantio Augusti majestatem, nec alia omnia quæ de patre ejus antea sunt dicta: nec aliunde dignitatis unitas tibi nota fuit, quam per ipsum. *Ar.* Omissis syllogismis, proba mihi Scripturæ auctoritate Filium verum esse Deum, quemadmodum ego tibi vocem Euangelicam proposui. *Ath.* Audi itaque Scripturæ hac de re verba, nec erra. Joannes Apostolus hæc ait: *Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum: & sumus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna.* Vides easdem voces de Patre & Filio proferri, Filiumque æque ac Patrem Deum dicere? Nam quemadmodum de Patre ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum:* ita & ibi de Filio dicit, *Hic est verus Deus & vita æterna.* Hæc igitur verba, *Et quem misisti Jesum Christum,* conjunctio est, quæ idem significat atque hujusmodi verba, *Te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum,* id est, ut cognoscant Filium tuum verum Deum, quemadmodum & te Patrem. Sicut & alibi ait Dominus, *Ego sum veritas.* Veritas autem nunquam possit esse mendacium. 1. Joan. 5. 20. Joan. 17. 3.

23. *Ar.* Confiteor & ego Filium Dei verum esse Deum: num vero dicere potes, simul Deus, simul Filius? *Ath.* Quid dicis, simul Deus, simul Filius? Num quod Filius simul sit Filius Dei? Ita est. Nam Deus Verbum, Deus est, cum sit Patris Filius. *Arius.* Non hæc dico, sed, quod ipse dicere nequeas, simul Deus Pater, simul Filius cum Patre. *Ath.* Cur id dicere nequeam? *Arius.* Quia Deus Pater ingenitus est, Filius vero est genitus. *Ath.* Hæc vox, ingenitus, de solo ne Deo usurpatur, an etiam de aliis quibusdam? *Ar.* Nihil certe aliud fas est dicere ingenitum. Nam quod ingenitum est, idem & principii est expers. *Ath.* Vox, ingenitus, substantia-ne est, an substantiam significans? *Ar.* Substantia est. *Ath.* Falsa dicis: non est substantia, sed substantiam significans. *Ar.* Quid intelligis? *Ath.* Intelligo nec factam nec genitam esse Dei substantiam: unde convenienter Dei substantiam dicimus ingenitam. Deinde responde mihi: Genitus-ne est Adam, an non? *Ar.* Non est genitus, sed formatus. *Ath.* Interrogavi utrum esset genitus, non utrum esset formatus. *Ar.* Non est genitus. *Ath.* Erit igitur principii expers secundum te. Eva item non est genita, sed creata. Quid vero dicis de eo qui nondum genitus est, genitum-ne esse an ingenitum? *Ar.* Recte se habet vox ingenitus. Erit igitur Pater quidem, ingenitus: Filius vero, genitus. *Ath.* Quid inde vis concludere? *Ar.* Genitus-ne est Filius, an non? *Ath.* Genitus est. *Ar.* Vides eum non fuisse antequam esset genitus: nam si fuisse ais, erit secundum te ingenitus. Quod si ita est, Filius non erit genitus. *Ath.* Deus simul ne Pater est, an non? *Ar.* Potentia quidem semper est Pater, actu vero non semper.

24. *Ath.* An mundus potentia erat infinite apud Deum, vel non? *Ar.* Ita est. *Ath.* Igitur quemadmodum mundum Deus voluntate est fabricatus, sic & Filium secundum te fabricatus est. *Ar.* Non sicut mundum: nam memini quæ prius demonstrata sunt. At dico Filium voluntate habuisse ante sæcula: exiguum vero Filii generandi statuo intervallum, ut fit genitus. *Ath.* Recta-ne res est Deum Patrem esse, an vituperatione digna? *Ar.* Absit ut Deo affingatur aliquid vituperatione dignum: sed recta omnino res est Deum esse Patrem. *Ath.* Igitur ex tua sententia Deus a deterioribus in meliora profecit. Nam si cum Pater non esset, factus est postea Pater, ergo a minoribus

bus ad maxima est conversus. Quod si dicas ipsum, antequam Pater fieret, honoratiorem fuisse: ergo ab honoratioribus ad deteriora devenit: quę si vera sunt, qua ratione dicere poterimus Numen esse immutabile, ex se perfectum, nec in melius proficiens, nec a deterioribus ad optima desinens? Rerum siquidem corruptioni obnoxiarum proprium est mutari, modoque a melioribus ad deteriora converti, modo ab inferioribus ad majora. *Ar.* Nec oculi ictum vis concedere, quo non fuit Filius antequam esset genitus? *Ath.* Quod non est, concedere non possum. *Ar.* Quare? *Ath.* Quia scriptum est, *Non erit in te Deus recens.* (Psalm. 80. 10.) Si enim minimum concesserim temporis intervallum quo non fuerit, certe recens erit quem ego confiteor. Absit vero ut ita sentiat Christianus homo, & contraria divinis Scripturis confiteatur. *Ar.* Quid contrarium, si Filium ictu oculi fuisse dicamus, antequam gigneretur, ne scilicet eum ingenitum esse intelligamus. *Ath.* Id mihi valde videtur contrarium esse divinarum Scripturarum pietati, quæ ubique testantur Filium semper fuisse, nullumque umquam fuisse tempus, cum non esset. An non tibi videtur, si id dicamus, contraria nos sentire Scripturis divinitus inspiratis?

25. *Ar.* Profer testimonia. *Ath.* Joannem audi dicentem, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* (Joan. 1.) Quis Sanctorum Prophetarum vel Apostolorum talia umquam dixit, qualia ipse ais? Dic mihi, num vel in cogitationem cuiquam venire possit, quod fuerit aliquando tempus, cum Verbum Deus non esset? Nam si id possit cogitari: fuit ergo tempus cum sine Verbo sive Ratione esset Deus Pater. *Ar.* Filium igitur dicis Verbum esse prolatitium? *Ath.* Absit. Verbum enim ego confiteor substantiale, non autem Verbum dissolubile, neque ex Deo progrediens, rursusque ad Patrem regrediens, juxta Sabellium. Sed Filium dico modo ineffabili genitum, simul cum Patre exsistere. Ut enim anima sine mente concipi non potest, sic nec Deus sine Filio Pater potest credi. Nam quemadmodum Pater expers est principii, ita & Verbum & Deus Filius Dei. *Ar.* Qui possit Filius expers esse principii, qui diem consummationis se ignorare fatetur? *Ath.* Responde mihi, o homo, ad id quod te interrogo: Architectus accepto calamo locum ædificandum dimetitur; superiora deinde & inferiora describit, cubicula secundæ scilicet, & tertiæ contignationis. Hic certe cum primam attigit contignationem, novit sibi secundam ædificandam esse, qua perfecta, intelligit opus prope esse absolutum. Cum vero tertia contignatio constructa fuerit, profecto quemadmodum ante secundam vel tertiam ædem, sic etiam certo scit imminere ædificii absolutionem. Ita-ne, quæso, se res habet, an non? *Ar.* Consentio ista sic se habere. *Ath.* Igitur Dei Filius, qui omnia cum non essent, fecit ut essent, qui istud composuit elementum, qui hactenus mundum providentia regit, quemadmodum ipse ait Dominus, (Joan. 5. 17.) *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, non novit quando ad exitum perducet quod ipse construit? Rem, oro, experire. Vade, & de fine mensis imperitum hominem interroga, qui nesciat mensem triginta dierum esse, videque an tibi interroganti responsurus sit? At si eruditum interroges hominem, statim dicet tibi, si decimus quintus dies est, dimidium esse mensem, sin autem sit dies vigesimus septimus vel circiter, respondebit tibi finem mensis imminere. Eadem porro ratio est, sive de luna sive de anno agatur. Si enim peritum hominem interrogaveris quandonam finietur; ille pro sua intelligentia perspiciens undecimum mensem completum esse, incœpisseque duodecimum, respondebit circa finem esse.

26. *Ar.* Ita est, ut dicis. *Ath.* Itaque si novit architectus quandonam ædificium sit perfecturus: si peritus homo ex numero intelligit quandonam absolvetur mensis, & ex cursus cyclici notitia quandonam plena est luna vel decrescere desinit, quo item tempore annus perficitur: an non nobis dicendum omnino est Dominum Jesum, qui mundi est opifex, venturusque est ad ipsum consummandum, diem ipsam cognoscere? Namque si ignorasset, quomodo interrogatus de fine hujus sæculi, secundoque suo adventu, vera potuisset respondere? Proprium enim illorum est vera narrare, qui certam habent cognitionem eorum quæ hic sunt & fiunt. Interrogatus proinde Salvator, veritatem quam noverat indicavit. Sciscitantibus enim discipulis quod signum adventus Domini Jesu, & consummationis hujus sæculi, his verbis respondit: *Videte ne quis vos seducat. Multi* (Matth. 24. 4.) *enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca. Hæc autem omnia, initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationes, & occident vos: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et prædicabitur Euangelium regni universo mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Et paulopost ait: *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic: nolite credere.* Et aliis interjectis: *Sicut enim fulgur exit ab Oriente & apparet usque in Occidentem, ita erit adventus Filii hominis. Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cæli cadent, & virtutes cælorum commovebuntur: & tunc apparebit signum Filii hominis in cælo.* Et paulopost: *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt. De die autem vel hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Jam hominum est sapientium ex his quæ Salvator de die & hora præsignificavit perspicere, ipsum certissime cognoscere quandonam venturus ipse est, restiturusque omnia, prout definitum est, juxta individuum ipsius & Patris sui consilium. Accepto enim Euangelio in manibus, lege locum Matthæi de eo quod in controversia est, tibique omnino patebit Dominum diem minime ignorare. Nam si ignorasset, quomodo prædicere potuisset signa & tentamenta diem præcurrentia, cum nondum essent vel accidissent? siquidem usque ad consummationem & adventum suum signa & eorum qualitates prænunciavit, ita ut studiosiores & laboriosiores ex iis quæ præmonuit Dominus tempus possint cognoscere.

27. *Ar.* Si vere diem novit, quare ipse ait, *Neque Filius diem illam novit?* (Marci 13. 32.) *Ath.* Non ait Dominus, neque ego novi diem illam: id enim Dominum dicere consentaneum erat, si quidem ostendere ipsi animus esset, se rei illius cognitionem non habere. Quia

etiam in Matthæo non habetur, Neque Filius diem illam novit, aliique Euangelistæ hujusmodi rei mentionem omiserunt: solus autem Marcus ait, neque Filius novit diem. Tu autem Marci narrationem tecum animo perpende, & vide diem illam Dominum minime ignorare. *Ibidem.* Ait enim Dominus Jesus: *De die autem illo & hora, nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi Pater.* Sciens enim se a Patre secundum naturam non differre, sed Deo Patri suo diviniteto unitum, suam prænotionem in Patris prænotione significavit, quemadmodum Dominus ait, *Ego & Pater unum sumus:* & rursus, *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt.* Non propter res creatas ait Salvator, omnia, quæcumque habet Peter, mea sunt: sed quæcumque ad Patris pertinent divinitatem, hæc propria sibi esse ait Dominus, ut immortalitatem, incorruptibilitatem, vim invictam, immutabilitatem, incomprehensibilitatem, præscientiam, & quæcumque ipse Pater habet, hæc ipsa Filii sunt propria. Ignorare vero ait, ut supra dictum est, & Angelos & Filium.

28. *Ar.* Numquid alius est Filius? *Athan.* Verus quidem Filius Dei unus est Verbum & Deus. Est autem veluti alius Filius adoptatus per templum corporis ipsius Domini nostri Jesu Christi, ut ait divinus Apostolus, *Rom. 8. 15.* *Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater.* Christus autem ipse diserte ad Apostolos ait: *Joan. 13. 33.* *Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me.* Et ad Judæos sic in parabolis est loquutus: *Matth. 21. 28.* *Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad majorem dixit: Vade, operare in vinea mea. Ille autem respondens ait, Ego, Domine, & non abiit. Deinde accedens ad alterum dixit: Vade, operare in vinea mea. At ille respondit, Nolo. Postea autem pœnitentia motus abiit.* Interrogat vero Dominus, uter fecerit voluntatem patris sui. Responderunt Judæi, *Posterior filius.* Porro in confesso est patrem, universorum Deum esse; vineam vero, vias esse justitiæ, in quibus majorem filium jussit operari. Ille autem qui paulo post, præceptum valere jussit, contemsitque imperantem, populus est Judæorum, qui ob infidelitatem exclusus est ab adoptione. Junior vero patris filius, gentium est populus, qui vocationis principio cum præ infidelitate obedire recusasset, detentusque fuisset idololatria, postmodum pœnitentia ductus & credens, patris imperio est obsequutus. Qua quidem obedientia amicus & hæres, tamquam Patris Filius, effici meruit, omnique honore & gratia a Patre ornatus est, præter diei & horæ illius consummationis, videlicet cognitionem. Sed signa solummodo accepit, ne, si ignoraret prope adesse finem, imparatum dies illa repente offenderet.

29. *Ar.* Agnosco recte dicta esse quæ de die illo exposuisti. Sed nego recte dici posse Filium Patri secundum substantiam unitum esse. *Ath.* Quandoquidem tibi non minimum est studium vituperandi quæ recta sunt, quæque recte esse pii fatentur, responde mihi, quid tandem sit substantia? *Ar.* Quidquid est in hypostasi, hoc substantia est. *Ath.* Recte. Verum cum nunc nobis sermo de Deo sit, dic mihi quidnam sit Dei substantia: ne forte arbitrentur idiotæ nos de pecuniis loqui. *Ar.* Dei substantia est: si quid est Deus, hoc substantia est. *Ath.* Recte tu quidem: jam vicissim audi. *Ar.* Dic quod habes. *Ath.* Nosti Deum sese ad nostram imbecillitatem per Scripturas divinitus inspiratas benigne accommodare, sæpeque ad nos humano more loqui, ut scilicet humana natura ex his quæ consimilia rebus illis dicuntur, in quibus versamur & quas novimus, cælestia divina mysteria posset intelligere. *Ar.* Ita est. *Ath.* Cum ergo Deus per Prophetam hæc ad proprium Filium dicit, *Ex utero ante luciferum genui te,* Filii ex Paterna substantia generationem significat. *Ar.* Num igitur uterum habet Deus? *Ath.* Jam te præmonui sæpe ob nostram imbecillitatem Deum homini similem a divinis Scripturis induci: non quod Deus talis sit, sed ut nos corporalibus exemplis divina pie intelligamus. Nullam igitur aliam ob causam uterum appellat, quam ut declaret ipsum Filium ex Patris substantia esse genitum. Alioquin, nisi res ita se habeat, dic ipse quomodo verba illa intelligas. *Ar.* Scriptura ex persona Patris ait, *Eructavit cor meum verbum bonum.* Numquid igitur Verbum quod eructavit, Filius est? *Ath.* Recte id Scriptura dixit ut & alia omnia: tu vero locum illum prave detorsisti. *Ar.* Tute ergo nobis expone hujus sententiæ veritatem; quandoquidem ut tibi videtur, illam ego detorserim.

30. *Ath.* Deus est ne spiritus impassibilis, an non? *Ar.* Ita. *Ath.* Igitur cum Scriptura prædicat Filium ex utero esse genitum, Filium vere ex divina hypostasi sive substantia esse significat. Ne ergo infirmum hominum genus humanam esse crederet Christi generationem, ait, *Eructavit cor meum verbum bonum.* Quod si quis rursus urgere velit & dicere Filium Verbum esse prolatitium, statim afferentur verba illa, *ex utero*, atque ita conquiescet perversa cogitatio. Omnem siquidem humanam mentem circumclusit Scriptura, ut nemo hæretica insania agitaretur contra æternam & incomprehensibilem Filii ex Deo generationem. Nam si est ex utero, quomodo ex corde processit? si vero sit ex corde, quomodo est ex utero? *Ar.* Quid itaque dicendum est & cogitandum? *Ath.* Nihil aliud ex hujusmodi exemplis discimus quam Filium ex substantia Dei & Patris esse genitum. *Ar.* Si Filius Patri esset consubstantialis, cur id præsens non dixit discipulis suis? *Ath.* Ubinam, rogo, Filius non confessus est se Patri esse consubstantialem? *Ar.* Potes-ne illud ostendere? Unum sane id eorum erit quæ fieri non queunt. *Ath.* Nihil ex dubiis colligere conamur, sed ex rebus evidentibus veritatem volumus ostendere. Recordare te dixisse quod Deus est, hoc ejus substantiam esse, id est, Filium. Ita-ne est, an non? *Ar.* Nequaquam. *Ath.* Cur igitur, ait Dominus: *Ego & Pater unum sumus?* Nam nisi Filius idem sit quod paterna divinitas, qui possit dicere, *Ego & Pater unum sumus?* *Joan. 10. 30.* Quid igitur falsa-ne an vera loquutus est? Absit. Nunquam enim veritas queat esse mendacium. Sed & ista verba, *Qui me vidit, vidit Patrem;* *Joan. 14. 9.* nihil aliud indicant quam sanctam divinitatem. Si enim Filius substantia alius est a Patre, quomodo Pater in Filio videri potest? Nam si hominis simulacrum ex ligno confectum non possit cognosci in lapideo, quod ejusdem non sit substantiæ: si item lapis in ligno, vel lignum in lapide non possit cognosci, quantum spectat ad substantiæ rationem, sequitur ut Deus, summus omnium rex, in Filio sibi consubstantiali cognoscatur. Cum enim videntur res similes, in eo quod sunt consubstantiales, eorum quæ non videntur cognitionem exhibent.

31. *Ar.* Cur ergo Dominus ait, *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est?* Num vitis & agricola possunt consubstantiales esse? *Ath.* Noli mihi detruncare dominicam vocem: sed lege, ut jacet; *Ego sum*, inquit Dominus, *vitis vera, vos palmites, Pater meus agricola est.* *Joan. 15. 1.* Dic mihi itaque: si ex exemplo vitis & agricolæ Filium non vis esse Patri consubstantialem, num

ipsum

ipsum hominibus consubstantialem dicis? *Ar.* Absit. *Ath.* Placide ausculta, & ad hæc mihi responde. Vitis & palmites sunt-ne consubstantiales, annon? *Ar.* Omnino ita est. Te vero oro finem hujusce capituli explicatinni breviter imponas, ut & me talem reddas, qualis tu ipse es. *Ath.* Nisi mihi prius ad ea quæ interrogo responderis, quod postulas non consequeris. *Ar.* Loquere quod tibi videtur, & ego, si locus datur, pro viribus respondebo. *Ath.* Cujus causa dextera & brachium Dei memoratur in Scripturis? *Ar.* Quæ istiusmodi sunt intelligimus convenienter notionibus quæ inde sequuntur. Nam

Psal. 118. 71.

si ait, *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me*, hic agnoscimus Dei vim creandi. Cum autem dicit, *Brachium Domini cui revelatum est?* palam est hic

Esai. 53. 1.

de Filio sermonem haberi. Hæc item verba, *Dextera Domini fecit virtutem*, absque dubio Filium significant, per quem facta sunt omnia. *Ath.* Brachium ei, cujus est brachium, consubstantiale est, an non est? *Ar.* Ita se res habet. *Athan.* Etiam dextera illi, cujus est dextera, consubstantialis est, an non est? *Ar.* Ita quoque est. Sed tu quid vis me æternum Numen componere? Numquam-ne Clementem Petri Apostoli discipulum audisti, qui quidem hujusmodi evertit doctrinam? *Ath.* Memineris, quæso amice, eorum quæ dicta sunt, nec velis errare. Ego enim Numen veneror, quod sit simplex, nec compositum, aut circumscriptum, idque ex sacris & divinis Scripturis didici, nec non ab his qui continua successione Episcopi fuerunt. Nullam igitur aliam ob causam Scriptura Filium, brachium & dexteram vocat, quam ut pie intelligamus Filium esse Patri consubstantialem: quia nimirum in homine concipi non potest, diversæ esse substantiæ brachium, dexteram & digitum, prout singula illorum differunt. *Ar.* Consentio Filium Patri esse consubstantialem: jam quid vitis significet, mihi velim exponas.

32. *Ath.* Duo vitis genera solet commemorare divina Scriptura, bonam quidem unam, fructiferam, exhilarantem, & lætificantem cor hominis, quæ est Dominus Jesus Christus. Alia est diabolus, rabiem

Deut. 32. 32.

& venenum distillans, uti scriptum est: *Nam de vinea Sodomorum, vinea eorum: & farmentum eorum ex Gomorrha. Uva eorum, uva fellis, botrus amaritudinis: vinum eorum, furor aspidum insanabilis.* Populus item vitis appellatus est, sæpeque Justi vites sunt dicti, simpliciter tamen & absolute, nec de illis

Joan. 15. 1.

dicitur, *Ego sum vitis vera.* Quocirca ne Salvator ob hujusmodi cognomen aliis supra dictis vitibus annumeretur, (non diabolo tamen) verbi gratia, viti ex Ægypto translatæ & plantatæ, ut fructum uvæ produceret, sed spinas produxit; ait cum additamento, *Ego sum vitis vera*, cujus fructus est vita, gaudium, pax, caritas, justitia, fides purissima, cognitio, pietas, castitas, gravitas, humanitas, mansuetudo, temperantia, & similia. Nam cum palmites eadem gaudeant nobilitate, qua vera vitis, par est eos similem viti fructum producere, cujus sunt palmites. Apostolos igitur indicavit, simul eos confirmans & exhortans ut in fide constantes essent, non autem steriles manerent, a veritate, Judæ exemplo, resiliendo. Nam qui ex Domini caritate & fide decidunt, instar palmitum amputati, extra divina projiciuntur. His itaque verbis, *Pater meus agricola est*, suos adhortatur discipulos ut vigilent & diligentes sint, ut si diceret: scire vos volo, quod si quem Pater meus excolat, ille fructum meum producit. Nec enim sinit alienum fructum in veris vitis palmitibus germinare. Namque in vinea, hoc est in animæ penetralibus deambulans, putrida omnia & luxuriantia amputat, ne sylvescens fructum corrumpat, quem agricola optat produci. Verum quandoquidem sensibilis vitis exemplum nobis aliquid conferre potest ad id quo de agitur; inde, si placet, rem exponere ordiamur.

33. Vinea ante hyemem viridis & palmitibus bene ornata, contra hyemis incursus fortiter resistit. Hyeme autem immitissima frigoris impulsione accedente, quædam vitis folia cœperunt marcescere, quæ cum essent putrida, nec consistere valerent, e summis partibus deciderunt, atque ita e superioribus locis in inferiora sunt delapsa: stat deinde vitis cum palmitibus, hyemis impetui obsistens. Aut si summi frigoris perseverantia, quidam ex palmitibus læsi fuerint, tamen vitis cum reliquis sanis palmitibus constanter manens, hyemem effugit, & ex hybernis ærumnis evasit. Cum autem ver attigerit, qui novus est annus, sperat se quietem habituram: cum subito agricola ad ipsam cum cultro accedens, primum diligenter omnes circumspicit palmites, tum eos quos hyems læserit incipit amputare, deinde sanos quoque palmites ad tertium & quartum usque oculum amputat. Stat vero ipsa vitis sublimis, in cælum aspiciens, lacrymaturque tertium usque diem. Postea Deo providente solatium consequuta, lacrymari desinit, multisque repente productis palmitibus, talis apparet, qualis antea erat, imo multo speciosior. Ex his autem quæ hactenus exposuimus, clarius intellecturus es quæ de vera vite dicturi sumus.

34. Itaque Dominus viti umbrosæ multisque ornatæ palmitibus est similis, propter multitudinem scilicet discipulorum, & circumjacentium turbarum ad ipsum, auxilii obtinendi ergo, accurrentium; adeo ut numerus eorum, qui in ipsum credunt, omnem superet conjecturam. Illi vero suo in illum indissolubili amore, tanquam palmites ei adhærescunt, quorum alii, spiritualis commodi percipiendi gratia, nolunt extra illum, sed una cum eo esse: alii vero sanari cupientes, alii Christum venire audientes, simul convenerunt, novum spectaculum videndi desiderio, Deum nempe in corpore inter homines versantem. Denique adventu Domini omnia gaudio plena erant: qui quocumque incederet, veluti vitis palmitibus densæ, ob multa hominum millia, qui eum comitabantur, omnium in seipsum flagranti amore erat conspicuus, cum omnes ipsi adhærerent. At cum hyemales venti flare cœpissent summis ex locis, ad illos probandos qui ipsum comitabantur, statim non pauci, marcescentium instar foliorum ex vitali vite, cui adhærescebant, deciderunt. Aliique Pontificum metu, ne synagogæ extorres fierent, vitam suam negaverunt, quemadmodum & nunc fieri videmus. Siquidem, ut illi olim, sic hodie hypocritæ homines gloriam persequutorum Ecclesiæ magis dilexerunt quam Dei gloriam. Alii vero non intelligentes divina & spiritalia Domini verba, retrorsum abierunt; reumque & vituperatione dignum esse existimantes benefactorem suum, hæc ausi sunt loqui. *Quis potest eum audire?* Joan. 6. 61. Hos sane nostra ætate æmulantur, qui veritatem sequi recusant, eo quod tribulationes & tentationes fidem ipsam sequantur. Ajunt enim ipsi, quis possit observare traditionem mandatorum Domini & fidei?

35. Judæ præterea infidelitatem patefecit vehementia hyemis: quales nunc se exhibent illi mundi hujus amici, qui cum antea Christi essent discipuli, amici & comites, nefandas synodos adversus Jesum congregant, quibus & cura Gazophylacii commissa est. Non utique fœditatem eorum ille ignorabat, sed hoc egit,

ut

ut ipsos dominicis pecuniis utentes paratiffimos potius redderet ad fortiter pro Domino dimicandum, quam ad bellum contra regem suum, propter mundi amorem, suscipiendum. Hi, ignobilium & sterilium palmitum instar, ab agricola resecti, ignis æterni pabulum fiunt. Ceterum frequentes hyemis procellæ in veram vitem, Christum Jesum videlicet, irruerunt, cumque Scribæ & Pharisæi ipsum vellent lapidibus obruere, veriti ne a turbis Dominum amantibus interficerentur, ab inceptis destiterunt; cum item alias ipsum vellent comprehendere, non concessit Jesus, donec advenisset hora & dies, quem ipse Dominus ante sæcula præfinierat, qua ipsum pati oportebat. Alio rursus tempore cum quidam eum vellent præcipitare, ipse quiete per medium eorum exivit. Innumerabiles (Luc. 4. 30.) aliæ fuere tentationes, quæ impendentes cohibitæ sunt, & in nihilum abierunt. Tum vero novi anni principium erat, quo tempore juxta Domini præceptum, Pascha immolandum erat. Jubet autem, ut ipsis imperavit Deus, omne eos iniquitatis vinculum solvere, Deumque sibi propitium & conjunctum, eleemosynis, reddere, proximum non odio habere, nec quid mali adversus quempiam moliri, ob communionem humani generis, sed cum pace & summa animæ munditia debitum Deo cultum exhibere.

36. Itaque pacis & festi veluti tempore venit Jesus Jerosolymam cum suis discipulis, non veluti ignorans quæ sibi ventura erant, sed maxime ea explorata habens. Hinc certe quæ sequuntur discipulis prædixit: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur in manibus Seniorum, & Scribarum, & tradent eum Gentibus, & condemnabunt eum morte.* (Matt. 20. 18.) Ut ergo injustæ Judæorum turbæ appareret iniquitas, pax Jerosolymam introivit, quam ubi conspexere ipsius hostes, turbati sunt: pax enim hostibus & homicidis inimica est. Hi enim malis potius quam bonis operibus & fructibus pacis solent delectari. Illi vero postquam ipsum observavissent, ensibus armati subito in locum irruunt, ubi erat Jesus cum suis discipulis. Tum omnes circumspicientes, impuras manus in ipsum in primis injiciunt, cum adhuc essent cum eo discipuli. At ille homicidas pacifice his verbis alloquitur: *Si me quæritis, sinite hos abire.* Discipuli vero gravissima contuentes pericula, cum ipsis non adesset sancti Spiritus virtus, magistro ac Domino relicto, se in fugam dederunt. Illi vero Satanæ domestici, comprehenderunt Jesum, quem in Calvariæ locum duxerunt, ut eum ibi crucifigerent, quo facto omnia adimpleverunt quæ antea de illo scripta erant, suspensumque in cruce, veluti vitem in pedamento, fixerunt. (Psalm. 79. 11.) Ille autem solus in cruce relictus, duos vel tres palmites veluti habens, manus in transversum expandit, caput vero cum pectore & pedibus in rectum. Ceterum vero palmitum coma spoliatus, clavis & lancea vulneratus, sancto sanguine, scatebræ instar, lacrymari cœpit. Repente autem post triduum resurrexit, in nullo, quod antea erat, diminutus, sed majori potius cum gloria apparens, seque vitam esse cordibus discipulorum fidem faciens. Majore deinde quam antea producto numero, discipulorum nimirum turma, post resurrectionem, non in Judæa tantum, sed *extendit palmites suos usque ad mare, operuit montes umbra ejus, & arbusta cedros Dei.* Hæc de vera vite commentatio, prout potui, a me pie instituta est.

37. *Ar.* Valde bene ista se habere assentior. Jam mihi inquirendum superest de Spiritu sancto. Nam quod ad Filium spectat, confiteor & ego eum in omnibus Patri æqualem esse, nisi quod ille sit omnipotens. *Ath.* Nihil certe confessus es quod pietati sit consentaneum. *Ar.* Quare? *Ath.* Scilicet Filius suo Patri æqualis est, omniumque est Dominus, quibus ipsius Pater dominatur. *Ar.* Ego de omnipotentia loquor, non de eo quod his omnibus dominatur Filius, quibus Pater suus dominatur. *Ath.* Quid est, omnipotens? *Ar.* Is est qui omnia sub potestate habet. *Ath.* An non ergo Filius omnia secundum te sub potestate habet? *Ar.* Recte & id cum ceteris dixisti: omnia enim sub potestate habet Filius, idemque est omnipotens, ut & Pater. Nam cum una sit Patris & Filii divinitatis natura, una quoque est omnipotentia. Jam igitur de Spiritu sancto differamus: præsertim cum tu initio definieris ipsum esse Patri & Filio consubstantialem, quod ipse pernego, sanctarum Scripturarum auctoritate innixus, ex quibus habeo ipsum creatum esse: idque tibi paucis probo. (De Spiritus sancti divinitate.) Nempe Joannes asseverat omnia per Filium facta esse, quo quidem verbo Spiritum minime comprehendit, ipsum item a cælis a Patre ad Apostolos in auxilium missum esse: atqui id quod e loco ad locum transgreditur, transeuntis est naturæ. Unde evidens est creatæ ipsum esse naturæ, non autem increatæ, qualis illa est quæ beatæ illius naturæ Patris & Filii dicitur, quæque omnia continet, & ubique substantia præsens est; quemadmodum supra a te concessum est: in quo & me non tecum, sed cum veritate consentientem habuisti. Adde Deum ita per Prophetam loquutum esse: *Ego firmans tonitru & creans spiritum,* quibus non puto te posse contradicere. (Amos 4. 13.)

38. *Ath.* Scriptum est, *Estote sancti, quia ego Sanctus vos sanctificans.* (Levit. 11. 44. Ezech. 20. 12.) Rursus Salvator pro discipulorum sanctificatione Patrem sic alloquitur: *Pater, sanctifica eos in veritate tua.* (Joan. 17. 17.) Iterum de seipso ait Salvator, *Ego sum veritas.* (Joan. 14. 6.) Ex his igitur clarum est Patris & Filii divinitatem esse sanctam & sanctitatis effectricem, quæ nimirum illos omnes rationis participes sanctificat, qui ex libero arbitrio & diligentia digni habentur, qui sanctam & beatam essentiam in sanctificationis communionem suscipiant. Si igitur Spiritus sanctus non est substantiæ Patris & Filii, quare ipsum Dei Filius annumeravit in symbolo sanctificationis? Ait enim ad discipulos Dominus, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* (Matth. 28. 19.) Quod si omnes gentes, quæ credunt & sanctificantur, ter beatissima illa nomenclatura sanctificantur, evidens est Spiritum ad Patris & Filii divinitatem pertinere, cum ipsum substantia sit sanctum, & omnes sanctos efficiat, qui ad ejus communionem accedunt: quemadmodum Apostolus ad eos ait quos sic alloquitur: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu sancto ejus.* (1. Cor. 6. 11.) Qui si non est substantiæ Dei & Patris ac Filii, rursum interrogo, cur cum Patre & Filio sit numeratus, quasi scilicet, Patris & Filii divinitate non sufficiente ad Fidalium sanctificationem, Paracletum, Spiritum veritatis assumserit Deus in complementum sanctificationis, qui ipsius substantiæ non sit? Quod si admittatur, quomodo possumus dicere Numen nulla re egere, ex se perfectum esse, nihilque a quoquam mutuari, qui possit id, quo indiget, sibi subministrare.

39. *Ar.* Si Spiritus sempiternæ veritati esset consubstantialis, certe ubique secundum substantiam adesset, nec missus e loco in alium locum abiret. *Ath.* Sancti Angeli habent ne spiritum, an non? *Ar.* Certe habent. *Ath.* Semperne cum illis est, vel num ad tempus cum sanctis virtutibus erat Spiritus sanctus? An dices Angelos aliquando sanctos, & ali-

& aliquando non sanctos? Siquidem sancti Spiritus præsentia sancti illi sunt: eo autem absente, certum est sanctos illos non esse, juxta hanc Dei sen-
Genes. 6. 3. tentiam, *Non permanebit Spiritus meus cum hominibus generationis hujus, quia ipsi carnes sunt*. Ait quo-
Rom. 8. 9. que Paulus Apostolus, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Si igitur malarum actionum causa hæc est, quod scilicet Spiritus non sit cum peccantibus: ex eo quod Spiritus sanctus in aliquibus nec sit nec habitet, Christi non esse ostenditur. Quapropter Angeli peccati erunt ministri, nisi semper Spiritum sanctum habuerint. Quomodo ergo Dei gloriam sine fine contemplantur, nisi semper sint sancti, & Spiritus sancti participes? *Ar.* Sanctæ virtutes spiritum semper habent. *Ath.* Et sancti Patres qui a mundo condito placuerunt Deo, num secum habuere sanctum Spiritum & etiamnum habent, an non? *Ar.* Omnes sancti & habuere & habent Spiritum sanctum absque ulla separatione. *Ath.* Aderatne cum Apostolis Spiritus sanctus, cum essent in carne, annon? *Ar.* Nefas est dicere Spiritum sanctum cum Apostolis non fuisse. *Ath.* Simulne omnes profecti sunt ad prædicandum regnum cælorum, an in duodecim mundi partes dispersi sunt? *Ar.* A se invicem carne separati sunt, ut omnes gentes fidem Christi docerent. *Ath.* Itaque si cum Angelis est Spiritus sanctus, si item est cum sanctis Patrum animabus, quæ Deo placuerunt: si item aderat Apostolis a se invicem longis intervallis dissitis, ad annunciandum regnum cælorum: igitur omnia implet, præsensque est ubique secundum substantiam sicut Deus Pater, ita unigenitus ejus Filius.

40. *Ar.* dixit: Esto: ubique secundum substantiam præsens sit Spiritus sanctus: cur ergo Prophe-
Amos 4. 13. ta ex persona Dei ait, *Ego Dominus Deus vester, firmans tonitru, & creans spiritum*, nisi sit creata virtus? *Ath.* Semper ne creatur Spiritus sanctus secundum te, an semel duntaxat creatus est? *Ar.* Noli mihi quæstiones proponere, quæ rectæ mentis alienæ sint. Ego ante omnia sæcula creatum dico fuisse Spiritum. *Ath.* Propheta dixit, *creans*: quæ vox Prophetæ Deum semper creantem indicat. Igitur non de sancto Spiritu hanc vocem, *creans*, intelligit, sed de ventorum flatu, ad recreandam universam rerum creatarum naturam. Id autem tibi exploratissimum erit, si Propheta accepto, quæ sequuntur legas. Nam si, ut concessisti, ante omnia sæcula Spiritus creatus est; dixisset profecto, Ego Deus qui firmo tonitru & creavi Spiritum. Verum non ita loquutus est. *Ar.* Belle id
Joan. 1. 3. a te observatum est. Verum his verbis, *Omnia per ipsum facta sunt*, omnia prorsus comprehenduntur, veluti Spiritu cum omnibus collocato, etiamsi maxima fuerit virtus ad creandum. *Ath.* Num igitur putas universorum Dominum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, a creata natura comprehendi? *Ar.* Absit ut hæc umquam dicam. Nec enim ignoramus quod Sal-
Matth. 11. 27. vator dixerit, *Nemo cognoscit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius*. *Ath.* Est ne homo, qui foris & intus a proprio cognoscatur Spiritu, annon? *Ar.* Vox est Apostoli ajentis neminem ea quæ alterius sunt cognoscere, sed unumquemque tantum a
1. Cor. 2. 11. proprio cognosci Spiritu. Quis vero negare audebit ita se rem habere?

41. *Ath.* Quis ergo Dei profunda novit, creata ne natura, an increata substantia? An vero increatam substantiam a creata comprehendi dices? Quod si ab increata comprehendi respondeas, restat igitur ut confitearis Spiritum sanctum Patri & Filio esse consubstantialem. Omnia enim quæ Dei sunt & ipsa profunda scit Spiritus sanctus juxta beatum Paulum ajentem:
1. Cor. 2. 11. *Nemo hominum novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: sic etiam nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. *Ar.* Omnia quæ Dei sunt, quæ ipsi placuerit, novit Spiritus, scilicet, consilia quæ ei manifesta fecerit Deus. *Ath.* Nihil igitur singulare tribuis Spiritui supra genus hominum. Siquidem non faciet
Amos 3. 7. quidpiam Deus, nisi revelaverit servis suis Prophetis. *Ar.* An non tibi videtur *omnia Dei*, esse ejus consilia? *Ath.* Dicuntur *omnia Dei*, cum ejus effectus & opera visibilia & invisibilia, tum ejus consilia, multaque sunt quæ Dei appellantur. Nunc mihi igitur velim dicas, num spiritu hominis, homo revelet propria, vel num spiritus hominis, qui in ipso est, omnia ex se ipso noverit quæ ab homine aguntur, ipso videlicet spiritu hominem ad omnia agenda movente? *Ar.* Ex se ipso novit spiritus hominis, quæ in ipso sunt homine. *Ath.* Itaque concedis spiritum hominis omnia ex seipso cognoscere. Hanc autem cognitionem Spiritui Dei denegas? Præterea dic mihi quid *profunda Dei* esse intelligas? *Ar.* Primo sincere fatendum est omnia quæ Dei sunt Spiritum Dei ex se ipso cognoscere: deinde dicendum est *profunda Dei*, esse & quod infinitus sit & incomprehensus, quod item est & quemadmodum est Deus: hæc illum nosse dico. *Ath.* Si igitur hæc dicis esse, quod infinitus sit & incomprehensus, quod item est & quemadmodum est: Deum utique dices a creata natura comprehendi. Quod si verum est, non amplius secundum te Deus erit incomprehensus. Namque si Deus ab aliqua creata natura, quælibet illa fuerit, comprehenditur, certe incomprehensus dici non potest. *Ar.* Profer mihi testimonium ex sanctis Scripturis, quemadmodum de Filio fecisti, quo ostendas Spiritum Deo esse consubstantialem.

42. *Ath.* Scriptum est in lege Dei: *Non assumes no-* Exodi 20. 7.
men Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra. Scriptum quoque de Spiritu reperimus Salvatoris testimonium. Sic enim ad filios Beelzebul loquitur, qui ipsum contumelia volebant afficere: *Omne* Matth. 12. 25.
regnum in se divisum desolatur, & omnis civitas vel domus in se divisa, cadit. Et si Satanas Satanam ejicit, & adversum se insurrexit & divisus est, quomodo ergo stabit regnum ejus? Aut quomodo potest quisquam vasa fortis diripere, nisi prius domum ingressus, fortem ligaverit, & postea domum ejus diripuerit? Et si ego in Beelzebul ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Et paulopost subjicit: *Ideo dico vobis, Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro*. Vides hic & in futuro sæculo spiritum esse æqualem Deo? Ut enim qui in Deum Patrem profert blasphemiam non insons habebitur, sed æterni supplicii reus erit: sic & ille qui in Spiritum sanctum protulerit blasphemiam, æterni peccati reus fiet, nec ea culpa ipsi condonabitur. Nam si servus esset, nequaquam is, qui eum offenderet, æterno puniretur supplicio, ut ille qui in increatam Dei majestatem blasphemiam profert. Quem vero hic Dei Filius Spiritum Dei dicit, quidam e Christi discipulis de eodem loquens, Digitum Dei appellavit. * Recogitare velis quæ de Filio in itinere disputata sunt, invenies que æternam sancti Spiritus virtutem consubstantialem esse Patri, eo quod

* Hunc locum sic vertit Nannius: *Fac ut enim repetas inquisitionem de Filio in Exodo habitam, & invenies, &c.*

digitus dictus ipse fuerit. Certe cum magi in Ægypto vim invictam sancti Spiritus contuiti essent, Exodi 8. 19. exclamaverunt in hæc verba: *Hic digitus Dei est*. Quibus verbis, *digitus Dei*, nihil aliud agnoscebant quam consubstantialem Deo Patri sancti Spiritus virtutem, contra quam nemo est qui possit obtueri. Ne vero quis captiose velit contendere, non recte id a Magis dictum esse; Apostoli, immo ipse Dominus qui in illis erat, quæ dixerunt illi, tanquam recte dicta confirmavit hujusmodi verbis: Lucæ 11. 20. *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia*.

43. *Ar.* Ubinam scriptum est Spiritum esse Deum? *Ath.* Ubique divinæ Scripturæ prædicant Deum esse Spiritum sanctum, nec separatum esse a Dei & Patris & Unigeniti gloria. Sic enim Petrus in Actibus lo- Act. 5. 4. quitur ad Ananiam: *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem, mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Vides quomodo quem antea Spiritum sanctum dixerat, eumdem postea Deum appellet? Sic item beatus Paulus Epistola se- 2. Thess. 3. 5. cunda ad Thessalonicenses scribit: *Dominus autem dirigat corda vestra in caritatem Dei & patientiam Christi*. Quem vis hac in Epistola intelligere? Quem Dominum appellatum putas? Deum ne Patrem rerum omnium dominum, an Spiritum sanctum? Nam Christum ibidem nominavit. Si enim priore in loco Patrem intelligas, Deus certe est Spiritus sanctus: sin Spiritum sanctum ibi velis significari, ipse ergo Dominus est: quod si Dominus est, Deus Exodi 20. 2. profecto est. Scriptum enim est, *Ego sum Dominus Deus tuus*. Inquire porro, & ubique scriptum invenies eamdem vim Spiritus sancti esse, nec a Patris & Filii gloria esse disjunctum. *Ar.* Cur ergo nusquam ait Scriptura Spiritum cum Patre & Filio honorari? *Ath.* Sanctæ Scripturæ omnia aperte loquuntur: quod autem ad præsentem spectat quæstionem, omnes sanctæ virtutes, quæ in cælis sunt, sanctum Spiritum, ut docet Esaias, cum Patre & Filio indesinenter honorant. *Ar.* Nusquam scriptum est Spiritum sanctum cum Patre & Filio honorari.

44. *Ath.* Erras. Cum vidisset Esaias Domini gloriam, & sanctarum Virtutum exercitus, quid ait illas, inter divinas laudes, dicere? Nonne, Esaiæ 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Quare nec numerum istum in cantando transcendunt, nec quid ex eo detrahunt? Profecto ea de causa quod præter Trinitatem nefas sit quemquam hujusmodi honore affici, ut & quid ex illo hymno detrahi, propter sanctam & beatam Trinitatis divinitatem, in unitate seipsa contentam. Quam item ob causam Moyses populum docuit, cervicem & genua ter in terra flectendo, adorare? Nonne ut Trinitatem in una divinitate adorarent? Deifer quoque Helias terno afflatu fi- 3. Reg. 17. 21. lium viduæ a mortuis excitavit, nihil aliud indicans, quam neminem posse æterna vita dignum æstimari, nisi quis primum æqualem, consubstantialem vivificamque Trinitatem in anima per venerandam admodum fidem receperit, quæ, ignis instar, mortua omnia peccata, quæ animam interimunt, consumit, ipsamque vivificat, quæ æternam vitam nacta est? Quin etiam nec aliter potuerit Christifer Paulus ad tertium usque cælum ascendere; nisi suo in pectore retinuisset indeficientem & consubstantialem Trinitatis fidem. Scilicet hujusmodi exemplo indicare voluit Deus neminem in regnum cælorum posse pervenire, nisi qui eam amplexus fuerit fidem, quæ in Paulo habitavit. Quid vero loquar de vivifico & sanctificante ac peccatorum remissionem præbente lavacro, sine quo nemo videbit regnum cælorum? An non in ter beatissima nomenclatura fidelibus datur? Adde his omnibus quod ait Joannes, *Et hi tres unum sunt*. 1. Joan. 5. 15.

45. *Ar.* Vere beati omnes qui fidem istam habent, eamque ad mortem usque confitentur, & dignam ipsa vitam agunt. Ego enim nunc revixi, ex mortuis excitatus. Mortua siquidem res est error, eum, quem occupat occidens, animamque ejus, qui cum illo ambulat, ita afficit ut impudicitiis inquinetur, efficitque ne signa æternæ vitæ, quæ ante Locus obscurus. oculos exstant, homo cognoscat; unde futurum esset ut nec mortem desererem, nec ad fidem vivificam accederem. Cum enim homo sit unus, unam debere habet fidem æternæ & consubstantialis Trinitatis. In illa enim infidelitate ex qua me Deus eripuit, non una fides, sed tres prædicantur, una nempe de Patre æterno, alia de Filio creato, tertia de Spiritu facto. Ex quibus manifestum est nullam omnino illic fidem esse ex multis. Quocirca gratias ago sanctæ Trinitati, Patrem, Filium & Spiritum sanctum adoro. Jam ergo, carissime, simul oremus. Ego enim deposita omnia erroris indumenta, Dei misericordia, abjeci.

46. *Ath.* Gestas adhuc erroris indumentum: sed si grati animi es, id cum ceteris apostasiæ rebus projicies, tuncque simul orare poterimus. *Ar.* Nisi id mihi liquidissime declaraveris, non mihi conscius sum quicquam furiosæ illius hæresis retinere. *Ath.* An non tibi videtur Cleri, ut vocant, dignitas, quæ tibi ab hæresi data est, esse pars erroris, idque speciem quidem pietatis foris præ se ferre, intus autem plenum esse impietatis, ita ut homo Gigantæi spiritus fiat instrumentum, parati ab bellum adversus Deum sacrilegio suscipiendum? *Ar.* Tibi in præsentia profiteor, quod non acquiescet animus, nisi istam vanæ gloriæ tyrannidem diligenter ex anima mea ejecerim. *Ath.* Itaque si erroris partes cum virtute consentire non queunt, multo magis virtutis & veritatis partes cum erroris partibus convenire non possunt. Mendacium enim adversatur veritati, & veritas mendacio. Nam utrumque illorum ex fructu cognoscitur, quemadmodum dixit veritas.

Completa est cum Deo, Sancti Athanasii adversus Arium disputatio.

IN SEQUENS OPUSCULUM

ADMONITIO.

I. SERMO *contra omnes hæreses habetur in antiquis Codicibus, & in Athanasianis collectionibus, sed in plerisque cum nota abjudicati Athanasio opusculi. Sic in Segueriano Codice legitur ad marginem*, ξένος ἢ χυδαῖος, *supplo* λόγος, *id est*, Liber extraneus & fusiore stylo descriptus. *Quid in Commelinianis Codicibus notetur accurate explicat Felckmannus, his verbis:* Exstat hic in Codicibus Basiliensi, Gobleriano, & 1. Ceterum ad initium ejus hæc notata in Basil. ἄρας μὴ γράψῃς. Quæ quid sibi velint nescio: (*imo hæc plana & aperta sunt, significantque*: hunc relinquito nec describas) nisi forte idem quod Romanus Anagnostes, similiter ad ejus initium, in Codice Gobleriano his verbis: ὅτι ὁ λόγος ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐ τοῦ μεγάλου πατρὸς Ἀθανασίου ἐστὶν, ἀλλὰ ξένος, ὡς ἐ χυδαῖος, εἰς τὰ πλῆθη. (*id est*, Hic

sermo, ut mihi quidem videtur, nequaquam est magni Patris Athanasii, sed alienus, atque ut plerimum, fusiore stylo descriptus.) Hæc ibi. Quibus similia ad eumdem in Basil. Cod. statim initio, ubi præmittitur catalogus librorum in eo contentorum, hæc: *ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου, τοῦτο ἐπιγραφὴ ἄνωθεν τῷ παρόντι λόγῳ, ἔχουσα οὕτως· ὁ παρὼν λόγος οὐκ ἔστι τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου· ἀλλὰ ξένος καὶ χυδαῖος. ἡμεῖς δὲ πρόσταγμα πληροῦντες μετεγράψαμεν καὶ τοῦτον.* (*id est*, In libro Monasterii sancti Athanasii, huic libro hæc præponitur inscriptio: Hic liber non est magni Athanasii, sed spurius, & fusiore stylo conscriptus. At nos ut jussa compleremus, eum quoque transcripsimus.) Quæ postrema videntur esse τῷ Δοξαπάτρῃ verba, excusantis se cur hunc sermonem descripserit, cum sit spurius, & ad ejus frontispicium sit notatum ne describatur. *Hæc Felckmannus, cujus locis Græce tantum allatis, Latinam significationem nos adjecimus.*

II. *Porro ex hisce Codicum notulis palam est jamdiu hunc librum inter Athanasiana comparere, cum in iis Codicibus, ex quibus Commelianorum antiquissimi transcripti sunt cum Athanasii operibus, locum habuerit. Orationis autem genus, ut monent amanuenses, multum abhorret a sancti Doctoris stylo, quod nemo sane non videat. Patet tamen ex Athanasii operibus expressum opusculum fuisse; in eo quippe eædem hæreses impugnantur, quas in variis Athanasii operum locis confutatas videmus, quarum nonnullas ex παρέργῳ tantum sanctus Doctor aggressus est. Hic primo loco Ariani exagitantur, quos item peiores Athanasius adortus est; postremo, Apollinaristæ, qui postremi ab Athanasio confutantur. Hic Pneumatomachi, vocantur Tropici, quam vocem nusquam memini me hac sententia legisse, nisi apud Athanasium in Epistolis ad Serapionem. Eadem quoque in hoc opere adversus hæreticos usurpantur argumenta, quæ ab Athanasio. Ceterum qui hic confutantur hæretici, hi sunt: Ariani, Tropici, Paulus Samosatensis, Manichæi, Marcion, Valentinus, Basilides, Hieracas, Novatus, Phryges, Apollinaristæ, de quibus omnibus agitur in præfatione generali.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Contra omnes Hæreses.

Joan. 1. 1. 1. QUOD proponitur ex Euangelio secundum Joannem tale est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Singuli Sanctorum Prophetarum & Euangelistarum cum perspicaces essent, & Spiritu sancto afflati, magnam sanctamque salutem enarrant hominum generi futuram. Sed dixerit aliquis, Quomodo? interpretare nobis. Audi, dilecte. Prophetæ, (uti supra dixi) perspicaces cum sint, ante tot generationes, quæ futura sunt prænuntiant, clareque futura exhibent, quasi præsentia essent. Itidemque magni Euangelistæ, quæ de adventu Verbi a Prophetis prædicta fuere, singuli confirmant, allegata illa prænunciatione. Exempli causa: magnus Esaias Propheta ait: Esai. 53. 7. *Quasi ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperit os suum. Et in humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? Vibice ejus nos omnes sanati sumus.* Cum advenisset autem qui prænuntiatus fuerat, eumque prætereuntem conspexisset magnus Joannes Baptista, illud implens quod prædictum fuit per Esajam Prophetam, dicit: Joan. 1. 29. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* En tibi Prophetæ vocem confirmat magnus Baptista. Similiter sacrorum ille antistes Moses de ejusmodi vibice, per quem universum humanum genus salutem consequuturus erat, quid ait? Galat. 3. 13. *Maledictus omnis qui pendet in ligno:* ac rursum: Deut. 28. 66. *Videbitis vitam vestram suspensam in ligno.* Non posuit primo loco vitam, deinde maledictionem; sed primo maledictionem, postea vitam. Decuit enim primo Chirographum affigi cruci, & latus Verbi lancea perforari, ut livor in perfossione, expiatio foret mundo: sanguis & aqua, humano generi.

2. Miseri ingrati illi Judæi, qui tot tantisque signis ac beneficiis sibi collatis, nedum illum qui apud se peregrinatus esset, laudarent ac benedicerent ob res gestas, ex adverso dicebant: Mat. 27. 40. *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Atque sol interim contractis A radiis, non sustinuit videre suspensum in cruce Dominum. Duo quoque latrones cum eo suspensi erant, quorum altero exsecrante, ait alter latro: Mat. 27. 44 *Quid exsecraris justum? nos secundum scelera nostra patimur. Et quid tibi & justo illi?* Dixit autem Jesu: Luc. 23. 42. *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* Cui Jesus: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* O rem magnam! suspenso maledicto, aperuit latroni paradisum in promissione. O felicem latronem! in mundo rapuit latrocinando, regnum cælorum rapuit confitendo. De illo magnus ait Propheta: Habac. 2. 11. *Et scarabæus* B *ex ligno vociferabitur.* Nostis, fratres, scarabæum immundum circa immunda versari; ita quoque latro in latrociniis versatus est; in cruce autem confessus est, quemadmodum superius dixi, atque in illo impletur hæc prophetia: *Et scarabæus ex* Ibid. *ligno vociferatur.* Vociferatus autem dignus habitus est qui regnum cælorum proriperet. Ait rursum ipse Esaias magnus Propheta, perspicue loquens, ac si præsens fuisset: Esai. 7. 14. *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel;* quod est interpretatum, *Nobiscum Deus.* Cum C igitur instaret tempus ut Prophetæ prædictio impleretur, mittitur magnus Archangelus Gabriel, qui stat ad dexteram majestatis, qui nuntiaret immaculatæ Deiparæ, & nullius thorum expertæ Mariæ, his verbis: Luc. 1. 28. *Ave gratia plena, Dominus tecum;* Dominum dicens, communem herum indicat, se conservum esse fassus. Ibid. 1. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascitur ex te sanctum vocabitur.* Merito, dilecti, sanctum vocatur templum ejus qui totum orbem sanctificaturus est. Rursum ait idem Propheta: Esai. 9. 6. *Parvulus natus est nobis, & fi-* D *lius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus. Et vocatur nomen ejus, magni consilii Angelus.*

3. His itaque impletis, ait magnus Euangelista Joannes filius tonitrui: Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc*

erat

erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta A *sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si per ipsum omnia facta sunt: ergo ipse est extra res quæ factæ sunt, manifestumque est, ipsum in Patre semper fuisse. Adversus Arianos. Miseri Judæi novi Ariomanitæ, qui neque recte legunt, neque accurate perscrutantur, quod cæcatos habeant mentis oculos, rati omnium creatorem & opificem, esse creaturam. Audite illud magni Euangelistæ: Joan. 1. 1. *In principio.* O Christi inimice Ariane, si dixisset: In principio factum est: cum obtentu quodam diceres: Euangelista dixit: In principio factum est. At cum dixerit: *In principio erat*, quære diligenter, & deprehendes veritatem: hinc sciscitare B ex magno Euangelista his verbis: O Euangelista, dic nobis quod opus principii & veri Dei Verbi: siquidem Christi adversarii Ariani, arbitrantur Creatorem omnium, esse creaturam; statim respondebit magnus ille Euangelista: Lege conditi mundi originem in Genesi, quæ sic habet: Genes. 1. 1. *In principio fecit Deus cælum & terram.* Sint itaque ea quæ non sunt, ut sint ea quæ futura sunt. Erat Deus Verbum apud Patrem, per quem omnia facta sunt. Pulchre igitur Euangelista ait: Joan. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce tertio, *erat*, nusquam, *non erat.* Magnus porro Archangelus Gabriel, cum ad im- C maculatam & intactam Deiparam dixit: Luc. 1. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*; non dixit Spiritus sanctus fiet in te, aut virtus efficietur in te; sed *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hoc beatus Apostolus his verbis indicavit: 1. Cor. 1. 24. *Christus Dei virtus, & Dei sapientia.* Sed ad hæc dicet Ariomanita; quare igitur Parœmiastes ait: Prov. 8. 22. *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua.* O impiissime! an non audisti Angelum Virgini dicentem: Quod nascitur ex te, Sanctum vocabitur? Vides quod de negotio Incarnationis D verba faciat. Cum autem inveteratum esset sex dierum opus, in prævaricatione patris prosapiæ nostræ Adami, in mortemque delapsum esset nostrum genus, placuit Deo ad nos mittere proprium Filium Deum Verbum, atque assumere, uti supra dixi, ex intacta Virgine templum, hoc est, hominem. Aitque beatus Apostolus Paulus: Placuit Deo in mundum mittere Filium suum natum ex muliere. Viden' eum loqui de Incarnatione?

4. Sin velis audire de indivisa & una deitate, ausculta hæc Pauli verba: Hebr. 1. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus*: & rursum: Phil. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se* E *æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Vides, ejusmodi voces Incarnationem spectare. Quin & ipse Dominus authentica voce ait: Joan. 14. 10. *Ego in Patre, & Pater in me:* rursumque Philippo: Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Et per magnum Prophetam ait: Malach. 3. 6. *Videte me, quia ego sum & non mutor.* Rursumque ait: Joan. 16. 28. *Ego ex Patre exivi & venio.* Ac per Hieremiam ait Pater: Hier. 2. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquam sibi congregare non poterunt.* Nequaquam hesterna die fons, hodie aqua: absit. Semper fons, semper aqua. Miseri ingrati illi Ariomanitæ, quibus F melior deprehensus est ipse Nabuchodonosor, qui se deum arbitratus, constitutaque sibi Babylone imagine, atque projectis in caminum ignis Anania, Azaria, & Misaele; cum verbum rorificum in medio eorum factum esset, excussissetque ignem, dum hymnos illi canerent; veniens, inquam, ipse Nabuchodonosor, atque videns illos canentes, ait pueris suis: Dan. 3. 91. *Nonne viros tres conjecimus in caminum?* Responderunt illi: *Ita est, o Rex.* Et dixit ad illos: *Ecce video ego viros quatuor, & quartus similis Filio Dei.* O Nabuchodonosor, qui ta ipsum Deum A effecisti, unde nosti esse similem Filio Dei? Statim ille responderit, Quia ipse me stimulavit ut hæc dicerem. Melior itaque deprehensus est Nabuchodonosor impiis illis, qui neque similem, neque consubstantialem dicunt Filium. Dicite impiis, ne blasphement, sed cum benedictione Verbum vere Deum adorent in spiritu, si forte remittatur impietas blasphemiæ eorum.

5. His igitur relegatis & abjectis ex divino choro, loquamur ad illorum fratres Pneumatomachos, seu Tropicos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creatum. Adversus Pneumatomachos seu Tropicos. O Tropice, non audisti Da- B videm dicentem: Psalm. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum?* Ecce Trinitatem indivisibilem. Et rursum in mundi opificio magnus ille famulus Moyses, sic loquitur: Genes. 1. 1. *In principio fecit Deus cælum & terram, terra autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Similiter magnus Paulus ait: Galat. 4. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater.* Et ipse Pater per magnum Prophetam ait: Joel. 2. 28. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt.* Ipseque Dominus qui ve- C nit salvum facere genus humanum, authentica voce ait: Joan. 14. 10. *Ego in Patre & Pater in me;* &, Joan. 14. 6. & 18. *Ego sum veritas:* &, *Si abiero ad Patrem meum, non relinquam vos orphanos: sed mittam vobis Paracletum Spiritum veritatis.* Ecce Spiritum in veritate, veritatem in Patre. Ecce Trinitatem indivisibilem, triplicatum vinculum, quo manipulos constringentes, offerimus Patri. Dispereant itaque & hi homines cum Ariomanitis.

6. Jam loquamur adversus infelicissimum Paulum Samosatensem, qui ait, Dominum ex quo prodiit ex Adversus Paulum Samosatensem. D intacta Virgine, ex eo tempore fuisse Filium. Amens, non audisti ipsum Dominum dicentem ad Judæos: Joan. 8. 56. *Pater vester Abraham exsultavit ut videret diem meum, & vidit gavisusque est:* Respondentibusque Domino ingratis Judæis: Ibid. *Quadraginta annos nondum habes, & dicis te Abraham vidisse?* Respondit illis & ait: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.* Si antequam Abraham fieret ipse est, qua ratione tu dicis, illum post carnalem suum adventum Filium factum fuisse? Annon audisti in Parœmiaste, quomodo ipsa Sapientia loquatur: Prov. 8. 30. *Ego eram qua gaudebat, quotidie lætabar ante faciem e-* E *jus*, cum conderet orbem aderam ipsi? Rursumque ait magnus ille Parœmiastes: Prov. 3. 19. *Deus sapientia fundavit terram.* Viden' semper illum in Patre esse? Et magnus Apostolus: 1. Cor. 1. 24. *Christus Dei virtus & Dei sapientia.* Quid ad hæc respondet insanus Samosatensis? Ipse quoque divinum hoc merum in aquam convertens, cum bibisset, aqua intercute distentus cum Arianis interiit.

7. Jam verba faciamus adversus impiissimos Manichæos malorum fæces. Adversus Manichæos. O impiissimi Manichæl, dicitis duas esse substantias, boni scilicet & mali? Dicitis, inquam, malum pugnare voluisse cum bono, ut F partem quamdam sibi sumeret: bonum vero, cum utpote bonum, pugnare nollet, partem quamdam malo sponte cessisse; ita ut pars una malo cum dimidio cederet, dimidium tantum partis alterius bono obveniret. Tum pœnitentia ductum bonum se se ad bellum instruxisse, atque mali speciem induisse. Verum, o impiissime Manichæe, cum integrum esset bonum, ais noluisse pugnare, ubi vero ad dimidiam partem, ut ais, redactum est, ad bellum processit. Eo spectat, ait impiissimus Manichæus, illud: Luc. 19. 10. *Veni quærere quod perierat.* O ingentem stultitiam! Ecquodnam jam boni indicium? cum maxime tu dicas, i-

ipsum

psum mali induiſſe ſpeciem. Ut ſi pictor quiſpiam pa-
tris-familias uxorem feſtinanter indecentique forma
depingat in imagine, tum pater-familias prætereun-
do, indecenti forma uxorem videat, nonne ira fu-
roreque percitus, pictorem qui hoc auſus fuit de me-
dio tollet? Quanto magis eum qui ait bonum, mali
ſpeciem aſſumſiſſe? Id igitur cujus ſpecie quis uti-
tur, utente eſt præſtantius. Hi ſtultorum impiorum-
que hom n ſunt auſus. O impiiſſime & malorum
fæces, ! .æe, an non audiſti Matthæum de in-
Matth. 1. 1. carnation .ucentem: *Liber generationis Jeſu Chriſti
filii David, filii Abraham?* At reſpondet: non ad-
mitto vetus Teſtameotum. Reponam ego, Ecquid
eſt quod non admittis vetus Teſtamentum? An non
audiſti Dominum dicentem impiiſſimis & ingratis
Joan. 5. 46. Judæis: *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi, quia
Moyſes de me loquutus eſt?* Quid loquutus eſt Do-
Deut. 18. 15. mine? *Prophetam excitabit vobis Dominus de fratri-
bus veſtris ſicut me.* Hunc Prophetam confitebatur
Joan. 4. 19. beata Samaritana cum diceret: *Domine, ut video, Pro-
pheta es tu.* Si & hominem & Dominum & Prophe-
tam confitebatur beata Samaritana: Ecce ubique
lex & ſacri magnique Prophetæ confitentur. Quo-
modo botrus poteſt abſque vite eſſe? Quomodo con-
firmari poteſt totum negotium & futura mundi
ſalus? Confitebuotur indices illi magni Prophetæ,
& lex; cum maxime Dominus ipſe dicat: *Lex &
Luc. 16. 16. Prophetæ uſque ad Joannem.* Et rurſum: *Non ve-
Matth. 5. 17. ni ſolvere Legem aut Prophetas, ſed adimplere.* O
fæces omnium hæreſum! Sufficit illis nomen ad
fidem ſuam. De his ait magnus Pſalmiſta David:
Pſalm. 13. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Corrupti
ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis*, cum
non confiteantur & ipſi carnalem adventum, ſed
phantaſiam eſſe exiſtiment, cum tamen Dominus
Joan. 8. 40. ad Judæos dicat: *Quid me quæritis interficere
hominem, qui veritatem loquutus ſum vobis?* Rur-
ſumque dixerit ad miniſtrum qui alapam ſibi
Joan. 18. 23. inflixerat: *Si male loquutus ſum, teſtimonium per-
hibe de malo, ſi autem bene, quid me cædis?* An
poteſt phantaſia cædi, aut affigi cruci? Nonne
corpus id erat? Et quomodo dicit quod phanta-
ſia eſſet? Et hi quoque una evaneſcant, qui ar-
bitrantur divinum illud merum noo eſſe mix-
tum, & meotis ſtupore perculſi pereant.

Adverſus Marcionem, Valentinum & Baſilidem. 8. Aggrediamur jam Marcionem, Valeotinum
& Baſilidem, qui ait, Dominum, quaſi aquam
per canalem, traoſiiſſe per illibatam & intactam
Mariam. O impiiſſimi! non audiſtis magnum Ar-
changelum Gabrielem hæc loquentem, ad immacu-
Luc. 1. 28. latam Virginem Mariam: *Ave gratia plena, Domi-
nus tecum. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus
Altiſſimi obumbrabit tibi. Quod enim ex te naſcitur,
Sanctum vocabitur.* Si dixiſſet, per te, veriſimilem
haberent impudentiæ occaſionem: cum autem dixe-
rit, *ex te*, declarat Deum Verbum ex illa templum
ſuum, ſcilicet hominem, accepiſſe. Et hi igitur ex-
plodantur, cum novis hiſce Judæis, ſeu Ariomani-
tis, inimicis Chriſti.

Adverſus Hieracam. 9. Similiter inſanum & infeliciſſimum Hieracam
alloquamur, qui virginitatem extollere, nuptiaſque
aſpernari voluit. O Hieraca, aliquid dicamus ex le-
ge ſumtum. Deus, Verbum Patris, in Paradiſo du-
xit Evam ad Adamum. Sed quare dicis: Vetus Te-
Joan. 2. 1. ſtamentum non admitto? Eſto: annon in Euangelio
audiſti: tertia die recubuiſſe Dominum in Cana Ga-
lilææ ad nuptias, & deficiente vino, aquam mutaſſe
in vinum? ac rurſum Judæis diceotibus ad eum: *Moy-
Matth. 19. 7. ſes dedit nobis libellum repudii*, quid ad eos Dominus?
Moyſes, inquit, *dedit vobis libellum repudii ad duritiam
Matth. 19. 6. cordis veſtri*; ſcriptum eſt enim: *Quæ Deus conjunxit,*

A *homo non ſeparet.* Deinde quomodo poteſt ramus conſi-
ſtere, ſi non ſubſiſtit radix? Quomodo poteſt virgo
eſſe, ſi oon habeat patrem & matrem? Et iſti cum
ſodalibus ſuis in perniciem abeant.

10. Ad Novatum jam loquamur, qui ſe ſe pu- *Adverſus Novatum.*
rum ait, & pœnitentiam tollere curat. Cum ſis
cœno repletus & fœtore, noo audiſti benigniſ-
ſimum Deum, per magnum illum Prophetam
ſic loquentem: *Nolo mortem peccatoris, ſed* *Ezech. 18. 31.*
pœnitentiam? Rurſumque magnus Job: *Ne-* *Job. 14. 4.*
*mo mundus a ſorde, nec ſi unius diei ſit vi-
ta ejus ſuper terram.* Atque iterum diſcipulis
B Dominum rogantibus, *Quoties peccanti veniam da-
bimus? an uſque ſepties?* Ait Dominus ad eos: *Mat. 18. 22.*
Non, ſed uſque ſeptuagies ſepties. Multis vicibus
revoluta, ac redintegrata promiſſione, æternum
durat pœnitentiæ tempus. Non quo his audi-
tis, in peccatis permaneamus, abſit; ſed ut de-
claretur booi & hominum amantiſſimi, univer-
ſorum Dei clementia: qui rurſum per magnum
Eſaiam, hæc Jeroſolymæ denuntiat, atque his
utitur verbis: *Audi cælum, & auribus percipe
terra: Filios genui & exaltavi, ipſi autem ſpre-* *Eſai. 1. 2.*
verunt me, &c. Noſtis fratres. Et poſt tantam
C ejus comminationem, addit: *Lavamini, mundi eſto-
te: auferte malignitates ab animabus veſtris.* O ma- *Eſai. 1. 16.*
gnam bonitatem! Rurſum alloquente Petro, cum
interrogavit diſcipulos dicens: *Quem me dicunt
eſſe homines?* Reſpondent: *Alii dicunt te Heliam* *Mat. 16. 13.*
eſſe: alii, Prophetam. Tum dicente illo: *Vos au-
tem quem me eſſe dicitis?* Et reſpondens Petrus
dixit: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*, qui ve-
oiſti in mundum: ſtatimque dixit illi Dominus:
*Beatus es, Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non
revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Tu
es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam
meam. Tibi dabo claves regni cælorum: & quæcum-
D que ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cæ-
lis.* Et cum tot tantaſque promiſſiones accepiſſet,
dixit Domino: *Sequar te quocumque ieris, & ani-
mam meam ponam pro te.* Statimque dixit illi Do-
minus: *Amen dico tibi, hodie antequam gallus cantet,* *Luc. 22. 34.*
ter me negabis. Et Domino io domum Caiphæ abre-
pto, ubi totum coocilium cum Caipha aderat; Pe-
trus ſtabat ad oſtium: quem ut vidit puer, ait illi:
Nonne cum eo es? Reſpondit illi Petrus: Non ſum.
Rurſum ſciſcitante ex eo ancilla: Nonne tu ex Ga-
lilæis es? Reſpondit & dixit: Non ſum. Interrogan-
te autem miniſtro, negavit ille, & ſtatim gallus can-
E tavit. Et converſus univerſarum rerum Dominus,
conſideravit Petrum: flevitque Petrus, lacrymiſque
abluit abnegationem in ſua pœnitentia. Rurſum ſan-
ctus Propheta ait: *Aſtra autem non ſunt pura in* *Job. 15. 15.*
conſpectu ejus. Si aſtra non ſunt pura, quid eſt
quod tu, purum, miſericordem & clementem
Deum, durum & immitem dicis? Et hic quo-
que rejiciatur cum aliis hæreſiarchis.

10. Jam loquamur adverſus miſerum Phry- *Adverſus Cataphrygas.*
gem, qui ait, poſt adventum Salvatoris, adve-
niſſe Montanum & Priſcillam. Hæc ſuot anicu-
larum deliramenta, qoi fieri poteſt ut poſt adventum
F Salvatoris Propheta rurſum adveniat? Non audiſti,
legem & Prophetas fore uſque ad Joannem? Audi tu,
popule Domini. Sicut Rex in quamdam urbem con-
ceſſurus, nuntios præmittit, qui indicent quo ſit cul-
tu adventurus. Cum autem eo advenerit, & no-
rint cives ejus adventum, ut indicatus fuerat;
adorant ipſum, quio jam ulla ſit indicantis ope-
ra, cum eum propriis jam oculis conſpiciant.
Jam ſi quis io ea ipſa orbe dixerit, adventurum
Regem eſſe, nonne in eum conſpuereot oppidani,

dicerentque: Nos vidimus illum nobiscumque habemus, & quare tu dicis, exsistere alium? Et hi quoque cum hæresibus aliis pessum eant.

Adversus Apollinaristas. 11. Novam nunc hæresin quę ex Syria in Ægyptum emanavit, alloquamur; Apollinaristas nempe: novam quippe doctrinam adtulit Apollinarius, qui ait: Corpus duntaxat assumsisse Deum, ex intemerata & semper Virgine Maria, ipsumque Deum Verbum animæ vicem supplere. O Imperfectissime animaque carens! Cum perfectus homo mandatum prævaricatus, ideoque ex Paradiso pulsus, atque in mortem delapsus fuerit: ergo ex parte tantum hominem salvum fecit. Ecqua ratione redimi potuit anima? Non audisti magnum illum Prophetam Esaiam, hæc adversus tuam

Esai. 9. 6. impietatem prædicantem: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, & vocabunt nomen ejus, Magni consilii Angelus.* Non dixit: Caro & non puer filiusque natus est. Scito, o imprudens homo, eum puerum ait, perfectum hominem significare. Exhibito igitur integro homine, magnus ille Euangelista Joannes, filius tonitrui

Joan. 1. 1. simplici voce ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine*

Joan. 12. 27. *ipso factum est nihil.* Et ipse Dominus ait: *Nunc anima mea turbata est.* Ad quem hæc vox pertinet? an ad Deum Verbum? Apage. Num Verbum Deus, imperturbatus, qui venit ad sedandam perturbationem, eam ediderit vocem? At fortassis dicere malueris, id a corpore dictum fuisse: sed hallucinaris: nam corpus per sese immobile est, nisi in eo fuerit anima. Annon au-

Exod. 33. 18. disti dicentem Moysem: *Ostende mihi teipsum?* qui statim audivit: *Nemo videbit faciem meam & vivet.* Postquam autem repositum fuisset corpus in monumento cum aliis corporibus, quo pacto descenderit deitas nuda in infernum, ut redimeret animas? Potius ad perdendas, quam ad redimendas descendisset. Nemo quippe poterat deitatem videre nudam & salvari. Anima itaque fuit opus; ut possent in anima redimi animæ.

Rursum ait ipse Dominus: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus. Ego sum pastor bonus.* Et iterum ait: Joan. 10. 11.
Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Iterumque Angelus in Ægypto Josephum Joan. 10. 18.
oraculo monuit: *Surgens tolle puerum & matrem ejus, ecce enim mortui sunt qui quærebant animam pueri.* En Matth. 2. 20.
tibi testimonia ubique in sacris litteris, de adventu boni & hominum amantissimi Dei Verbi, quod scilicet perfectum templum, seu hominem gestaverit factus homo, ut omne genus nostrum hominum redimeretur. At quid dices, cum per Esaiam dixerit ad Judæos: *Neomenias vestras* Esai. 1. 13.
& Sabbata odit anima mea? O stultissime. Quemadmodum etiam per eumdem magnum Prophetam ait: *Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium, & vocabunt nomen ejus, Emmanuel.* Et rursum: Esai. 7. 14.
Parvulus natus est. Et iterum, *homo est, & quis cognoscet ipsum?* Quod præsens ipse Dominus per sese Esai. 9. 6.
significavit, cum tot tantaque edentem signa atque portenta in Sabbatis; Judæi a diabolo concitati, cum laudibus extollere debuissent, contumeliis adficiebant. Quapropter, uti supra dixi, idipsum prænuntiatum fuit. Quid ad hæc demum dixeris, o insane? Et tu quoque cum aliis hæresibus in perniciem eas.

12. Catholica vero Ecclesia, quæ recte legit, accurate scrutatur divinas Scripturas, se ipsa ędificavit supra petram: perfecta columba, clavum retinet rectæ & piæ fidei in scapha Apostolica, allidunturque decumani fluctus in petram illam immobilem, & spumantes atque soluti, evanescunt. Procellas porro existimato omnes hæreses. Nos autem quæso, hoc triplici atque insolubili funiculo manipulos constringamus, scilicet præcepta servando, ut appellamus ad salutarem portum in Regnum cælorum: dicatque nobis Deus Verbum, Filius & sapientia Patris: *Ecce ego & pueri mei quos dedisti mihi*: nosque ita alloqui digne- Esai. 8. 18.
tur: Euge servi fideles & boni: super pauca fuistis fideles, super multa vos constituam, intrate in regnum vobis præparatum. Faxit Deus, amen.

IN HISTORIAM MELCHISEDEC

ADMONITIO.

Propalam est hoc Opusculum non esse Athanasii, sed nugacissimi cujusdam Græculi, qui commentum hoc suum ut evulgaret, Athanasio ausus est adscribere. Unde miramur eruditum quemdam hujus ævi Scriptorem, adeo ineptam historiam Athanasio asserere voluisse. Quid magis enim anilem sapit fabulam, quam narratio illa, de Melchi Rege Salem, qui cum diis vellet immolare, Melchisedeco filio jussit ut adferret vitulos. Repugnantem Melchisedecum ipsum sacrificio destinavit; cum uxore sortem misit ut sciret uter ex duobus filiis sacrificio offerendus esset: in primogenitum patri carissimum sors cadit: ducitur ille immolandus cum quingentis aliis adolescentibus, ex aliaque parte trecentis una mactandis. Beneficio sortis servatus Melchisedec, rogat Deum ut absorbeantur ii qui diis immolabant, tum hiscente terra absorbetur tota civitas, ne uno quidem superstite. In densam sylvam secedit Melchisedec per septennium, ubi dorsum ejus instar testudinis occalluit, ungues ad palmi longitudinem crescunt, & similia deliramenta, quæ etiamsi non essent alias aperte repudianda, vel ex hoc uno damnanda quod non semel cum Scriptura manifeste pugnent. Præterea sub finem Opusculi ita de Nicæna Synodo sermo habetur, quasi jamdiu, neque hujusce Scriptoris ævo, celebrata, ut vox κατὰ καιρὸς indicare videtur. Satis antiqua tamen est hæc historia, utpote quæ in Codice Regio extet ab annis plus septingentis descripto. Ceterum magna est Codicum varietas, quia quisque librarius, hujusmodi consectis nugis, novas arbitratu suo nugas adjecit.

Hebr. 7. 3. *Ejusdem, Quare dictus sit Melchisedec, sine patre, sine matre, sine genealogia.*

Historia de Melchisedec.

1. Tunc temporis erat regina quædam Salem, quod ipsum erat urbis nomen, genuitque Salaad. Salaad vero genuit Melchi. Melchi autem uxorem habuit ei cognominem, Salem: quę peperit ipsi duos filios, unum nomine Melchi, & alterum Melchisedec. Eratque illorum pater, gentilis, impurus, sacrificia immolans idolis. Advenit vero tempus sacrificandi idolis idoneum, immolabat enim in Dodecatheo, (hoc est, in templo duodecim deorum): aitque rex Melchi filio suo Melchisedec: Quibusdam pueris tecum assumtis ad bovile perge, & adduc mihi septem vitulos, ut diis sacrificemus. Pergentem Melchisedec divina quædam cogitatio in via subiit, & sublatis in cælum oculis, aspiciebat solem, lunam con-

considerabat & stellas. Hæc secum reputans ait: Si quis fecit cælum terram, mare, stellas, huic scilicet eorum conditori offerri sacrificium oportet. Propalam mihi faciunt signa cæli, eorum conditorem super eis quiescere. Qui incorruptibilis, invisibilis, immortalis, solus Deus exsistit in cælo & in terra: novit blasphemias cordium: is sane verus Deus est, ipsi sacrificium oblatum oportet. Patrem igitur adibo meum, petamque ab eo veniam, fortassis me auditurus est. Reversusque est Melchisedec, nihil secum adferens. Quem ubi vidit pater ejus, ait ipsi: Ubinam sunt vituli? Respondet Melchisedec: Ne succenseas pater mi Rex, sed audi me. Ille, Quid habes, ait, dicendum? cito loquere. Reponit Melchisedec: Agedum, quod oblaturi sumus sacrificium, ne diis hisce offeramus: neque enim mihi videntur esse dii; sed potius ei sacrificium offeramus qui supra cælos quiescit. Ipse namque Deus deorum est. Iratus pater ait illi: Abi adduc quæ jussi, alioqui non vives: Abeunte rursum Melchisedeco ad bovile, ingressus Rex Salem Melchi, uxorem Salem compellans ait: Age in sacrificium offeramus unum ex filiis nostris. His auditis uxor ejus flevit amare, gnara, quod eo obtentu vellet Rex occidere Melchisedecum, quia sacrificium illi probro vertisset. Gemensque Regina dixit: Heu mihi, frustra laboravi & ærumnas tuli. Quod ubi Rex vidit, ait: Ne fleto, sed sortem mittamus; si sors mihi obvenerit, quem libebit eligam, offeramque diis nostris sacrificium; sin tibi, quem volueris elige, & serva ipsum. Illud ideo ajebat, quod speraret sortem arbitrio Sacerdotis obventuram. Mittunt itaque sortem, quæ cum Reginæ obtigisset, elegit illa quem diligebat Melchisedecum. Rex porro Salem superatus ab uxore, quem sors assignarat filium adornavit ad sacrificium, veritus ne deos offenderet suos. Et regressus Melchisedec septem vitulos adtulit. Acceptum autem pater filium ex sorte necandum, ad fanum idolorum ducebat in Dodecatheum: convenere item in sacrificium tres & quingenti pueri a Patribus suis oblati, & alii trecenti a matribus, necnon boves & oves innumeræ, fuitque paratum sacrificium. Porro Salem Melchisedeci mater, domi sedens exclamavit voce magna, aitque Melchisedeco: Annon desles fratrem tuum, qui post tantum laborem, ad necem properat? Quibus ille auditis flevit, aitque matri: Opus est ut isthuc loci concedam: surgensque ascendit in montem Thabor. Surgens item matee ejus, templum petiit idolorum, ut filium videret, antequam occideretur, & una totum genus suum. Melchisedec autem conscenso monte Thabor flexis genibus dixit: Deus, universorum Dominus, qui fecisti cælum & terram, te invoco solum verum Deum, exaudi me hac hora, jubetoque, ut omnium quotquot adsunt sacrificio fratris mei Melchi, locus sit infernus qui eos deglutiat. Exaudivitque Deus Melchisedecum, ac derepente aperta est terra, & deglutivit eos, universam scilicet familiam Melchi, cum tota urbe, ita ut nec homo, nec ara, nec fanum, nec brutum, neque creatura aliqua urbis totius superstes fuerit; sed omnia absorpta sint. Descendit autem

A Melchisedec de monte Thabor, & ubi sese vidit a Deo exauditum, magno timore correptus in montem remigravit, atque in densam ingressus sylvam, septem illic annos permansit: nudus ut ex ventre matris suæ prodierat: ungues ejus ad palmi unius longitudinem creverunt, capilli vero capitis ad umbilicum usque protensi sunt, dorsum ejus ut cochlea testudinis obduruit. Cibus ejus erant arborum baccæ, potus autem ros quem lingebat. Post septem annos, vox quædam Abrahamum compellavit, dicens, Abraham Abraham. Respondit Abraham: Domine mi. Cui vox: Sterne jumentum tuum, imponeque

B vestes pretiosas & novacula, & ascende in montem Thabor, terque clama: Homo Dei, & egredietur homo ferus. Ne formides illum. sed rade, ungues reseca, indueque illum, ac benedictionem ejus accipe. Fecitque Abraham quod jussum sibi fuerat a Domino, & ascendit in montem Thabor, stetitque in densa sylva: tum ter exclamavit: Homo Dei, Egressusque est Melchisedec, quo viso Abraham timuit. Aitque illi Melchisedec: Ne timeas, sed dic mihi qui sis, & quem quæras. Tum Abraham: Jussit mihi Dominus, ut raderem te, ungues secarem, induerem, ac benedictionem tuam acciperem. Cui

C Melchisedec: Fac quod præcepit Dominus. Fecitque Abraham quod jussum sibi fuerat a Domino. Et cum descendisset Melchisedec de monte Thabor, post triduum, accepto olei cornu, ac signans verbo Dei, benedixit Abraham dicens: Benedictus es Domino Deo altissimo, ac deinceps erit nomen tuum perfectum: nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum perfectum, Abraham. Iterumque venit vox ad Abraham, qui ait: Quid est, Domine mi? Tum Dominus illi: Quandoquidem nemo ex genere Melchisedec superstes est

D in terra, ideo vocabitur, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens: assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in sæculum, dilexique illum, ut dilexi Filium meum dilectum, quia custodivit præcepta mea, & custodiet in sæcula. Ne videatur itaque initium dierum non habere quod nemo sciat quando natus sit, neque ejus genealogiam, patrem vel matrem; ideo dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia. Et quia placuit Deo, manet sacerdos in perpetuum. Cum igitur occurrisset Melchisedec Abrahamo revertenti ex cæde regum; dedit illi calicem vini clam immis-

E so panis frusto, necnon populo illius 318. virorum, quod dicitur Bucacratum, usque in præsentem diem. Eo modo similis factus est Filio Dei, sed non secundum gratiam. Atque ita primus ipse typus fuit incruenti sacrificii Salvatoris, cum tulit sanctam oblationem. Quapropter ait: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*, quoniam typus fuit sacræ oblationis, tradens eam Abrahamo & 318. viris. Totidemque numero inventi sunt olim in Nicæna urbe sancti Patres, qui rectam statuerunt fidem: quorum numerus ad similitudinem Patriarchæ Abrahæ est trecentorum decem & octo sanctorum Episcoporum qui in Synodo fuere. Deum autem nostrum decet gloria nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 105.4.

IN OPUSCULUM SEQUENS

ADMONITIO.

OPUSCULUM ad Jovianum nullam præfert Epistolæ vel tractatus, Augusto missi, formam: sed videtur esse fragmentum alicunde divulsum, non tamen ex Athanasii scriptis, nihil quippe hic comparet Athanasianum. Ex argumento namque liquet esse scriptum post motam quæstionem de duabus hypostasibus, atque ex quibusdam ad calcem verbis videtur editum ante Synodum Chalcedonensem: unam enim dicit esse Verbi naturam & hypostasin incarnatam, quasi natura idipsum sit quod hypostasis. Nisi fortasse quis putaret post Synodum Chalcedonensem conscriptum opusculum fuisse ab aliquo Eutychiano. Stylus denique perplexus & intricatus, ac verbis constans Athanasio minime usitatis, auctorem indicat Athanasio longe imparem. Habetur autem in paucissimis Codicibus, in Basiliensi nimirum unde primo cusum fuit, & in Vaticano quodam num. 1431.

Ejusdem Athanasii ad piissimum Imperatorem Jovianum.

DOMINUS noster JESUS CHRISTUS de Baptismo cum leges tulit, exactam accuratamque fidei definitionem edidit, sanctis Apostolis ajens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Itaque initiatio in fide, est in Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Cum sancta ergo Trinitas accessionem non admittat, plane constat unigenitum ejus Verbum, quod ex Patris placito & sua sponte nostrum particeps est, ex Spiritu sancto & ex Maria Virgine Matre, unum esse Filium, cum assumtione, ex unionis œconomia. Simul enim caro, simul

Matth. 28. 19.

A Dei Verbi caro, simul caro animalis rationalis: in ipso namque & hypostasin habuit. Unde jure, immo potius, revera, quæ assumta sunt, ipsius Domini, & non alterius propria esse in confesso erit. Primum namque Dominus cum illa divine, & tunc ex illa ipse per dispensationem puer. Quapropter Virgo mater est, utpote Deipara, sancta Maria. Par itaque videtur esse unam potius dicere & confiteri naturam Verbi, naturam scilicet & hypostasin incarnatam, & perfecte hominem factam. Et qui hoc non fatetur, cum Deo pugnat & hostis est sanctorum Patrum.

IN LIBRUM DE DEFINITIONIBUS

ADMONITIO.

OPUSCULI hujusce νοθείαν *eruditus nemo primo adspectu non videat: tum ex laudato Gregorio Nysseno, tum ex stylo, vocibus, demum nugacitate scriptoris hujusce. Quamobrem erit ni fallor satis, monere Lectorem, haberi paucula definitiones in operibus Maximi, Combefisio editore, quæ quidem harum quibusdam non absimiles sunt.*

In manuscripto porro Colbert. 4753. *Opusculum habetur hoc titulo.* Κεφάλαιά τινα ὀφείλοντα εἰδέναι τοὺς, ὡς ἐξὸν ἀνθρωπίνῳ νῷ, βουλομένους γνῶναι τὸ μυστήριον τῆς τοῦ λόγου σαρκώσεως. Capita quædam quæ scire oportet eos, qui, ut fert facultas mentis humanæ, nosse volunt mysterium Incarnationis Verbi. *Isthic multa habentur, quæ in his quoque Definitionibus leguntur, suisque locis annotavimus.*

Ejusdem, de Definitionibus.

1. VARIÆ definitiones juxta traditionem fidemque Catholicæ Ecclesiæ, collectæ ex Clemente, aliisque Sanctis viris, beatisque Patribus: quas præ aliis omnibus disciplinis, adire atque animo complecti oportet eum qui, Deo juvante, verbo veritatis præesse voluerit; necnon quisquis orthodoxam tenet sententiam, sinceramque fidem habet erga Deum.

Definitiones quam necessariæ.

2. Ad accuratiorem porro traditionem, scire convenit, quamlibet quæstionem & interrogationem tres habere interrogationes, & perquisitiones: nempe, quid res sit: quæ sit causa nominis ejus: quot modis intelligatur. Cum vero interrogamus: Quid illud est? Palam est nos rei definitionem quærere. Cum dicimus autem: qua de causa sic vocatur? nominis etymologiam postulamus. Ubi vero sciscitamur, quotuplici modo hoc nomen intelligitur? propalam est nos quærere, quot sint nominis significata. Quisquis ergo absque definitionum notitia, docere aggreditur, is nihil differt a cæco viatore hac illac errante. Dicendum itaque tribus hisce modis inquisitionem haberi oportere.

Definitionum tria genera.

3. Definitio definitionum ea est, quæ omnia definit & a nullo definitur. Quapropter solus Deus definitio definitionum est. Definitio, est oratio brevis, propositæ rei naturam explicans. Dicunturque ὅροι, seu definitiones, quasi ὁρατοι, seu inspectiones atque oculi rerum, & quod breviter definiant intelligibilis rei virtutem. Etenim homo est substantia, carne, anima, ratione, san-

Definitio definitionum.

Definitio quid.

B guine, elementis, aliisque multis constans. Nos autem illa circumscribimus, & paucis per definitionem dicimus: Homo est animal rationale, mortale, mentis & scientiæ capax. Dicitur autem ipsum integrum, hominis nomen, ἀνορθοπεριπατητικόν, id est, erecto corpore incedens. Abbreviarunt autem qui rebus indidere nomina, vocis prolixitatem, & vocarunt eum, ἄνθρωπον, id est, hominem, brevitatis causa. Dicitur autem erecto corpore incedens, homo, quoniam bruta animantia cum incedunt, prono capite, inferius in terram respiciunt; homo vero, dum graditur, superna videt & contemplatur. Per syncopen autem ἄνθρωπος vocatur. Homo rursum dicitur: Quod vultus ejus sursum adspiciat: id est, quod oculorum nostrorum acie, sursum adspiciamus. Oculus enim atque mens sursum semper respicit. Atque ideo dicitur definitio, quia definit & abbreviat multitudinem vocum, & prolixitatem orationis decurtat.

Definitionum proprietas.

4. Multæ igitur atque innumeræ sunt cujuscumque rei definitiones. Ex multis autem paucas atque accuratiores propter hominum inertiam colligemus. Ceterum illud sciendum ac pro certo habendum est, eum qui sedulo rerum definitiones edat, facile posse Rhetoras, atque facundos oratores, in disputationibus reprimere. Nam si interrogatus, quid sit definitio, quare dicatur definitio, quot modis intelligatur definitio, hæreat adversarius; pudore quasi nihil sciat adficietur.

5. Tria

Tria sunt hominibus ignota penes essentiam.

5. Tria sunt secundum substantiam hominibus ignota & indefinita, Deus, Angelus, & anima, quæ sunt secundum substantiam soli Deo nota.

Finitum quid. *Infinitum.*

Quid est finitum, quid infinitum, quid difficile, quid facile definitu? Finitũ est, quod suos terminos non excedit, ut cœlum, terra, mare, quę suos terminos non transcendunt. Infinitum est, solum illud quod increatũ est, scilicet Deus. Difficile definitu est, quod creatũ & indefinitũ est, cujusmodi est, Angelus, anima, dęmon: aut difficile definitu est, quod non omnino, sed ex parte tantum cognoscitur; quale est lignum vitæ. Facile definitu est, quod contrectatur & conspicitur, ut panis & similia.

Deus quid.

6. Quid est Deus? & secundum quid dicitur Deus? & quot modis intelligitur Deus? Deus est substantia sine causa, omnis substantiæ causa supersubstantialis. Dicitur autem (θεὸς ἀπὸ τοῦ θέειν) id est, a currendo. Cursus autem ille non intelligendus de transitu ex quodam loco in alium locum; sed de Dei providentia & operatione quæ pervadit omnia. Vel, ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est, ab urendo, vel, ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν, id est, quod speculetur omnia. Nihil quippe rerum, ejus speculandi vim effugere valet. Duobus autem modis, vox illa, Deus, usurpatur in divina Scriptura; nimirum natura & gratia: Deus quidem natura & substantia est Deus; gratia autem & adoptione justi quoque dii dicuntur. Ait enim Scriptura: *Ego dixi dii estis, & Filii Altissimi*. Dicitur autem Pater, vel, quasi, ὡς πάντα τηρῶν, id est, omnia conservans, vel quasi, παῖδας τηρῶν, id est, proprios filios conservans & confirmans quasi Pater: Filius porro dicitur, quasi dicas: Qualis Pater secundum substantiam, talis est filius; sive ex increato increatus, sive ex mortali mortalis. πνεῦμα autem seu Spiritus dicitur, quasi, omnis nutus, velociter enim circumquaque movetur. Spiritus porro quadrupliciratione in Divina Scriptura usurpatur, Spiritus Sanctus, Spiritus Angelus, Spiritus anima, Spiritus ventus; immo quandoque mens Spiritus vocatur.

Psalm. 81. 6.

7. Sempiternum est, quod semper manet. Et quod æternum est, non statim sine principio esse dicitur; sed quod sine principio est æternum dicitur. Et sine principio dicitur quod principium non habet. Hoc autem Deus est. Quare sine principio & sempiternus ille dicitur, hoc est sine fine. Angeli vero & animæ non dicuntur sine principio: principium namque acceperunt & creati sunt a Deo. Dicuntur autem æterna, quia æternum vivent.

Proprietas quid.

Proprietas dicitur, quod proprie exsistit in natura, in aliaque nulla substantia reperitur; velut in homine ridendi facultas. In nulla quippe alia natura risus reperitur.

Quid natura.

8. Quid dicitur natura? Natura dicitur, quod nata sit & exsistat, quasi exsistens & in veritate cognita. Natura item dicitur, a nascendo & germinando. Natura, substantia, genus, forma; unum sunt. Persona autem, character, hypostasis, proprium, indivisum; unum etiam sunt. Aliud quippe natura, aliud hypostasis. Si quis ergo dixerit tibi: In Deitate quot naturas confiteris? Dic, unam; hypostases vero tres. Quod si dixerit tibi: In œconomia assumtæ carnis quot naturas confiteris? Dic: Duas, unamque hypostasin. Etenim Christus duas substantias & naturas habuit immutabiles & inconfusas, Deitatem & humanitatem in una hypostasi, Deus perfectus & perfectus homo cognitus. Ac propterea duas naturas in una hypostasi confitemur Incarnationem Domini nostri Jesu Christi & Dei.

Christus duas essentias inconfusas habet.

In Theologia vero unam confitemur sanctæ Trinitatis naturam, tres autem hypostases. Etenim Patris, Filii & Spiritus sancti, una natura est, una substantia, una potestas, regnum & potentia. Tres autem hypostases, tres characteres, tres personæ, A hoc est, Pater, & Filius & Spiritus sanctus. Una divinitas in tribus personis cognita est.

In Trinitate una natura, tres hypostases.

Generalius dicere oportet quid sit substantia, quid hypostasis. Substantia, genus, natura, forma, ut dictum est, unum sunt: persona item, character, hypostasis, individuum, proprium; unum sunt. Natura quippe complures in se habere potest hypostases. Homines enim uno corpore, uno spiritu constantes omnes, unius sumus naturæ atque substantiæ. Hypostases autem plurimæ. Etenim ideo dicitur hypostasis, quod in essentia subsistat.

Universale. *Particulare.*

Natura porro ac essentia dicuntur universales, hypostasis vero particularis. B Universale autem dicitur, quod omnia omnino complectitur, atque continet; particulare autem, quod partem aliquam habet essentiæ. Exempli causa, si dixeris, Homo, omnem dixisti hominem: illud namque universale est ac essentiale: omnesque dicuntur homines, atque ejusdem sunt essentiæ. Quod si dixeris, Petrus, Paulus, aut Joannes, unum tunc hominem significasti, quia illud particulare est. Commune siquidem est, si dixeris, Homo, quia omnes homines nominantur. Particulare autem est cujusque nomen. Sane par est eum qui C rerum naturam cognoscere velit, scire, quid particulare sit, quid universale. Neque solum enim in hominibus; sed in quacumque re, cælestium, terrestrium, illud reperire est: quod liquidius explicemus, necessaria quippe sunt ista iis qui investigaturi sunt. Sic itaque dicimus. Si dicas, Angelus, Angelorum essentiam omnem significasti, commune quippe illud nomen est Angelis & essentiale: omnesque dicuntur Angeli; sin dixeris Michael, Gabriel, hypostasin unam dixisti, hoc est, unum Angelum. Natura quippe dicitur Angeli essentia: hypostasis vero uniuscujusque Angeli appellatio. Itemque una natura communis est humanitas; D hypostases vero, Petrus, Paulus, Thomas, ac reliquæ personæ & characteres. Natura igitur est Domina genitrixque hypostasium. Propterea rursum dicemus: Si dicas: Bona est natura Angelus, totam eorum essentiam significasti. Sin dicas: Magnus est Gabriel, unam ex omnibus hypostasin nominasti. Et si dicas, volatile, denotasti totam volatilium essentiam; sin dicas, columba, turtur, luscinia, pavo, cygnus: hæc sunt hypostases. Non solum autem in intelligibilibus, rationalibus, & spiritualibus valet hæc definitionum regula; sed etiam in omni inanimata insensibili & immobili natura. Verbi gratia, si dixeris: Fe E cit Deus lucem, ecce universam luminariorum essentiam significasti. Ipsa porro essentia deinceps dividitur in suas hypostases; in solem scilicet, lunam, stellas, lucernas, cereos, variaque alia. Simili quoque modo de ventis; si dixeris, spiritum seu ventum, omnem ventorum naturam significasti. Sin dixeris, Austrum, Boream, aut Euroclydonem: hæc sunt hypostases. Item si dixeris, arborem, universam arborum essentiam significasti; sin dixeris, ficum, nucem, castaneam, amygdalum, unam hypostasin arborum significasti. Rursum si dixeris, aquam, universam aquarum naturam dixisti; sin dixeris, mare, paludem, puteum, fontem, unam tantum aquarum dixisti hypo F stasin. Iterum si fluvium nomines, fluvios omnes dixisti; sin dixeris, Mæandrum, Euphraten, Nilum, tum fluviorum unam hypostasin dixisti. In reliquis similiter oportet omnia investigare, atque cogitare, internoscere, ac discernere, quid sit natura, quid hypostasis. Natura quippe radix est fonsque rerum: hypostasis autem pars est naturæ. Hæc quippe sunt necessaria iis qui mundanas res accurate cognoscere ac scrutari volunt.

II.

De voluntate, proprietate & operatione, & de unione & consubstantiali.

Quid est voluntas? Voluntas est intelligentis & rationalis substantiæ appetitus, ad id quod concupiscitur. Quidquid enim intelligit, palam est quod etiam voluntatis sit capax: θέλημα enim, seu voluntas, παρὰ τὸ θέειν λίαν, scilicet a valde currendo dicitur: vel, optati assumtio seu occupatio. Tripliciter autem voluntas consideratur: Divina, Angelica & animæ. B Quandoquidem hæ tres naturæ tantum, voluntatis sunt capaces. Tripliciter autem & in Scriptura voluntatem invenimus usurpari: divinam, naturalem vel mediam, tertio carnalem, quæ diabolicam significat. Voluntas divina, sunt mandata Dei. Voluntas naturalis, est operatio divinæ voluntatis. Carnalis vero voluntas, est legis divinæ transgressio. Triplex ista voluntas est in homine. Est etiam alia naturalis voluntas, quæ dicitur communis omnibus hominibus, quæ est amor vitæ. Nam omnes homines vitam amant, cupiuntque videre lucem. Et hæc est communis voluntas. Sunt etiam in nobis alia voluntatis genera, quæ dicuntur arbitrii. Nam alius vult vivere privatus, alius rusticus, & alius navigare, alius vero frui quiete, & alius peregrinari, alius vigilare & alius dormire: & ceteri similiter, alius vult aliud: nam multas voluntates arbitrii habemus. Unam vero voluntatem naturalem omnes accepimus, nempe amare vitam, seu immortalitatem, quam accepimus a principio.

III.

Quid dicitur proprietas.

Idioma, seu proprietas dicitur, διὰ τὸ ἴδια εἶναι ἅμα, ideo quod simul sint propria. Inseparabiles enim sunt a suis naturis & hypostasibus proprietates ipsarum. Proprietas est, quod in aliqua natura proprie cognoscitur, & in alia nulla reperitur. Exempli caussa, in Deo est, quod sit ante æternitatem temporum, increatus & immensus, quæ in alia nulla usquam sunt substantia. Angelorum proprietas est, quod affectibus passionum careant & sint immortales, quod Deum laudibus celebrent, & numquam sileant. Proprietas vero hominis est, quod ex mortali & immortali E natura compositus sit, quod in alia nulla usquam substantia reperitur. Atque hæ quidem sunt proprietates naturales. Aliæ sunt subordinatæ, ut albedo, nigredo, longitudo, brevitas, cæsii aut torvi oculi, tarditas, & similia, quæ non in omnibus hominibus reperiuntur. Non enim omnes homines sunt torvis oculis, nec omnes sunt flavi. Naturales autem proprietates pariter in omni specie reperiuntur: nam omnes homines pariter corruptibiles sunt, mortales, rationales, latos ungues habentes, & incedentes erecto corpore. Sunt autem & alia, quæ non proprie dicuntur idiomata, sed accidentia, quæ adsunt substantiæ & recedunt; ut infantia, sani- F tas, morbus, caliditas, frigiditas: denique quidquid mutari potest, contingens vel accidens dicitur.

IV.

De vi agendi.

Vis agendi, quemadmodum sanctus Gregorius Nyssenus inquit, est naturalis cujusque rei potentia & motus. Nam quodvis essentiale, suam habet efficaciam: scilicet intellectualia intelligendi, sensibilia sentiendi, mobilia movendi, volatilia volandi, natatilia natandi, A germina germinandi, reptilia reptandi, lucentia lucendi, & generativa generandi vim habent. In quibus ablata vi illa agendi, tollitur & interit ipsa rei natura. Sublato namque calore, etiam ignis exstinguitur: sublato animalis motu, animal interit: sublata vi intelligendi, animæ interit intellectus & ratio. Hoc autem admirandum est, quod differentes quædam naturę suis naturalibus actionibus privatæ, aliam efficiendi vim generant. Veluti lapis adustus naturalem suam vim amittit, & calx efficitur, atque vim adurendi retinet. Eodem modo cedrus amissa vi germinandi, sanandi efficaciam accipit, & vermes baccis suis interficit. Oportet igitur, B ut viri prudentes, appellationes rerum considerent, & dijudicent; quo deprehendere possint, quomodo plures omnis generis substantiæ suarum actionum nomina, sed non naturales appellationes habeant, quas ex propriis actionibus acquisiverunt, habentque & inde dicuntur. Etenim, ut antea diximus, sicut dicitur Deus ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν τὰ πάντα, id est, ab eo, quod contemplatur omnia, & Angelus ab Angelica operatione & ministratione, & homo ἀπὸ τοῦ ἄνω θεωρεῖν τὴν ὄψιν, id est, ab eo, quod vultu superna suspicit; ita & in reliquis: virgo namque, παρθένος, a mortificanda carnis inflammatione di- C citur: περιστερά, id est columba, ob id vocatur, ὅτι στερεὰς πτέρυγας, id est, quod firmum habeat volatum: & ἔλαφος, id est cervus, ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τοὺς ὄφεις, id est, ab eo quod serpentes tollit: χελιδὼν, id est, hirundo, διὰ τὸ τὰ χείλη δονεῖν, id est, propterea quod garriendo labia movet: ὄφις, serpens, ἀπεκρίνετο ὁ φῶν, id est, qui loquitur, videlicet, quod olim Evę loquutus sit: δορκὰς, id est caprea, ἐκ τοῦ ὀξέως δέρκειν, id est ab acumine visus: τρυγὼν, id est turtur, ὁ τηροῦσα τὸν γονὸν, ἤτοι τὸ οἰκεῖον γένος, id est, servans stirpem, videlicet propriũ genus: ἀηδὼν, id est luscinia, διὰ τὸ ἀεὶ ᾄδειν, quia semper canit, cum æstate, tum hyeme: γὺψ, id est, vultur, διὰ τὸ γυρώσειν ὕψει, propter sublimem in gyrum vo- D latum: equus quod pedibus equitet: ἀετὸς, id est, aquila, διὰ τὸ πολλάκις ἀνανεάζεσθαι, καὶ πολλὰ ἔτη ζῆν, id est, propterea quod sępenumero renovatur, ac multos annos vivit: πετεινὸν, id est, volucris, τὸ τὰς πτέρυγας τείνειν, quod alam extendat: ποταμὸς, id est fluvius, ὡς πότιμον ἔχων ἐνέργειαν, id est tamquam potabilem habens energiam: χείμαῤῥος, id est torrens, ὅτι ἐν χειμῶνι ῥεῖ, quod hyeme fluat: φύσις, id est natura, ἐκ τοῦ φύειν τὰς ὑποστάσεις, quod hypostases producat: βοτάνη, id est herba, διὰ τὸ βαδίζειν ἄνω, eo quod sursum tendat, quemadmodum & ἄνθρωπος, id est homo. ἐκ τοῦ ἄνω θεωρεῖν, eo quod sursum respiciat: ψυχὴ, id est a- E nima, ex propria vi hoc nominis habet. Nam ψύχειν, idem est quod vivificare: ideo anima, ex vivificandi facultate, ψυχὴ dicitur, corpus enim vivificat. Sunt & alia sexcenta, quæ ultro prætermittimus, ne omnia suis nominibus commemoremus.

V.

De unione.

Quid est unio, & quot modis intelligitur? Unio est distantium rerum communis concursus. Dicta autem est unio, quod res unum fiant, hoc est, quod co- F eant & commisceantur. Porro quinque modis unio dicitur, commixtiva, divisiva, habitualis, positiva, & unio sancta Christi, quę supra istas secundum hypostasin dicta est. Atque unio quidem commixtiva dicitur, qualis est vini & aquæ. Divisiva, qualis est hominis ad hominem. Habitualis, qualis est auri ad aurum. Unio autem Christi supra illas secundum hypostasin dicitur. Secundum hypostasin vero unio est per se subsistens concursu duarum naturarum in utero sanctę Deiparę Virginis. Non enim ante Verbum Deum ibi exstitit corpus, vel anima; sed simul caro, & simul

Deus

Deus Verbum. Caro animata rationalis in eo fuit; quemadmodum in nostra quoque conceptione, ut mihi videtur, anima per se subsistens simul concurrit cum corpore. Nam corpus per se consistere non potest; nec anima exsistit ante corpus, quæ unionis Domini est imago quædam.

VI.

De Consubstantiali.

Quid est consubstantiale, & secundum quid dictum est consubstantiale, & quotupliciter consubstantiale dicitur? Consubstantiale dicitur, quod est ejusdem substantiæ & efficaciæ absque discrimine. Nam ideo consubstantiale dicitur, quod eamdem habeat substantiam & vim. Dicitur autem quinque modis: Consubstantiale, simul genitum, congenitum, simul natum, & quod est ejusdem generis. Consubstantiale autem est, quod in eadem quidem est substantia, sed aliquam tamen differentiam habet; verbi gratia, Lapis cariosus, & solidus, vel durus: consubstantiales, hoc est, unius & ejusdem sunt substantiæ. Ita lignum palmæ, & ebeni lignum, & caro cameli, ac caro piscis. Hæc consubstantialia dicuntur, eo quod ejusdem sint substantiæ. Quemadmodum omnes homines unius substantiæ sunt, suas tamen differentias habent, propterea quod alius quidem procerus, alius brevis, alius potens, alius miser. Verumtamen pariter unius & ejusdem sunt substantiæ, animæ scilicet atque corporis. Alterius substantiæ dicitur, quod diversæ est substantiæ, nec ullatenus alii est affine, sed penitus alienum & omni modo absimile; cujusmodi sunt ignis & aqua: alia quippe est substantia ignis & aquæ alia. Ideoque alterius substantiæ dicitur, quia alterius naturæ atque generis: quemadmodum, Deus, Angelus, lutum, sol & fœnum. Hæc enim omnibus modis absimilia sunt inter se, quapropter alterius substantiæ dicuntur: utpote quod alterum cum alterius substantia minime communicet, sed alia sit illius, alia alterius, ut dictum est.

Consubstantiale quinque modis dicitur.

VII.

De anima & mente.

Anima.

Duplicier dicitur anima. Altera quidem est irrationalis, quæ brutorum est: altera vero rationalis, quæ est hominum. Atque ea quidem, quæ brutorum est, creationem suam ex terra accipit, juxta mandatum Dei, quemadmodum divina dicit Scriptura: *Et dixit Deus, Producat terra reptilia animarum viventium.* Ergo animalia bruta ex terra acceperunt animam suam. Ideoque ad terrena solummodo habent affectionem & omnem appetitum, nec est illis rerum cælestium cura. Quomodo vero anima eorum ex terra facta sit, dicamus. Dedit terra, juxta præceptum Dei, brutis carnem: caro sanguinem est operata: sanguis autem, bruta anima factus est animali irrationali. Quare mortuo animali, sanguis concretus in carnem transmutatur. Caro autem corrupta & resoluta, terra fit rursus. Atque eam ob causam ignorant illa, neque curant res cælestes. Sed homo ex inspiratione divina suam animam accepit, iden res divinas agnoscit, superna persequitur, & res cælestes intelligit: estque rationalis, & mente præditus. Ceterum nemo existimet, quod ille spiritus, quem in hominem insufflavit Deus, factus sit anima. Absit. Sed spiritus ille creavit animam. Nam si in homine spiritus ille esset anima, esset nimirum anima ex Dei essentia. Si ergo ex Dei essentia esset anima, quare non inalterabilis semper esset & immutabilis, qualis est Deus? Inquit enim ipse; *Ego ipse sum, & non mutor.* Anima autem interdum quidem stulta est, interdum sapiens, interdum peccatrix, interdum justa: & alio quidem tempore fidelis, alio vero tempore incredula: aliquando rerum ignara, aliquando gnara, nonnunquam alacris & aliquando segnis. Cum hæc in sese habeat anima, quonam pacto dici potest, quod ex Dei sit essentia? Illud haudquaquam esse potest. Sed hæc inspiratio animam in homine fabricata est rationalem & intelligentem. Quapropter anima quoque intelligendo superna speculatur, & quæ illic sunt, quærit, appetit & desiderat, quoniam illinc habet creationem suam. Irrationalis autem anima non sic; sed quia terrestris est, solummodo terrestria quærit, ideoque una cum corpore moritur. Anima vero hominis æternum vivit, & non habet finem. Habet autem anima tres partes: rationabilem, irascibilem, concupiscibilem. Atque per partem quidem ratinnalem Deum diligit: per irascibilem vero dæmonibus irascitur, & sese strenue adversus eos gerit: & per partem concupiscibilem bona appetit æterna. Habet autem homo sensus quinque corporales, & quinque spirituales: corporales quidem sunt isti, visus, auditus, olfactus, gustus & tactus. Considerantur vero in visu quidem, album & nigrum. In auditu, acutum & grave. In olfactu, gratus odor & grave olens. In gustu, dulce & amarum. In tactu, durum & molle, calidum & frigidum. Sensus autem animæ sunt isti: Mens, intelligentia, opinio, phantasia, & sensus. Diciturque uniuscujusque sensus organum sensorium, eo quod sensum conservet animal sensitivum. Operæ autem pretium est & hoc cognoscere, quod quævis caro corpus quoque dicatur, non autem quodvis corpus dicatur etiam caro. Et sane stellæ cælestia corpora dicuntur, non tamen vocantur cælestes carnes. Atque corpus quidem dicitur dupliciter: Corpus materiale, & corpus subtile. Ac corpus quidem materiale est, quod deprehendi manu potest, & quod corruptioni mortique est obnoxium; corpus vero tenue est, quod non comprehendi, vel tangi potest, ut est sol, luna, & stellæ. Corpus autem crassum & materiale, quod caro dicitur, ex quatuor elementis constat, sanguine, phlegmate, humore & bile: videlicet, ex aere, terra, igne & aqua: hoc est: ex calido, frigido, humido & sicco. Sol, calidum & vitale elementum: aer, calidum & humidum: terra, siccum: aquæ humidum elementum pariunt. Atque hæc sunt, ex quibus constat homo, immo potius hominis caro; ideo post mortem in ea rursus resolvitur.

Genes. 1.

Anima brutorum ex terra creata.

Anima hominis.

Quod anima non sit ex essentia Dei.

Malach. 3. 6.

Animæ partes.

Corpus duplex.

VIII.

De Corruptibili.

Quid est corruptibile, unde dictum, & quot modis dicitur?

Corruptibile.

Dupliciter corruptibile dicitur, corporaliter & spiritualiter. Ac spiritualiter quidem, cum peccaverit quis, dicitur esse corruptus, quemadmodum dicit Scriptura: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* Corporaliter vero corruptibile tribus modis dicitur: interitus, corruptio & consumtio. Interitus dicitur, sola animæ separatio a corpore & mors. Corruptio vero est, quando corpus a vermibus corroditur, & solummodo relinquuntur ossa. Consumtio autem vocatur, quando putrescunt ipsa quoque ossa & absumuntur, abeuntque, nec amplius exstant. Hoc enim de Domino nostro Jesu Christo quoque dicimus, quod interitum tantum subierit, id est mortem. Corruptionem vero aut consumtionem sacrosanctum ejus corpus neutiquam sustinuit, sed resurrexit die tertia primogenitus factus ex mortuis.

Psal. 13. 1.

IX.

IX.

Quare dicitur primogenitus?

Primogenitus cur Christus dicatur.

Eo quod primus ab inferis resurrexerit, quemadmodum etiam nos resurgemus in secundo adventu. Quia autem ante illum Lazarus resurrexerat & Jairi filia, multique alii, quare non illorum aliquis primogenitus vocatus est? Quia illi post resurrectionem suam e mortuis, rursus mortui sunt. Christus autem postquam resurrexit non amplius est mortuus, sed quod in resurrectione nobis eveniet, id ipsi jam contigit. B Nam primus ex mortuis ea resurrectione resurrexit, quæ est in incorruptibilitate, cujus nos quoque speramus in futuro participes fore, quam resurrectionem nulla mors amplius sequetur.

His similia quædam habentur in Cod. Colb. 4711.

X.

Quid est Verbum, & quot modis dicitur?

Verbum tribus modis dicitur.

Verbum dicitur tripliciter; verbum substantiale, quod est Deus Verbum; verbum internum, quod est Angelorum, & quod in mente nostra loquimur; verbum enuntiativum, quod enunciatur per linguam, quod mentis nuncius quoque dicitur. C Dictum est autem Verbum, seu dictum, a dicendo.

XI.

Quid est Christianus?

Christianus quid. *Hæc & similia in eod. Cod.* Hæreticus.

Christianus est vera domus Christi rationalis, per bona opera & recta dogmata constructa.

Hæreticus autem est, sycophanta & accusator veritatis. Hæresis, falsa opinio ejus quod non est.

Immutabile est, quod se semper similiter habet.

D Naturale est, quod in natura situm est, vel quod vere verum cognoscitur.

Præter naturam est, quod Deus non ita fecit, vel quod omnino non fecit, qualia sunt peccatum & mors.

Tria sunt, quæ de hominibus prædicantur: quod secundum naturam, quod præter naturam, & quod supra naturam. Secundum naturam est matrimonium: præter naturam, scortatio: supra naturam, virginitas. Et rursus secundum naturam sunt opes juste acquisitæ: præter naturam, avaritia: supra naturam, possessionum contemtus. Item secundum naturam est, temperantia in cibo: E præter naturam, crapula: supra naturam, jejunium. Similiter secundum naturam est, pax: præter naturam, tumultus: supra naturam, erga inimicos dilectio. Et in cæteris similiter.

Etymologia.

Etymologia est, quæ vim nominis alicujus recte designat, & ex ipso sensu explicata, veluti: Pax unde sic dicta est? Quod mentem tranquillam reddat. Tumultus, a facilitate confundendi. Error, ab eo quod oblique mentem trahat. Temperantia, vel quod salutaria provideat, vel quod corpus a sordibus conservet. Scortatio vel ab eo, quod juventutem inflammet, vel quod mentem oculis privet, vel quod F a longinquo annuat. Similiter & in reliquis.

Corpus quia ex elementis compositum est, admittit dissolutionem, & destruitur. Propterea corpora tam hominum quam bestiarum facile corrumpi ac mori pos- A sunt, ex quatuor cum constent elementis: terra, inquam, aqua, igne, & aere. Nam ea, quæ ex istis constant, semper generantur, semperque corrumpuntur; elementorum videlicet dissoluta compositione, & quolibet in suum locum recepto. Ipsa vero elementa, simplicia cum sint & incomposita, suam quoque stabilitatem retinent, & usque ad consummationem indissoluta sunt.

XII.

De anima.

Anima. Quinque affectus.

B De anima autem dicimus. Quod quinque sint affectus in ea, qui animales affectus vocantur. Sunt autem isti: Ira, dolor, metus, solicitudo, & invidia. Qui ergo prudentia mentis præditus est, poterit illis imperare. Est autem anima per se calida, tamquam ardens ignis. Sicut igitur ignis, ea quæ sunt in ollam conjecta coquit; sic anima, quæ igneam naturam habet, cibos in ventriculum receptos comminuit & consumit. Nam anima non propterea ψυχή vocatur, quod essentia sua sit ψυχρὸς frigida, sicut rudiores quidam existimant; sed quod magno suo calore humores extergat; sicut ex virtute solis mani- C feste declarari potest. Nam calidus cum sit & ignitus, siccat lutum & omnem humorem sursum trahit. Quod autem anima naturaliter sit calida, a morientibus quoque comprobatur. Quum enim primum anima recedens, corpus reliquerit, omnia statim membra sunt frigida, frigoreque haud minus, quam glacies hyemalis congelata relinquuntur. Quamdiu enim abundanti cibo anima reficitur, viget corpus, & valet viribus: Quando vero cibis destituitur, absumit & corrumpit ipsum corpus. Non enim potest corpus absque cibo animæ caliditati resistere: quemadmodum nec æneum vas ad fornacem positum, ignis vehementiam absque a- D qua ferre potest: nimio enim ardore siccatur, & tandem dissolvitur. Ad eundem modum olla corporis, si non habeat cibum, ab ignita anima accensa, penitus interit.

Simile. Simile.

Quod si aliquando de anima dubitet aliquis, ab ipso quære: Num anima hominis in toto corpore est, vel in uno aliquo loco? Et si in toto corpore respondeat animam esse, interroga: Quomodo abscissa manu, vel pede, non abscinditur anima, & adhuc vivit homo, ac nondum moritur? Quod si dicat, in parte aliqua animam esse, rursus quære: Quonam pacto hominis aliæ partes esse queunt absque anima, & quomodo mem- E brum inanimatum habere possit homo? Item quomodo possibile sit vivere sine anima? Nam quicquid animam non habet, mortuum est. Sane nescis quid dicas. Ego vero tibi dicam, qua in parte, quomodo & ubi requiescat anima. In tribus locis corporis suam habet sedem. Et sicuti solis radius unum aliquem locum occupat, & in domum penetrat, illuminat vero totam domum: Sic anima quoque in tribus istis partibus corporis residens, totam domum, corpus, vivificat. Habet autem anima sedem suam in corde, in posteriori parte capitis, quæ cava vocatur, & in basilicis venis. In istis igitur tribus partibus habitat anima. Quare, si cor vulneretur, F aut ex basilica vena multum sanguinis effluat, aut si caput cædatur, vel gladio secetur, statim a corpore recedit anima, & mortuum corpus relinquitur. In istis porro tribus partibus anima sedem habens, in totum corpus vitalem suam potentiam distribuit.

IN SEQUENTIA

AD ANTIOCHUM DUCEM OPERA

MONITUM.

I. ANTIOCHUM *quemdam Athanasii ævo, ipsique Athanasio familiarem, exstitisse palam est ex epistola ad Joannem & Antiochum cusa Tom. 1. p. 763. Qui presbyter item fuit, ut Antiochus hic presbyter ordinatus fuisse memoratur inferius. Quare ille fortassis Antiochus presbyter, occasio fuit ut nomine Athanasii varia ederentur opera, ad Antiochum nuncupata. Sed sive ista sive alia occasione conscripta fuerint ejusmodi opera, palam est nequaquam Athanasii illa esse; sed alterius scriptoris Athanasio ætate inferioris, ingenio longe imparis.*

II. *Ex tribus hisce Tractatibus, ad Antiochum inscriptis, duo priores, scilicet Doctrina ad Antiochum, & aliud ad Antiochum opusculum nondum editi fuerant. An vero tria illa opuscula ejusdem scriptoris sint, minime constat; non multum tamen absimile est orationis genus. Ceterum antiqua sunt ea omnia, nam duo quidem priora, ex antiquis manuscriptis mutuati sumus; quæstiones vero ad Antiochum, ab Anonymo Ravennate septimi, vel ut alii putant, sequioris sæculi, edito per D. Placidum Porcheron laudantur, loco infra notando. Quæstiones porro illas ad Antiochum postremo loco ponimus, ne sejungamus a ceteris quæstionibus quæ ad Antiochum minime inscribuntur. De singulis quædam pertractanda nobis sunt.*

III. DOCTRINA AD ANTIOCHUM DUCEM, *otiosi hominis commentum, ut nemo non videt, eo tamen nomine pretiosa & commendanda est, quod magnam libri Pastoris partem, cujus Græca jamdiu interiere, Græce nobis exhibeat: & quidem ita puram, ita Latinis Hermæ Pastoris consonam, ut ad verbum ex eo ut plurimum descriptam esse, conspicuum sit. Primo namque scriptor iste Antiochum nobis repræsentat adeuntem S. Athanasium, infirmitatis corporeæ causa; ut una precibus suis levet ægritudinem, & monitis viam paret ad pœnitentiam. Huic Athanasius sanitati restituto, duodecim mandata tradit; quæ nihil sunt aliud, quam duodecim illa Hermæ Pastoris mandata, quibus constat liber secundus. Ita tamen ut non integra semper, sed quibusdam ademtis adferat. Deinde multa alia ex eodem Libro hinc inde consuuntur: ac postremo magnam & prolixam enarrat Antiochi visionem, quam item ex tertio Pastoris libro ad verbum mutuatus est. Hoc itaque opusculum licet prima fronte ne flocci quidem faciendum videatur, maximi tamen est momenti, quippe cum libri illius Apostolorum ævo editi, & a tot Patribus nec sine laude memorati, multa & prolixa nobis fragmenta suppeditet. Probo igitur consilio quæcumque Athanasii nomine in manuscriptis circumferuntur edi curavimus; nam si, uti suadebant nonnulli, ea omnia abjecissemus, quæ ab imperitis inelegantibusque scriptoribus Athanasii nomine composita essent, hoc opusculum prima fronte repudiaturi eramus, cum multis aliis quorum nullum sua caret utilitate. In mss. antiquo Ecclesiæ Carcassonensis, hic tractatus sic inscriptus est:* Incipit doctrina & expositio Athanasii sancti Alexandrinæ civitatis Episcopi. *Sed codicis illius nobis copia non est.*

IV. *Opusculum aliud subsequitur,* AD ANTIOCHUM *nuncupatum, stylo* χυδαίῳ *& parum eleganti conscriptum, in quo postremum Dei judicium, & varia inferni supplicia multis enarrantur. Quem Athanasio adscribere ne cogitaverit quidem quispiam, tantum scilicet ab illa Athanasii* εὐφυΐᾳ *& elegantia abhorret.*

V. *Tertio occurrunt* QUÆSTIONES AD ANTIOCHUM *quæ jamdiu inter Athanasii edita comparent, nec primum ut jam exstant compositæ sunt: sed cum pauciores numero olim fuerint: nec plures 35. in veteribus Latinis editis, & in quibusdam manuscriptis, in aliis vero 41. jam exstant num. 136. librariis novas quæstiones semper addentibus: unde fit ut codices multum inter se varient. Porro conspicuum plane est has quæstiones non esse Athanasii, sed nonnullas ex variis auctoribus hinc inde excerptas fuisse, alias a variis scriptoribus compositos; unde factum, ut aliquæ exstent aliis præstantiores, elegantioresque, nec indignæ quæ legantur. Immo ex ipso Athanasio quædam huc translata deprehenduntur. Pro facultate nos scriptores ad marginem annotavimus unde illæ excerptæ sunt. Hinc liquet alias esse aliis Antiquiores, uti jam diximus. Quod vero nonnulli* νοθείας *argumentum ex eo mutuantur quod aliqui Patres, Athanasio ætate inferiores hic memorentur, non tanti est momenti; cum videlicet eo loco quibus adferuntur illi Patres, in antiquissimis codicibus non exstent. Verum aliunde luce clarius commonstratur non esse illas Athanasii, 1°. ex Orationis genere, impolito & inelegante, ut plurimum saltem; nam sibi stylus minime constat, quia multa ex variis scriptoribus tacito nomine excerpta sunt. 2°. Ex nugis compluribus quas quisque facile animadversurus est. 3°. Ex iis quæ de Imaginibus earumque cultu dicuntur num. 39. Nam licet Eusebio teste plurimi, suo tempore, Apostolorum imagines depictas apud se cum honore retinerent, non ita frequens tunc imaginum erat usus. Ex multis denique aliis quæ proferre non juvat, ne apertissimæ rei comprobandæ diutius æquo immoremur. Ceterum, quod spectat quæstiones 30. & 31. de Angelis, quæ in Testimoniis ex Scriptura sacra superius exstant pag. 21. arbitror illas ex hoc Tractatu excerptas eo translatas fuisse; quæ sequuntur enim, cum illis adfinitatem habent. Similiter quæstio LXXI. ad hunc potius tractatum videtur pertinere, quam ad Testimonia illa; ubi quæ consequuntur, nihil ad illam quæstionem. Hic vero contra quæstio subsequens ejusdem est argumenti.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

PATRIARCHÆ ALEXANDRINI

Doctrina ad Antiochum Ducem.

Nunc primum edita ex mss. Colbert. 4249.

1. SANCTISSIMUM Episcopum Athanasium adiit Dux quidam nomine Antiochus, gravi morbo laborans, rogavitque ut sui causa oraret; quo si sanus fieret converteretur ad Dominum, ac peccatorum pœnitentiam ageret. Cumque clementem Deum orasset Episcopus, insequente die sanus ille fuit. Tum accessit bona sua secum adferens, quæ posuit ad pedes Episcopi, rogans ut pauperibus erogarentur & egenis; sibique liceret, accepto per sanctum virum venerando habitu, monasticam virtutis vitam agere. Quod Dei gratia fecit Episcopus. Tunc ait Episcopo Dux Antiochus: Me oportebat baptizatus cum fuissem, fidem servare, nec ultra baptismum violare; sed cum amentia mea ingentem in negligentiam me conjecerit, tuam rogo sanctitatem, ut me doceas, instituas, moneas, quibus jam abstinere debeam factis, operibus, cogitationibus; quibus contra virtutibus operam dare.

Tum oratione facta Episcopus, sedens docuit illum in Spiritu sancto, singula Christi doctrinæ mandata complere. Sic itaque orsus est.

Primum mandatum, de fide. * Id est, monasticam.

Eum qui ad immaculatam virtutem accedit, * venerandam ducit vitam, præteritorumque peccatorum pœnitentiam agit, oportet * ante omnia credere in unum Deum omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terra: Deum Salvatorem nostrum, consubstantialem Patri. Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Unus Deus solus qui omnia continet, cum solus ipse contineri nequeat: qui omnia potest, nihilque ipsi impossibile est. Si eo modo credas ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine, eumque timeas, & temperanter agas, ut tibi dico; exaudietur precatio tua: & cum credideris, accepturus ab eo es auxilium, victoriam & salutem in sæcula, Amen.

Secundum mandatum, simplicitas servanda: non loquendum adversus proximum.

2. Surgensque oravit, & absoluta oratione, ait illi: ** Simplicitatem habe, & sine malitia esto, ac velut infantes, qui ignorant malitiam saluti hominum exitialem. Primum quidem ne cuipiam obtrectes, neque obtrectatorem libenter audias. Alioquin tu ipse qui audis reus eris peccati obtrectatoris, si obtrectationi fidem habeas, cui tu aurem præbuisti: nam si credideris, ipse peccato in fratrem tuum obnoxius, atque ita cum obtrectatore reus eris. Spiritus quippe malignus est obtrectatio, & turbulentum dæmonium, quod numquam in pace degit, sed semper in disceptationibus versatur. Ab ea igitur re abstineto, *** & pacifice deges cum omnibus. Indue simplicitatem & honestatem, quibus nullum inest offendiculum malum; sed omnia plana atque jucunda: & vives in sæcula, Amen.

Tertium mandatum, mendacium vitandum.

3. Et exsurgens oravit, completaque oratione, sedens ait illi: Audi hoc item mandatum. Veritatem dilige, omnisque veritas prodeat ex ore tuo, ut in te habitet Spiritus Dei. Qui enim mentiuntur, Deum contemnunt. Accepere namque Spiritum veritatis, & facti sunt habitacula veri Spiritus. Si itaque veritatem servaris, poteris tibi comparare vitam. Jurameotum porro sive pro justa sive pro injusta re fugias: & veritas introducet te in vitam immortalem in fæcula, Amen.

Quartum mandatum, castitas servanda.

4. Cum orassent illi, sedens Episcopus sic eum alloquitur: Audi etiam quartum mandatum. Serva castitatem, neque in corde tuo maneat cogitatio uxoris alienæ, aut fornicationis cujuspiam, similiumve nominum. Nam hoc si agas, magnum admittis peccatum, necnon si mentem tuem a turpi hujusmodi phantasia non averteris. Siquidem vel ipsa cogitatio, ingens Dei famulo est flagitium. Quod si quis malum hoc facinus admittat, is mortem sibi conficit. Vide igitur, ab hujusmodi cogitatione abstineas. Nam ubi honestas castitasque habitat, illic scelus ne ascendat: Quod frequenti & laboriosa oratione obtinetur. Hoc igitur facito & vives in sæcula, Amen.

Quintum mandatum, longanimitas servanda.

5. Surgentes autem precati sunt, tum sedens Episcopus ait illi: Audi quoque quintum mandatum. Serva tolerantiam & æquanimitatem, ac prudens esto, sicque omnium pravorum operum dominabere, omnemque justitiam adimplebis. Si namque æquanimis fueris, Spiritus sanctus qui in te habitat purus erit, nec a maligno spiritu obscuratus, vel fœdatus ab iracundia. Nam in æquanimitate Dominus habitat: in iracundia diabolus. Non convenit autem utrumque spiritum eodem in loco habitare. Nam si acceptum absinthii minimum, in lagenam mellis effuderis, nonne mel totum illud disperit, & tanta mellis copia a minimo absinthio corrumpitur? Sed contra si absinthium in mel non projiciatur, ita mel dulce reperitur, ac ntile plane est domino suo.

Perpende itaque dulciorem melle esse æquanimitatem; atque utilem Domino qui in illa habitat; iracundia vero æquanimitatem labefactat. Audi igitur iracundiæ vim, quam sit maligna, quam seducat servos Dei, & sua vi prosternat. Porro minime seducit eos qui pleni sunt fidei, nec quidpiam virium habet in illos, quibuscum virtus Domini est; sed subornat eos qui animo duplices sunt. Cum viderit enim hujusmodi homines tranquille degere, sese in cor eorum immittit: atque ita irritatur homo rerum causa temporalium, aut amici, aut doni, aut accepti cujuspiam, aut denique fœdorum hujusmodi negotiorum gratia. Hæc autem omnia, stulta, vana & inutilia sunt Dei servis. Æquanimitas vero magna firmaque est, vim habens robustam in magnaque latitudine sedentem. Læta, exsultabunda, tranquilla, Domino gloriam tribuit omni tem-

* Hoc primum Mandatum ex primo Hermæ Pastoralis Mandaro l. 2. p. 44. & ex Symbolo Niceno confectum est.
** Vide hoc secundum mandatum apud Hermam p. 44. *Simplicitatem habe, & innocens esto.*

*** Hæc sic leguntur in Pastore: *Et semper pacem habe cum fratre tuo. Indue constantiam sanctam, in qua nulla sunt peccata, sed omnia læta sunt, &c.*

tempore, nihil in se habens amaritudinis, perseveratque semper in mansuetudine & in quiete.

Hæc ergo æquanimitas tota inhabitat in iis qui fidem servant. Iracundia vero primum insania est, mentisque levitas. Hinc ex stultitia gignitur amaritudo, ex amaritudine, vehemens animus; ex animo vehementi, ira; ex ira, furor. Hinc furor qui tot tantisque ex malis constat, peccatum evadit magnum & incurabile. Quando enim omnia hæc humana in vase uno continentur, ubi est & Spiritus sanctus; non potest vas hujusmodi capere; sed superefluit suavis ille Spiritus, cui non est consuetudo habitandi cum maligno spiritu & cum ejusmodi duritie animi. Secedit itaque ab hujusmodi homine, quæritque habitare cum mansuetudine & quiete. Hinc postquam abscesserit ab homine illo in quo habitabat, efficitur homo ille Spiritu sancto vacuus, ac demum plenus spiritibus malignis, incompositusque est in omnibus gestis suis, ultro citroque ab improbis hominibus distractus, ac bona mente vacuus penitus excæcatur. Hoc contigit omnibus iracundis. Cohibe te igitur ab iracundiæ maligni dæmonis. Indue æquanimitatem, & iracundiæ obsiste; laudibusque probe celebraberis ab hominibus Domino dilectis. Vide itaque ne despicias hoc mandatum. Si hoc quippe custodieris, & reliqua servare poteris. In hisce igitur confortare, & corroborare, & vinces, vivesque in sæcula. Amen.

6. Surgentes autem precati sunt, seditque Episcopus & ait illi: Audi sextum quoque mandatum. Jussi te in primo præcepto, servare fidem & timorem, temperanterque agere. Respondit Antiochus; Etiam Domine, ita se res habet. Ait illi Episcopus: Sed jam indicare volo tibi quænam sint eorum virtutes, ut exploratam habeas eorum vim & efficientiam. Duplicis namque generis sunt, sitæque in justitia & injustitia. Tu ergo justitiæ credito, injustitiæ nullatenus. Justitie rectem habet viam, injustitia tortuosam. Duo sunt Angeli cum homine, alter justitiæ, alter malignitatis. Justitiæ Angelus suavis est, verecundus, mitis & robustus. Cum itaque his modis in cor tuum ascenderit, statim tecum loquitur de justitie, de castitate, de morum honestate, de frugalitate, de omni denique probo opere, & de quavumque præclera virtute. Hæc omnia cum in cor tuum ascenderint, scito Angelum justitiæ tecum esse. Huic itaque credas & operibus ejus, hunc tene, & posside. Vide jam mihi Angeli malignitatis opera. Primo iracundus est, acerbus, insanus: operaque illius sunt mala, quæ servos Dei prosternant & dejiciant. Cum ille in cor tuum ascenderit, ex operibus ejus cognoscito illum. Ait illi Dux Antiochus: Quo pacto, Domine, agnoscam ipsum ignoro, nisi tuis ediscam verbis. Reponit illi Episcopus: Audi singulerim & adtentus esto. Cum te quædam iracundia invadit, aut amaritudo, jam scito in te illum esse. Hinc nascuntur plurimorum operum desideria, concupiscentiæ varit & lauti cibi, crapulæ multæ, minime congruentium alimentorum; mulierum cupido, avaritia, superbia, arrogantia, & quæcumque his similia. Hæc itaque si in cor tuum ascenderint, scito malignitatis Angelum in te esse. Gnarus ergo ejus operum, abscede ab illo, nec ullatenus illi credito. En tibi utriusque Angeli opera: ea intelligito. Hoc quidem est præceptum de operibus fidei, ut Angeli justitiæ operibus credas, eaque cum perfeceris Deo vivas, quia illi gloria in sæcula, Amen.

Sextum mandatum, primi explicatio.

7. Postquam autem precati sunt: Meministis, ait Episcopus, me in primo mandato præcepisse tibi de fide, de timore, de temperantia. Etiam Domine, respondit ille. Jam vero, inquit, audi septimum mandatum de timore. Time Dominum & mandata ejus observa, & eris potens opere, opusque tuum incomparabile. Dominum si timeas, omnie efficies bona. Hic ille timor est quo teneri te oportet. Diabolum ne timeque vis in eo nulle, nec formidandus est. Cui vis inest præclara, ille timendus. Quisquis enim vim & potestatem habet, ille formidabilis: qui nullam vim tenet, hic contemtui omnibus est. Servus Domini fortis est & nihil timet. Time ergo Dominum & illi vives, servans mandata ejus in sæcula.

Septimum mandatum, timor Dei.

8. Et postquam ambo precati sunt, ait illi Episcopus: Audi quoque octavum præceptum de Abstinentia. Cogita duplicis esse generis abstinentiam. A quibusdam enim abstinere, a quibusdam non abstinere convenit. A malo abstinendum nec agendum illud est, a bono minime abstinendum. Audi porro singulatim. Cui Antiochus: Immo, quæso te omnia singulatim expendas: numquam enim tam salutarem audivi sermonem, qui hominem armis instruit adversus quælibet diaboli machinamenta. Quapropter jussi Notarium meum præclaram & virtutis magistram hanc doctrinam conscribere. Ait Episcopus: Abstine ab omni malitia, ebrietate, iniquitate, prava voluptate, a multis lautisque cibis, a divitiis, a jactantis, superbia, arrogantia, mendacio, obtrectatione, hypocrisi, injuriarum recordatione, & ab * omni blasphemie. Hæc facte vitæ hominum mala sunt; ab his Dei servum abstinere oportet: nam qui ab istiusmodi non temperaverit, non potest vivere Deo. Audi etiam quæ consequuntur. Plura ne sunt adhuc, Domine, ait Dux Antiochus, male opera? Immo multa, reponit Episcopus, a quibus Dei servum abstinere oportet; furtum, mendacium, fraudatio, falsum testimonium, avaritia, arrogantia, & quæcumque his similia. An non tibi hæc mala videtur esse? Immo admodum mala, reponit, Dei servis. Ait illi Episcopus: Abstine igitur ab his omnibus, ut vivas Deo, & in album efferaris cum temperantibus. Hæc itaque sunt a quibus temperare oportet. Ea autem e quibus non temperare, sed quæ facere oportet, quæ sint audi: Primum omnium, fides, hinc timor Domini, concordie, caritas, verba justitiæ, veritas, patientia. His nihil præstabilius in hominum vita. Hæc si quis servaverit, nec ab his temperarit, beatus erit in vita sue. Hinc quæ sequuntur audias. Viduis officia impendere, orphanos egentes curare, servos Dei ex angustiis redimere, hospitalem esse, in hospitalitate quippe beneficium reperitur: pacificum esse, frugalem esse, senem quemlibet hominem venerari, justitiam exercere, fraternitatem conservare contumeliam ferre, æquanimum esse, injuriarum immemorem, afflictos consolari, eos qui circa fidem offensionem passi sunt non repudiere, sed reducere, & bono animo esse curare, peccantes admonere, debitores non ederere, egenos non contristare, & si qua his similia. An tibi videntur hæc esse bona? Reponit Antiochus: Quid quæso, Domine, bis præstantius esse possit? Ait illi Episcopus: In his te ipse exerceas, neque ab omnibus temperato, & vives Deo in sæcula. Amen.

Octavum mandatum de abstinentia.

9. Postquam autem oraverent, surgens ait Episcopus: Hanc item doctrinam ausculta, admodum enim est utilis. Dubietatem animi elimina, seu numquem hæsites quidpiam e Deo postulare, dicens in temetipso: Quid e Domino postulare possim, cum tanta adversus eum peccata admiserim? Ne hæc animo verses; sed ex toto corde tuo convertere ad Dominum, & absque ulla hæsitatione postula ab illo, agnoscesque summam ejus misericordiam; quia te non deseret, sed petitionem animæ tuæ complebit. Neque enim Deus est ut homines injuriarum memores

Nonum mandatum, dubietas animi vitanda.

* Apud Hermam legitur *fama pessima*.

mores, sed immemor delictorum, opificium mise- A ratur suum. Purga itaque cor tuum a vanis omnibus ejusmodi verbis, necnon a supradictis: & postula a Domino, accipiesque; omnia postulata impetrabis, dum sine ulla dubitatione postulaveris. Sin in corde tuo dubitaveris, nihil ex postulatis assequere. Nam qui cum Deo hæsitant, ii sunt animo dubio, qui nihil prorsus impetrant postulatorum. Qui autem integri sunt in fide, ii cum fiducia omnia petunt a Deo, accipiuntque, quia sine dubitatione nec hæsitante animo postulant. Quivis enim homo hæsitans, nisi resipiscat difficile salutem consequetur. Cor ita- B que tuum purga a dubitatione, sed indue fidem, quæ firma est, & Deo confide, quod omnia postulata tua sis impetraturus. Quod si quidpiam a Domino cum postulaveris, non impetres; ne idcirco animo sis dubio, quod animæ tuæ petitionem quamprimum non acceperis: nam vel tentationis cujusdam causa, vel ob casum quemdam tibi ignotum, non accepisti. Ne ergo deficias orando, donec animæ tuæ petitionem assequare. Quod si inter petendum animum despondeas & dubites; teipsum incusato, non eum qui non dedit postulatum. Cave itaque hanc animi dubitationem, quæ mala scilicet est, multosque C ex fide radicitus avellit, licet ante admodum fideles fortesque fuerint. Eam dubitationem in qualibet re contemnito, indutus prævalida & firma fide. Nam fides omnia promittit, omnia perficit. Dubitatio vero, quæ nihil credit, omnibus suis excidit operibus. Tu itaque orationi operam dato, per virtutem fidei, & Deo vives, atque omnes qui (dubitationem) contempserint in sæcula, Amen.

Decimum mandatum, mala concupiscentia eliminanda.

10. Cum iterum orassent, ait illi Episcopus: Audi decimum præceptum: Aufer a te omnem malam cupiditatem, indueque bonam & honestam cupiditatem: eam namque indutus, malam odio habebis. Fe- D ra enim cupiditas in hæc incidit mala; in dolorem quo vir imprudens miserabiliter absumitur. Hujusmodi autem homines absumit dolor, quia indumento carent bonæ cupiditatis, sed hoc sæculo commixti sunt. Hos itaque ad mortem tradit. Ecquænam illa sunt ait Antiochus, in mala cupiditate, quæ tradunt homines ad mortem? indicato mihi ut ab iis aufugiam. Ait illi Episcopus: Audi. Primum omnium cupiditas mulieris, tum divitiarum multarum cupido, quæ est avaritia, nec non multorum, vanorumque ciborum, ebrietatis nimiæ, variorum gulæ irritamentorum, & aliarum plurimarum stultarumque voluptatum: hu- E manæ item vanæque gloriæ. Voluptas quælibet, stulta est inanisque servis Dei. Abstinere itaque convenit a voluptatibus hujuscemodi, ut iis abstinentes, Deo vivatis. Quod si bonæ cupiditati inservieris, eique obsequutus fueris; dominabere pravæ cupiditati, eamque arbitratu tuo tibi subjicies. Tum Antiochus: Scire vellem, ait, quibusnam modis me oporteat bonæ cupiditati inservire. Cui Episcopus: Audi, justitiam operare, virtutem tene veritatis, necnon timorem Domini, fidem, caritatem, humilitatem & paupertatem pluris facias quã mundanam vanitatem, & his similia: quæ si operatus fueris, servus Deo acceptus eris in sæcula, Amen. F

Sic, conjectando vertimus.

Iterum ait illi Episcopus: Cum videat diabolus non posse se suo marte, id est per suam cogitatinnem, tibi nocere, infirmiores ad te Monachos adducit; quorum opera, quamdam tibi præbet occasionem dialogorum, operum, otii, aut carnalis cupidinis, ut in scandalum te & in perturbationem conjiciat. At tu cum noris has esse inimici insidias, ne cœperis in mente tua dicere: Ego-ne tam præclaro genere oriundus, ad pedes hujusce qui privatus & vulgi homo est, me prosternam? Immo ea maxime de causa procide coram illo, memor jussionis Salvatoris nostri Jesu Christi, qua præcipitur tibi: *Si quis percusserit te in maxillam dexteram, præbe illi & aliam*: neque ab illius pedibus ante abscesseris, donec veniam ab eo cum oratione impetraris, ut perfecta humilitatis corona doneris in sæcula, Amen.

Matth. 5. 39.

Undecimum mandatum, tristitia vitanda.

11. Et postquam ambo precati sunt, ait illi Episcopus. Audi undecimum quoque præceptum. Exige a te omnem tristitiam, nam soror illa est animi dubii & hæsitantis, nec non iracundiæ. Tum Antiochus: Qui, quæso, ait, Domine, soror illius est? Aliud enim videtur mihi iracundia, aliud dubitatio animi, aliud, tristitia. Cui Episcopus: Quid quod non intelligis quæ dicta sunt? Ii namque non intelligunt, qui sese in carnalia & mundana facinora dejiciunt. Annon intelligis omnium affectuum pessimum esse tristitiam, Deique servis durissimam: quæ plus quam alii omnes (nequitiæ) spiritus hominem corrumpit. Sane qui Deum timent, divinaque opera ac veritatem scrutantur, & corde Domino adhærent, ii omnia sibi dicta cito intelligunt & percipiunt, quia puri sunt & vacui omni cura & solicitudine sæculari: nulloque alio tenentur (affectu) quam timore Dei. Nam ubi Dominus habitat, illic intelligentia multa. Adhære itaque Domino, & nulla non intelliges. Audi igitur quo pacto tristitia spiritum adterat, & quo pacto contra salvum faciat. Cum homo dubius animi quidpiam aggreditur, quod dubitationis causa præter sententiam ipsi cadit, tum tristitia invadit hominem, Spiritumque sanctum contristat atque angustat. Hinc rursum ubi iracundia occupat hominem, ob rem quamlibet, atque multum exarcebat, ita ut in malum quidpiam facinus prorumpat, tunc iterum tristitia ingreditur in cor hominis iracundi, atque de facto suo dolet, pęnitetque illum admissi facinoris. Hęc itaque tristitia videtur salutaris, quia eum commissi facinoris pœnitet. Verum utręque res hominem contristant, nempe tristitia, quia res non e sententia cadit, & iracundia, quia flagitium perpetravit: quæ ambæ Spiritum sanctum contristant. Elimina ergo tristitiam, neque contristes Spiritum sanctum in te habitantem: ne forte Deum obsecretur, & a te abscedat. Spiritus namque Dei qui carni nostrę impertitur, carnalem tristitiam non sustinet, neque coarctationem. Sola enim tristitia pręteritorum peccatorum, adfert utilitatem; dum ulterius non peccaveris. Indue hilaritatem, quæ omni floret gratia apud Deum, cui est acceptissima, in eaque lætare. Omnis quippe hilaris homo, bona operatur, bona sentit & cogitat, spernitque vanam tristitiam: contra homo tristis assidue irascitur & iniquitatem operatur, nec Dominum precatur, neque mala ipsi confitetur sua. Oratio quippe viri tristitia occupati, ascendere non valet ad Altare Dei, quia tristitia insidet in corde ipsius. Tristitia ergo mundana precationi commixta, non sinit precationem ascendere puram ad altare. Quemadmodum enim acetum & vinum permixta non eamdem ferunt ambo voluptatem: sic tristitia cum Spiritu sancto mixta, non eamdem emittit orationem. Purga igitur te ipse a prava illa tristitia, & vives Deo in sæcula, Amen.

Duodecimum præceptum, Deum timere, diabolum non timere oportet.

12. Postquam autem oraverant, ait illi Episcopus: Adtente perpende, & ex toto corde tuo convertere ad Dominum, nec diabolum reformides, vis quippe nulla in eo est adversus servos Dei: nam Deus est qui dat victoriam. Diabolus terrorem quemdam solum imprimit, sed terror ille nihil virium habet. Ne formides itaque illum, & a te fugiet. Nec minas illius pertimescas. Perinde enim imbecillus est ut nervi cadaveris. Nec potest dominari Dei servis, qui ex toto corde suo sperant in illum. Pugnare diabolus valet, oppugnare non valet. Si obstiteris illi, superatus fugiet a te cum pudore. Time potius Dominum, qui

potest

potest salvum facere & perdere. Ne reformides vel timeas mortem quæ fluxa est. Sed time peccatum, quod ex voluntate & electione procedit. Cave tibi a tribus corporis tui membris, oculo, ore, auditu. Ne forte aliquem torvis & invidis oculis respicias; & ore quædam noxia proferas: auditum vero sanæ fidei adhibeto tantum; ne forte perversum sermonem admittas, vel ex noxio auditu ab imprudentibus cogitationibus supereris, & revertare velut canis ad vomitum tuum. Sed potius novissimam diem tecum reputa. Neque enim tu solus in sæculum vives: sed memento futuræ illius coarctationis suffocationisque, horæ obitus, urgentis sententiæ Dei, Angelorum festinantium, animę harumce rerum spectaculo turbatæ, conscientia sua graviter perculsæ, & res hujus sęculi miserabiliter respicientis: atque in deprecabilem illius peregrinationis necessitatē in tua mente describito, nec non postremum communis hominum vitæ exitum, quo tempore veniet Filius Dei in gloria sua cum Angelis sanctis suis. Veniet namque & non silebit, cum venerit Dominus judicare vivos & mortuos, & dare unicuique secundum opera sua. Memento ignei fluminis, vermis qui numquam moritur, horribilis inferni, tenebrerum exteriorum, acerbi luctus, stridoris dentium, inextincti camini. Omnia enim nuda & aperta exhibebuntur, cum tuba illa magnum quid & terribile personans excitabit eos qui a sæculo dormiunt: *& procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*. Memento visionis Danielis: quo pacto ob oculos ponat judicium. *Donec*, ait, *throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & vestimentum ejus album sicut nix, & capillus capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus ut flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus: fluvius igneus fluebat in conspectu ejus. Millia millium ministrabant ei, & decies millies dena millia assistebant ei, judicium sedit & libri aperti sunt*. Tum bona, mala, manifesta, abscondita, facta, dicta, cogitata, derepente omnibus audientibus cum Angelis tum hominibus palam revelabit. Omnia enim, uti supra dixi, nuda & manifesta exhibebit, coram terribili tribunali. Vide igitur ne residuum temporis, quo te oportet immensam ejus misericordiam flectere & demereri, in vanitate absumas; quod postea ad portas inferi exquisiturus & optaturus es: nec invenies illud, quod in medio dierum tuorum cum adesset respuisti. Recordare itaque horrendum illum diem judicii, quo causam dicturus es, quo pacto dicturus illam es apud Deum qui te condidit, quia ipse judex est vivorum & mortuorum. Quoniam glorificatum est nomen Patris & Filii & SpiritusSancti, sicut a principio ita & nunc & semper & in sęcula sęculorum, Amen.

Confestando sic vertimus.

Joan. 5. 28.

Dan. 7. 9.

13. Completis hisce duodecim præceptis, Episcopus ait illi: Incede in hisce præceptis, & cohortare eos qui audiunt ut incedant in illis, ut pura sit eorum pœnitentia, reliquis diebus vitæ eorum: confidentes se non modo remissionem peccatorum recepturos, sed etiam cælestis regni hæreditatem, quam faxit Deus ut nos assequamur, gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri & Sancto vivificoque Spiritu, gloria, honor, imperium in sæcula sæculorum, Amen.

14. His auditis præceptis Antiochus, descriptisque quasi in libro in corde suo, festinanter in cœnobium concedit hæc secum reputando: Ne si solus degam extollar, & mihimetipsi noceam, ad obsequendum fratribus me tradam: atque singulorum institutum vitæ contemplatus studioque permotus proficiendi, per Dei gratiam eorum virtutem imitabor. Quod etiam ita factum est. Ingressus enim in cœnobium, ita cum fretribus versatus est, ut arbitraretur se non cum hominibus, sed cum Angelis Dei vitam agere; jussaque omni studio, alacritate, & gaudio compleret: ac omni fastu, superbia & mundanarum rerum memoria eliminata summam exerceret temperantiam, obedientiam, humilitatem, fratrum amorem, taciturnitatem, caritatem; nihilque aliud cogitaret, quam precepta monitaque Sancti Patris & Episcopi Athanasii, & spem in Christum Jesum. Nullique non fratri utile & fructuosum erat, quod hominem cerneret olim in mundo divitem, præclarum, atque omni urbanitate educatum, jam se non putare hominem esse nobilem atque liberum; sed cum omni vilitate degere. Deumque laudabant qui plura impertit hominibus, quam ipsi petant vel requirant ab eo. Quem cum videret præfectus Monasterii, tot tamque præclaris Dei gretia pollere gestis, atque nulla non ornatum esse virtute; secundo post ingressum suum anno, ipsum constituit Monasterii sui Apocrisiarium; ut in urbem pro qualibet necessitate concedens, magna cum pietate ministraret, quam rem fratres omnes comprobarunt. Servus porro Dei Antiochus, repugnare nescius, summa cum pietate, ut ab initio, eum exsequutus est obedientiæ legem; postulataque omnium fratrum oratione, in urbem concessit, ut omnibus monasterii negotiis vacaret. Repertoque ibi viro sibi olim amico, Ecclesiæ diacono, cui nomen Pistus, apud illum diversabatur, cum officii sui causa concedebat in urbem. Sed invidus dæmon tantam Viri solertiam & pietatem conspicatus, illud minime ferens, vide mihi, quæso, quid machinatus sit.

Antiochus ingreditur in monasterium, & monachus efficitur.

In Apocrisiarium eligitur.

Vide in onomastico ad vocem apocrisiarius.

15. Filia Diacono erat unica, quam cum frequens invisęret Lector quidam nomine Alexander, vitium ei obtulit: hinc cum puella uterum gestaret, metuens Lector Episcopi indignationem, nec pudorem ferens, puellæ auctor fuit, ut hoc crimen servo Dei Antiocho adscriberet, cui pollicetur puella se rem omnibus ita narraturam. Elapsis quadraginta a pueri ortu diebus, Episcopo innotuere quæ puellam spectabant. Accitam eam Episcopus percontatur ingentibus adhibitis minis, quis esset facinoris auctor. Respondit illa Antiochum esse Monachum, qui, inquit, frequens apud nos diversatur. Credidit Episcopus, & qui aderant universi, magnaque indignatione permotus, mittit in Monasterium qui servum Dei adducant. Ingressis illis cum eo in civitatem, alius cum contumelia adficere, alius in illum spuere, probris alius onerare. Adstitit autem ille coram Episcopo, & interrogatus de puella, & de casu isto, ait Antiochus: Si veritatem dixero, veritati meæ a mendacio vestro minime fides habebitur. At præsente tota turba, ait cum clamore puella: Quid tibi dicendum superest? non potes rem negare: a te namque genitus puer est: equinam ille pudor? fatere delictum. Tunc ingemiscens servus Dei Antiochus: Date mihi, inquit, puerum ut videam num a me sit genitus. Accepitque puerum qui quadraginta dierum erat, & cum prę manibus teneret eum, cum ad cęlum oculos levasset, ait puero: In nomine Domini dicito puer, num a me genitus sis. Tum per Dei gratiam, exclamat puer voce magna: Nequaquam Dei serve, purus tu es coram Deo. Qui vero hoc scandalum fecit, est Alexander lector. Tunc puella ut se a Deo convictam animadvertit, repente prolapsa ad pedes ejus exspiravit. Rogavitque illum Episcopus ut injuriæ memoriam deponeret. Lector autem multis gravibusque sibi impositis ferramentis, ex urbe egressus, in parva sese cellula inclusit, ubi ad mortem usque pœnitentiam agens, perfectam Deo reddidit confessionem, gratia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula, Amen.

Confessi criminis accusatur.

Infans 40. dierum loquitur & purgat Antiochum.

16. Et cum remigraret ille ad monasterium, prope urbis portam, adolescens quidam procidit ad genua ejus

ejus hæc dicendo: Serve Dei veniam mihi concedito, quod in faciem tuam conspuerim, puellæ iniquæ te accusanti dictis fidem habens; cujus facinoris causa jejuno & Dominum deprecor. At servus Dei Antiochus ait illi: Mei causa ne fleas vel jejunes; sed fleto & jejunato, ob vestimentum quod ante tres dies furatus es mulieri viduæ atque egenę. Cumque tibi quinque essent vestimenta, unum illud viduæ subripuisti. Tunc adolescens convictus, ac terrore correptus, miratusque, quo pacto palam id esset, quod clam ille & vespere solus admisisset; abscedit tremens, adfertque sua quinque vestimenta, com illo ad viduam pertinente. Mulierique dat omnia, rogans ut secum ad genua servi Dei procidat. Ut ambos vidit ille prolapsos, & reum ex corde pœnitentem, admisit illum ad osculum sanctum. Aitque adolescens: Volo, Domine mi, multis diebus jejunare, quia multa sunt peccata mea. Cui servus Dei: Quo pacto vis jejunare? Tum ille: A mane usque ad vesperum. Aitque illi Antiochus: Quo in loco degis dum ita abstines a cibo? Cui ille: Amicos& negotia mea inviso, hinc paululum dormio,& cum vespera accesserit cibum sumo. Ait illi servus Dei Antiochus: Hoc, jejunium non est. Nam si à cibis abstineas,& in aliquem obtrectes, vel quempiam contristes vel calumnieris: aut si post priorem disceptationem injuriæ memoriam retineas; si item vespere lautam pares cœnam, teque inebries ac turpia perpetres, aut si horum quidpiam concupiscas; multo pręstabilius tibi est, ut quinquies quotidie comedas,& hisce rebus abstineas, quam ut nihil gustes & hisce rebus te commisceas. Quidnam utilitatis adfert abstinentia a cibis, si omni alia concupiscentia impleare? An ignoras eum qui suam implet concupiscentiam, vel solum mente, licet externis non satietur cibis, jam saturum & ebrium esse? Sed si velis temperanter agere & jejunare, ut jejunium tuum Deo sit acceptum, primum omnium observa ut jejunes ab omni pravo sermone proferendo & audiendo:& purga cor tuum ab omni inquinamento, injuriarum memoria, turpis lucri amore. Et qua die jejunaveris, pane, oleribus& aqua contentus esto, gratiasque Deo agas. Computato autem prandii quod eo die sumturus eras pretio, eroga viduæ, orphano, egeno, qui impleta anima sua, orabit pro te Dominum. Si ergo jejunium, ut præscripsi tibi, persolveris, sacrificium tuum erit acceptum in conspectu Domini, & descriptum in cælis in die retributionis bonorum justis præparatorũ.

His auditis adolescens, omnibusque relictis servum Dei vi compulit ut se reciperet in Monasterium. Ac sequutus illum, servatisque omnibus quæ ab eo didicerat, atque anno uno in magna temperantia, lacrymis & gemitibus percurso, in pace obdormivit, tradiditque Domino Spiritum.

17. Elapsis tribus annis, mox moriturum Monasterii præfectum, quidam sancti Episcopi visum venerunt: rogavitque illos Præfectus, ut fratrum amantem, injuriarum immemorem & humilem Antiochum sui loco constituerent: quæ eadem erat fratrum omnium postulatio. Repugnante illo ac collacrymante, magna vi Episcopi invitum illum, cum prius ordinassent presbyterum, constituerunt & Hegumenum seu Præfectum. Ac cum Præfectus totum ipsi in Christo fratrum cœtum commendasset, obdormivit in pace. Suscepta igitur hujusmodi cura Antiochus in multo studio, temperantia, vigiliis & orationibus perseverabat: multaque præclara gesta per cum Christus operabatur.

18. Post duos vero suæ in Monasterio præfecturæ annos, duo pusillanimes fratres, communi sententia ex Monasterio egressi, reversi sunt ut canes ad vomitum suum, sese dantes voluptatibus, deliciis & lasciviis hujus sæculi. His compertis servus Dei Antiochus, multum sese maceravit, ambos illos deplorans fratres, ac Dominum illorum causa precatus est. Psallentibus ante illis Nonam, ubi una cum fratribus genua flectebat, raptus est in exstasin, animaque ejus abripitur ab Angelo. Multo elapso temporis spatio, cum nondum expergisceret, surgit secundarius ejus, leniterque hortatur ut exsurgat, orationisque ministerium persolvat. Conspicati autem nec vocem nec auditum esse, intellexere visionem illum contemplari, ac completo canone abscessere ab illo. Cum autem immineret solis occasus, cum clamore ait: Gloria tibi Deus, Gloria tibi. Tunc accessit omnis cœtus, rogavitque, nihil ut celaret eorum quæ Dominus sibi revelasset. Et cum præ importunitate fratrum celare non posset, facta prius oratione, ita orsus est. Raptus per Domini gratiam ab Angelo veni in agrum quemdam. Ostendi: que ille mihi adolescentem quemdam indutum synthesi croceorum vestimentorum, qui quamplurimas pascebat oves: erantque oves illæ deliciantes, admodumque luxuriantes & hilares, hinc atque hinc exsultantes. Ipseque pastor multum hilaris in ovili degebat suo,& oves circuibat. Aliasque vidi oves, luxuriantes & deliciantes uno in loco, nec tamen exsultantes. Aitque mihi. Viden hunc Pastorem. Video, inquam, Domine. Hic est, ait, Angelus voluptatis. Hic avertit animas servorum Dei, & avertit a veritate, malis decipiens illas concupiscentiis, in quibus illæ pereunt immemores mandatorum Dei viventis, incedentesque in vania voluptatibus, & fallaciis hujus vitæ. Quapropter dispereunt ab hoc Angelo in mortem & corruptionem deductæ. Tum ego: Ignoro, Domine, quid sit in mortem & corruptionem. Dixitque mihi: Audi & percipe quæ vides: Oves hilares illæ & exsultantes, hi sunt qui a Deo ad finem usque avulsi sunt,& sese concupiscentiis hujus sæculi tradiderunt. In his itaque nulla est pœnitentia de vita sua, quia etiam nomen Domini propter illos blasphematur. Harum vita mors est. Quas autem vidisti non exsultantes,& in loco suo pascentes, hi sunt qui sese quidem voluptati & fallaciæ dedidere, sed in Dominum non blasphemavere. Hiquidem corrupti & a veritate seducti sunt, in his tamen spes est pœnitentiæ, in qua vivere possunt. Earũ itaque corruptio non est sine spe resurrectionis, usque ad certum temporis spatium. Mors autem æternũ est exitiũ.

19. Rursus paululum processimus,& ostendit mihi alium pastorem statura præaltum, efferaque specie, indutum caprina pelle alba, qui peram habebat humero impositam, ac præduram nodosamque virgam, torvoque erat adspectu, ita ut reformidarem illum. Hic itaque pastor oves accepit a primo pastore illo adolescente, illas scilicet, deliciantes, luxuriantes, nec exsultantes, ac conjecit illas in quemdam præruptum locum, spinis & tribulis perplexum, ita ut non possent oves a tribulis illis & spinis sese extricare, sed in ipsis complicarentur, ac miserrime agerent, ab illis etiam lancinatæ, atque ultro citroque compulsæ. Nullam denique concedebat requiem, nec ut quodam loco consisterent. Cum illas ita verberatas & misere afflictas conspicerem; dolebam pro illis quia valde cruciabantur, nec intermissionem ullam habebant. Angelum meum loquentem percontor: Domine, quis hic pastor est, ita immitis & acerbus? Aitque mihi: Hic est Angelus ultionis, qui e numero est Angelorum justorum, constitutus ad ultionem. Hic excipit eos qui a Deo aberrarunt,& incesserunt in concupiscentiis suis. Atque illos pro merito suo ulciscitur, atrocibus & variis affligens suppliciis. Tum ego: Scire cupio, Domine, quæ & qualia sint varia illa supplicia. Audi, inquit ille, varia supplicia & tormenta, sæcularia sunt tormenta. Cum enim sese homines a Deo separaverint, rati se in quiete & divitiis versaturos, tunc pœnas luunt, & alii quidem mulctantur, alii egeni evadunt, alii in infir-

infirmitates plurimas cadunt & in seditiones, alii ab inferioribus contumelia adficiuntur, & alia iis similia contingunt. Plurimi namque qui tumultuose consilia agitant, in multa negotia conjiciuntur, nihilque illis prospere cadit, quod indigne ferunt ipsi: ignorantque ideo se minus prospere rem agere, quod mala perpetrarint: ac demum Dominum incusant, nec sustinent reliquis vitæ suæ diebus ad Deum converti atque illi puro corde servire. Quod si resipiscant pœnitentiamque agant, tunc intelligunt mala sua opera in causa fuisse, quod non prospere rem gesserint, atque ita Domino gloriam referunt, ut justo judici, a quo jure adflicti, & juxta opera sua castigati sunt. Audi itaque vim utriusque, voluptatis scilicet & supplicii. Voluptatis fallaciæque una est hora; supplicii autem horæ triginta, quæ dierum vim habent. Si quis ergo die una voluptati vacet & pro ea re cum eo expostuletur, atque uno die crucietur, dies illa cruciatus anni integri vim habet. Quot igitur quisque dies voluptati sese dediderit, tot annis cruciabitur. Vides ergo voluptatis & fallaciæ tempus nihil esse, supplicii vero & cruciatus longissimum. Qui voluptati vacat & fallaciæ hujusmodi, ac pro libidine agit, is magna indutus est amentia. Pro voluptate namque & fallacia cujusque diei, magnum luet supplicium, annum scilicet pro qualibet die. Dixique Angelo: Quales voluptates noxiæ sunt, dicito mihi. Omne carnale opus, voluptas est: Nam iracundus, cum suo affectui facit satis, voluptatem percipit: similiterque mœchus, temulentus, obtrectator, mendax, avarus, defraudator, & si qui alii. Voluptatem namque in suo opere percipiunt. Hæc autem opera noxia servis Dei sunt. Sunt autem & voluptates quibus homines salutem consequuntur. Multi namque bona operando voluptatem habent. Quę voluptas servis Dei vitam adipiscitur; prędictæ autem voluptates, cruciatum. Hæc cum mihi declarasset Angelus, in meum me locum reduxit. Gloriam itaque referamus, fratres, clementiæ Dei, qui ita longanimis est, ita misericors erga tantam hominum malitiam. Ipsi gloria in sęcula sęculorum, amen.

20. Modico autem elapso tempore, duo illi fratres qui ex Monasterio egressi fuerant, inciderunt in tentationem & in calamitates. Alteri enim excrevit ulcus ad latus, atque ingressus in Nosocomium seu infirmorum hospitium intra duos menses ter medici manu curatus, neque ita sanatus est. Alter vero cum in seditiosos incidisset, a dorso, & a ventre verberatus, ferro onustus in carcerem conjectus est, atque in tenebris degit multis diebus. Cum autem oratio sancti Patris Antiochi miseratorem Deum placasset, Christi beneficio eductus ille ex carcere, cum ad Nosocomium venisset, fratrem alium adhuc dolore laborantem, paulum sustentans, manuque sibi innixum, deduxit ad Monasterium: ac cum illi rem indicasset ostiarius, invenit ante ostium fratres illos, gratiasque hominum amanti Deo agens, homines suscepit. Atque facta super illis oratione, statim sanitati corporeę restituit. Ac demum pœnitentiam agentes de delictis suis, in multa exercitatione, lacrymis, vigiliis, magnaque humilitate perseverarunt. Elapsisque tribus annis, cum pace & bona confessione, obdormierunt in Christo Jesu, cui gloria in sæcula, amen.

21. Alio tempore sedente illo ac legente librum præceptorum sancti Patris & Episcopi Athanasii, alta voce & cum grandi voluptate, quidam ex fratribus cum singula adtente audivisset, ait illi: Domine, hæc præcepta, magna, pulcra, & valida sunt, possuntque delectare cor ejus qui ea complere valet; sed nescio, Domine, an possint plurimi ea servare, dura namque sunt. Istum intuitus servus Dei, magna cum severitate ait: Ignave, piger, desidiose, & pusillanimis: Nonne vides te, si tibi ante proposueris posse illa observari, facile illa observaturum nec tibi fore illa dura & difficilia? Quod si cum corde tuo reputaveris, non posse illa ab homine observari, numquam observaturus es. Annon nosti Dei gloriam, quanta, quam valida, quam mirabilis illa sit; quod scilicet mundum creaverit propter hominem, potestatemque illi dederit ut dominaretur omnibus quę sunt super terram? Quid igitur horum omnium homo dominus est, omnibusque imperare valet; ecqua ratione non poterit hisce præceptis dominari? Quomodonam David gigantem alienigenam, hominemque bellatorem, omni armorum genere instructum superavit? nonne solo proposito, ac fide ex corde procedente? Ipse solus hęc Deo obtulit. Deus autem visa ejus alacritate, ac fide in corde ejus insita, necnon spe, ipse tandem victoriam præstitit, uniusque adolescentia manu inimicum prostravit. Et discito non Davidem, sed Deum id operis perfecisse. Cogita Stephanum primum martyrem, quot lapides a quot hominibus injectos exceperit, ac nisi ipse Dominum Christum precatus esset, nequaquam ipsi tradidisset spiritum. Cur de viris loquimur? Juditham mihi considera, adeuntem Holophernem, nec de sua cogitantem infirmitate, non de decoro, vel de periculo suo. Nequaquam dixit in semetipsa: Tot viri in urbe sunt robusti, prævalidi, prudentes, artificiosi; quorum nemo hoc facinus tentare audet: Et ego omnium imbecillima, illud aggrediar? Nihil ejusmodi cogitavit. Sed cum omni alacritate & fide, ad omnipotentem Deum cum fiducia accessit; ac Deus qui omnia potest, acceptam ejus habens fiduciam, quod reliquum erat ipse perfecit. Nam miserator Deus non corporis robur, sed propositum, studium & patientiam requirit. Abscedat itaque humana omnis occasio & conatus: non dicendum quippe Deo est: Infirmus sum. Deus namque non robur a te requirit, sed cordis propositum. Dic mihi, quam habuit vim latro ille ligno confixus a dextris Christi? Nonne in infernum perrecturus erat? Et mulier quæ Dominum unguento unxit, & lacrimis rigavit pedes ejus, nonne proposito & fide sua solum salva facta est? Nolo de Thecla loqui vel de reliquis mulieribus, quæ in futuro sęculo cum gloria coronatæ prope Christum collocabuntur. Pusillanimes autem & pigri, cum pudore pergent ad supplicium æternum. Itaque omnibus hisce præceptis adimplendis superior est homo, qui Dominum habet in corde. Qui autem in labiis tantum habent illum, cordeque excæcato, ob inertiam suam procul Domino sunt; his præcepta ista dura sunt & difficilia. Ponite igitur indesinenter, o pusillanimes & fide levissimi, Dominum in cordibus vestris, agnoscetisque nihil esse facilius hisce pręceptis, nihil dulcius, nihil placidius: violentorum quippe est regnum Dei. Nam petenti datur; qui laboriose quærit, inveniet, & pulsanti ex corde & cum patientia, aperietur: atque plura dabuntur quam petamus. Vanus quippe est quisquis homo, & hic frui vult & quiescere, & illic cum Christo regnare. Vim igitur tibi inferas, atque spem habeto in omnipotentem Deum; quia apud illum radix est bonitatis, fons miserationis, pelagus misericordiarũ. Ipsi gloria & magnitudo in sęcula sęculorũ, Am.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Ad Antiochum Ducem.

1. PERPENDAMUS, benedicte homo Dei, super omnia, per omnia, ante omnia, quomodo ambulemus, quidve circa nosmetipsos consilii capiamus; gnari multos adesse gestorum cogitationũque nostrarũ testes invisibiles: qui non ea solum vident quæ sub aspectũ cadunt; sed etiã animas respiciunt, & quod in corde latet deprehendunt. Multi revera circumquaque nobis adsunt ex Angelicarum virtutum numero, qui dicta, facta, sensa nostra ad minimam usque cogitationem accuratissime in cælo describunt, ut hinc coarguamur in tremenda judicii die, quando universa aspectabilium rerum creatura, inenarrabili impulsu concussa in propriam pelletur consummationem. Cælum & terra radicitus transibunt, & quæ in medio sunt elementa, incendio absumta solventur. Tum antiquus dierum sedebit, libri aperientur, in quibus nostra opera, verba, cogitata fideliter atque incorrupte descripta continentur. Millia millium ministrant illi, & decies millies dena millia adsistunt illi. Ignis illic comminatio est, qui ubique discurrit, omnia circumquaque complectitur, montes liquefacit sicut ceram. Fluvius enim igneus fluit in conspectu ejus. Quando tartarus, vastissimus omnemque cogitatum superans hiatus, tenebræ exteriores, vermis numquam moriens una conspicue aderunt. Hinc summus terror exspectantium exitum. Stabunt Angeli iræ ministri, igne micantes, ignito intuitu respectantes, ignem spirantes, parati ad omnem ultionem cujuslibet peccati. Ad hæc cum tremore aderit omnis creatura, terrena cælestisque; Angeli scilicet, Angelisque superiores potestates, omnes demum qui in cælis sunt, exspectantes horrendi consilii divini declarationem. Nobis interea sedentibus, legentur opera cujusque, fietque occultorum revelatio; ita ut omnes aliorum peccata mutuo cognoscant, quemadmodum singuli sua, & librum legant suæ conscientiæ. Psal. 49. 21. Nam, *arguam te*, ait, *& statuam contra faciem tuam* peccata tua. Et rursum, *circumdabunt eos consilia eorum*. Et ecce homo & opus ejus, ac judex qui decipi nequit, cui adest magnifica cælestium ordinum potestas, in excelso solio omnibus superior sedebit, omni fulgens justitia, qui singulis accurate & juste pro merito retribuet; iis quidem qui a dextris sunt, quæ statio est scilicet animæ mitis & mansuetæ, regnum tribuens a constitutione mundi paratum; eos autem, qui quod bonis operibus careant a sinistris constituti sunt, cum furore mittens in ignem æternum, paratum diabolo & Angelis ejus.

2. Quis ignem illum perseverantem sustinebit? quis non horrebit incredibile illud vermis spectaculum? Quis tenebrarum ejusmodi exteriorum densitatem gravitatemque ferre poterit? Quis mugientem tartarum, & ex profundo illius una reboantem abyssum sustinebit? Quis Angelorum ad eam rem deputatorum truculentum ac torvum adspectum, tristemque vultum tetra versantem non horrebit? Quis, quod omnium malorum gravissimum est, aversionem vultus Dei natura boni, benigni, & misericordis, non reformidabit? Universa creatura una aversabitur & exsecrabitur eos qui ex adversa & maligna mente sese

A tantis complicavere malis; juste indignata adversus illos, quod sese tales apparere conspiciant, coram eo qui natura solus Deus & hominum amantissimus est. Quis ingentem conscientiæ pudorem futurum in manifestatione secretorum, sustinebit? Quis fletum illum non tacendum, lacrymas acerbas illas, dentium fremitum, lamentationesque eorum qui tormentis cruciabuntur, quis pœnas ex negligentia ortas in medio corde sitas, quæ jure & merito comburent, tolerare poterit? Quis anxietatem animi, eo quod nulla sit futuræ spes mutationis, aut finis instantis supplicii, neque ulla exspectetur deinceps ad bonam vitam conversio, enarrare

B queat? Postremum namque & solum est horrendum illud tribunal & justius quam terribilius; atque ideo terribile quia justum, & quia justo suo calculo omnia in se complectitur secula. Quis ejulatus & gemitus ex medio cordis illorum prolatos, ipsisque medullis hærentes, atque acriter viscera rodentes, si consideret, lacrymis temperare poterit? Quis lamenta & fletus ejusmodi ferat, quin in tristitiam cadat (si perpendat) quænam proferant illi pœnitentiæ verba, tum ea quibus sese quisque cruciatus alloquitur, tum omnium ad omnes. Tunc enim revera

C quisque suorum gnarus est delictorum, cum res prout in se sunt nudæ, atque omni cujuslibet fraudis impedimento vacuæ apparuerint.

3. Justum est judicium tuum, Domine, nos quippe vocasti, nec obtemperavimus tibi: verba fecisti nobis, nec adtendimus; immo irrita fecimus tua consilia. Jure advenit nobis exitium, pernicies, tempestas, ærumnæ, & obsessio. Jamque te invocamus, nec exaudis; misericordiam ex te quærimus, nec invenimus. Nos enim qui sapientiam & verbum Domini odio habuimus, neque Dei consiliis animum voluimus adhibere, hujusmodi ex nostro semine fructus decerpimus, ac no-

D stra replemur insania. Nos quippe excæcavit fallacia vitæ, neque novimus mysteria Dei, nec speravimus prorsus esse quamdam sanctitatis mercedem: quapropter semitis iniquitatis repleti sumus. Ambulavimus per vias inaccessas, divinæ scilicet visitationi, viam autem Domini ignoravimus. Ecquæ illæ divitiæ quas cum arrogantia accumulavimus? Hęc omnia quasi umbra transiere & quasi nuntium præteriere, necnon quasi navis undam secans agitatam, qua prętergressa, nullum comparet vestigium, nulla semita in fluctibus conspicitur. Vel sicut avis per aerem volantis nullum volatus reperitur signum. Hæc omnia transiere, nobisque pro

E hæreditate reliquere hunc ignem per omnia sæcula perdurantem. Justum est judicium tuum Deus; hæc enim dicendi numquam deinceps finem faciemus: vocati sumus, nec obtemperavimus, moniti fuimus nec adtendimus. Docebamur quotidie hujusmodi fore ærumnas, & dicta hujusmodi despiciebamus, neque nobis isti sermones vel minimum molestiæ adferebant: quia nec ipsæ res nobis admodum molestæ erant: nugę videbantur nobis esse quæ jam nostram occupant vitam. Hoc canimus assidue. O negligentiam! o fallaciam! o prava consilia! o pravæ commutationes! o miraculum hac in re justi Dei judicii ac sententiæ. Quo pacto pro singulis peccatorum generibus, congruum nobis reddidit cruciatum; ob miseram & respuendam

volu-

voluptatem, in hanc terribilem gehennam merito damnati ſumus: hæc caligo, hæ tenebræ, in domicilium nobis deputatæ ſunt. Quoniam ſcilicet obſcœna omnia dileximus, divina bona omnia pariter deſpeximus, illiſque antepoſuimus, equeſtria, theatra, venationes; quibus in rebus dæmonum choreæ verſabantur, aberatque univerſa divina Angelorum ſpeculatio & cognitio. Illic probæ lætitiæ gravitas multis contumeliarum modis adficiebatur; intemperantiæ vero exſecrandum malum in honore erat. Jure ac merito jam luce privamur, quia creaturas ad gloriam conditoris Dei contemplati non ſumus in vita noſtra; ſed polluimus oculos, aures, & linguam noſtram, maximeque omnium animam ad ſimilitudinem Dei factam nullis non Deo peroſis ſpectaculis, rumoribus, ſermocinationibus, invidiis, obtrectationibus adverſus proximos, non contaminavimus, atque in hunc tartarum conjecti ſumus; ubi loci anguſtiis & hac profunditate voraginis graviter adfligimur: quoniam altæ humilitati, quæ excelſa & divina conciliat, prætulimus ſuperbiam; virtutiſque anguſtias & contentionem, ob ſummam carnis mollitiem voluptatemque repudiavimus.

4. Ubi jam eſt noſtra ſuperbia, ubi ille noſter arrogantiæ erga omnes affectus, ubi carnis illa mollities ſordida & effuſa? O inconſiderantiam! pro intemperato riſu & laſcivo genarum ſtrepitu, gravis jam eſt ſtridor dentium. Quia divinorum ſalutariumque ſermonum diſciplinam reſpuimus, ſed immoderatam ebrietatem divinis laudibus præpoſuimus, jam graviter cruciamur, dum horrenda ſiti lingua noſtra exareſcit. Dignum ſane odio fraterno, invidia, dolo item & hypocriſi, (quibus & per quæ invidia exoritur,) contumelia, calumniis, injuriarum memoria, mendacio, perjurio, fructum decerpimus, hunc ſcilicet vermem qui nunquam moritur, animamque noſtram corrodit intime & inſatiabiliter. Quoniam corrupimus caritatis rectitudinem, tortuoſam & nbliquam fecimus illam, ac per odium nobis ſponte noſtra malum illum vermem condidimus, ac pejorem tortuoſitatem per mendacium nobis effodimus, ob quam Deo qui rectus & probus eſt conjuncti non ſumus. Ipſe namque ait per ſanctum prophetam
[Pſal. 100.4.] David: *Non adhæſit mihi cor tortuoſum*. Digna itaque factis recipimus, potiuſque digna conſilii & affectus noſtri præmia referimus. Pro voluptatis igne, ignem gehennæ; pro tenebris ignorantiæ, & fallaciæ temporaneæ, tenebras æternas, & vermem ultorem qui nunquam moritur; pro verme illo qui per odium & mendacium, cor obliquum & tortuoſum reddidit, & pro genarum laſcivo ſtrepitu, ardoris illius ſtrepitum ſtridoremque dentium: pro elatione inanis ſuperbiæ, & pro effuſione illa, abſorptionem, immenſam voraginem & loci anguſtias. Denique, ut uno verbo dicam, pro ſingulis ſponte admiſſis malis, congruum licet invite ſupplicium merito luimus.

5. O miſeriam noſtram! heu miſeri nos, qui carnis ignem non exſtinguimus jejunio, vigiliis, divi-
A norum eloquiorum meditatione: quibus probe & faciliſſime reſtinguitur ignis, ut ne hoc jam igne torreremus. Quid quod non aſſuevimus videre, audire, loqui ſecundum naturam; ne jam in hac caligine altiſſimoque ſilentio degeremus; ſed luce, verbo & ſapientia Dei, cum ſanctis nos etiam frueremur, divinam gloriam contemplantes, audientes, canentes? Aut quid eſt quod odii ſpontanei vermem caritate non enecavimus, quid non veritate mendacium delevimus? jam certe hoc ardenti verme liberi eſſemus, nec non reliquis quæ miſerrimam noſtram diſtinent vitam. Juſtum eſt Dei judicium. Nequaquam inveni-
B mus quod quæſivimus, nec aperitur nobis janua regni cælorum. Quia enim bonorum januam factis noſtris non pulſavimus, bonorum æternorum non accipimus poſſeſſionem. Quia ſcientiæ gratiam precibus non poſtulavimus, (nullus quippe nobis fuit divinorum amor; ſed mente noſtra terrenis irretita, totam vitam noſtram corrupimus,) illa quidem omnia tranſierunt, verbum autem ultionis horumce ſcelerum manet in æternum, nec umquam præteribit.

6. Hæc illi cum ex malis ſuis, quaſi exemplari quodam edidicerint, quæ ſit divinæ juſtitiæ vis, pœnitentes
C mutuo colloquentur. Ego vero qui ſum miſer, quibus fultus operibus ſperabo ab horrenda eripi damnatione? Cum vacuus ſim omni virtute, omni ſcientia, timeo ne ligatis manibus pedibuſque projiciar in terram tenebroſam, & caliginoſam, in terram tenebrarum æternarum, ubi neque lucem neque mortalium vitam conſpicere eſt, quia ſponte mea pravis adfectibus animæ virtutes ad nperandum, irretivi atque ipſi divinum Angelicæ vitæ curſum intercluſi. Propitius eſto Chriſte, & ab hujuſmodi dolnre nos eripe: neceſſe quippe eſt ut quibuſcum in hoc ſæculo eſſe per prava ſtudia noſtra, libere & ſponte noſtra elegimus, cum iiſdem in futuro
D degere vel inviti cogamur per Dei condemnationem. Erit plane, erit tempus, quo terribilis clanget tuba, horrendo ſono, & hoc univerſum amiſſo ſuo aſpectabili ornatu ſolvetur. Conſpicuus hic mundus totus pertranſibit ad conſummationem ſuam deductus; qui vero jam exſpectatur mundus tunc apparebit, qui oculis, anribus, mentibus nova omnia adferet myſteria. Deus autem ſingulis ſecundum ea quæ per corpus ſuum egerint, ſive bona, ſive mala ſint, pro merito retribuet: magnam tremendamque omnibus poſtremo dans concluſionem. Sed faxit Deus ut nos omnes ſalutarem gehennæ timo-
E rem, pretioſumque regni cælorum amorem concipiamus; timorem quidem, qui nos malis omnino abſtinere ſuadeat; amorem vero qui ad bona hilariter agenda concitet, ut promiſſorum bonorum poſſeſſionem aſſequamur: in Chriſto Jeſu Domino noſtro, cui gloria & imperium cum (Patre) principio carente, una cum ſanctiſſimo, bono & vivifico ejus Spiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Ad Antiochum Principem, de multis & necessariis quæstionibus in divina Scriptura controversis, quas nemo Christianus ignorare debet.

QUÆSTIO I.

QUANDOQUIDEM in consubstantialem Trinitatem credimus & baptizati sumus, dicimusque Deum esse Patrem, Filium similiter Deum esse, itemque Spiritum Sanctum esse Deum; qua ratione non tres deos sed unum & solum Deum dicimus? Et quidem si unum adoramus Deum, clarum est nos, veluti in Monarchiam credendo, Judæos imitari. Quod si rursus tres deos adoramus, perspicuum est Gentiles nos sectari, quippe qui deorum multitudinem inducamus, nec unum solum Deum pie adoremus.

RESPONSIO. Curiose scrutanda non est rectæ religionis ratio; nec investigatinne sed sola fide agnoscenda est & adoranda. B Siquidem Deus si comprehendatur, non est Deus. Namque si nec Angelos nec animas nostras, quæ sunt res creatæ, valemus comprehendere, quanto magis Deum illorum opificem convenit esse incomprehensum? Cognitum enim mysterium, nihil est amplius admirandum. Itaque Christianorum fides, trinusque hypostasi Deus eorum, non unus est hypostasi, formam hominis gerens, ut Græcorum ferunt fabulæ: neque rursus tres sunt quidam dii, a se invicem veluti dissiti. Apage Græcorum commenta. Individua enim est in tribus hypostasibus deitas unius essentię. Ceterum nosse oportet humanam mentem nihil divinitatis C vel verbis vel cogitationibus posse comprehendere vel enarrare. Quotquot autem Deum conati sunt comprehendere, suam ipsorum umbram sunt persequuti. Quotquot itē aliquid de essentia Dei dicere voluerunt, abyssum pugno metiri moliti sunt. Qui vero se in profundum penetrare putaverunt, in improbas hæreses inciderunt. Nec enim Pater & Deus, ut ego qui creatus sum, Pater est, qui creatum Filium, ut ego genuerit: nec Filius genitus est, ut omnis carnalis Filius: nec Spiritus Sanctus, veluti hominis Spiritus, circumscriptus est: sed ineffabile & inexplicabile est sanctæ Trinitatis mysterium. Nec vero dicas, qua ratione illud? nam D id omnem superat rationem: nec quo modo dixeris; siquidem supra omnem modum est divinus modus. Nec item interroges, quonam verbo id explicetur: nam supra verbū est divinū Verbū. Verū crede in Patrem: noli autē rē scrutari. Filium adora sed ejus generationem ne curiose inquire. Lauda Spiritum Sanctum, nec velis investigare sanctæ Trinitatis mysterium. Veni ad Jordanem, ac virtutem sanctæ & consubstantialis Trinitatis clare reipsa vide, Patrem nimirum superne testificantem, Filium vero infra baptizatum sanctissimum autem Spiritum in Columbæ specie descendentē. E Ipsi gloria, potentia, & adoratio cū Patre omnipotente, & unigenito ejus Filio domino nostro Jesu Christo, nunc & semper & in secula sæculorum, Amen.

QUÆST. II. Undenam cognoscit homo se baptizatum plane esse, ac Spiritum Sanctum accepisse, cum esset infans in sancto baptismate?

Esaias 26. 18. RESP. Esaias Propheta inquit ad Deum: *Propter timorem tuum, Domine, concepimus, & parturivimus, ac peperimus Spiritum salutis.* Quemadmodum ergo prægnans mulier, ex fœtus, quem in utero habet, agitatione, certo se novit fructum suscepisse: sic & anima veri A Christiani, non ex verbis parētum, sed ex rebus ipsis & motibus cordis sui, maxime vero diebus festis & illuminationum seu baptismatum, ac communicationis Sancti corporis & sanguinis Christi, ex gaudio animæ suæ discit se baptizatum accepisse Spiritum Sanctum.

QUÆST. III. Quandonam, unde & quomodo facti sunt Angeli?

RESP. Non potest natura humana dicere unde vel quomodo facti sint Angeli: sed hoc solum novit, illos verbo Dei ex nihilo factos esse. Quando vero facti fuerint, alii prima die, alii ante primam putant.

Epiph. Hæref. 65. B Sanctus autem pater noster & mirificus Epiphanius Archiepiscopus Cypri, in libro suo contra Paulum Samosatenum, in Panariis suis, latius exponit, una cum cælo & terra esse factos, & nequaquam prius, refutans contradicentes per syllogismos. Et in alio quodam libro idem asserit.

QUÆST. IV. Undenam manifestum est creatos esse Angelos? namque nihil hujusmodi habetur in libro Geneseos.

RESP. Cum nosset Deus homines, maximeque Judæos propensos esse ad idolorum & multorum deorum cultum, idcirco in Genesi reticuit quod ad An- C gelos spectaret, ne illi qui vitulum & alia quædam in deorum numerum retulerunt, ipsos etiam Angelos ut deos colerent. Quod autem creati sint Angeli, disce a Spiritu Sancto per Prophetam ajente: *Laudate Dominum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Psal. 148. 2.

QUÆST. V. Ex essentiane sunt hujus luminis, an ex aliqua alia natura?

RESP. Quantum sol a stella differt, tantum differt natura Angelorum ab omni visibili creatura.

QUÆST. VI. Quantum igitur Angelorum nu- D merus, hominum multitudinem superat?

RESP. Alii quidem ajunt nonaginta novem partes esse Angelos si cum numero hominum comparentur; propter scilicet parabolam Domini de centum ovibus: alii vero, novem, propter parabolam de decem drachmis. Ceteri autem putant æqualem esse Angelorum & hominum numerum, horum verborum testimonio innixi, *Constituit terminos gentium juxta numerum Angelorum Dei.* Deut. 32. 8.

QUÆST. VII. Qua in re differt dæmonum natura a natura Angelorum?

RESP. Nulla est naturæ ipsorū differentia, sed volun- E tatis, quemadmodū alia est justi mens, alia peccatoris.

QUÆST. VIII. Quot sunt ordines & quot sunt Angelorum naturæ?

RESP. Una est natura, quemadmodum & hominum. At novem sunt ordines, ut Theologię peritissimus docet Dionysius, qui hujusmodi sunt: Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, sex alis instructa Seraphim, multisque oculis ornata Cherubim, & Throni. De una Angelorum substantia loquitur etiam Gregorius Nyssenus in decimo septimo capite libri sui, de homine.

QUÆST.

Hæc quæstio est apud Theodoretum 11. in Genesim, non plane similis in omnibus.

QUÆST. IX. Quot sunt cæli?

RESP. Multi hac de quæstione decertant. Namque liber Genesis duos cælos commemorat. At divus Paulus tertium cælum novit. Quin etiam David Propheta quartum numerat, cum ait, *Laudate eum cæli cælorum*. Sciendum autem est existimare eos qui dicunt, raptum fuisse Paulum in tertium cælum, non in tres cælos, quod quemadmodum hominum natura & unus homo dicitur & multi homines: ita natura cælorum & unum cælum apud divinam Scripturam dicitur, & multi cæli.

QUÆST. X. Quandonam & quare cecidit Diabolus? Nonnulli enim comminiscuntur illum idcirco cecidisse, quod Adamum nollet adorare.

RESP. Stultorum hominum sunt hujusmodi verba. Siquidem cecidit diabolus, antequam Adamus esset. Constat vero ipsum, ut narrat Esaias Propheta, suam propter superbiam cecidisse, qua nempe hæc secum cogitabat, *Ponam thronum meum supra nubes, & ero similis altissimo*.

Esai 14. 14.

QUÆST. XI. Cujus gratia illi concessit Deus ut bellum inferret generi hominum?

RESP. Nempe ut qui Deum diligerent, conspicui forent, & qui voluptatibus essent dediti, deprehenderentur. Nullo enim obsistente adversario, veri milites Imperatoris non internoscuntur. Itaque diabolus causa victoriæ, coronarum, & honorũ iis est qui diligunt Deũ.

QUÆST. XII. Cum diabolus e cælis ceciderit, quomodo in libro Job scriptum est venisse Angelos Dei ut assisterent coram Domino, & diabolum in medio ipsorum?

Job. 1. 6.

RESP. Non ait Scriptura diabolum convenisse in cęlis in medio Angelorum: quapropter perspicuum est eum in terra convenisse. Etenim ubicumque sunt sancti Angeli, Deo assistunt. Verumtamen sciendum est, Deum per sanctum aliquem Angelum cum diabolo esse loquutum, quemadmodum per intermedium aliquem hominem cum damnato solet loqui.

QUÆST. XIII. Num potest veneficium necare hominem?

RESP. Justum quidem nequaquam, immo ne prope quidem accedere. At peccatorem potest occidere, si Deus permiserit. Namque ne in porcos quidem habet potestatem, ut in Euangeliis audivimus.

QUÆST. XIV. Qualem orationem & verbum plusquam omnem aliam orationem verbumque reformidant dæmones & diabolus?

RESP. Quidam spiritu pleni, ac fide digni homines narravere nobis, quod, cum aliquando illis diabolus propria in specie apparuisset, ea de re ab ipsis interrogatus hæc responderit. Nullum est verbum in universo tum vetere tum novo Testamento vim omnem nostram sic disperdens, ut initium sexagesimi septimi Psalmi. Ut igitur id dixit diabolus, Psalmum istum illi inchoaverunt: cujus cum primum tantummodo verbum protulissent, *Exsurgat Deus*, mox ululans diabolus evanuit, reipsa vim hujusce orationis ostendens.

Psal. 67.

QUÆST. XV. Undenam in corde hominis moventur cogitationes & blasphemiæ verba ac nefaria, sæpeque in Deum ipsum contumeliosa, quæ nec anima eloqui vellet, nec lingua hominis nominare?

RESP. Ea sunt diaboli opera, quæ nefanda ipse animæ hominis suggerit, verba contra Deum loquens, hominem in desperationem cupiens adducere. Verum nequaquam inde homo condemnatur: absit. Sæpe etiam ex opinatione homini oboritur hujusmodi cogitatio: qua quidem liberatur, cum se terram & cinerem esse reputat, nec eam cogitationem admodum retinet, sed diabolo dicit: Blasphemia tua sit in caput tuum, diabole. Ego enim Dominum Deum meum adorabo, nec umquam blasphemias in eum proferam. Caute igitur ad ea, quæ dicta sunt, est attendendum. Complures enim homines victi hujuscemodi cogitatione, alii sese ipsi præcipitaverunt, alii in desperationem adducti perierunt.

QUÆST. XVI. Consequens esse arbitramur, ut postquam de Deo & de Angelis disseruimus, tertio jam loco quæstionem de animabus proponamus in medium. Vere enim multa hac de re disputant & inquirunt homines, nempe, quæ res sit ipsa anima hominis, unde ipsa in corpore constituatur, quandonam & quomodo separatur ab homine, quidque agat usque ad resurrectionem. Nemo enim ex mortuis in mundum veniens hæc nobis renunciavit aut confirmavit. Quapropter a tua sanctitate flagitamus ut quæstionem hanc de anima, multis incomprehensam, nos velis edocere.

De hominis anima.

RESP. Hominis quidem anima est substantia intelligens, incorporea, invisibilis, impassibilis, immortalis, fereque Angelorum subtilitati similis. Nunquam tamen anima fuit Angelus, ut fabulantur Origenistæ, nec ante corpora existũt animæ, ut Manichæis videtur: sed quemadmodũ lapide & ferro collisis, ex utroque ignis nascitur, sic in viri & mulieris congressu, corpus & anima Deo jubente constituuntur. Idque tibi persuadeat Paulus Apostolus, qui ait: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale*, videlicet in resurrectione.

1. Cor. 15. 44.

QUÆST. XVII. Undenam certum habetur mortis tempore animam non simul mori cum corpore? Sic enim quidam opinantur.

RESP. Dei Filius & Verbum Jesus Christus apertis verbis nos docet & mortale corpus esse, & animam immortalem. *Nolite*, inquit, *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Certe manifestum inde est immortalem eam esse & a Deo exsistere.

Mat. 10. 28.

QUÆST. XVIII. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus*. Verum quonam, quæso, modo anima separatur a corpore?

1. Tim 1. 15.

RESP. Hominis corpus constare credimus ex quatuor elementis, nempe ex sanguine, phlegmate, humore & bili: sive, ex calido, frigido, sicco & humido, id est, ex igne, aqua, aere, & terra. Namque sanguis, veluti calidum & vitale elementum, ex igne utique est: humor vero, ut humidus, est ab aere: bilis vero, ut sicca, a terra est: phlegma denique ut frigidum, est ab aqua. His quatuor, non secus ac quatuor muris, anima, instar columbæ, in domo corporis conclusa est. Igitur mortis tempore, Dei jussu, quatuor elementis ab invicem discedentibus, quatuor muri domus, ut ita dixeris, dissolvuntur, receditque intus conclusa columba sive anima, ac primo recedit sanguis sive calidum & vitale elementum. Hinc mortua corpora bilem & phlegma ac humorem post mortem servant, at sanguinem nullum habent.

QUÆST. XIX. Ubinam porro esse dicemus animas hominum quæ jam discesserunt?

RESP. Mira sane & metuenda quæstio, hominibusque occulta. Nec enim Deus quemquam ad nos inde redire permisit, enarrareque ubinam quove modo sint animæ a nobis profectæ. Verumtamen discimus ex divinis literis peccatorum animas in inferis esse infra omnem terram & mare, quemadmodum ait Psalmista, *in tenebrosis & in umbra mortis & in lacu infimo*, & ut apud Job scriptum est, *in terram tenebrosam & caliginosam, in terram tenebrarum æternarum, ubi nullus splendor, nec vita est hominibus*. Justorum autem animæ, ut ex latrone in cruce discimus, sunt in Paradiso. Nec enim propter solam latronis animam Christus Paradisum aperuit, sed etiam propter omnes Sanctorum animas.

Psal. 87. 7.

Job. 10. 22.

QUÆST.

Quæst. XX. Quid igitur? Bonane justi receperunt, & peccatores supplicium?

Resp. Nequaquam. Hoc tamen fruuntur gaudio Sanctorum animæ, quæ pars est illorum felicitatis, ut & tristitia, quam habent peccatores, pars est illorum supplicii. Quemadmodum itaque suos amicos accersit Imperator, ut secum prandeant, sic & damnatos ut puniantur. Illi autem ad prandium vocati lætantur ante domum Imperatoris, donec venerit hora prandii. Damnati in custodia inclusi, in mœrore degunt, usque dum veniat judex. Sic sentiendum est de animabus justorum & peccatorum quæ ante nos illuc discesserint.

Quæst. XXI. Si igitur nemo, prout dixisti, neque in regnum neque in gehennam introivit: quid illud ergo est quod de divite & de Lazaro audivimus, illum nempe divitem in igne & tormentis exsistentem loqui ad Abrahamum?

Resp. Quæcumque divitem & Lazarum spectant, parabolice locutus est Dominus, ut & quæ de decem virginibus & ceteris parabolis dixit. Nec enim reipsa contigit Lazari parabola. Quippe in gehenna peccatores non vident justos, qui cum Abrahamo in regno exsistunt. Immo nec quisquam illic in tenebris exsistens, proximum suum agnoscit.

Quæst. XXII. Qui id fiat? Terribile enim admodum & mirum est quod ais, scilicet illic nos non invicem cognoscere, sed fratres fratribus, filiis patres, & amicos amicis esse ignotos.

Resp. Agnitio ex corporeis signis solet fieri. At animæ incorporeæ invicem sunt omnino similes, non secus ac multitudo aliqua nitidissimarum & similium columbarum aut apum, quarum nulla differat vel gravitate vel magnitudine, sed quæ in omnibus æquales sint invicem. Porro loquor de damnatis peccatorum animabus apud inferos, ipsas nempe seipsas non cognoscere. Nam justorum animabus id bonum concessit Deus, ut invicem se agnoscant.

Quæst. XXIII. Demus igitur, juxta quod ais, animas nunc invicem se non cognoscere: at numquid nec in resurrectione mutuo se cognoscent peccatores, qui nempe ex una regione, domo & genere exstiterint?

Resp. Neque in resurrectione.

Quæst. XXIV. Quare?

Resp. Quia figuræ, signa, & affectiones quæ nostris corporibus ex corruptione & satione accidunt, per quas nos invicem hic cognoscimus, in resurrectione mortuorum cum satione & corruptione destruuntur. Et quemadmodum Deus ab initio unum fecit hominem; sic & in regeneratione omnes, velut unus homo, resurgemus: id est, omnis imago hominis similis erit imagini, formæ, magnitudinis & figuræ Adami. Unde in resurrectione non est, parvus aut magnus, niger vel albus, flavus vel rufus, simus aut adunco naso, nec variæ figuræ, formæ & colores. Hæc enim omnia quæ ex satione & corruptione proveniunt, destruentur simul cum corruptione. Enimvero quomodo posset agnoscere pater proprium filium, qui infans mortuus fuerit, triginta jam annorum hominem perfectum resurgentem, quemadmodum & Christus triginta annos natus baptizatus est? Quomodo dignosci possit Æthiops, qui albus resurget: vel qui saucius obierit, sanus resurgens? Quod si hæc tibi videntur vix credibilia, audi Dominum ad Sadducæos ajentem: *In resurrectione* Matth. 22. 30.
mortuorum neque nubent neque nubentur: sed erunt sicut Angeli. Igitur quemadmodum una est species & figura Angelorum: ita idem nostræ naturæ in resurrectione per immortalitatem futurum credimus. Et quemadmodum in frumento spicam fecit Deus ab initio, & ex spica granum prodiit, quod deinde satum, rursus germinat spica: sic & homo factus est a Deo incorruptus propter præceptum: deinde transgressione contritus est ac corruptus redditus: satus vero per mortem & terra obrutus, iterum incorruptus repullulat, qualis ab initio erat.

Quæst. XXV. Num hominum animæ, qui ante nos decedunt, vitam iterum invisunt, nec ne?

Resp. Nequaquam. Audi enim Prophetam Davidem de hominibus morientibus ajentem: *Homo*, Psal. 102. 15.
sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransivit in illo, & non exsistet, & non cognoscet amplius locum suum. De animabus autem justorum nihil est ambigendum.

Quæst. XXVI. Si hæc ita se habent, quomodo sæpe Sancti suis in templis & tumulis apparent?

Resp. Singularis & paradoxa sane quæstio, fidelissimaq. indigens anima ad respondendũ. Tamen si capis, audi nec ratione vacilles. Quæ in templis & tumulis Sanctorũ adumbrationes & visiones fiunt, non per animas Sanctorũ fiunt, sed per Angelos qui formã Sanctorũ assumunt. Quomodo enim, dic mihi, beati Petri vel Pauli anima una possit eodẽ momento in memoria sive monumento ejus apparere in mille ejus templis per totũ orbẽ? id enim nec unus Angelus queat unquã præstare. Solius siquidem Dei est duobus in locis & toto in mundo eodẽ momento reperiri: quandoquidem & ipsæ intelligentes virtutes deficiunt omnino a doxologia quæ in cælis est, cũ in ministerium in terrã mittuntur.

Quæst. XXVII. Quid differt substantia Angeli ab hominis substantia?

Resp. Tres invenimus substantias quas homo nequit comprehendere, nemoque unquam vidit, quæ nec in terra possunt videri, ut sunt nempe Dei, Angelorum & animarum. Attamen conjicimus quod quantum differt sol a luna, tantum antecellit & magis splendet Angelorum essentia, quam animarum hominum essentia.

Quæst. XXVIII. Quomodo Prophetæ sæpe Deum videntes apparent?

Resp. Post Prophetas omnes ipsumque Christi adventum dixit Apostolus, Evangelistaque & Theologus Joannes, quod, *Deum nemo vidit unquam*. Quod Joan. 1. 18.
ut credibile redderet, tanquam aliquid tremendum & singulare, addidit. *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Unde & Sanctus Apostolus Paulus ait, *Quem* 1. Tim. 6. 16.
nemo hominum vidit vel videre potest. Itaque nullus homo nudam Dei essentiam potuit usquam videre, sed sese Deus ad infirmitatem hominum accommodans, formamque congruentem assumens, Prophetis apparebat. Certe tunc ille carnis expers, sæpe illis ut homo incarnatus apparebat. Unde perspicuum est ipsos non Dei essentiam vidisse, sed gloriam. Quod idem de Angelis & nudis animabus est intelligendum. Sola vero sancta Deipara nudam essentiam Archangeli Gabrielis, uti erat, contemplata est.

Quæst. XXIX. Quid ergo? Annon & ipsi Angeli secundum substantiam hominibus in terra apparent?

Resp. Minime. Nec enim corruptibilis oculus substantiam incorruptibilem potest contemplari. Inde vero aperte licet cognoscere Angelos non secundum substantiam nobis apparere, quod non una figura in terris appareant. Nam alii juvenum formam assumunt; alii, militum. Denique multas illi formas induunt: at una ipsorum est substantia.

* Quæst. XXX. Quænam est definitio substantiæ Angelorum?

Resp. Angelus est animal rationale, immateriale, hymnisonum, immortale.

Quæst. XXXI. Quodnam opus est cælestium virtutum in cælis?

Resp.

* Hæ duæ quæstiones 30. & 31. habentur supra in testimoniis Scripturæ sacræ. Vide quæ de his diximus in Admonitione.

Resp. Hymnus nunquam intermissus, lausque perennis magnificentiæ Dei. Forte etiam oratio assidua pro nostra salute. Quando vero ordines & militiæ dicuntur, intelligendum est ordinem esse magisterii, ordinem tutelæ, ordinem providentiæ, ordinem ministerii, ordinem punientem, ordinem qui animas separet, ordinem in aliis permanentem. Porro ut varios supernarum virtutũ ordines esse novimus, sic sunt stationes & cognitiones diversæ. Namque Throni, Cherubim & Seraphim sine medio a Deo docentur, ut qui ceteris sint superiores, & Deo proximi. Hi autem docent inferiores ordines, eaque deinceps ratione inferiores a superioribus docentur. Infimus autem omnium ordo sunt sancti Angeli, qui & ipsi hominum sunt magistri.

Quæst. XXXII. An nostri sunt memores animæ quæ discesserunt, quemadmodum & Angeli sunt nostri memores?

Resp. Sanctorum quidem animæ nostri omnino meminerunt, minime vero peccatorum animæ quæ in inferis jacent. Cum enim supplicium sibi debitum exspectent, merito certe de illo solum sunt soliciti, nihil aliud curantes.

Quæst. XXXIII. Quid nunc igitur illic agunt animæ quæ jam decesserunt?

Resp. Anima corpore liberata nec bonum nec malum potest efficere. Nam visiones quas de illis quidam cernunt, Deus ad nostrum commodum dispensat. Quemadmodum enim lyra nisi pulsantem aliquem nacta fuerit, vana & inutilis videtur: sic anima & corpus post mutuam separationem nihil possunt agere. Itaque Sanctorum animæ a sancto Spiritu agitatæ, cum Angelis in regione viventium Deum hymnis laudant & exsultant.

Quæst. XXXIV. Quid ergo? Nullumne beneficium percipiunt peccatorum animæ, cum pro ipsis fiunt synaxes, beneficentiæ & oblationes?

Resp. Nisi inde alicujus participes essent beneficii, non eorum mentio fieret in oblatione. Verum quemadmodum vite foris in agro florescente, ejus percipit odorem vinum conclusum, simulque efflorescit: sic intellige peccatorum animas alicujus participes esse beneficii, ex incruento sacrificio & beneficentia pro ipsis facta, ut solus novit & jubet vivorum & mortuorum dominator, Deus noster.

Quæst. XXXV. Num igitur possit sciri quam ob causam non permisit Deus animam alicujus eorum, qui illuc discesserunt, redire ad nos, nobisque enarrare quomodo se res habeant apud inferos, quæve sit ibi angustia?

Resp. Multus inde error in vita orietur. Namque multi dæmones possent mortuorum hominum formas assumere, seque ex mortuis excitatos asseverare, falsaque multa dogmata & res de his quæ ibi fiunt, nobis spargere, quæ errandi & pereundi nobis causa foret.

Quæst. XXXVI. Multi dicunt utile homini esse prænosse diem sui obitus.

Resp. Si Deus omnia in sapientia ad nostrum commodum fecit, certe neque absque ratione id nobis occultavit. Nam si homo diem suæ mortis prænosset, secure per totam vitam peccaret, sæpiusque duobus vel tribus ante mortem diebus pœnitentiam amplecteretur, propter hæc Dei verba per Prophetam ajentis, *In quo te invenero, in hoc te judicabo*. Et vero quæ jam, quæso, homini superesset gratia, si contemto Deo centum perpetrares homicidia, duosque tantum per dies a malis cessares?

Quæst. XXXVII. Cujus gratia nos Christiani versus Orientem adoramus, & Judæi versus Austrum?

Resp. Non eadem similisve hac de re danda est

A probatio & responsio. Aliter enim est satisfaciendum Judæis: aliter res est explicanda Gentilibus: aliter denique id est Christianis explicandum. Judæis igitur dicimus fideles idcirco versus Orientem adorare, quod ita nobis jusserit Spiritus sanctus per Davidem Prophetam hæc loquens, *Adoremus in loco, ubi steterunt pedes Domini*. Quod si dicat Judæus, ubi steterunt pedes Domini? ipsos his verbis docet Propheta Zacharias, *Et stabunt pedes Domini in monte Olivarum ad Orientem contra Jerusalem*. Unde & ipsi Judæi Jerosolymia orantes versus Orientem, orant ad montem Olivarum. Et id quidem breviter Judæis responsum esto. Ad

Psal. 131. 7.

Zachar. 14. 4.

B Gentiles autem illud est dicendum, nos scilicet versus Orientem adorare, non quasi plaga orientali circumscribatur Deus; sed quia Deus est, dicitur lux vera. Idcirco ad lucem creatam respicientes, non ipsam sed creatorem ejus adoramus, ex splendidissimo elemento, Deum omnium elementorum & sæculorum splendidissimum venerantes. Denique audiant & discant fideles ejus rei causa beatissimos Apostolos jussisse ut Ecclesiæ Christianorum Orientem spectarent; ut ad Paradisum, unde excidimus, antiquam patriam regionem nostram respiciamus: oremusque Deum & Dominum, ut ad locum, unde exsules ejecti sumus, nos

C velit restituere. Prophetæ vero Judæos ad meridiem attendere præceperunt, quia Dominum ex meridie Jerusalem sive ex Bethleem nasci deberet: hine ajebat Propheta, *Deus a Theman veniet*, id est, *ab Austro*. Habac. 3.

Quæst. XXXVIII. Quare, cum Christus sit circumcisus, nos similiter non circumcidimur?

Resp. Christus Filius Dei venit ut legem impleret, ne Deo oppositus esse putaretur, adversariusque Dei qui legem dederat. Id enim ipsi sursum deorsumque exprobrabant. Cum autem ipse pro nobis ea quæ lex

D continet impleverit, jam nos sub lege non sumus sed sub gratia. Hinc Christus per Paulum hæc ad nos dicit: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Unde manifesto cognoscimus Deo alienos esse omnes qui circumciduntur, sive fideles illi sint, sive infideles; sive Judæi, sive Gentiles, quippe qui in lege Mosaica glorientur, nec Christum sequantur. Quemadmodum enim universi, qui per sanguinem & irrationalia animalia Deo se sacrificium offerre arbitrantur, incruentum Christi sacrificium evertunt & abominantur: ita omnes, qui carne circumciduntur, spiritualem circumcisionem sive sanctum Baptisma Galat. 5. 2.

E contumelia afficiunt & aversantur. Aliud rursus simile. Non in lege Christus diabolum & dæmones prostravit, neque in ea salutem est operatus; sed in cruce. Unde legem dæmones videntes, non tremunt nec timent; crucem autem sæpe cernentes tremunt, abeuntque prosternuntur & fugantur.

Quæst. XXXIX. Cum Deus per Prophetas præcipiat, ne opera manu facta adoremus; cur imagines & crucem adoramus, quæ sunt opera artificum, non secus ac ipsa idola?

Resp. Nos fideles minime adoramus imagines, tamquam Deos, ut Gentiles: absit. Sed tantummodo

F affectum & amorem animæ nostræ erga imaginis formam significamus. Quamobrem plerumque, ablata & deleta figura, id quod olim imago fuit, ut inutile lignum comburimus. Ac quemadmodum Jacob moriturus, in extrema virga Josephum adoravit non virgam honorans, sed eum qui virgam tenebat: ita & fideles non alio modo imagines veneramur, nisi ob nostrum erga eos desiderium, quorum effigiem exprimimus: id ea ratione agentes, qua vel liberos, vel parentes & amicos salutamus: quemadmodum Judæi olim duas legis tabulas, duosque Cherubim aureos & sculptos adorabant, non ipsam lapidis vel auri naturam honorantes, sed Dominum qui ista jussit fieri. Qui ve-

ro pre superbia crucem & Sanctorum imagines adorare refugiunt, dicant stulti, quomodo non raro e sacris imagioibus, Dei virtute, manarint unguenta? quomodo inanimata statua telo confossa sanguinem, velut corporea natura, mirabiliter profuderit? quomodo tumulis, reliquiis & imaginibus sæpe dæmones clamantes expellantur? Ut autem insanos magis confundamus, audi sermonem quem patres nostri de quadam imagine narraverunt. Jerosolymis cuidam Asceta insidiabatur & molestus erat malus dæmon. Quodam igitur die ai ipsis oculis videndus apparet spiritus ajens: Si velis ut te non impugnem; noli hanc adorare imaginem, & ta te discedam. Erat autem sanctæ Deiparæ imago. Quid ad hæc dicendum habent ii qui Sanctorum affigies vetant adorare, quas memoriæ dumtaxat causa, non aliam ob rationem efficimus? Atque hæc quidam breviter de imagioibus dicta sint. Quod autem nos fideles crucem adoramus & salutamus, manifestum est id nos agere propter Christum qui in ea affixus est.

Quaest. XL. Igitur cum Christus quoque asino insederit, debemus etiam asinos salutare ac venerari? Hæc enim nobis objiciunt Judæi & Geotiles.

Resp. Non in asino Christus diabolum & dæmones devicit, neque in eo salutem est operatus, sed in cruce. Unde cum asinos vident dæmones, non tremunt nec formidant: at cum crucem vident, sæpe tremuot, horrent sternuntur ac fugantur.

Quaest. XLI. Qua de causa nos fideles omnes, cruces, Christi crucis imagines, effingimus: sanctæ autem ejus lanceæ, arundinis & spongiæ imagines non afficimus? Hæc enim æque sunt sancta ac crux ipsa.

Resp. Crucis figuram ex duobus lignis compingimus, quam adoramus. Cum vero quis infidelium nobis exprobrare velit, quod lignum adoremus, possumus duo ligna disjungere, crucisque figuram dissolvere, atque ut mera ligna reputare: indeque infideli persuadere nos non lignum venerari, sed crucis figuram. Idem autem agere non possumus in lancea, arundine aut spongia.

Quaest. XLII. Undenam certum est Christianorum fidem præstare aliis omnibus quæ sub cælo sunt? Siquidem fides omnis se ceteris magis piam esse existimat.

Resp. Multa hac de re liceret dicere, prolixaque est Christianorum fidei probatio. Attamen duo quædam sigoa apud nos videntur, quæ nostram religionem Deique erga nos amorem & præsidium declarant. Primum est, quod ab ioitio sæculi nullam gentem novimus ab omnibus aliis tamdiu impugnatam gentibus nec deletam, præter solam Christi fidem, quæ sane non deleri non potuisset, ab omnibus adeo impugnata gentibus, nisi manus Domini eam servasset & servaret quominus deleretur. Alterum est, quod nullus Imperator Christianorum barbaris unquam in mortem traditus est; quamvis tot gentes Imperium oppugnareot. Immo non solum Imperatorem opprimere non valueruot, sed nec ejus imaginem ex nummis, cum cruce delere, licet nonnulli Tyranoi id tentaveriot. Nec enim existimes tenuem & vilem rem istam esse. Nisi enim fidem nostram præ aliis omnibus elegisset Deus & dilexisset, ipsam minime absque damno & vulnere, medias inter gentes luporum similes, servasset. Præterea non debuit permittera Deus ut falsam fidem post Incarnationem Filii sui, & Dei nostri Domini Jesu Christi per omnes terræ fines dominari. Unde hoc ipsum quod in omnibus gentibus creditum sit Christi Euangelium, certum est argumentum non aliam piam esse fidem sub cælo.

Quaest. XLIII. Si ita res habet, cur Satanas non aliam fidem in terra divisit in tot hæreses, præter solam Christianorum fidem?

Resp. Quia scilicet ipsi adversatur, vimque ejus irritam plane reddit. Ecqua enim cura, amabo, Satanæ esset Judæos, Samaritas aut Gentiles adoriandi aut in hæreses & varias fides discindendi? Hæ enim ad ipsum pertinent, nec umquam Satanas ea quæ sunt ejus impugnat, sed quæ Dei sunt. Quocirca inde quisque possit discere, aliam piam fidem in terris nullam esse, præter eam qua in Christum credimus.

Quaest. XLIV. Quanam ratione rudi homini & barbaro persuadebimus Catholicam Ecclesiam præ omnibus hæresibus rectam fidem habere, nec errare?

Resp. Qui Scripturarum & dogmatum accuratam & profundam explanationem audire non possunt, inde persuasi debent esse de integritate & veritate Catholicæ Christi Ecclesiæ, nempe hoc ex capite, quod salutaria & veneranda Christi passionum loca, Catholicæ & orthodoxæ nostræ fidei & Ecclesiæ a Deo donata sint & credita: nempe Nazareth ubi Christus *habitavit in nobis*; *Joan. 1. 14.* Bethlehem, ubi secundum carnem natus est; Sion, ubi salutem mundo operatus est; Jordanis, ubi Adamum renovavit; Thabor, ubi cælorum regnum præfiguravit: Mons-Olivarum, unde in cælos ad Patrem, a nobis ascendit. Quæ omnia sancta & veneranda ejus loca non temere nec frustra Catholicæ Ecclesiæ concredidit, sed ut, omni alia fide & Ecclesia, inter Christianos nuncupata, piæ magis & honoratiori. Ac quemadmodum Imperator pretiosa Palatii sui cubicula thesaurosque committit & credit omnium suorum ministrorum fidelioribus: ita & Christus ab initio sui adventus, veneranda ejus scilicet loca, Catholicæ Ecclesiæ concredidit. Quod si adversarius respondeat nos potestate tyrannica illa possidere, discat ille quod, etiamsi Palæstinam sæpe Barbari occupaverint, non permisit Christus sua loca tradi hæreticis. Quod etsi id ad breve tempus tentaverunt, cito rursus Catholica Ecclesia ipsos abegit, non secus ac porcos, a sanctis Christi Dei nostri ædibus & locis.

Quæst. XLV. Ubinam præcepit Deus Apostolis Christianos appellare eos qui Christo credunt?

Responsio. Legimus in Actibus Apostolorum, *Act. 11. 26.* oraculum primo editum esse Aotiochiæ, sive Dei revelationem Apostolis præcipieotem, ut nos Christiani nominaremur. Quocirca diligenter advertat quicumque ad Christum vult accedere, omoem fidem in terris nomine alicujus hominis appellari. Scilicet a Simone Simoniani dicuntur, a Marcione Marcionistæ, ab Ario Ariani, & Eunomiaoi propter Eunomium. Hæ omnes ceteræque fides, quæ hominum nomina feruot, atque ita propter illos appellantur, non sunt Dei, neque Deus in illis est. Nam si Dei sunt, cur hominum nominibus appellantur & insigniuntur? Gloriatio igitur gloriationum erit nobis Catholica Ecclesia, ut & quod Christiaoi dicimur & nominamur, ut qui non ab hominibus nominemur, sed a Deo illuminemur.

Quaest. XLVI. Quis ante omnes Deum in terris nominavit Deum?

Resp. Diabolum esse manifestum est, cum scilicet ad Evam dixit: *Quid dixit vobis Deus ut* *Gen. 3.* *ex omni ligno, quod est in Paradiso, comedatis?* Nec vero id mireris: namque cum diabolus fuerit olim Angelus, tunc supra hominem scientiam habuit.

Quaest. XLVII. Ubinam vero Paradisum dicemus esse? Alii enim Jerosolymis, alii in cælis eum esse ajunt.

Resp. Nemo horum vere sentit. Nam quod Jerosolymis Paradisus non sit, testatur Adam qui in *Hæc adstruuntur ab*

Anonymo Ravennate per D. Placidum Porcheron edito p. 14.

Calvaria jacet. Certum autem eſt eum in Paradiſo ſepultum non fuiſſe, ſed extra eum ejectum eſſe. Quod autem Paradiſus non ſit in cælis, teſtatur Scriptura quæ ait, *Et plantavit Deus Paradiſum in Edem ad Orientem*. Docemur itaque ab Oriente univerſæ terræ eſſe Paradiſum. Hinc ſcribunt accurati hiſtorici hujus rei cauſa fragrantia aromata verſus Orientales ſive Indicas partes exſiſtere, utpote quæ Paradiſo ſint viciniores. Atque ut palmæ mares palmas feminas proximas, ventorum adſpiratione, contingentes, eas fœcundas reddunt: ſic fragrantia quæ ex Paradiſo, ventorum afflatu, exit, arbores locorum illorum viciniores fragrantes efficit.

Quæst. XLVIII. Dicimuſne Paradiſum corruptioni obnoxium eſſe, an incorruptum?

Resp. Neque corruptioni obnoxium dicimus, quo modo noſtræ arbores & fructus putredine & vermibus corrumpuntur. Nec item rurſus incorruptus plane eſt, futuri ſæculi non amplius veteraſcentis incorruptione. Verum ſi cum noſtris fructibus & hortis comparatur, omni corruptione ſuperior eſt: at ſi cum gloria futurorum bonorum conferatur, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcenderunt, valde inferior & eſt & creditur.

Hæc quæſtio deeſt in primis editis; ſed legitur in quibuſdam mſſ.

Quæst. XLIX. Quantum temporis in Paradiſo manſit Adam?

Resp. Rem de qua non conſentiunt Patres proponis. Alii enim ſex menſes, alii diutius manſiſſe exiſtimant, alii tot horas (nec amplius) quot Dominus in ligno crucis manſit, quod arbitror verius eſſe. At alii vero novem tantum horas.

Huic ſimilis eſt quæſtio 24 Theodoreti in Geneſ.

Quæst. L. Quale lignum fuit, cujus fructus Adamus comedit?

Resp. Nec hac in re conſentiunt Patres, & merito. Quod enim divina Scriptura ſponte occultavit, nemo exquiſite potuit dicere. Unde alii ficum fuiſſe illũ fructum putant: alii fructum ſpiritalem, alii Evæ contemplationem. Nonnullis etiam videtur nihil in Paradiſo comediſſe Adamus. Forte tamen verior eſt prima ſententia quæ ficum fuiſſe defendit, quia ſcilicet hujus foliis uſi ſunt primi parentes ad ſe tegendum, & quod poſtea ficus a Chriſto maledicta fuerit. Sanctus autem Iſidorus Peluſiota in quinquageſima prima ipſius epiſtola, ait ficum fuiſſe, cujus fructũ primi parentes comederunt, quodque id ab antiquis ſenibus audiverit.

Quæst. LI. Porro ſi Adam non prævaricatus eſſet, quales debebat eſſe hominum vita & multitudo?

Resp. Poterat Deus, qui verbo multitudinem Angelorum creaverat, venerando quodam & puro modo multitudinem humani generis creare. Quidam vero ajunt, cum Deus hominem maſculum & feminam fecerit, inde clarum eſſe Deum voluiſſe hominum genus generatione procreare. Attamen id noluit per inobedientiam fieri, ſed cum honore.

Quæst. LII. Quare die ſeptima Deus creationem perfecit?

Resp. Inter numeros denarium numerum reperimus eſſe omnis numeri complementum. Si enim ad denarium numerum deveneris, ſtatim rurſus in unitatem redis. Itaque ſeptenarius & ternus numerus, perfectiſſimus eſt. Idcirco ſeptenarius eſt creationis. At ſancta Trinitas eſt increata.

Quæst. LIII. Valde inter multos quæſtio agitatur, quemnam priore loco collocare oporteat, nempe diem ante noctem, aut noctem ante diem? Nam ſi dicimus diem primas occupare, reperietur Chriſtus ſabbato reſurrexiſſe. Nox enim illa ſabbati eſt, juxta verba Moyſis creationis mundi ſcriptoris.

Resp. Ex ſcoro & verbis quibus narratur Deum ante omnia dixiſſe, *Fiat lux*, perſpicuum eſt, diem ante noctem eſſe. Nam tenebræ illæ, quæ ſupra abyſſum erant, nox nondum appellatæ erant; nec a luna & ſideribus duodecimve horis dimenſæ. Haud dubie ergo lux tenebras antecedit. Verumtamen ne poſſint Judæi nobis dicere Chriſtum ſabbato reſurrexiſſe: idcirco eorum ora prius obturavit, lege illis data ut a veſpera diem ſabbati inchoarent.

Quaest. LIV. Cur ergo eam ob rem nobis Deus juſſit Dominicam a veſpera ſabbati ordiri?

Resp. Non eam ob rem: ſed quia Deus gentes ex ignorantiæ tenebris & ex umbra legis in lucem cognitionis Dei & Evangelii vocavit. Admodum igitur congruenter ſuæ reſurrectionis diem a veſpera præcepit incipere & ad lucem deſinere. Valde enim dedecebat minimeque conveniens erat, dies Chriſti veri luminis, a luce incipere & in noctem ac tenebras deſinere.

Quaest. LV. Quare vigeſima quinta menſis Martii, ut vocant Romani, Chriſtus in utero Virginis in terris habitavit?

Resp. Quia ſcilicet hac ipſa die Deus ab initio Adamum formavit. Unde & menſe illo arbores & plantæ omnes nec non animalia, ad fructuum & prolis procreationem permoventur, tamquam quæ a Deo tunc temporis fuere creata.

Quaest. LVI. Cujuſmodi erant pelliceæ tunicæ, quas Deus Adamo & Evæ fecit?

Resp. Alii volunt ex foliis arborum contextas fuiſſe: alii carnem noſtram has eſſe tunicas dixere: aliis autem viſum eſt, qui & verius ſentiunt, revera pelliceas fuiſſe illorum tunicas.

Hæc fere habet Theodoretus Quæſt. 39. in Geneſ. iiſque multa adjicit.

Quaest. LVII. Cum nullus hominum mortuus eſſet, undenam Cainus didicit Abelem occidere?

Resp. Diabolus ipſi in ſomnis oſtendit, quomodo fratrem morte afficeret.

Quaest. LVIII. Quinam erant Filii Dei, qui viderunt ac ſumſerunt filias hominum?

Vide Theodoret. Quæſt. 47. in Geneſ.

Resp. Filii Seth. Nam incorporea natura nec corpora amat, nec cum mulieribus commiſcetur.

Quaest. LIX. Cur Deus Moyſi in rubo apparuit, non alio in arbuſto?

Resp. Quidam reſpondent cauſam eſſe, ut ex ejus ligno ſimulacrum non poſſent Hebræi efficere. Aliis autem videtur Deum hoc facto præſignificaſſe ſe in ſpinoſa carne noſtra eſſe incarnandum, eamque ob rem in hujuſmodi arbuſto Moyſi apparuiſſe.

Quaest. LX. Cur legem Deus in caligine dedit?

Resp. Quia obſcure & occulte in ipſa latebat Chriſti Dei noſtri œconomiæ myſterium.

Quaest. LXI. Quare primæ duæ tabulæ confractæ ſunt?

Vide Theod. Quæſt. 68. in Exod.

Resp. Ea re indicabat Deus prioris legis inveterationem & tranſgreſſionem.

Quaest. LXII. Cum Deus corporis & figuræ ſit expers, qualia, quæſo, tunc Moyſes vidit poſteriora?

Resp. Ante ſæcula & ante res omnes creatas exſiſtere credimus univerſorum Deum increatum. Quapropter clarum eſt poſteriora Dei res creatas eſſe, & rationes eorum, quas videns ait, *In principio fecit Deus cælum & terram*.

Geneſ. 1.

Quæst. LXIII. Quis primus in veteri Teſtamento duos populos præfiguravit, Judæos nempe & Gentes?

Resp. Evidens eſt eſſe Rebeccam uxorem Iſaaci, quæ geminos peperit, Jacob ſcilicet & Eſau. Attamen duæ quoque tabulæ legis, duorum populorum ſymbolum fuere.

Quæst. LXIV. Quis primus in veteri Teſtamento vivificæ crucis imaginem præſignificavit?

Resp.

Resp. Jacob, cum duobus filiis Joseph benedi-ceret, suis transpositis manibus.

Quæst. LXV. Quem dicunt in veteri Testamento ter inter mortuos reputatum fuisse?

Resp. Jonam esse constat. Nam, ut veteres narrant, filius ille erat viduæ, quem ex mortuis excitavit Elias Propheta. Iterum vero in ceto quoad homines est mortuus. Tertio denique postremam obiit mortem.

Quæst. LXVI. Ubi est Tharsis, quo Jonas fugit?

Resp. Tharsis urbs est Indicæ regionis, ut ex Regum tertio discimus.

Quæst. LXVII. Numquid etiamnum parentum peccata in filios inducuntur, ad tertiam & quartam generationem?

Resp. Id quidem per Moysem declaravit Deus. At per Jeremiam rursus dixit non ita amplius futurum esse; sed qui comederit uvas acerbas, dentes ejus stupore afficiendos. (Jerem. 31. 30.) Hæc rursus Christum ad Judæos dicentem audimus, Amen dico vobis, venient iniquitates patrum vestrorum super vos, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, (Mat. 23. 35.) quem occidistis inter templum & altare. Unde licet conjicere, apud infideles peccata parentum impiorum in filios perversos induci, non in bonos: at apud fideles, sanctum Baptisma puros nos reddit ab omni iniquitate parentum.

Quæst. LXVIII. Quidam ajunt sæpe infantes propter parentum peccata mori: num id verum est?

Resp. Absit id ita esse.

Quæst. LXIX. Cur igitur infantes moriuntur: alii vero consenescunt? Cur item quidam juste agentes, breve tempus vivunt: alii vero male agentes, longævi moriuntur? Cur item alii boni, absque liberis & inopes sunt: alii autem impii, multos habent liberos, & feliciter degunt?

Resp. Multa de his Dei judiciis possent disputari, quorum utique ratio nequit comprehendi. Tamen, ut ex sanctis Scripturis percipimus, respondemus fidelium infantes non ob parentum peccata, sed ad eorum emendationem sæpe mori: qua in re duo Deus procurat bona, unum quidem ut puri decedentes, salutem illic consequantur: forte enim quia improbam omnino vitam acturi erant, eos Deus dispensatione quadam antea eripuit; aliud autem bonum est, ut ipsi parentes, sapientiores fiant: forte vero ut pecuniam, quam testamento liberis daturi erant, in pauperes deinceps insumant. Denique alia plane de causa nobis occulta. Et hæc quidem quod ad fidelium infantes spectat. Improbi autem homines forte ideirco fortunati sunt, feliciter agunt, & liberos habent; quod quædam parva bona egerint, quorum mercedem hic recipiant, ut dives ille ad quem hæc dicta sunt: (Luc. 16. 25.) *Recordare quod receperis bona tua in vita tua.* Hoc est, plenam mercedem bonorum, quæ egisti, percepisti. Ærumnosi autem hic sunt pii & sancti viri, ut per afflictionem peccatis, ut Lazarus, purgati, illic demum cum ipso consolatione perfruantur. Si enim (Prov. 3. 12.) *quem diligit Dominus, corripit:* quid igitur perturbaris, qui sanctos vides misere degentes, malos autem feliciter agentes, ac velut porcos ad mactationem igni æterno saginatos & præparatos? Nihil ergo te amplius conturbet. (Joan. Chrys. Homil. 1. ad populum Antiochenum.) Nec enim hic tantum consistunt quæ ad nos spectant sed omnino necesse est eos, qui salvantur, per multas tribulationes ingredi in regnum cælorum. Hic enim Deo est scopus, omnes homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire. Hinc sæpe peccatoribus longum concedit tempus, occasionem illis ad pœnitentiam tribuens, ut saltem, velut qui ad horam undecimam venerunt, in extrema senectute convertantur. Justos porro sæpe post breve vitæ tempus abripit, ne, ut ait Salomon, malitia mutet intellectum ipsorum, aut dolus decipiat eorum animam. Consummati in brevi, expleverunt tempora longa. (Sap. 4. 11.) Placita enim erat Domino anima ipsorum.

Quæst. LXX. Quid ergo? Nemo eorum qui in hac vita calamitosam ducunt vitam illuc in gehennam ingreditur? Nemone item illorum qui hic fortunate vivunt, ingreditur in regnum cælorum?

Resp. Est sane ita. Alii enim graviter admodum peccaverunt, & parum hic sunt castigati, debentque omnino illic puniri, ut in Sodomitis videre est. Alii rursus multos labores Deo obtulerunt, parvæque felicitatis hic fuere participes, quibus utique regnum cælorum (Luc. 16. 20.) reservatum est, ut Abraham, Noe & Melchisedec. Alii multum peccaverunt, nihilque hic incommodum perpessi sunt, ut dives ille qui in historia Lazari memoratur, illicque subituri sunt asperrimum omnium supplicium. Alii autem per totam vitam propter Deum circuierunt in melotis & pellibus caprinis, (Hebr. 11. 37.) omni terrena voluptate rejecta, quos amplioribus donis illic Deus præ ceteris omnibus dignabitur. Alii vero in Deum ex parte peccaverunt, &, ut merebantur, pro peccatis emendati sunt, atque æternis tormentis sunt liberati, uti pauper Lazarus. Unde ex prædictis discimus aliosque & illic & hic puniri: alios vero hic dumtaxat: alios autem hic minime puniri, sed illic graviter. Ut & e contrario, alii hic & illic bonis perfruuntur, alii hic minime, sed illic. Forte etiam nonnulli & hic & illic omni voluptate privantur, qui nempe hic ut placerent hominibus, mala sunt perpessi, & ob hanc causam illic quoque bonis exciderunt. Itaque omnes pios condolentes scire necesse est, non solum debere pro his quæ egerunt se condolentes erga indigentes exhibere, sed & pro omnibus bonis quæ illis donavit Deus. Nec enim metiri oportet quæ in pauperes erogantur, sed attendere ea a Deo nobis donari, ne forte pro ipsis Dei donis horrendum subeamus judicium. Sæpe enim & indignis & peccatoribus Deus divitias impertit, ut illarum ope peccata sua eleemosynis abluant. Eleemosynis enim, inquit Scriptura divina, peccata purgantur. (Eccli. 3. 33.)

Quæst. LXXI. Quid dicendum est de iis qui subito moriuntur, aut præcipitantur, vel simili morte intereunt?

Resp. Quod hæc incerta sint & soli Deo nota, non est ambigendum. Attamen cum dicat Dominus, *Quid enim? An decem illi & octo supra quos cecidit turris Siloam, magis peccatores erant præter omnes habitantes in Jerusalem? Non, dico vobis:* (Luc. 13. 4.) inde discimus non omnes qui impii sunt & iniqui, acerbam mortem obire. Etenim Jobi filiorum, qui justi erant, acerba mors fuit. Igitur hæc duo debemus concludere, pios homines, qui acerba morte interierunt, leve aliquod vitium habuisse, eoque liberatos esse, malo hujusmodi interitu, ut majoribus vere honoribus digni essent. Id etiam evenit, ut nos hæc videntes, meliores efficiamur, juxta hæc verba: *Si justus vix salvatur, impius & peccator ubi parebunt?* (1. Petr. 4. 18.) Similiter vero & peccatores eum ejusmodi mortem patiuntur, omnino inde aliquam misericordiam consequuntur. Qui item hæc vident, aliquam inde percipiunt utilitatem, raptum repente cernentes nec opinantem hominem. Quod si infantes eo quoque modo moriuntur, ne obstupescas: namque nihil illi damnũ inde perpetiuntur, nec id illis accidit proprium ob peccatum, sed ut ipsorum parentes meliores & religiosiores evadant, nempe intelligentes sua propter peccata mori ipsorum infantes. Ceterum in his omnibus meminisse oportet hujus Domini vocis: *Duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre meo qui in cælis est.* (Mat. 10. 29.) Et quod nostri, qui fideles sumus, omnes capilli capitis numerati sunt.

Quæst.

QUAEST. LXXII.* Multis in terra degentibus tre- A
Mat. 12.31. menda visa sunt hæc Domini verba: *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Et quicumque dixerit verbum contra Filium, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro.*

RESP. Ea propter, omnes divinus Apostolus his ad-
2. Cor. 3.6. monet verbis: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Multa siquidem divinarum Scripturarum loca si secundum carnem intelligamus, in nefandas blasphemias incidimus, cujusmodi sunt quæ nobis nunc proponuntur Domini verba, quæ si secundum nudas dictiones excipiamus, non solum in nefandas dilabemur B cogitationes, sed etiam ipsum Dominum reperiemus sibi ipsi adversari. Namque si *quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei*, quomodo
Luc. 12. 9. idem Filius dixit, *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Angelis Dei?* Et rursus, si omne pec-
Mat. 12.36 catum & blasphemia remittetur hominibus, quomodo
Mat. 5. 22. & de otioso verbo rationem sumus reddituri? quomodo qui dicit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis?
1. Cor. 6.10. quomodo item Apostolus ait, *Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt?* Quæ si ita se habent, quomodo, quæso, omne peccatum & blasphe- C mia remittetur hominibus? Quod si verum est, cur jam reprehenditur infelix Origenes prædicasse futurum aliquando supplicii finem, veniamque omnis peccati tum hominibus tum dæmonibus Deum concessurum? Si item blasphemia in Spiritum sanctum veniam nullam pœnitentia obtinet, quid queritur Ecclesia Navatum pœnitentiam rejecisse? Illud autem obscurius & difficilius intellectu est, quod, qui dixerit verbum contra Filium, remittitur ei, ita ut Filius inferior videatur esse Spiritui sancto & Patri. Quid ergo nefarios Arianos detestamur, qui Filium volunt esse minorem & inferiorem Spiritu? Cur Filius ipse ait, *E- D*
Joan. 10.30. Joan. 5. 23. *go & Pater unum sumus*: &, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem?* Quomodo ergo idem tamen nunc ait, *Qui dixerit verbum contra Filium, remittetur ei?* Num, amabo, blasphemia in Filium condonata est Arianis, Simonianis, Photinianis, Sabellianis, ceterisque omnibus qui blasphemias in Christi incarnationem protulerunt? Apage, id absurdum. Nam si is qui fratri suo dicit, Fatue, reus est gehennæ ignis: qualem, dic mihi, in gehennam gehennę projicietur is, qui Deo suo dicit, Create & non Fili Dei, sed serve, minister & parve? Et si, qui dixerit verbum contra Filium, remittetur ei, quomodo ipse E
Joan. 6. 54. Filius dixit, qui non manducat meam carnem, nec bibit meum sanguinem, non habebit vitam æternam? Quis vero Filium spernens, Spiritum sanctum poterit honorare? Qui autem Filium spernit, certe baptisma negat ille: at qui baptismum negat, profecto Spiritum sanctum exuit. Ac quemadmodum in sole sensibili, si ejus calorem vel radios conviciis velles lacessere, hujusmodi injuria in totum solem recideret, ita in triplici illo sole sanctæ Trinitatis, luminis & luminaris, si quis unam hypostasin ignominia afficiat, ea impietas totam plenitudinem divinitatis offendit. Quid igitur est quod Dominus ad Judæos ait, quod omne F peccatum & blasphemia remittetur hominibus, &, qui dixerit verbum contra Filium, remittetur ei: qui autem dixerit adversus Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in pręsenti sæculo neque in futuro? Attenta mente audiamus, nec erremus. Christum, post inexplicabilem unionem, duplicem esse, nempe ex divinitate & humanitate constare, sacræ nobis clamant
Joan. 1. Scripturæ: Nam *Verbum caro factum est*. Itaque Verbi divinitatem Christus ipse Spiritum sanctum appel- A lat, quemadmodum ad Samaritanam ait, *Deus Spiritus est*: Joan. 4. suam autem humanitatem, Filium hominis rursus appellat, quemadmodum alibi de propria carne ait: *Nunc glorificatus est filius hominis*. Igitur Judæi, Joan. 12.23. qui Deum semper offendebant & blasphemiis insectabantur, duplicem adversus Christum commiserunt blasphemiam: alii enim carnem ejus sive Filium hominis offendebant, rati prophetam ipsum esse non autem Deum: quibus veniam dedi. Siquidem initium prædicationis erat, nondumque poterat mundus Deum illum credere qui homo apparebat. Hinc Christus ait, Quicumque dixerit verbum contra filium homi- B nis, sive contra corpus, remittetur ei. Audeo enim dicere neque ipsos beatos ejus discipulos perfectã ipsius divinitatis habuisse cognitionem, donec Spiritus sanctus die Pentecostes in eos illapsus esset. Namque etiam post resurrectionem alii illum viderunt & adorarunt, quidam autem dubitaverunt, at non idcirco fuere condemnati. Qui autem adversus Spiritum sanctum proferebant blasphemiam sive adversus Christi divinitatem, cum nempe hæc dicerent: *In Beelzebul prin-* Matth. 12. 24. *cipe dæmonum ejicit dæmonia*: his ait, *Non remittetur neque in præsenti sæculo neque in futuro*. Veruntamen observandum est Christum non dixisse, qui blasphe- C mias protulerit & egerit pœnitentiã, illi non remittetur, sed qui blasphemias profert, sive qui in blasphemiis perseverat. Nullum enim est peccatum quod non condonet Deus iis qui sinceram & dignam agunt pœnitentiam.

QUÆST. LXXIII. Quid ergo? Veniamne pœnitentia is consequitur qui Christum negat, & blasphemiam in Spiritum sanctum profert?

RESP. Tria baptismata, quę quodvis peccatum expiare possint, Deus naturę hominum concessit: nempe aquę, proprii sanguinis per martyrium, & tertium per lacrymas, per quod purgata est meretrix. Ipse itẽ san- D ctorũ Apostolorũ corypheus Petrus fusis post negatio- Luc. 7. 37. nem lacrymis acceptus est & servatus. Quod si Christi negatio remittitur, non autẽ Spiritus sancti negatio, sequitur ut Filius inferior sit Spiritu sancto. Audi porro Scripturæ testimonium, nec credere dubites nullũ quodvis peccatum esse, quod Dei clementiam vincat. Sic igitur Deus loquitur per Ezechielem Prophetam: *Vivo ego, dicit Dominus, si quis homo omnia* Ezechiel 33. *fecerit peccata, ipsumque in justitia invenerim, non recordabor omnium iniquitatum ejus*. Porro quod ait, *invenerim*, clarum est de hora mortis ejus id intelligi. Sciendum enim est fonte lacrymarum, E perinde ac baptismo, perpurgari hominem. Hinc multi, qui peccatis suis sanctum baptisma inquinaverant, per lacrymas purgati sunt & justi effecti.

QUÆST. LXXIV. Quale peccatum facit ut oratio hominis Deo non sit accepta?

RESP. Offensarum recordatio juxta hæc Domini Mat. 5. 23. verba: *Si offeres munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade; prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum*. Quia scilicet offensarum recordatio facit ut orationis munus acceptum Deo non sit.

F QUÆST. LXXV. Cujusnam peccati nullam admittit Deus pœnitentiam?

RESP. Manifestum est esse desperationem, qua occupatus Judas se ipse strangulavit.

QUÆST. LXXVI. Quodnam peccatum omnibus aliis est gravius?

RESP. Si, ut ait Apostolus, omnium bonorum præstantissima est caritas, clarum est omnium malorum gravissimum esse fratres odio prosequi, immisericordem esse, nec eleemosynam amare.

* Hæc quæstio habetur superius in Testimoniis Script. sacræ. num. 49. de qua re vide Admonitionem.

Quæst. LXXVII. Quod mandatum condonat homini omnia peccata?

Resp. Quandoquidem dicit Dominus, *Nolite judicare, & non judicabimini*, & rursus: *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; (Mat. 7. 1. Mat. 6. 12.) perspicuum est, eo quod quis proximum non judicet, veniam peccatorum obtinere; similiter eo quod quis injuriarum sibi illatarum obliviscatur. Nam *dimittite*, inquit, *& dimittetur vobis*.

Quæst. LXXVIII. Si quis post commissum gravissimum peccatum pœnitentiam egerit, undenam possit rescire, an illud sibi Deus condonarit necne?

Resp. Id quidem paucis hominibus in terris fit manifestum. Verumtamen conscientia hominis & Deus perinde se habent ae herus & servus. Quemadmodum igitur servus, qui herum offendit, ex gestu & verbis heri intelligit ipsum non esse sibi benevolum, ut erat ante offensam: ita homo qui peccat, fiduciam amittit, qua antea ejus conscientia fruebatur, cum Deum oraret. Cum autem dignam idem egerit pœnitentiam, illi rursum Deus fiduciam reddit, qua ante peccatum gaudebat; indeque novit homo Deum sibi peccatum condonasse.

Quæst. LXXIX. Si quis post grave peccatum, seipsum condemnet, incipiatque agere pœniten.iam, ae post tres dies moriatur, quid de illo cogitandum est?

Resp. Si incepta pęnitentia, animam suam a malis compescuit cogitationibus, pactusque cum Deo est se non amplius eadem quæ antea commissurum peccata, ac postero die moriatur; Deus gratam habuit ejus pęnitentiam, ut olim latronis. Siquidem incipere pęnitentiam agere, penes hominem est: at vivere vel mori, penes Deum est. Namque multos, cum pęnitentiam agere incępissent, statim eripit Deus; quippe qui, ut bonus eorum commodo prospiciens, prænoscat illos, si diutius viverent, lapsuros iterum esse ac perituros.

Quæst. LXXX. Quare quidam ex levi tantum causa, fluvi s prope lacrymarum profundunt: alii vero, etiamsi in mille incidant calamitates & miserias, aut alios incidisse videant, numquam possunt lacrymari?

Resp. Talia sunt animarum & corporum temperamenta, quæ ex natura facile vel ægre lacrymantur. Qui enim calidæ & teneræ sunt habitudinis, statim commiseratione lacrymantur quod in omnibus ferme mulieribus animadvertimus. Alii autem propter agrestem mentem, & siccissimam naturam, & cordis arrogantiam flere non possunt. Hæc porro loquimur de iis qui in medio mundo versantur. Nam qui monasticam vitam agunt, donum lacrymarum ex divina gratia sæpe consequuntur. Multa autem in lacrymis reperitur differentia. Quidam enim sæpe ex ebrietate lacrymantur: quidã vero, ut gloriam hominũ aucupentur. Quocirca bonus ille est fletus, qui occulte Deo offertur, quẽadmodum nobis de eleemosyna quoque præcipitur.

Quæst. LXXXI. Si quis a mendicis secus viam, multis præsentibus, rogetur, quid agendum est? Annon potest eleemosynam præbere?

Resp. Cogitationem & mentem hominis judicat Deus: si quis igitur coram sexcentis hominibus propter Deum, non autem ut hominibus placeat, bonum egerit, ille nequaquam condemnabitur.

Quæst. LXXXII. Undenam fit ut anima aliquando prona sit ad commiserandum, aliquando vero dura & immitis?

Resp. Solam divinam naturam novimus esse immutabilem ac semper eodem modo se habere. Nam & ex Angelis quidam immutati sunt. Quocirca ita de mutabili hominum natura censendum est; aliquando nempe facilem & mitem esse, utpote quæ secundum imaginem Dei sit facta; aliquando autem duram & immitem esse, utpote ab hoste oppugnatam, & vitæ affectionibus adhærentem. Verumtamen si homo sibi ipse vim faciat ut misericordia permoveatur, beneque omnino agat, tum bona consuetudine adeo proficiet, ut semper sit pronus ad dandum.

Quæst. LXXXIII. Cum dicat Apostolus, *Non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*. (2. Cor 9. 7.) Nequaquam vim sibi facere debet homo, ut eleemosynam tribuat?

Resp. Perfectorum est bonum hilare semper agere: attamen qui vim sibi faciunt, ut præcepto obtemperantes, pauperem adjuvent, Deo utique accepti sunt dicenti: *Violenti rapiunt regnum cælorum*. (Mat. 11. 12.)

Quæst. LXXXIV. Si quis pro peccatis agat pęnitentiam, liquet ipsum sua delere peccata: an igitur similiter, si quem pęniteat benefactorum, hujusmodi pęnitentia mercedem delet quam promeruerat?

Resp. Absit; nam quemadmodum in pęnitentia peccatorum, Deus ejus auctor est: ita in pęnitentia qua quem datæ eleemosynæ pęnitet, Diabolus effector ejus est, non autem hominis anima. Quocirca non perit merces promerita. Tamen bonum non est pęnitere quod bene egeris. Nam quem frequenter pœnitet, negligentior efficitur ad bene agendum.

Quæst. LXXXV. Quidam ajunt non oportere eleemosynam absque examine impertiri, sed inquirendũ diligẽter. nũ vere indigẽs sit, qui ad nos accedit. Namq. inquiunt, ait Salomon, *Si bene feceris, vide cui feceris*. (Eccli. 12. 1.)

Resp. Ita scilicet & cetera Scripturæ testimonia pervertunt qui prave sentiunt. Nec enim de paupere homine hæc dixit Salomon, sed, *Vide cui feceris*, id est, Deo facis. Si enim mendicos indicat esse discernendos, cur igitur ait Dominus, *Cuivis petenti da*. (Luc 6. 30.)

Quæst. LXXXVI. Numquid Deo gratius est offerre in Ecclesiis, quam indigentibus distribuere?

Resp. Iis quæ Dominus ad illos dicturus est qui a dextris erunt, *Esurivi & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere*, (Mat. 25. 42.) ostenditur gratiorem Deo esse commiserationem, quæ erga templa ad ejus imaginem & similitudinem facta, exhibetur. Verumtamen multoties cum persecutionis tempore templum Dei periturum est, necessaria tunc est erga illud commiseratio. Denique cum quidam propter Christi fidẽ tormentis subjiciuntur, eorum liberatio omnibus est pretiosior.

Quæst. LXXXVII. Si quis infidelis pecuniam crediderit fideli, iique illum defraudet, num id sine culpa est apud Deum?

Resp. Cum Dominus dicat, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quandoquidem tunc Gentilis Cæsar erat, inde discimus laudabilem non esse fraudem hujuscemodi. Tamen si illæ pecuniæ pauperibus erogantur, poterunt orationes pauperum Deum placare qui ait, *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis*. (Luc. 16. 9.) Quod si pecuniæ illæ in sumtus sæculares impendantur, clarum est duobus judiciis ita agentes obnoxios esse, voluptatis scilicet & furti.

Quæst. LXXXVIII. Potestne eleemosyna omne hominum peccatum delere, necne?

Resp. Est peccatum & peccatum: est item eleemosyna & eleemosyna. Verbi gratia, si proximi injuriarum memoriam retinemus, manifestum est sexcentas eleemosynas veniam nobis non posse obtinere, nisi nos quoque fratri nostro remiserimus debita, quemadmodum ait Dominus. Præterea aliud est si quis a fornicatione desistens, eleemosynam faciat; aliud, si quis in peccato perseverans, in pauperes sit liberalis. Alia similiter merces est agricolæ, qui ex proprio sudore misericordiam exerceat; alia principis, qui ex donis & proventibus eleemosynam præbeat. Insuper alia est ratio ejus qui ex propria indigentia largitur:

alia

alia ejus qui ex abundantia: alia ejus cui res alienæ commissæ sunt, ut eas pauperibus distribuat. Nec vero id solum, sed etiam is qui in medio sæculo versatur, nihilque aliud Deo pro suis peccatis potest offerre, eleemosyna purgatur. At qui monasticam vitam profitetur, tenetur perfectiorem vivendi modum inire. Verumtamen si eleemosyna Nabuchodonosorem, qui adeo impius erat, potuit justificare: profecto magna & gravissima peccata delet eleemosyna. Audiamus enim
Daniel. 4. 24. sanctum Danielem ad ipsum dicentem: *Rex, consilium meum placeat tibi: peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Et
Eccli. 3. 33. rursus divina Scriptura: *Eleemosyna abscondit pecca-*
Psal. 40. 2. *ta magna*. Et iterum: *Qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, id est, die judicii, quæ nempe peccatoribus mala est, intelligo scilicet, diem æterni supplicii.

QUÆST. LXXXIX. Quidam ausi sunt perfectos misericordes beatos magis prædicare, quam eos qui edunt miracula.

RESP. Non a seipsis talem protulere sententiam,
Joan. 13. 35. sed profecto audierunt Dominum dicentem: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis*, non si signa edideritis, sed *si diligatis invicem*. Constat autem signum veræ caritatis esse eleemosynam. Siquidem
Matth. 25. 34. Christus justis a dextris collocatis non ait, *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum*, quia signa & prodigia fecistis, vel quod aliquid aliud bonum feceritis; sed *quia esurivi, & dedistis mihi manducare, &c.* Similiter cum illos, qui stant a sinistris, in tenebras æternas mittit, immisericordiam & animi duritiem exprobrat. Nam signa edere, solius divinæ est potestatis; at caritatem & commiserationem erga proximum exhibere, profecto humanæ est voluntatis. Audi porro luculentius testimonium de iis qui miracula & eleemosynas faciunt: *Si*,
1. Cor. 13. inquit Paulus, *linguis hominum loquar & Angelorum: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Dominus item ait: *Estote*, non signa facientes, sed *misericordes*, & boni, sicut pater vester, qui in cælis est.

QUÆST. XC. Quotam partem bonorum jubet Deus hominem in beneficentiam insumere?

RESP. Non spectat Deus quæ dantur, sed quæ ho-
1 Cor. 3. 14. mines habent recondita. Cum itaque ait Apostolus, vestra abundantia detur ad supplendum inopiam pauperum, perspicuum est nos, quidquid reservaverimus ultra victum, potum & vestitum, judicium his de rebus in die judicii subituros, tale, quale homicidæ sunt subituri; quippe qui cum hic multos ex morte nostris bonis potuerimus servare, non tamen servaverimus, sed despexerimus.

QUÆST. XCI. Quid dicendum est de eleemosynis quas defuncti pauperibus relinquunt?

RESP. Mortua sunt sacrificia. Attamen si ille dum viveret, eleemosynæ deditus erat, hæc ejus liberalitas in morte accepta Deo est.

QUÆST. XCII. Si quis in peccatis consenuit, nec potest jejunare, nec humi cubare, aut vigilare, val aliquem hujusmodi laborem exercere, nec pecuniis quas distribuat abundet, nec sæculo queat nuntium remittere, quonam, quæso, modo, ille potest salvari?

RESP. Eo modo quo publicanus salvatus est, & juxta Prophetam ajentem: *Humiliatus sum & salvavit me Dominus*. Quemadmodum enim incruentum sacrificium & eleemosyna Deo offertur in remissionem
Psal. 50. 19. peccatorum nostrorum: ita & humilitas cordis: *Sacrificium enim*, inquit, *Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despiciet*. Et
Psal. 33. 19. rursus: *Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt*
A *corde, & humiles spiritu salvabit*. Et iterum quemadmodum beati prædicantur misericordes & mundi corde, ita præ ceteris beati prædicantur pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum. Matth. 5. 3. Hanc igitur salutis viam inire & persequi possunt pauper, infirmus, senex, & idiota.

QUÆST. XCIII. Quid est humilitas?

RESP. Humilitas animæ est, quæ nec observat nec judicat aliorum hominum peccata, sed sua dumtaxat perspicit, seque æterni supplicii ream æstimat, & hæc ad Deum dicit: Salva me propter misericordiam tuam, non propter merita mea. Qui porro se ita reum
B esse credit, is minime offensarum, quas ab homine acceperit, recordabitur, nec damnabit peccantem hominem, tribusque modis remissionem peccatorum consequitur. Nam quia alios non judicat, nec ipse judicatur; quia humilis est, justificatur; & quia condonat aliis, Deus quoque ipsi peccata condonat.

QUÆST. XCIV. Si quis sæpe peccaverit, ac deinde sæpe pœnitentiam agere aggressus fuerit, rursusque inciderit in peccatum: ad quot usque peccata, pœnitentem Deus rursus admittet?

RESP. Licet decies millies homo ceciderit, licet
C decies millies pœnitentiam egerit: nequaquam tamen ipsum projiciet Dominus, quippe cui maxime nota sit humanæ naturæ mutabilitas. Nam qui Petro præcepit ut septuagies septies fratri ignosceret, multo magis ipse decies millies septies homini ignoscet, si modo pœnitentiam egerit. Id autem accurate sciendum est, animam quæ sæpius peccandi sæpiusque pœnitendi contraxerit consuetudinem, cum Deum contemnat redeatque ad peccatum, certe difficulter hujusmodi anima a peccato discedit, veluti canis macellarius fœtori assuetus. Denique cum incertus sit vitæ nostræ finis, nos muniri oportet, ne forte in pec-
D cato præoccupemur, & absque pœnitentia inveniamur, tradamurque in supplicium sempiternum.

QUÆST. XCV. Quotuplex est adulterium?

RESP. Duplex. Nam si mulier viro nupta scortetur, adulterium est. Rursusque si vir, qui uxorem habeat, scortetur, adulterium est erga propriam uxorem.

QUÆST. XCVI. Ajunt aliqui peccatum corporeum præ omnibus aliis peccatis facilius condonari, quippe cum naturalis motus sit in homine.

RESP. Contrarium docet Apostolus, qui hoc pec-
E catum gravius omnibus aliis peccatis vocat, hisce verbis: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, ex-* 1. Cor. 6. 18. *tra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat:* quandoquidem ex ipsa sua carne, veluti quoddam sacrificium, semen suum satanæ offert. Præterea naturale item est comedere, attamen prævaricantem Adamum condemnavit Deus.

QUÆST. XCVII. Quot sunt judicia & peccata fornicationis?

RESP. Multa & varia. Graviori enim judicio obnoxius est qui uxorem habens scortatur, quam qui uxorem non habet. Graviori item obnoxius est judicio
F qui bonam habet conjugem, quam qui malam: graviori qui in senectute scortatur, quam qui in juventute: graviori qui assidue, quam qui interdum: graviori, qui cum calidi non sit temperamenti, sed frigidi, se ipsum cibis calefacit, & ad voluptatem accendit. Multa quoque alia & varia afferri possunt Dei judicia de scortatione. Aliud enim est judicium ejus qui in unam peccat mulierem, quam qui in plures & diversas irruit, multasque animas cum sua perdit. Aliud rursus judicium ejus est, qui cum aliqua observatione peccat, quam qui impudenter se ipse peccato mancipat. Aliud iterum judicium ejus est, qui uxorem habet & in nuptam peccat, quod ut duplex adulterium imputatur hujusmodi peccatum committenti. Horrendum autem judicium ejus

qui

qui ad Canonicam accedit mulierem; ut & qui mulieri afflictæ opem fert, ejusque causa præsidii peccat cū ea. Imo vero ratione loci, varius quoque est peccati modus. Multi enim peccant in Ecclesia, duplexque judicium subeunt. Sæpe enim alii Judaicam simulantes caritatem, amicorum coojuges contaminant. Quæ quidem omnia dijudicat & videt justus Dei oculus, juxta ineffabile ejus judicium qui personam non accipit, & juxta accuratam ejus & minime ridendam trutinam.

Quæst. XCVIII. Cū multi justi duas vel etiā tres uxores in veteri Testamēto habuerint, quare nobis non licet duas habere uxores, nec etiā concubinas possidere?

Resp. Non modo pios duas habere uxores vetuit Christus, sed etiam hortatus est ut ab ipsa una abstineant. Amen, inquit, dico vobis, qui non odit patrem & matrem & uxorem, nec sequitur me, non est me dignus. (Luc. 14. 26.) Quod si majus aliquid optas, hæc audi: (Matth. 5. 27.) *Dictum est*, inquit, *antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Si igitur oculi concupiscentiam Christus in fidelibus censet esse adulterium, quænam, quæso, philosophia, quinamve vivendi modus a nobis fidelibus præ antiquis exigitur? Si enim licet homini duas habere uxores, certe & uxori duos maritos. Audi ergo quid dicat Deus de viro & de uxore, (Genes. 2. 24.) *Erunt duo in carne una*. Noo dixit, *Erunt tres in carne una*. Verumtamen una mulier viro tradita, ipsi & mundo insidiata est: quid igitur passurus erat mundus, si Deus ab initio duas mulieres homini dedisset? Quod si quæris cujus rei gratia antiqui duas vel tres uxores habuerint, disce accurate, causam esse, quod multa tunc diaboli vigeret tyrannis, quam Christus adventu suo destruxit, qui & multos dæmones e medio sustulit, aliosque in abyssum exterminavit, alios in deserta loca, alios in terras inhabitabiles & inaccessas.

Quæst. XCIX. Qui fit ut sæpe somnia vera sint?

Resp. Id sępe ex Deo venit: sępe etiam casu: nonnumquam anima, utpote intelligentia prædita, futura prænoscit: quædam etiam dæmones in somnis prædicunt.

Quæst. C. Quid igitur? num dęmones & diabolus præscii rerum suot, & cordium cognitores, eaque quæ futura sint possunt prædicere?

Resp. Solus Deus res præscit, & cordium cognitor est. Neque enim ipsi Angeli norunt ea quæ sunt in corde, nec quæ futura sunt. At dæmones quæ prædicere arbitrantur, ea ex astutia conjiciunt. (Hunc vide in vita Antonii Tom. 1. p. 831.) Verbi gratia, cum, ut spiritus, multos apud Indos imbres vident, illi io Ægypto præveniunt, ac per incantationes & insomoia magnam fore Nili inundationem vaticinantur: aliaque his similia peragunt. Sæpe autem etiam mentiuntur. Hinc si quis illos velit convincere, secum determinet, ac supponat quot nummos crastina die distribuere cupiat. Quo facto accitum magum vel vatem interroget ea de re, de qua determinavit, nihilque omnino illos posse rescire comperiet.

Quæst. CI. Cum quidam & Judæi & Gentiles beneficia sæpe tribuant, numquid idcirco in regnum cælorum ingrediuntur? aut quid nobis de illis judicandum ast?

Resp. Cum Dominus ad Nicodemum dicat: (Joan. 3. 5.) *Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit per aquam & spiritum, non intrabit in regnum cælorum:* manifestum est neminem non baptizatum in illud ingressurum. Id autem de bonis infidelium operibus ast sentiendum, vel prospera qua hic utuntur fortuna, propriam percipere mercedem, vel in futuro sæculo levius esse puniendos quam ceteros infideles, qui nihil boni egerunt. Quod si scriptum sit, (Rom. 2. 10.) *Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco*, ne mireris. Hæc enim dixit Apostolus de iis qui ante Christi adventum exstiterunt.

Quæst. CII. Habetne finem peccatorum pœna necne?

Resp. Cum Dominus dicat de iis, qui sunt in gehenna: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur:* (Marc. 9. 47.) & rursus, *Peccatores autem ibunt in pœnas æternas:* cum item Apostolus dicat: *Nolite errare, neque adulteri, neque scortatores, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt:* (1. Cor. 6. 10.) ex his liquet justorum æternam esse beatitudinem, & peccatorum pœnam. Rursus de Juda ait Dominus: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* (Matth. 26. 24.) Quod si finem habet pœna, certe prodest Judę quod natus sit, si sero tandem post supplicium regnum cælorum est ingressurus, quemadmodum errantes fabulantur hæretici.

Quæst. CIII. Unde oriuntur mortifera, & quare in quibusdam desertis geotium regionibus sæpe non eveniunt, sed ut plurimum in populosis & magnis urbibus, fimoque repletis?

Resp. Difficilis certe est hujus quæstionis solutio, paucique eam possunt capere; tamen, ut ait Dominus, *qui potest capere, capiat*. (Matth. 19. 12.) Si enim dicamus sæpe ex aere corrupto, & pulveribus, & fœtore cadaverum, imbribusque æstivis ac exhalationibus & vaporibus terræ & maris, morbos corporum, corruptionemque & mortem exoriri, statim inauspicati quidam homines nos adoriuntur quasi negemus providentia regi quæ nos spectant. At ego hos velim ita interrogare: Dicite, quæso, nobis, quonam modo in aliqua civitate corruptio mortifera oritur? Ex illa autem civitate duo vel tria millia negotiatorum hominum in aliis regionibus degunt, nemoque illorum moriatur? Nam si divina ira civitatem illam impugnavit, profecto illos etiam qui procul morantur, iram hujusmodi experiri æquum erat, vel si non omoes, saltem ex ipsis nonnullos. Verum ne iis qui ista quærunt, occasionem præbeamus, respondemus sæpe mortiferam corruptionem ex Dei comminatione oriri, nonnumquam vero aerem aliasque causas habere, quæ, ut plurimum, infantes utpote imbecilliores exstinguunt. Verumtamen & aeris & exhalationum auctor est Deus qui ait, *Nonne duo passeres asse vaeneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro qui in cælis est? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* (Matth. 10. 29.)

Quæst. CIV. Num qui ex civitate io aliam fugit regionem, eximitur ex mortifera corruptione?

Resp. Cum Propheta ad Deum dicat, *Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* (Psalm. 138. 6.) liquet neminem posse Deum effugere. At si aer vel alia res creata causa est corruptionis, forte ipsam effugiet, si in aliam transeat regionem.

Quæst. CV. Undenam videmus justos aliquos diutius in extremo vitæ halitu anima pugnare & judicari; contra autem, peccatores interdum quiete & cito mori?

Resp. Omnia quidem Dei judicia cognosci non possuot, ideoque nec nos hæc curiose inquirere decet: si quid tamen conjectare valemus, respondemus pios viros vel ante mortem vel in morte cruciari, ut nos, qui ea videmus, timeamus & emendemur. Fortassis autem sancti, ut homines, levi aliquo defectu inquinati, hujusmodi cruciatu, quo io morte afficiuntur, perfecte purgati, puri demum decedunt.

Quæst. CVI. Quare homines, ut plurimum, nocte nascuntur, & nocte moriuntur?

Resp. Mihi videtur id ideo fieri ut hoc exem-

xemplo discamus tenebrosam esse præsentis vitæ nativitatem & dormitionem, sive in hanc vitam ingressum & exitum ex eadem.

Quaest. CVII. Cur aliqui difficulter contra fornicationis vitium decertant: aliqui autem fere naturaliter ab hujusmodi abstinent voluptate, tametsi obeso sæpe sint corpore?

Resp. Humanorum corporum libido oritur vel ex calido corporis temperamento, vel ex abundantiori cibo, somno & quiete, forte etiam ex satanica instigatione. Quarta vero sæpe causa est, quod alios condemnemus. Quinta ex superbia oritur, cum quis scilicet insolentius se effert ob castitatem. Is enim cadere permittitur, ut per fornicationem superbiam deponat, & ad humilitatem perductus salutem coosequatur. Si enim duo illa compares vitia, naturalis libido corporis levior est lapsus quam superbia. Nonnulli autem casti suot vel quod a Deo protegantur, vel quod frigidi sint temperamenti, vel quod multa exercitatione sibi ipsis vim fecerint, nec quemquam condemnaverint. Quod si superbi aliqui sint casti, sciendum est illos a diabolo negligi, quod sola superbia præ aliis omnibus vitiis sufficiat ad illos æterni supplicii reos constituendos.

Quaest. CVIII. Quale signum habendum est homini, ne deceptus suscipiat Antichristum, ratus Christum ipsum esse?

[*Matth. 24. 27.*] Resp. Hoc ipsū quod nobis Dominus his verbis dedit, scil. quod *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usq. in Occidentem, ita erit & secundus adventus Filii Dei.* Inde discimus omnem venturum Christum, qui noo statim, eadem hora, io universo mundo reperiatur, talem absque dubio Antichristum esse. Nam in secundo Christi adventu omne genus hominum simul conveniet, io cujus medio Christus ab omnibus conspicietur.

Quæst. CIX. Verumne est ex Ægypto proditurum Antichristum, signumque aliquod in una manu, unove oculo habiturum?

Resp. Hæc omnia aniles sunt fabulæ. Antichristus enim nullum hujusmodi signum est habiturus: sed ex Galilæa, unde exivit Christus, proditurus ipse est, ut ait Scriptura: *Catulus leonis Dan, & exsiliet ex Basan,* [*Deut. 33. 22.*] quæ ipsa est Scythopolis.

Quæst. CX. Ajunt nonnulli Antichristum noo posse aliquem defunctum hominem a mortuis excitare, etiamsi cetera omnia edat signa.

Resp. Verba Apostoli quibus ait Antichristum in omoibus signis & virtutibus deceptorem fore, manifeste ostendunt illum mortuos quoque ad vitam revocaturum, licet non revera, sed specie dumtaxat.

Quæst. CXI. Quomodo quidam hæretici signa sæpe edunt?

Resp. Id mirum nobis esse non debet. Audivimus enim diceotem Dominum, multos illa die dicturos, [*Matth 7. 22.*] *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus & virtutes multas fecimus?* ipsumque ad eos responsurum: *Amen dico vobis, numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Sæpe enim noo vita edentis miracula, sanitatem operatur, sed fides hominis qui ad ipsum accedit: [*Marc. 10. 52.*] scriptum siquidem est, *Fides tua te salvum fecit.* Id etiam intelligendum est, sæpe nonoullos pravæ fidei multos exercitationis labores Deo obtulisse, quorum mercedem in præseoti sæculo gratiam sanitatum & prædictionum perceperunt; ut oimirum in futuro sæculo audiant, recepistis bona vestra & labores vestros: nunc vero nihil vobis amplius debitum est.

Quæst. CXII. Si accidat ut homo die festo sit in regione, in qua non reperiatur communio Ecclesiæ Catholicæ, quid propter festum ipsi agendum est? Num cum hæreticis communicabit, an manebit absque communione?

Resp. Si magnum & grave est periculum, propriam uxorem scortari, & cum alio rem habere, si vir sit in peregrina regione: quanto majus est periculum rectam fidem prodere propter communionem cum hæreticis habitam? Quemadmodū ergo qui suas merces cupiuot vendere, quamdiu in externa morantur regione, accipere recusant pro regio nomismate, externum nomisma: ita & de Christi communione censendum est. Nam Paulus hisce verbis, *Unus Dominus, &* [*Ephes. 4. 5.*] *una fides, & unum baptisma,* clare significat unam & solam in mundo sinceram esse fidem, quam sancta & sola tenet Catholica & Apostolica Ecclesia: unū item esse baptisma, quo peccata purgantur & expiantur: unum denique Dominum, Patrem, & Filium & Spiritum sanctum esse. Qui ita non sentit, errat omnino.

[*Hæc expressa sunt ex Apologia de Fuga Tom. 3.*] Quæst. CXIII. Magna & celebris atque omnibus fere vulgata quæstio est, utrum dicendum sit terminum habere vitam hominis, necne? Nam si terminus est: quomodo David ait, [*Psal. 101. 25.*] *Ne reducas me in dimidio dierum meorum?* Si vero nullus est terminus, quomodo rursus David ait, [*Psalm 38. 6.*] *Ecce mensurabiles posuisti dies meos?* Rursus si terminus aliquis est, quid his verbis vult Salomon, [*Eccles. 7. 17.*] *Ne sis crudelis, neque impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo?* Si igitur potest quis mori in tempore non suo, quomodo quibusdam placet dicere mortem hominibus induci, cum impleti fuerint vitæ termini? Quomodo similiter & Ezechiæ & Ninivitis vitam Deus petentibus prorogavit?

Resp. Fons ille sapientiæ magnumque vas cognitionis Paulus Apostolus hæc ad Coriothios scribit: [*1. Cor. 11. 29.*] *Qui enim indigne manducat panem & bibit sanguinem Domini, judicium sibi manducat & bibit: ideoque inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi.* Attendite diligenter. Quia vos, inquit, indigne ad communionem acceditis, idcirco morimini multi. Atque adeo si digne communicassent, tunc non fuissent morituri. Quid jam ergo amplius terminum vitæ quærimus, quem nobis multi objiciunt? Rursus ad Eliphaz Themanitem dixit Deus: [*Job. 42. 7.*] *Peccasti tu, & duo amici tui, & sine Job servo meo vos interemissem.* Itaque propter Job virtutem Deo acceptam non sunt mortui, non autem quod non absolutus esset terminus vitæ ipsorum. Sio autem, ut quibusdam videtur, præfixi sunt & definiti dies hominis, nemo jam in peccatis moriturus ad sanctos viros accederet, ut vitam & conversionem sibi a Deo peteret: nemo Deum pro liberorum vita rogaret. Quippe terminus, terminus est, nihilque secundum illos illi potest addi. Cur ergo Scriptura præcipit, [*Exod. 20. 12.*] *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus?* Itaque terminus vitæ hominis, est voluotas Dei, qui dies addit cui voluerit, aufert vero a quo auferri libuerit, omnia ad uniuscujusque utilitatem agens. Ac quemadmodum gregis dominus, cum voluerit, mittit & accersit quas voluerit oves; ita & Deus se erga homines gerit, tuncque mors homini advenit, cum terminus ejus vitæ completus fuerit. Nam, ut antea dictum est, terminus uniuscujusque vitæ est jussus & voluntas Dei.

Quæst. CXIV. Quidam existimant corruptorum corporum resurrectionem impossibilem omnino esse. Quomodo enim, inquiunt, aut undenam resurget caro, quam sæpe naufragio submersam devorarint mille pisces, quos rursus mille pisces comederint mille homines, qui mille homines postea a mille leonibus fuerint devorati?

Resp. Num fatemioi, o iosani, omnipotentem esse Dei opificis essentiam? Omnino concedetis. Itaque discite, o insipientes, Deum qui hominem e nihilo fecit ut esset, ipsum ineffabi-

li quadam ratione reficere posse. Quid enim, amabo, facilius est figulo, vas ex nihilo facere ut sit, an contritum rursus reficere? Certe facilius est vas jam factum, licet in multas partes dispersum, reficere. Ut autem naturali aliquo ordine & exemplo utar, quemadmodum ignis & caloris, qui in terra est, fons & radix est sol, constatque exstincti camini calorem ad solem invisibiliter reverti, eoque rursus accenso, ignem qui recesserat, ex sole rursus redire: ita & in corruptis dissolutisque hominum corporibus intellige; in quorumvis animalium, piscium vel avium ventres dispersus sit homo, tamen in quatuor omnino elementa, ex quibus & constat dissolvi & abire, juxta allatum solis exemplum; ita ut quod humidum est, in aquas abeat; quod frigidum, in aerem; quod calidum, in ignem; denique quod siccum est, in terram. Itaque resurrectionis tempore, Deo imperante, singula elementa invisibiliter reddent quidquid ex humanis corporibus acceperint, accurretque anima, atque ita resurget homo, prout solus ipse novit qui formavit hominem, seminatum quidem in terra in corruptione, resurgentem vero in incorruptinne. Quapropter hinc quoque possumus convincere Samaritas, quod hoc corpus resurgat, ex eo quod ipsi corpora, veluti quoddam granum, in terra abscondant. Hujus enim rei gratia Deus initio per nostros patres lege sancivit, ut mortua corpora terra effossa abderemus, ut vel invitus homo resurrectinnem fateatur. Quidquid enim terra obruimus, in spem resurrectionis contegimus. Sed si nulla est mortuorum resurrectio, ut volunt hæretici, certe injustus Deus reperietur, quippe qui multos justos hic ærumnas pati & e medio tolli sinat, multis autem impiis & peccatoribus felicem vitam, liberorum copiam, & prosperam fortunam concedat. Verum ne decipiantur Samaritæ: erit enim aliquando resurrectionis & judicii tempus, ut & pii qui hic mala perpessi sunt, coronis donentur; qui autem fortunati fuerint impii, æterno igne in sæcula sæculorum damnentur, juxta justum Dei judicium.

Quaest. CXV. Quo vadunt morientes fideles infantes? Ad pœnamne, an in regnum? Quo vero eunt infidelium infantes? Quo item in loco collocantur morientes fidelium infantes, num cum infidelibus, an vero cum fidelibus?

Matt. 19.14. Resp. Cũ Dominus dicat, *Sinite parvulos venire ad me: talium enim est regnum cælorum:* cum item dicat A-
1. Cor. 7.14. postolus: *Nunc autem liberi vestri sancti sunt:* constat ut immaculatos & fideles in regnum cælorum ingredi baptizatos fideliũ infantes. Qui autem baptizati non sunt, ut & infideles, neque in regnum ingrediuntur, nec rursus in supplicium: namque peccatum non egerunt.

Quaest. CXVI. An omnes hæretici in perditionem abeunt, necne?

Resp. Est hæresis, & hæresis: est item judicium, & judicium. Alia est enim perditio Manichæorum, Montanistarum, Simonianorum, Arianorum, & Pneumatomachorum, aliorumque id genus detestandorum hæreticorum. Aliud rursus judicium est eorum qui ajunt Dominum nostrum & Deum Jesum Christum corpus incorruptum ex sancta Deipara accepisse. Verumtamen qui in paucis infidelis est, & in multis est infidelis. Nec id tantum: sed etiam in una eademque hæresi multa & varia sunt judicia. Siquidem aliud est peccatum Episcopi populum in errorem inducentis: aliud judicium Clerici qui possit orthodoxam fidem discere; aliud autem judicium Clerici qui discere non possit. Aliud item ejus qui veritatem anathematizat, nobisque adversatur: aliud iterum ejus qui sciens errat: aliud ejus qui ob ignorantiam. Denique mulieris judiciũ, ali-

A is omnibus est levius. Quæ omnia solus accurate novit Psal. 97. 9.
Deus, qui orbem terrarum in justitia judicaturus est.

Quaest. CXVII. Licet-ne magistratibus munera accipere, eaque in pauperes insumere?

Resp. Si qui post accepta beneficia, copiam rerum habent, sponteque dona magistratibus offerunt, iis, inquam, a quibus beneficium acceperunt; forte qui munera suscipient, non grave subibunt judicium, si nempe ea distribuerint pauperibus. Quæ autem ab agricolis & fabris oppressis opemque implorantibus dona acceperint, ignem & supplicium sibi ipsi comparabunt, licet ipsa in sexcentis beneficiis conferendis insumant, quemadmodum ait Scriptura, *Ignis de-* Job. 15. 34.
vorabit domos eorum qui munera accipiunt.

Quaest. CXVIII. Si quis vir sanctus miserit ca-
B stigatinnem aliquam, aut pœnam, vel dæmonem, aut mortem vel aliam aliquam castigationem in domum vel substantiam hominis, aut in ejus liberos: potest-ne homo ille ad alium sanctum confugere, atque ita sententiam evitare, quam Dei servus ad eum miserat?

Resp. Si vir sanctus est qui supplicium homini immisit, manifestum est Dei voluntate id fecisse. Quis ergo possit Dei voluntatem irritam facere? Verum nec ipsi sancti sibi invicem adversantur, cum non ignorent vinculum caritatis spiritus,
C neque a Domino exauditum iri quemquam sanctum, qui sua oratione velit alius sancti irritam reddere orationem. Nec enim Deo convenit, suorum servorum unum affligere, alium vero recreare. Hinc Corinthium illum fornicatorem idem solvit Paulus ipse qui & vinxerat: itemque Helias in vetere Testamento cœlum ne plueret ligavit; idemque postea solvit, quamvis tunc Deus septem sanctorum millia haberet, qui genua non flexerant idolo Baal. Item cum Job ab amicis injuria fuisset affectus, voluit Deus ipsum illis condonare id peccati, unde eis ait: *Ite ad servum meum Job, & orabit pro vobis.* Denique ut inter Angelos, nullus alteri Job. 42. 8.
D repugnat: idem similiter de sanctis est sentiendum.

Quæst. CXIX. Unde quidã natura sunt invite & repugnanter misericordes: quidam item naturaliter crudeles immitesque, nec facile aliis quid impertiunt?

Resp. Nemo homo a Deo factus est natura immitis & immisericors; quin potius mutuum amorem Deus hominum naturæ indidit, nec tantum hominum naturæ, sed etiam irrationalium & volucrum. Inde sæpe ab invicem separatæ animantes congemunt, clamant, & jejunant, quædam etiam lacrymantur. Cornicum autẽ genus, cibo invento, statim invicem voce clamant ut
E omnes ejus sint participes. Annon ergo multa etiam irrationalia nos, qui ad Dei imaginem conditi sumus, condemnatura sunt, non solum quod immisericordes sumus, verum etiam nostram ob ignorantiam & incontinentiam? Illa enim non solum mas cum mare non commiscentur, sed ad paucos dumtaxat dies feminam appetunt. Quædam etiam viduitatem servant. Avaritiam autem non norunt, nec convitium dicunt. At quod gravius est, nos qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus, & ad imperandum irrationalibus constituti, comparati sumus jumentis insipien- Psal. 48. 13.
tibus, & similes facti sumus illis.

F Quaest. CXX. Quæ ex omnibus virtutibus potissimum Principibus conveniunt & consentaneæ sunt?

Resp. Præcipue commiseratio & humanitas, quæ & Deo insunt. Deinde injuriarũ oblivisci, non moveri iracundia, personas non accipere, nec muneribus corrumpi, sed in primis non facile neque absque examine calumniis & convitiis fidem habere. Quod enim aliorũ sermonibus credant multi, cædes injustas perpetrarunt, necnon quod immisericordes fuerint, meminerintque injuriarum, & donis corrumperentur. Ille igitur princeps acceptus Deo est, qui nihil hujusmodi vitiorum habet.

Quæst.

Quaest. CXXI. Unde videmus malos nonnullos & indignos ad summū sacerdotiū promoveri, potestatem in populum consequi, multaque absurda committere?

Resp. Non quod ipsi digni sint hujusmodi potestate, illis populi gubernationem committit Deus: sed quia perversus est populus, tales ipsis Deus dat summos sacerdotes & principes, *Dabo enim vobis*, inquit Deus, *principes secundum cor vestrum*.

Quaest. CXXII. Undenam cogniturus est, qui a Deo aliquid postulat, acceptam fuisse ejus orationem?

Resp. Paucis id quidem & piis viris fit manifestum, quorum cor intelligibiliter hac de re persuadetur.

Quaest. CXXIII. Mundum dicimus ex quatuor terminis constare, rursusque hominem ex quatuor elementis esse compositum: planum igitur est quod quatuor termini, id est, Oriens & Occidens, Septentrio & Meridies, quatuor generent elementa, nempe calidum & frigidum, humidum & siccum. Quærendum itaque restat, quale elementum ex quali parte mundi oriatur?

Resp. Ut rerum natura testatur & docet, videmus calidum elementum ex Oriente oriri, idque testantur Indorum, qui ceteris omnibus magis ad Orientem accedunt, corpora quæ summus calor nigra efficit. Deus enim ab initio hominem nigrum non fecit. Hinc mortuorum cadavera, soli exposita, nigra fiunt, & uruntur. Unde multum & summum ob calorem multum vinum non valent bibere Æthiopes: sed eos vehemens fervor iracundos valde & acerbos reddit, necnon ad fornicandum procliviores. Quemadmodum autem hæc de Oriente diximus, sic contraria de Occidente dicemus. Hæc enim pars frigida est, frigidique elementi & noctis genitrix & effectrix. Hinc & ejus incolæ corpora habent aliis omnibus candidiora, multumque vinum facile bibunt. Restat igitur ut dicamus desertam Meridiem, sicci elementi parentem esse, ut ejus incolæ Arabes argumento sunt, quorum scilicet corpora magis sicca & calida sunt, utpote quæ in terra minime humida exsistunt. Aquilo denique haud dubie frigidioris est temperamenti. Maria enim & flumina aquarumque multitudines humidum illud efficiunt elementum. His autem quæ diximus, non ab invicem separamus elementa: nam colligata sunt in qualibet creatura. Verum in quatuor his, quæ memoravimus, locis aliud alio magis abundat, secundum antea propositam naturæ rationem.

Quæst. CXXIV. Quomodo quidam incantatores, dæmones ex hominibus ejiciunt?

Resp. Cum Christus in sanctis Euangeliis dicat,
Marc. 3. 26. *Si satanas satanam ejicit, regnum ejus non stabit*: inde liquet non ab incantatore expelli dæmonem, sed dæmonem in obsesso homine exsistentem sponte recedere quo homines decipiat, qui ne ad Deum confugiant, suadet ipsis ut ad incantatores abeant.

Quæst. CXXV. Quomodo tanta vis & potentia incantatoris est, ut hominem in belluarum naturam commutet?

Resp. Si posset ex homine belluam reddere, posset & ex bellua hominem efficere rationalem. At non ita est: absit. Sed quemadmodum qui dicuntur Psephades,
(Psephades genus circulatorum & præstigiatorum.) ut itē ipse Antichristus, falsa amictus specie venturus est, qua oculos hominum deludat, quibus aurum sæpe & argentum ostensurus est; sic qui ajunt se ex homine belluam facere, videntes tantummodo decipiunt: quandoquidem hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum non possunt in brutum animal commutare.

Quaest. CXXVI. Num judicium sibi accersunt, qui furtum passi, ad dictos incantatores se conferunt?

Resp. Grave profecto sibi accersunt judicium. Siquidem nos docuit Scriptura in qualibet calamitate quæ nobis accidit, hæc dicere, *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum*. Job. 1. 21.

Quaest. CXXVII. Quonam modo temporibus mortiferis moriuntur quidam, cernuntque visiones, atque post duas vel tres horas resurgunt, eas enarrantes?

Resp. In istis anima non penitus tunc e corpore exivit: sed in exstasin rapiuntur, etiamsi nobis videantur exspirasse, quæ autem vident & narrant metuenda, ad nostram utilitatem Deus hæc illis ostendit; ut timore correpti nosmetipsos emendemus, abstineamusque ab operibus malis.

Quæst. CXXVIII. Quomodo anima in resurrectione certo suum corpus agnoscit, nec in alienum ingreditur?

Resp. Naturali ratione. Ut enim agni vespere a matribus separati, & mane dimissi, vi naturæ singuli ad suam matrem certo accurrunt: ita idem in resurrectione animabus accidere est intelligendum.

Quæst. CXXIX. Si quis latro post centum homicidia commissa captus obtruncatur, quid de illo sentiendum est? Num ab omnibus cædibus quas perpetravit, absolutus est?

Resp. Unius & solius homicidii pœnas luit: de aliis nonaginta novem homicidiis rationem reddet in futuro sæculo. (Vide Chrysostom. in Matth.) Sciendum est autem, si homo unius cædis reus, comprehensus, capite plectatur, sæpe tamen non omni judicio esse liberatum. Quale est quod de sancto Joanne Baptista & Herode dicimus. Qui si decollatus esset, propterea quod Baptistam occiderat; non tamen quid æquale est ad salutem mundi Joannes & Herodes. Ille enim salutaris erat homo: hic vero, insidiator. Idem de aliis homicidis, & justis viris occisis intelligendum & dijudicandum est, quemadmodum diximus.

Quaest CXXX. Siquis princeps ira commotus rē aliquam cum jurejurando decreverit, deinde post jusjurandum ad seipsum redierit, factique peniteat, cum nempe advertat se male jurasse, quid ipsi agendum est?

Resp. Deo confiteri debet, suamque condemnare inconsiderantiam, & juramentum solvere. Namque Petrus Apostolus qui dixerat, *Non lavabis pedes meos in æternum*, (Joan. 13. 8.) rescisso hoc quod dixerat, ea de causa laudatur. Herodes contra juramento confirmato, propter amputatum Præcursoris caput, penas æternas luit.

Quæst. CXXXI. Si quis sibi rem aliquam utilem esse arbitretur, quomodo eam a Deo in oratione petere debet?

Resp. Quemadmodum Christus nos orare docuit, hæcque ad Deum dicere, *Fiat voluntas tua*. (Matth. 6. 10.) Nam & ipse Dominus, qui ita nos erudierat, sic & ipse Patrem precabatur, *Non mea voluntas fiat, sed tua*. (Luc. 22. 42.) Nos autem homines non raro quædam a Deo petimus, quæ nobis prodesse credimus, obtentaque petitione, id nobis magno esse detrimento comperimus. Hinc Dominus, ut rerum præscius, nostras sæpe non exaudit orationes, idque, uti bonus, in nostrum vertit commodum. Unde rectum non est vim Deo inferre, cum ab eo aliquid petimus, sed ut edocti sumus, orandum nobis est, nec quærendum ut nostra, sed ut Dei fiat voluntas. Vult enim omnes omnino salvos fieri, eaque nobis præbet, quæ saluti nostræ conducunt.

Quæst. CXXXII. Si quis rem quampiam velit agere, undenam nosse possit, gratum fore Deo quod statuit agere?

Resp. Paucorum valde hominum est, in omnibus quæ agere deliberant, certo nosse num Deo placeat

quod

quod agitur. Attamen ex iis quæ habentur in divinis Scripturis, & quæ egerunt Sancti, pleraque quæ nos spectant, possumus conjicere num Deo sint accepta. Id vero nonnulli observarunt, ad ea agenda, quæ Deo sunt accepta, non solum Deum adjuvare, sed universam etiam concurrere & conspirare naturam: quemadmodum in iis, quæ Deo displicent, non serviunt sed repugnãt. Id autem omnino ab homine exigitur, ut quæcumque agit, ad Deu placendum agenda prospiciat.

Quaest. CXXXIII. Supra diximus qualis homo in morte deprehensus fuerit, talem decedere, sive bonum sive malum. Si quis ergo post acta & bona & mala moriatur, quid de illo sentiendum est?

Resp. Id soli Deo notum est: nam & homo & Angelus ignorat. Quædam enim sunt mala quibus parva bona absconduntur. Similiter quædam sunt bona quibus magna mala obteguntur & delentur. Hæc autem judicia, *abyssus multa*.

Quaest. CXXXIV. Vanis quibusdam hominibus dicere visum est nihil hominem inter & belluam interesse, sed qualis est interitus belluæ, talem esse hominis interitum, quippe qui non habeat substantiam animæ immortalem; scilicet, inquiunt, homo & bellua eodem modo intereunt, cum nimirum effluxerit & evacuatus fuerit ipsorum sanguis.

Resp. Sanguinis natura in belluis substantia quædam vitalis & animalis est, quæ cetera tria elementa contineat, quo si animal privatur, interit, nihilque jam auxilii percipit ab aliis tribus elementis. In nobis autem, quorum natura rationalis est, sanguinis natura vinculum est animæ & corporis, quo dissoluto vinculo, necesse est ea quæ juncta sunt separari.

Quæst. CXXXV. Recte: hæc enim physica demonstratio est. Attamen cum animalia & homines sæpe intereant absque sanguinis effusione, quid est quod ab illis exit & mortis causa est?

Resp. In brutis, facultas vitalis, nutritiva, caloris, motus, augmenti, quæ in sanguine est, quæque ex igne vim agendi habet, quæ & causa illis est respirandi. Ut enim lebes igne accensus aquam, quam continet, movet ita ut bulliat, exstincto autem igne, mortua jam, immota & frigida fit aqua. Idem cogita de brutarum animantium natura & sanguinis fervore, hancque esse causam eorum vitæ & motus. Deficiente igitur sanguine mortua manent pecora, volucres & pisces. At quod humanam spectat naturam, non solum fervor & calor sanguinis, mortis tempore, separantur; sed præterea rationalis quædam anima & constitutiva, immortalis & intelligens.

Quæst. CXXXVI. Quomodo Gentilibus, qui Euangelio non credunt divinasque omnes Scripturas floccifaciunt, possit persuaderi Deum esse increatum, cæli & terræ opificem, unum & solum, non multos Deos, ut errantes ipsi arbitrantur?

Resp. Eos qui divinas non admittunt Scripturas, ex ipsa rerum natura, quid de Deo sentiendum sit docere debemus. Nam inter res creatas, quasdam videmus essentias, quæ non secundum naturam, sed supra naturam pariter exsistunt. Exempli causa. Aquarum essentia natura est fluxa & declivis: quomodo ergo Siphonas (sic vocant) videmus, ex mare aquam ad nubes attrahere? Quod autem admirabilius est, quæ salsa ascendunt, dulcia postea in terram per imbres descendunt? Quomodo rursus cum corporum possit, bolide jacta, natura explorari, in undis Marmaricæ Pentapoleos nec penetrari ad imum, nec bolide potest investigari? Quin etiam, cum aqua & ignis contraria sint natura, simul tamen invicem erant in Lyciæ monte, quem Olympum vocant, quemadmodum innumerabiles viderunt homines? Infinita alia sunt his similia in rerum natura quæ videmus & admiramur: quæ sane omnia supra naturam non ita possent fieri, nisi esset aliqua Dei natura, quæ hisce dominaretur, imperaretque invicem non adversari. Quomodo rursus, dicant nobis Gentiles, valido facto tonitru, universa hominum natura, tremit, horrescit, obstupescit? Quibus utique indiciis ostendit se illi subjici Domino, qui tonitrui est auctor. Et hæc quidem sunt exempla, quibus Dei cognitionem doceri possint Gentilium simpliciores. Nam ante ipsos eorum sapientes, quidam sapientes Gentiles ex antiquis præstantibus philosophis, multa de Dei cultu testimonia protulere: quin etiam ipsam Christi œconomiam obscure præsignificarunt. Sic igitur quidam illorum sapiens multis ante Christi adventum annis verba facit: Puella veniet quæ cælestem nobis editura est partum. Alius item sic loquitur: Tandem aliquando Deus in multifidam hanc terram descendet, & sine labe fiet caro: ut damnatus, pendebit in ligno, morbosque curabit insanabiles.

Quæst. CXXXVII. Cum Christiani & Judæi Christum confiteantur, ejusque de adventu dubitent Judæi, velintque nondum ipsum venisse, sed venturum esse, qua ratione ipsis poterimus persuadere Deum esse Christum, veracemque, non impostorem esse, ut ipsi arbitrantur?

Hæc non sunt Athanasio indigna, & in nonnullis codicibus separatim ponuntur.

Resp. Christum quidem Deum & Dominum esse testantur Prophetæ, & quidem sic ait David: *Dominus Deus, & apparuit nobis*. Et rursus, *Inclinavit cælos & descendit*. Et iterum, *Qui sedes super Cherubim, appare*. Hæc item sunt verba Habacuc: *Deus a Theman veniet*: Et Baruch, *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum: invenit omnem viam scientiæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Vides quam luculenter Prophetæ Christum Deum appellent.

Psal. 117. 27. Psal. 17. 10. Psal. 79. 2. Habac. 3. 3. Bar. 3. 38.

2. Christum autem jam venisse habemus ex Daniele Propheta, qui tempus ejus adventus sic ipse, vel potius Archangelus Gabriel ipsi, indicavit: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum & super urbem sanctam, ut perficiantur peccata, & obsignentur peccata*. Et paulopost: *Et obsignetur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum*. Quis ergo alius est unctus Sanctus Sanctorum, præter solum Christum, ut Dei viventis? Septuaginta enim hebdomades quadringentos nonaginta annos significant. Namque a Daniele ad hoc tempus sunt anni plusquam octingenti. Ostendant igitur nobis Judæi quinam apud ipsos unctus sit Sanctus Sanctorum post quadringentos nonaginta annos Danielis, qui & sacrificium libationemque legalem abrogaverit? Sane neminem poterunt indicare qui hæc præstiterit, nisi Jesum Christum Filium Dei.

Dan. 9. 24.

3. Quod autem verus sit, non impostor Christus, ut vos, Judæi, arbitramini, id vobis non verbis sed factis sumus probaturi; quæ, inquam, facta id hactenus per totum orbem clamant & testantur, ut & omnia, quæ ipse dixit, facta esse: dixit enim, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Quænam autem verba dixerit, attendamus. Dixit de vestro templo, *Amen, dico vobis, non remanebit lapis super lapidem in ipso, qui non destruatur*. Id ejus verbum factumne est, necne? Dixit venturos Romanos, vestramque sublaturos gentem, urbemque & regnum. Annon sub Vespasiano & Tito id factum est, necne? Dixit Legem & Prophetas usque ad Joannem Baptistam futuros, tuncque finem habituros: nonne id factum est? Quis enim Propheta apud vos exstitit post Joannem Baptistam? Nullus profecto. Dixit rursus idem Dominus Jesus Christus verus Deus noster, Euangelium in toto mundo prædicatum iri: factum ergo id est,

Luc. 21. 33. Matth. 24. 2. Luc. 16. 16. Matth. 26. 13.

nec-

necne ? Dixit item portas inferi non prævalituras ad-
versus Ecclesiam : numquid mentitus est ? Absit . Di-
Matth. 24. 9. xit nobis qui in ipsum credimus , *Eritis odio omnibus*
propter nomen meum. Dicite itaque nobis, annon omnes
gentes propter Christi nomen odio nos habent & ex-
secrantur ? Etiamsi vos taceatis, ipsi clamabunt lapi-
des, ipsaque rerum veritas vos pudore satis poterit affi-
cere, cogetque vel invitos credere Christū Deum ma-
nifeste venisse , in terris visum esse, cælos inclinasse &
descendisse , rursusque super Cherubim ascendisse , &
volasse , ad cælosque in jubilatione ut Deum rediisse .

4. Ut autem Judaicam cæcitatem plane con-
demnemus , nosque , qui fideles sumus , in Chri-
sti fide firmiores efficiamur ; age , breviter de
universa Christi œconomia & pro Euangelii defensio-
ne, testimoniis ex vetere Testamento excerptis, differa-
mus. Id enim emolumento futurum est omnibus , qui
rem perpendere volent . Ante sæcula esse Filium &
Verbum Dei, qui extremis temporibus incarnatus est,
Psal. 109. 3. patet ex Psalmo centesimo nono, *Ex utero ante Lucife-*
rum genui te . Certum enim est neminem hominem an-
te Luciferum esse genitum : nam Lucifer quarta die
factus est, Adam vero sexta die formatus est . Similiter
vero & Salomon de unigeniti Filii & Verbi Domini
nostri Jesu Christi generatione ante sæcula ex Deo &
Prov. 8. 25. Patre sic velut ex ipsius Filii persona loquitur : *Ante-*
quam montes fierent : prinsquam erumperent fontes : ante
omnes vero colles gignit me . Interrogandum est igitur
Genes. 3. 22. Judæos , quem Deus ante omnem rem creatam genue-
rit ? Item vero cum Deus de Adamo ait : *Ecce Adam*
factus est velut unus ex nobis , Patrem & Filium & Spi-
ritum Sanctum indicat . Cum pariter dicitur , *Pluit*
Dominus a Domino ignem super Sodomam , Pater &
Filius aperte significatur .

5. Quod autem Deus Verbum homo & caro ulti-
mis temporibus fieri debuerit , audiamus id a Prophe-
Psal. 117. 26. tis dictum . Itaque sic ait Propheta David, *Benedictus*
Psal. 49. 3. *qui venit in nomine Domini ; Deus Dominus , & appa-*
ruit nobis . Et rursus, *Deus manifeste veniet* . Isaias item
Isai. 35. 5. ita loquitur : *Non Angelus neque legatus , sed ipse Do-*
minus veniet & salvos nos faciet . Tunc aperientur oculi
cæcorum, & expedita erit lingua balborum : tunc claudus
ut cervus saliet . Christum item ex femina virgine ge-
nerandum esse audiamus ex his Isaiæ Prophetæ verbis:
Isai. 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium , & vocabunt no-*
men ejus Emmanuel . Idem rursus, *Puer natus est nobis,*
Isai. 9. 6. *& Filius datus est nobis ; & vocabitur nomen ejus, ma-*
gni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus for-
tis , potens , princeps pacis , pater futuri sæculi . Deinde
idem Propheta locum ipsum indicat . ubi in terris
Ibid. v. 1. Christus incarnandus erat, nempe Nazareth . *Terra Za-*
bulon , & terra Nephtalim , via maris, trans Jordanem,
Galilæa gentium : populus qui in tenebris sedebat , vidit
lucem magnam . Patet autem populum gentium, in te-
nebris ignorantiæ, erroris & idololatriæ sedisse . Unde
David docens Deum incarnandum esse propter gentes,
Psal. 46. 8. ait, *Regnavit Deus super gentes.* Idem præterea Prophe-
Psal. 2. 8. ta tamquam ex persona Patris ad Filium ait: *Postula a*
me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam . Hinc etiam,
Psal. 46. 1. *Omnes gentes plaudite manibus* . Et rursus, *Omnes gen-*
Psal. 85. 9. *tes quascumque fecisti , venient , & adorabunt coram te ,*
Domine , & glorificabunt nomen tuum in sæculum.

6. Quod autem in Bethlehem , (quod est , si inter-
preteris, domus panis) nasciturus erat panis vitæ, quod-
que ante sæcula sit ejus ex Patre generatio , audiamus
Mich. 5. 2. Michæam Prophetam dicentem , *Et tu , Bethlehem ,*
Domus Ephratha , non minima es in millibus Juda : ex
te enim mihi egredietur , qui sit dominator in Israel , &
egressus ejus ab initio , ex diebus sæculi . Quod item in
Sion Christus appariturus esset , & quod ipse sit Altis-
simus , David Propheta Psalmo octogesimo sexto

A his verbis prophetat : *Mater Sion dicet , homo & ho-* *Psal. 86. 5.*
mo natus est in ea , & ipse fundavit eam Altissimus .
Itaque Altissimus est Christus Filius Dei . Quod
vero natus Christus cum propria matre , spirituali
nube , in Ægyptum erat venturus , audiamus Esaiam
Prophetam dicentem , *Ecce Dominus sedet in nube le-* *Esai. 19. 1.*
vi , venietque in Ægyptum , & commovebuntur simu-
lacra Ægypti . Quod autem , cum baptizaretur Chri-
stus , Pater de eo testaturus esset , ita scriptum ha-
bemus in Psalmo vigesimo octavo , *Vox Domini su-* *Psal. 28. 3.*
per aquas : Deus majestatis intonuit , Dominus super
aquas multas . Deinde quod ad miracula & sanatio-
B nes spectat , quas Christus & Deus noster effecit ,
sic de his nos docet Esaias , *Ipse infirmitates nostras* *Esai. 53.*
tulit , & morbos portavit , & pro nobis cruciatur .
Quod similiter Christus pacem mundo venerit allatu-
rus , discimus ex septuages. primo Psalmo , *Descendet*
sicut pluvia in vellus , & sicut stilla stillans in terram .
Orietur in diebus justitia & abundantia pacis , donec *Psalm. 71. 6.*
auferatur luna , & dominabitur a mari usque ad mare ,
& a fluminibus usque ad terminos orbis terrarum .
Quod si dicat Judæus Psalmum de Salomone loqui ,
fallitur . Nam hæc ejus sunt verba : *Ante solem per-*
C *manet nomen ejus : & omnes gentes beatum dicent eum ,*
& adorabunt eum omnes reges terræ . Atqui hæc in *Ibid.*
Salomonem quadrare non queunt , quippe qui ante
solem non exstiterit .

7. Quod autem Christus Deus noster per baptis-
mum contriturus esset diabolum , testatur Psalmus
septuagesimus tertius his verbis : *Tu contrivisti capita* *Psal. 73. 13.*
draconum in aqua : tu confregisti caput draconis . Chri-
stum præterea cæli effectorem esse , qui & in mari
ambulaverit , audiamus ex his Jobi verbis , *Qui ex-* *Job 9. 8.*
pandit cælum solus , & ambulat in mari velut in solo .
De pullo autem & Asina , in quibus Christus insedit ,
D audiamus Zachariam Prophetam ajentem : *Exsulta* *Zach. 9. 9.*
multum filia Sion : prædica filia Jerusalem ; ecce rex tu-
us venit tibi justus & salvator , ipse mitis sedens super
subjugalem & pullum juniorem . Quid his propheticis
vocibus luculentius ? Sed tamen licet tam clara de
Christo essent vaticinia , oculos Judæorum excæcavit
Satanas , eorumque mentis pupillas obtudit , ut tot
testimonia prave explicarent . Verum audiamus insu-
per de pueris qui Christo Hosanna acclamarunt , & a-
perte Christum vocaverunt dominum , hæc Psalmi o-
ctavi verba : *Domine Dominus noster , quam admirabi-* *Psalm. 8.*
le est nomen tuum in universa terra : quoniam elevata est
E *magnificentia tua super cælos . Ex ore infantium & la-*
ctentium perfecisti laudem . Judæ quoque proditionem
præsignificat Psalmus quadragesimus primus hoc mo-
do : *Qui edebat panes meos , magnificavit super me sup-* *Psal. 40. 10.*
plantationem . Gentium vero & Judæorum insidias
Christo structas enarrat Psalmus secundus his verbis ;
Quare fremuerunt gentes , & populi meditati sunt ina- *Psal. 2.*
nia ? Astiterunt reges terræ , & principes convenerunt
in unum , scilicet Anna & Caiphas & principes ac
Scribæ , *adversus Dominum & adversus Christum e-*
jus . Qui enim pugnat adversus Filium , injuria Pa-
trem afficit .

F 8. De vinculis porro , quibus vinxere Christum , sic
loquitur Esaias Propheta , Judæorum deplorans mise-
rias: *Væ animæ eorum, quia pravum adversus se ipsos ini-* *Esai. 3. 9.*
erunt consilium dicentes, Vinciamus justum. Jam vero Ju-
dæum interroga, & dic ipsi: Quis homo in terra peccati
expers? Certe constat neminem purum a labe esse, nec si
una tantum fuerit dies vitæ ejus in terra . Præterea sic
Propheta Deum precatur : *Non intres in judicium cum* *Psal. 142. 2.*
servo tuo , quia non justificabitur in conspectu tuo omnis
vivens . Ex quibus aperte docemur neminem absque
peccato esse præter solum Deum . Jam igitur videamus
quid narret nobis Isaias Propheta de passione impecca-

Esai. 53. 7. bilis Christi Dei nostri, Filii Dei. *Sicut ovis*, inquit, *ad mactationem ductus est, & quasi agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum.* Notum autem est siluisse Christum tempore suę passionis, cum Pilato sisteretur. *In humilitate ejus judicium ejus sublatum est; generationem ejus quis enarrabit?* Nempe nemo divinitatis generationem potest narrare. Nam secundum carnem generatio Christi Dei nostri describitur. Siquidem *ab iniquitatibus populi ductus est ad mortem.* Manifestū enim est Christum mortuum esse pro peccatis mundi. *Et dabo malos pro sepultura ejus.* Judæos videlicet tradidit Romanis. *Et divites pro morte ejus.* Cur quæso, o Propheta? Dic nobis aperte, cujus gratia? *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus in ore ipsius inventus est.* B Quid ad hæc respondebunt Judæi? Quis homo, sicut ovis, ad occisionem ductus est, qui peccatum non fecerit? Sane neminem peccati expertem poterunt indicare, præter solum Deum hominem factum.

9. Audiamus etiam quæ habet Psalmus trigesimus quartus de iis quę falsi testes adversum Christum *Psal. 34. 11.* testificati sunt: *Qui insurrexerunt in me testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis.* Notum utique est Christi beneficentia, primo ipsorum populum ex Ægypto discessisse, ceteraque quam plurima in illos bona eum contulisse: eorum quoque sanavit infirmos. C De iis autem qui flagellarunt & percusserunt Christum, sic ex Christi persona loquitur E- *Esai. 53. 6.* saias: *Dorsum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas; faciem autem meam non averti ab ignominia sputorum.* Similiter item David Propheta ex Christi persona in Psalmo trigesimo *Psal. 37. 18.* septimo ait: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Hæc quo- *Jerem. 32. 9.* que de Christi venditione dicit Jeremias: *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, Matth. 27. 9.* quem appretiaverunt a filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* D An istud depravare potestis, o Judæi, quod ante oculos totius mundi ex illo ad hoc usque tempus expositum est? Loquor nimirum de agro figuli ad sepulturam peregrinorum comparati. Eodem modo Zacharias Propheta de triginta argenteis mentionem facit, velut ex persona Christi: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* Quod item salutis nostræ principium, pretiosam videlicet crucem, suis ipse humeris tulerit Christus, in ea exaltatus, Esaias Propheta ex Spiritu sancto his verbis prophetavit: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cujus principatus super humerum ejus,* scilicet crux vivifica. De spinea vero corona scriptum E *Cant. 3. 11.* est in Canticis Canticorum: *Filiæ Jerusalem, egredimini & videte coronam, qua coronavit eum mater sua,* nempe Judæorum Sinagoga (ipsa enim mater Christi secundum carnem intelligitur,) *in die desponsationis ejus, & in die exultationis cordis illius.* Manifestum autem est diem, qua passus est Christus, diem ejus exsultationis fuisse propter salutem nostram. Instar enim spinarum fuere mundi peccata, quæ suo adventu Christus, Agnus Dei, peccatum mundi tollens, delevit. Ac quemadmodum per fructum ligni, peccatum; sic per F lignum crucis, salus. Unde in horto passus est Christus, quia in paradiso Adam peccaverat. Hinc & latroni paradisus a cruce aperitur: hinc sexta hora crucifixus Christus est, quia pomeridiano tempore Adam expulsus est. Fel gustat, ut dulcedinem amarę voluptatis Adami sanet: alapis percutitur, ut libertatem nobis *Mos erat servos alapis libertate donare.* donet: conspuitur, ut Sancti Spiritus afflatum nobis impertiat: flagellatur, ut nostram peccatorum sarcinam dorso suo ventilet: in ligno nudatur, ut meam operiat ignominiam: moritur, ut me vivificet: condemnatur, ut me a maledictione liberet: caput ejus A arundine percutitur, ut serpentis caput conterat: lancea pungitur latus ejus, ut ex Adami latere creatam mulierem sanet, flammeamque romphæam, quæ adversum nos vibratur, inhibeat, ac nobis viam paradisi aperiat.

10. Jam quod in medio terræ Christus crucifigendus esset, in Psalmo septuagesimo tertio scriptum est, *Psal. 73. 12.* *Deus rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Quod item cum latronibus esset Christus crucifigendus, Esaias ait: *Et cum iniquis reputatus est.* *Esai. 53. 12.* De clavis quoque & partitione vestimentorum ejus sic habet Psalmus vigesimus primus: *Psal. 21. 18.* *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem* B *meam miserunt sortem.* Similiter vero & Zacharias Propheta de clavis sic ait: *Zach. 13. 6.* *Et dicent ei: Quid plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: has accepi in domo dilectorum meorum.* Ita quoque de tenebris loquitur idem Zacharias Propheta: *Ibid. 14. 6.* *Et erit in die illa, non erit lux; & frigus & gelu erit una dies, & dies illa nota Domino: & non dies & non nox, & ad vesperam erit lux.* Amos pariter propheta ait: *Amos 8. 9.* *Et erit in die illa, dicit Dominus, & occidet sol in meridie, & lux per diem in terra tenebrescet.* Hæc item sunt Joelis Prophetæ *Joel. 2. 10.* verba; *Sol & luna obscurabuntur, & stellæ retrahent* C *splendorem suum: Dominus autem ex Sion vociferabitur, & ex Jerusalem dabit vocem suam, & commovebitur cælum & terra.* Quod autem aceto & felle potandus foret Christus, audiamus ex Psalmo sexagesimo octavo: *Psal. 68. 22.* *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Hinc ipsis imprecatur hoc modo: *Fiat mensa eorum, coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant; & dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet:* nempe in templo ipsorum Je- D rosolymitano, quod & accidit. Cetera porro quæ in Psalmu sequuntur, instar maledictionis dicta, in Judæos quadrant, quos & Moyses his verbis objurgavit: *Deut. 28. 66.* *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, nec credes vitæ tuæ.*

11. De lancea vero ita loquitur Zacharias Propheta *Zach. 12. 10.* quasi ex persona Christi: *Et aspicient ad me quem confixerunt.* De aqua autem, que ex sancto ejus latere exivit, ait Propheta idem: *In die illa exibit aqua viva ex Jerusalem.* Audiamus autem & Esaiam Prophetam de sepultura Domini hæc dicentem, & Judæos irridentem: *Videte ut justus periit, & nemo corde cogitat.* *Esai. 57. 1.* E- E jus rursus resurrectionem his prædicit verbis: *Esai. 11. 10.* *A facie iniquitatis sublatus est justus, & erit in pace sepultura ejus. In pace,* autem ait, quia Pilatus cum pace Josepho reddidit corpus Jesu. Sic & David de ejus sepultura Psalmo octogesimo septimo quasi ex persona Christi loquitur: *Psal. 87. 7.* *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis & in umbra mortis:* & antea, *Et factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber, id est, impeccabilis.* Sic quoque in libro Job scriptum est: *Job. 38. 17.* *Aperiuntur tibi præ timore portæ mortis: videntes autem inferorum janitores tremuerunt,* nempe, adversariæ, ut pa- F ter, Dæmonum virtutes. Similiter hæc in Psalmo sexagesimo septimo legimus: *Psal. 67. 7.* *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulcris.* Quod vero Christus in inferis remansurus non esset, sed tertia die resurrecturus, discamus ex Psalmo quinto & decimo: *Psal. 15. 10.* *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et rursus ex Psalmo quinquagesimo sexto; *Psal. 56. 9.* *Exsurgam diluculo.* Hæc pariter verba sunt Oseæ Prophetæ: *Osea. 6. 1.* *Proficiscamur & convertamur ad Dominum Deum nostrum, quia ipse fecit*

nos,

nos, & sanabit nos: sanos nos reddet post duos dies, A *in die tertia resurgemus & vivemus.* De mulieribus autem unguentum ferentibus sic loquitur Esaias
Esai. 27.11. Propheta: *Mulieres venientes a contemplatione accedite: non est enim populus intelligens.*

12. De Christi vero assumtione hæc habentur Psal-
Psal. 17.11. mo septimo & decimo: *Et ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum.* Et iterū Psalmo
Psal. 46. 6. quadragesimo sexto: *Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Et in Zacharia Propheta: *In die*
Zach. 14. 4. *illa stabunt pedes Domini super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem.* De glorioso autem B
Dan. 7. 13. secundo Filii Dei adventu ait Daniel Propheta: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & adductus est ad eum. Et ipsi datum est imperium & honor & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non præteribit: & regnum ejus non corrumpetur.* Ecce aperte ex dictis discimus ipsum esse Filium Dei, qui incarnatus & passus est pro nobis ex mortuisque resurrexit, atque assumtus est in gloria ad suum Patrem, ac rursus venturus est cum nubibus cæli, cum gloria æterna, ut vivos & mortuos judicet. Hæc enim C
Ibid. v. 9. idem Propheta Daniel his verbis prædixit: *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus, flamma ignis: rotæ ejus, ignis accensus. Fluvius igneus fluebat ante eum. Millia millium ministrabant ei, & decies millies dena millia assistebant ei. Judicium sedit, & libri aperti sunt. Aspiciebam tunc propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur, donec interfecta esset bestia, & periisset: & corpus ejus traditum est ut igne combureretur.* Clarum autem est bestiam esse Antichristum. Filius quippe Dei cum venerit, eam interficiet spiritu oris sui, quia ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, amen.

13. Hæc autem ex multis pauca ex sacris Scripturis proposuimus, cum ad nostram, qui Christiani sumus ampliorem fidem, tum ad pertinaciam & amentiam Judæorum confutandam. Scilicet unus sanctæ vivificæ Trinitatis, Deus Verbum, & Dei Filius, & Dominus noster Jesus Christus, ipse propter nostram salutem extremis diebus homo factus est ex sanctissima, immaculata, Domina nostra Dei-para & semper virgine Maria. Idemque omnibus divine peractis, passusque, quemadmodum Prophetæ prædixerant, genus nostrum ex fallaciis & servitute inimici eripuit. Pro tot igitur tantisque beneficiis quibus sua bonitas dignata nos est, studeamus grati ei esse, sanctorum videlicet mandatorum observatione, ut æterna & infinita bona consequi possimus, in ipso Christo Deo nostro, cui gloria & imperium cum omnipotenti ejus Patre, & sanctissimo ac vivifico Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, amen.

Quæstiones sequentes in Evangelia, ex Codice Reg. 2431. nunc primum in lucem prodeunt. Adjiciuntur porro in eodem codice ad calcem Quæstionis 136. ad Antiochum.

QUÆSTIO I.

Mat. 1. 18. C*HRISTI autem generatio sic erat. Cum enim esset desponsata mater ejus Maria Joseph.* Quare non dixit: Cum esset desponsata virgo, sed *Mater ejus?*

RESPONSIO. Ut credibilis sermo foret, & ut auditorem, paratum ad quidpiam audiendum non insuetum, insolitæ rei additione percelleret, dicendo: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

Matth. 1. 20. Q. 2. *Apparuit autem ei Angelus Domini in somnis dicens.* Quare non palam apparet Angelus Jo- E sepho, quemadmodum pastoribus & Zachariæ?

R. Quia admodum fidelis erat vir ille. Nec opus illi erat ejusmodi visione.

Ibid. Q. 3. *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam.* Quare dixit: Ne timeas?

R. Declarat eum timuisse, ne Deum offenderet, utpote adulteram habens uxorem.

Ibid. Q. 4. Quare dixit, *Conjugem tuam?*

RESP. Utpote non corruptam. Vocat autem conjugem, quia desponsata erat. Uti solemus generos & pronubos, vocare procos.

Ibid. QUÆST. 5. *Pariet autem filium.* Quare non F dixit: Pariet autem tibi?

R. Quia non ipsi solum pareret, sed toto orbi.

Matth. 2. 1. Q. 6. *In diebus Herodis Regis.* Quare dignitatem addidit, cum dixit, *Regis?*

R. Quia alius fuit Herodes qui Præcursorem occidit. Sed ille Tetrarcha, hic Rex erat.

Mat. 2. 13. Q. 7. *Surgens accipe puerum, & matrem ejus.* Quare non dixit: Uxorem tuam, sed, *Matrem ejus?*

R. Quia partu adveniente, levata suspicio fuit, & Joseph certior factus est. Ideo cum libertate palam loquitur Angelus; nec ultra uxorem ejus vocat illam.

D Q. 8. *Et fuge in Ægyptum.* Quare cum audisset: *Fuge in Ægyptum*, perturbatus non fuit? *Ibid.*

R. Quia fidelis vir erat, ideo obsequitur, & obtemperat.

Q. 9. Quare in Ægyptum, & non in aliam mittitur regionem?

R. Ut impleretur prophetia quæ dicit: *Ex* *Osee. 11. 1.*
Ægypto vocavi Filium meum.

Q. 10. *Cum audisset Jesus quod Joannes tradi-* *Joan. 4. 12.*
tus esset, secessit in Galilæam. Quare secessit?

R. Admonens nos fugiendas esse tentationes. Neque id crimini datur, quod non nos in periculum conjiciamus; sed cum inciderimus, si non resistamus generose.

Q. 11. *Videns autem ejus turbas ascendit in* *Mat. 5. 1.*
montem. Quare ascendit in montem?

R. Quod ambitionem fugeret & vanam gloriam. Non enim illas secum circumquaque abducebat. Sed quando incedendum erat, ipse solus ubique circuibat, & urbes & vicos perlustrans. Cum autem multa aderat turba, in uno sedebat loco.

Q. 12. *Aperiens autem os suum docebat illos.* *Ibid.*
Quare dixit: *Aperiens os suum?*

R. Ut ediscamus illum non solum loquendo, sed etiam silendo docuisse.

Q. 13. *Attendite*, inquit, *ne eleemosynam ve-* *Matth. 6. 1.*
stram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Quare de eleemosyna id addidit, de oratione autem & jejunio, nullatenus?

R. Quia eleemosynam impossibile est penitus latere: orationem vero & jejunium possibile est.

Q. 14. *In principio erat Verbum.* Quare o- *Joan. 1. 1.*
misso Patre, de Filio loquitur?

R. Quia ille omnibus notus erat, etsi non quatenus Pater, sed quatenus Deus. Unigenitus vero ignorabatur: ideo jure ejus notitiam a principio dare voluit, iis qui ignorarent ipsum.

Q. 15. *Et Verbum erat apud Deum.* Quare *Ibid.*
non dixit: In Deo?

R. Pri-

R. Primum quidem ut ejus secundum hypostasin æternitatem declararet nobis. Deinde clarius & apertius revelat nobis, hoc Verbum esse Deum, *In mundo erat:* non ut mundo coævus. Ideo namque adjecit: *Et mundus per ipsum factus est.*

Mat. 14.19. Q. 16. *Et aspiciens in cœlum benedixit panes.* Quare cum sursum adspexisset tum benedixit?

R. Primo ut ostenderet se a Patre esse; secundo ut nos doceret, ne prius ad mensam accederemus, donec ei gratias egissemus qui escam nobis daret.

Q. 17. Quare in deserto miraculum panum efficit, & quinque millia alit?

Resp. Ut nulli prorsus subesset suspicioni miraculum, nemoque existimaret ex proximo quodam vico, quidpiam ad mensam delatum fuisse.

Ibid. Q. 18. Et abstulerunt ex residuis fragmentis, Quare non integri panes, sed fragmenta superfuere?

R. Ut ostenderet esse illa ex quinque panibus fragmenta, & ut qui non aderant rem gestam ediscerent, ne quis id phantasiam esse existimaret.

Ibid. Q. 19. *Duodecim cophinos.* Quare duodecim cophinos impleverunt?

R. Ut & ipse Judas deferret. Poterat enim turbarum sedare famem. At non novissent Discipuli virtutem ejus.

Mat. 27. 19. Q. 20. Quare non Pilato sed uxori illius visio fuit?

R. Primo quidem quia digna erat ipsa; seu potius, quia si vidisset ille, nequaquam illi æque fides habita fuisset: vel nô narrasset; ideoque ex divina dispensatione uxor visionem habet, ut res palam omnibus fieret.

Mat. 27. 38. & 50. Q. 21. *Et crucifigunt cum eo duos latrones, unum a dextris & unum a sinistris.* Quare medium inter latrones crucifixerunt illum, & quare clamans emisit Spiritum?

Esai. 53.12. R. Ut eorum famæ particeps esset, & ut impleretur quod dictum est: *Cum iniquis reputatus est.* Ut ostenderetur esse potestate rem effici. Quemadmodum dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam.*

Mat. 26. 34. Marc. 14. 31. Q. 22. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Quare Matthæus ait dixisse Petro Christum: *Antequam gallus cantet ter me negabis?* Marcus autem, quod cum semel negasset, tunc primum cantaverit gallus: cum autem ter negasset, tunc secundo cantaverit? Quomodo utrumque verum erit?

R. Quia unaquaque vice ter & quater gallus cantare solet, ut ostenderet Marcus nequaquam galli vocem cohibuisse Petrum, & ad memoriam dominicæ vocis revocasse, ita loquutus est. Ita ut utrumque sit verum. Antequam enim pro prima vice absolveret cantum gallus, ter negavit. Ita porro formidabat, ita terrore captus & quasi mortuus erat, ut non modo negaret, sed ne quidem ex se illius dicti recordaretur, etiamsi cantaret gallus, donec illi vocis loco adsuit Magistri intuitus. Quod de-

Luc. 22. 61. clarans Lucas ait, quod respexerit eum Christus.

Mat. 26. 75. Q. 23. *Et egressus foras flevit amare.* Quare foras egressus flevit?

R. Quia id non audebat palam & coram omnibus, ne suis lacrymis accusaretur, & discipulus illius esse deprehenderetur.

Mat. 26. 21. Q. 24. *Edentibus istis, dixit eis Christus: unus vestrum me traditurus est.* Quare edentibus illis de proditione loquitur?

R. Ut a tempore mensæ ostenderet proditoris nequitiam. Nam aderat ille.

Q. 25. *Unus vestrum me traditurus est.* Quare non dixit: Ille me tradet; sed Unus vestrum me tradet, ut & in hoc illi parceret?

R. Ut in hoc parceret proditori, daretque illi locum pœnitendi & latendi. Voluitque omnes perterrefacere, ut hunc salvum faceret.

Q. 26. *Erant autem & mulieres quæ sequutæ fuerant eum a Galilæa.* Quare memorat mulieres quæ sequutæ fuerant eum? Mat. 27. 55.

R. Ut magnam ostenderet earum assiduitatem, quodque ad pericula usque adfuissent. Cum fugerent namque Discipuli, illæ perseverabant.

Q. 27. Quare tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis aquam, quæ sum Samaritana? Unde gnara Judæum illum esse, ait illi: *Quare tu, Judæus cum sis?* Joan. 4. 9.

Resp. Ex habitu, & fortasse ex dialecto.

Quæst. 28. *Et peperit filium suum primogenitum.* Quare dixit, *primogenitum?* Neque enim alium habuit filium Sanctissima (Virgo.) Luc. 2. 7.

R. Quia Deus cum esset verus qui ex illa incarnatus est Dominus noster Jesus Christus, factus est per Incarnationem frater noster, quamobrem vocatus est primogenitus, utpote qui primas haberet in omnibus.

Q. 29. *Et reclinavit eum in præsepio.* Quare in præsepio reclinatus fuit? Ibid.

R. Ut nos ab irrationabilitate liberaret, brutorum relicta vita; tribueretque hominibus congruentem prudentiam.

Q. 30. *Homo descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones.* Quis homo? Quæ Jerusalem? Quæ Jericho? Qui latrones? Luc. 10. 30.

R. Homo est Adam; Jerusalem, paradisus; Jericho, hic mundus; Latrones, dæmones.

Q. 31. Casu autem sacerdos quidam videns eum, pertransivit. Levita similiter. Samaritanus autem videns eum, misericordia motus est, & ligavit vulnera ejus. Quid illud, *Casu?* Quis Sacerdos? Quis Levita? Quis Samaritanus? Ibid.

R. Illud, *Casu*, id est, ex divina providentia. Sacerdos est lex: Levita, Magistri ex Levitico sacerdotio: Samaritanus, Christus.

Q. 32. Quare dicitur Samaritanus, Christus? R. Quia Judæi illum ita nuncuparant dicendo: *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Joan. 8. 48.

Q. 33. *Factum est autem ut moreretur Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinus Abrahæ.* Quare moritur Lazarus priusquam dives? Luc. 16. 22.

R. Ut nullus diviti excusationi locus relinqueretur: quod scilicet aliquid erogaturus esset illi (si vixisset.)

Q. 34. *Elevans autem dives oculos suos cum esset in tormentis, vidit Lazarum in finibus Abrahæ.* Quare non alibi, sed in finibus Abrahæ videt Lazarum? Ibid.

R. Quia sicut Adamum Deus ejiciens ex Paradiso, posuit illum e regione; ut assiduus adspectus ejus mœrorem renovans, majorem illi præberet sui a bonis illis lapsus sensum; ita & illum e regione Lazari constituit, ut vehementius morderetur.

Q. 35. Quare non in alio justo vidit Lazarum dives ille; sed in finibus Abrahæ?

R. Quia hospitalis Abraham fuerat; ut itaque argueretur ob suam erga hospites sævitiam, Lazarum cum illo videt. Ille namque viatores etiam excipiebat; hic vero eum qui intus erat contemnebat. Ibid.

Quæst. 36. *Pater Abraham, miserere mei.* Quare non Lazaro sermonem dirigit dives, sed Abrahamo?

Resp. Quod erubesceret, & pudore teneretur: putabat enim eum injuriæ illatæ memoriam retinere.

Hoc

Hoc fragmentum adjicimus Quæstionibus ad Antiochum, quia pars ejus prior excerpta est ex quæstione 42. non quidem ad verbum, sed ad sententiam. Pars vero posterior, ex Orat. 3. contra Arianos, paulopost initium.

Sancti Athanasii Alexandrini excerptus sermo de sacris imaginibus.

NEQUAQUAM ut Deos olim (Ethnici) ita nos imegines adoramus: ebsit; sed dumtaxat, ut affectum & caritatem nostram exhibeamus. Quare plerumque contingit, ut deleto charactere seu figura, lignum vacuum remaneat. Hoc autem in Crucis typo deprehendere est. Dum enim duo ligna conjuncta sunt, servaturque Crucis figura, recte & accurate Crucem adoro: divisis autem ligois atque ablato per divisionem typo, ligna separata non ultra adoro. Atque ita fit ut propter Christum imaginem adorem, & per Christi imaginem ipsum adorem Christum. Etiamsi enim lebiis meis Christus mioime adsit corporaliter; corde tamen ac mente adsum ego Christo spiritualiter. Hæc autem ita se habere, ex crucis exemplo palam est. *Et paucis interjectis*. Qui enim ita novit, unum esse Filium & Patrem, novit A etiam, ipsum io Patre & Patrem in ipso esse. Nam Filii Deitas, Patris est, ipsaque in Filio est, & qui hoc intelligit persuasum habet, eum qui Filium videt, videre Patrem. In Filio namque Patris deitas conspicitur. Id porro exemplo regiæ imaginis, accuratius quivis intelligere poterit: in imagine quippe, Regis species & forma exstat; in Rege item species, quæ est in imagine, habetur. Similitudo eutem regia in imagine sine ulla discrepantia est; ita ut qui videt imaginem, in ipsa Regem videat & agnoscat, quie is ipse est qui in imagine comparet. Quod eutem similitudo illa nullam habeat discre- B pantiam; si quis post visam imaginem, Regem voluerit contemplari, dixerit imago: Ego & Rex unum sumus. Ego itaque in illo sum, & ille in me: & quod in me, id in illo quoque vides, & quod in illo, id in me vides. Qui igitur imaginem adorat, in illa Regem adorat: ejus enim forma atque species est imago.

IN SEQUENTES QUÆSTIONES IN SCRIPTURAM SACRAM MONITUM.

LIBET *hic adferre quæ Felckmannus in hasce Quæstiones annotavit: ait ille in variis lectionibus, p.* 90. Subjiciuntur hæc immediate Quæstionibus ad Antiochum in Paletino codice, quem nunc II. dicimus, absque auctoris nomine. Unde factum est, ut ab ioterprete veteri Quæstionibus jungerentur. Ceterum codex nonnullibi & lecunosus & non satis emendatus est: quare cui melior obtigerit, quæ videbuntur supplere aut emendare poterit. *Hinc liquet hasce Quæstiones, nedum Athanasii sint, nec Athanasii quidem nomen præferre in Codicibus. Et vero trigesima sexta nomen præfert Chrysostomi: trigesima vero septima, Cyrilli: vigesima octava est Theodoreti, tacito tamen ejus nomine. Quæstiones vero in Pentateuchum quæ incipiunt a 47. magna ex parte sunt Theodoreti, ut suis locis annotamus. Hinc vero perspicuum est ex multis auctoribus excerptas & in unum coactas esse has Quæstiones. Atque ex iis quæ de Francis leguntur Quæst. 76. videntur in unum corpus redactæ, post expeditiones Francorum in Orientem. Nisi forte Francorum nomen ibi adjectitium sit.*

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Dicta & interpretatione parabolarum Euangelii.

QUÆSTIO I.

Mat. 21. 2. ITe *in oppositum vicum, & invenietis hominem lagenam aquæ bajulantem.*

Quænam civitas est? Ecclesia. Quæ aquæ lagena? Senctum Baptisma. Quis ille homo? Præcursor. Quod cœnaculum? Regnum cælorum.

Mat. 18. 23. Q. II. *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.*

Quis est ille Rex? Deus. Quis debitor decem mille talentorum? Homo, qui multis peccatis obnoxius, divinæ tamen est longanimitatis particeps. Quis centum denariorum debitor? Subditus servus ejus, qui talentorum decem debebat millia, qui & ipse quidem Dei longanimitatem expertus, crudelis tamen ac durus erga conservum suum visus est.

Mat. 21. 28. 29. ALIA PARABOLA III. *Homo quidam duos habe-* A *bat filios, & uni dixit: Vade in vineam. Qui respondit, Non ibo, & abiit. Et accedens ad alterum dixit similiter: qui respondit: Vado, & non abiit.*

Quis ille homo? Deus. Quis ille, qui dixit, Ibo, & non ebiit? Judæi. Quis ille qui dixit, Non ibo, & tamen abiit? Populus, qui est ex gentibus.

ALIA PARABOLA IV. *Hominis cujusdam divitis ager uberes fructus tulit*. Quis ille homo? Judas, & qui sicut ipse avari sunt & amantes pecuniæ. Luc. 12. 16.

ALIA V. *Ite in vicum qui contra vos est, & invenietis asinam alligatam & pullum*. Qui vicus? Mundus. Asina vero, Judæi. Pullus, Christiani. Quis ligavit? Mosaica lex. Quis solvit? Christus. Pullus enim B est bruta Ethoicorum irrationabilitas & ignorantie. Mat. 21. 2.

ALIA VI. *Ite in vicum qui contra vos est ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit, Apud te facio Pascha cum discipulis meis*. Quæ ista civi- Matth. 26. 18. 19.

tas? Infernus. Quis ille quidam? Adam. A mortuis enim ipsum excitaturus erat.

Mat. 3. 10. ALIA QUÆST. VII. *Jam vero & securis ad arborum radicem est posita.*

RESP. Radix est fides: arbor, homo: securis, finis hominis.

Mat. 7. 24. ALIA VIII. *Homo quidam domum suam ædificavit supra petram.* Quis ille homo? Sanctus Petrus. Petra, Christus. Domus, fides. Ventus, Diabolus est. Qui vero super arenam ædificavit, Judas est. Arena siquidem est sterilitas.

Mat. 22. 2. ALIA IX. *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui nuptias apparavit filio suo.* Quis ille rex? Deus. Quis filius? Christus. Quinam erant vocati? Prophetæ & Apostoli. Quinam abnuebant? Judæi. Qui vero venerunt? Hi qui erant ex gentibus. Quis non habebat nuptialem vestem? Judas, & qui, quemadmodum ipse, ad sancta indigne prosiliunt.

Mat. 17. 26. ALIA X. *Dixit Dominus ad Petrum: Vade ad mare, & hamum projice, primumque qui egressus fuerit piscem cape, & ejus aperto ore, staterem invenies, hunc pro me data & pro te.* Quod mare illud est? Mundus. Hamus, Verbum Dei. Piscis, Christus. Stater, crux Domini, in qua & ipse crucifigendus erat, & Petrus.

Luc. 15. 12. ALIA XI. *Homo quidam duos habebat filios, dixit minor nata ad patrem suum: Pater, da mihi.* Quis ille homo? Deus. Duo filii? justi & peccatores. Filius minor natu, qui mente est instabili. Pars illum concernens, sunt eloquia & mandata Dei.

Luc. 19. 12. ALIA XII. *Homo quidam abiit in regionem longinquam ad accipiendam regnum.* Homo ille Deus est. Longinqua regio, est adventus ejus in terram. Regnum, secundus ejus adventus. Servi, sunt Prophetæ, Apostoli, & Martyres. Mna autem est gratia, quam acceperat Judas: Similiter etiam talentum:

Mat. 21. 33. ALIA XIII. *Homo quidam plantavit vineam, & sepem ei circumdedit.* Homo ille, est Deus. Vinea, mundus. Torcular, est baptismus. Turris, fides. Agricolæ, sunt Judæi. Servi, Prophetæ, Apostoli & Martyres. Et hos misit ut prædicarent, & occiderunt eos; similiter etiam unigenitum filium, qui est Verbum Dei: & ablatum ab ipsis est regnum & datum est Romanis, qui faciunt fructus ejus. Ipsi vero mali, male perierunt, propter ipsorum incredulitatem & duritiem cordis.

Mat. 13. 3. ALIA XIV. *Exivit, qui seminat ad seminandum semen suum.* Semen est Verbum Dei. Quod in spinas cecidit, Judas, qui abiens semetipsum strangulavit, & volucres cæli devorarunt eum. Semen vero quod cecidit in terram bonam, Prophetæ sunt & Apostoli.

Luc. 10. 30. ALIA XV. *Homo quidam ab Jerusalem descendebat Jericho, & incidit in latrones.* Homo ille, est Adam. Jerusalem, paradisus. Jericho, mundus. Latrones, sunt malæ cogitationes, & transgressio. Sacerdos, Prophetæ. Levites, Mosaica lex. Samaritanus, Christus. Oleum & vinum, pretiosum corpus & sanguis, & sanctum Baptisma. Diversorium autem est Ecclesia. Et hospes, sanctus Paulus. Duo denarii sunt vetus & novum Testamentum.

Mat. 20. 1. ALIA XVI. *Homo quidam diluculo egressus est ad conducendum operarios.* Homo ille est Deus. Vinea, mundus est. Operarii. Apostoli. Qui vero circa undecimam horam veniunt, Mathias est, qui cum reliquis undecim Apostolis connumeratus est.

Luc. 15. 8. ALIA XVII. *Mulier quædam drachmam habebat, quam perdidit.* Quæ mulier est? Ecclesia. Quæ drachma? Adam.

Mat. 13. 44. ALIA XVIII. *Simile factum est regnum cælorum thesauro, abscondito in agro.* Quis ille thesaurus? Christus. Qui emerunt? Joseph & Nicodemus: immo potius sancta Deipara.

Ibid. v. 33. Q. XIX. *Simile factum est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria.* Quod illud fermentum? Fides. Farinæ tria sata? Salvatoris post triduum resurrectio.

Mat. 3. 7. Q. XX. Quare Baptista vocat Judæos progeniem viperarum?

R. Quia illa bestia suæ matris ventrem exedit, & sic demum egreditur: quod etiam isti parricidæ patraverunt, præ invidia suos interficientes doctores & Prophetas. Lapidarunt enim Mosem, Esaiam vero Prophetam cum lignea serra in duas partes diviserunt.

Num. 14. 10.

Mat. 14. Q. XXI. Quam ob causam cum traditus esset Joannes, secessit Jesus in Galilæam?

R. Ut nos doceret fugiendas esse tentationes. Quod si in eas inciderimus, ut strenue nos & fortiter geramus.

Marc. 11. 13. Q. XXII. Quid peccavit ficus, quod eam Christus arefecerit? Quonam id proposito fecit? Et quomodo?

R. Quoniam dominus passurus jam erat, ne existimarent ejus discipuli infirmum ipsum, imbecillumque esse, atque ideo pati, in hac inanimata re, suam declaravit potentiam: ut ostenderet se omnes adversarios suos ariditate percutere potuisse. Sed quia, quemadmodum dixit ipse, non venit ut judicet mundum, quin potius ut salvum faciat: suam quidem potentiam in inanimata ficu declarat, suum autem erga homines amorem immensa patientia erga homines exercet. Dicitur quoque ficus peccatum, quod exsecratus est & ariditate percussit Jesus Christus Deus noster. Estque hæc hujus rei ratio, quia post transgressionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit suæ turpitudinis peccatum; cum destruxerit transgressionis peccatum, & confixerit deleveritque in cruce, arefecit operculum peccati, quasi folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem. Gen. 3. 7.

Joan. 4. 18. QUAEST. XXIII. Quid est quod (Christus) dicit: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir?*

RESP. Hæc mulier viros juxta Samaritanorum legem habuit, mortui qui jam erant, postea vero scortabatur: nemo siquidem cum ea, ut cum uxore legitima coire volebat. Illa vero concupiscentiam suam cũ refrænare non posset, clam apud se virum habuit, cũ quo fornicaretur, neque erat hic manifestus aut legitimus maritus: sed eum virum secum habebat occulte.

QU. XXIV. Quinam sunt illi veri adoratores, qui nec in hoc monte, nec Jerosolymis: sed in spiritu adorant Deum & in veritate.

RESP. Isti sunt qui in desertis & in montibus, qui in speluncis & cavernis terræ habitant, qui citra conventum Ecclesiæ, per opera bona, Dei spiritu illuminati, in spiritu & veritate adorant Deum & patrem nostrum qui est in cælis. Qui inculpate vivunt, & Deum religiose & pie colentes omni pietate & honestate virtutum relucent, nec opus habent Ecclesia, aut loco huic rei destinato, sed ipsi semetipsos templa bonis operibus facientes, quovis loco & ubique Deo placent: denique assidue & sincere omnibus diebus vitæ suæ serviunt.

Matth. 18. 19. QU. XXV. Quid est quod inquit: *Si duo vestrum consenserint super terram quamcumque rem petierint, dabitur eis?*

RESP. Hoc est, de quacumque re convenerit animæ cum corpore; de pio nimirum & probo negotio, Deus erit in medio eorum, sicut cum Helia in monte, & in fovea cum Daniele versatus est, ipsorum adimplens petitiones.

Matth. 5. 25. QU. XXVI. Quid illud quod dicit, *Esto benevolus cum adversario tuo, dum adhuc es in via cum illo?*

RESP.

Resp. Adversarius animæ corpus est: hæc enim sibi adversantur invicem, quemadmodum inquit Paulus; castigamus enim & in servitutem redigimus corpus per jejunia, vigilias, & per alias afflictiones: idque bono & benevolo animo, ne amplius contra animam per concupiscentias ignominiosas insurgat. Viam dicit, vanam hanc & fallacem vitam: nam a corpore postquam anima separata, & ex hac vita viaque fuerit egressa, non amplius potest operari bonum.

Psal. 75. 11. Quadrans autem dicuntur, *ipsæ reliquiæ cogitationis*. Dicitur vero conscientia adversarius: nam occulte nos in corde nostro redarguit, coercet a malo, & si simus inobedientes, eadem nos demum ad Dei tribunal sistit, ubi & pœnas dabimus tum enormium peccatorum, tum etiam levium & minimorum.

Matth. 13. 31. Qu. XXVII. Quid illud est: *Simile factum est regnum cælorum grano sinapis?*

Resp. Propter humanam suam naturam hoc dicit:

Philip. 2. 8. *Dives enim cum esset, humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem vero crucis*. Manum autem & foliis luxurians olus dicit, propter divinitatem. Volucres autem cæli, ramis ejus insidentes, Prophetas, Apostolos & Euangelistas ipsis intelligit.

Levit. 19. 27. Qu. XXVIII. Quid illud significat: *Non facietis Sisoen ex coma capitis vestri?*

Hæc est quæstio 28. Theodoreti in Levit. iisdem fere verbis.

Resp. Sisoen quidam aliter interpretati sunt, ego sic sentio: Prohiberi hac lege capillorum tonsuram. Consuevere namque Græci infantum vertices non tondere, & capillos servare, eamque postmodum dæmonibus dedicare.

Joan. 20. 22. Quæst. XXIX. Quare flavit in discipulos suos Christus, dicens: *Accipite Spiritum sanctum?*

R. Quemadmodum super cæco fecit lutum, & ejus oculos illinivit, ut ostenderet quod ipse sit, qui ab initio formavit hominem ex luto: ad eundem modum insufflavit etiam in discipulos, declarans se esse, qui spiritum det & vitam hominibus, per primitivam illam inspirationem, quam in Adam inspiravit. Ibid. Quod autem, inquit: *Accipite Spiritum sanctum*; dedit ipsis per istam inspirationem, potestatem & gratiam remittendi peccata. Adventu autem (sancti Spiritus) in sancta Pentecoste, Baptismi & signorum virtutem tribuit. Act. 1. 8. Ideo, inquit: *Vos baptizabimini in Spiritu sancto & accipietis virtutem supervenientis in vos Spiritus sancti*. Nam ante passionem ejus, Apostoli non sanabant ægrotos per Spiritum sanctum: sed per potestatem & mandatum sibi a Christo traditum. Joan. 7. 39. *Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus*. A mortuis vero postquam resurrexit glorificatus est. Spiritum autem sanctum cum vocat, non sancti Spiritus indicat hypostasin: hæc enim erat ante, & est, & erit; sed Spiritus sancti donum, quod post ascensionem, decimo, post resurrectionem vero, quinquangesimo die venit super discipulos Christi.

Q. XXX. Quis est ille Judex iniquitatis, qui neque Deum timet, nec hominem veretur?

R. Deus: Nec enim vel Deum habet, quem timeat; vel hominem, quem revereatur. Luc. 18. 3. *Erat autem in ea civitate vidua quædam*. Quæ illa vidua est? anima cujusque hominis: quæ diabolum aliquando maritum habuit: quo repudiato, Christum ex animo complectitur: vidua est, ac orans nocte dieque judicem deprecatur, & lugens dicit: *Vindica me de adversario meo*.

Q. XXXI. Quis autem est adversarius?

1. Pet. 5. 8. R. Diabolus, qui *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*.

Luc. 18. 4. Q. XXXII. Quid autem dixit judex: *Etiamsi non timeam Deum, nec hominem reverear, vindicabo tamen eam, ne veniens me sugillet*. Et subdit Dominus, dicens: *Audite, quid dicat Judex iniquitatis*, Deus scilicet; iniquos enim judicat & condemnat. 1. Tim. 1. 9. *Justo namque lex non est posita*.

Q. XXXIII. Quomodo illud intelligendum est: Luc. 22. 36. *Qui pallium habet, vendat & emat gladium?*

R. Hoc ideo dixit Dominus, ut Apostolis proditionem sibi intentatam, notam faceret, & adventum Judæorum. Ergo illud nec omnino subticuit, ne repentino turbæ adventu terrerentur, nec etiam penitus illis indicavit omnia, ne corriperentur aliquo metu.

Q. XXXIV. Quomodo qui amat animam suam, perdet eam?

R. Is quidem, qui suam amat animam, est, qui absurdas concupiscentias suas perpetrat. Qui vero odit eam, est, qui ipsi noxia jubenti minime cedit. Qui autem animam suam vult perdere, est, qui imminentia pericula, afflictiones & tentationes alio quam par sit modo effugere cupit. Ut igitur mortem in periculis sui causa susceptam, salutem vocavit; ita certum est eum illam in vita æterna inventurum.

Q. XXXV. Quidnam est illud: *Si oculus tuus dexter, aut manus tua scandalizat te, abscinde, & projice abs te?* Matth. 5. 29.

R. Non de membris corporis hoc dixit Dominus, absit: sed de amicis & cognatis: membra namq. sumus invicē. Si igitur, inquit, habes amicū aut cognatum, cujus tanta tibi sit necessitas, quanta vel dexteri tui oculi vel manus: juxta dictum Jobi: *Oculus eram cæcorum, & pes claudorum*; Job. 29. 15. & videris ab ipso damnum inferri animæ tuæ, abscinde eum: nulla namque luci societas cum tenebris; maxime si quid simulent vel fraudulenter agant.

Chrysostomi XXXVI. Ficum habebat quidam in vinea sua, & venit quærens in ea fructum, & non invenit.

Resp. Ficum Scriptura vocare solet peccatis obnoxiam animam. Luc. 13. 6. Vineam vero fidelium Ecclesiam. Vinitores autem, Angelos. Quando igitur in Ecclesia vitam ducunt fide sua indignam; non vinea vocantur, sed ficus. Quia a tenera quidem ætate, ut par est, in ea per baptismum plantati, & ad senectutem usque ad hunc modum immutati cum sint, merito Deus quantumvis æquanimis, dicit ad vinitorem vel Angelum Ecclesiæ: Ibid. *Ecce tribus jam annis venio, fructum quærens in ista ficu, nec tamen invenio. Exscinde eam, quare terram inutiliter occupat? Ille vero respondet: Domine, sine illam adhuc hoc tantum anno, donec foveam circum eam facta misero stercus*. Tres igitur sunt anni hominum, in quibus venit Deus quærens fructum, quæ sunt hominis tres variæ ætates, utpote qui pueri primum, deinde juvenes, postremo sumus senes. Multi enim in ipsa senectute demum resipuere, qui per afflictiones fossi, & per tentationes recepto stercore, fructum suum virtutem scilicet protulere.

Cyrilli XXXVII. Quare Ecclesia vocatur Ecclesia, & quare dicitur Catholica?

Resp. Ecclesia quidem dicitur, propterea quod evocantur omnes: Catholica vero, propterea quod per totum mundum diffusa sit.

Quæst. XXXVIII. Unde dicitur Hæresis?

Resp. Ab eo, quod quis eligat & exsequatur senteotiam suam propriam.

Propositio XXXIX. *Orate ne fuga vestra fiat in hyeme, vel in sabbato.* Matth. 24. 20.

Explicatio. Notandum quod hyemem Deus non fecerit. Scriptum est enim: *Æstatem & ver tu plasmasti ea*. Psal. 73. 17. Fugere vero dicit cum anima separatur a corpore. Hyemem autem peccata vocat, & Sabbatum incuriam; væ autem animæ in peccato, socordia & negligentia constitutæ.

Alia Propositio XL. *Lapidem, quem reprobarunt ædificantes.* Psal. 117. 22.

Explicatio. Lapis ille Christus est, quem Scribæ, Pharisæi & seniores Judaici populi reprobarunt, & fa-

& factus est caput Ecclesiæ Gentium. Quod propter unionem & consensum fidei, qui est inter gentes, dicitur. Quia namque posteri cum Gentilium, tum etiam Judæorum crediderunt in Christum, anguli similitudinem refert Christus, qui illorum posteros copulavit in fide. Dicitur vero etiam alio modo Christus lapis angularis. Siquidem quando construitur domus aliqua, ponunt ædificantes in angulo muri lapidem aliquem summum angularem, qui angulum in summitate contineat. Talis vero lapis in summo loco muri constitutus, una copulat & continet duos parietes. Hoc igitur modo Christus quoque summus lapis angularis dicitur, quia in unum copulat duos istos populos: Judæorum videlicet & Gentilium populum, atque eam ob causam angularis lapis dictus est.

QUÆST. Quid est quod dixit Christus Petro?

* * * *

Hic desunt quædam.

* * * *

turbæ, & tenentes Christum in medio sui, incipiebant latenter a tergo ejus aliqui, & pulsabant eum, aut interrogabant eum, alii tentantes, dic nobis, nonne aliquis de populo clam te percussit? & si nosti prophetiza, & loquere. Monstra nobis eum ex turba qui te verberavit, & cognoscemus quoniam Propheta es tu.

Joan. 19.30. QUÆST. XLI. Quidnam est illud: *Et inclinato capite tradidit spiritum?* Nam omnes moribundi, moriuntur primum, & tum demum inclinant capita.

RESP. Quoniam omnes scripturas Christus adimpleverat, Incarnationem, Nativitatem, baptismum, signorum manifestationem, efficacem doctrinæ prædicationem, familiaritatem cum discipulis, humana denique omnia, Passionem, crucem, illusiones, vulnera clavorum. Istis, inquam, omnibus impletis, quæ pati debuerat, sola mors restabat adhuc. Atque hæc quidem sibi metuens, appropinquare non audebat, ideo Christus inclinato capite vocavit ipsam. Nam antequam caput inclinasset, verebatur propius accedere. Ideo inquit Euangelista: *Et inclinato capite tradidit spiritum.*

QUÆST. XLII. Quare magna voce clamavit Christus in cruce?

RESP. Ut suam declararet potentiam, Judæos perterrefaceret, & ad fidem adduceret. Hæc enim vox petras discidit, velum templi disrupit, terram succussit, & mortuorum sepulchra aperuit. Ac ne sic quidem intellexerunt ingrati Judæi.

QUÆST. XLIII. Quomodo vidit Maria Dominum? Flens enim in monumento stabat coram Angelis, tristi vultu & aspectu demisso. Quomodo igitur vidit eum, qui a tergo veniebat obambulans?

RESP. Sic res habet. Cum Angeli sederent Mariæ ex adverso, viderentque Christum a tergo ejus accedentem: illa quidem retrorsum non respiciebat: Angeli vero sedentes e regione, viderunt Christum a tergo venientem, statimque surrexerunt. Videns vero mulier Angelos resiliisse, animo perculsa, statim retro convertit se a:d videndum, quid Angeli cernerent, & vidit venientem Jesum. Hæc est causa quod Maria, retro conversa, vidit Dominum.

QUÆST. XLIV. Quare cum discipulis post resurrectionem suam Christus edere voluit, nec alia portio est inventa, assi piscis, & de favo mellis.

RESP. Quidam illud de favo mellis, salem interpretati sunt, quæ verba nugacium sunt fabulæ. Nam favus mellis & assus piscis ejusmodi sunt, qualia dicit Scriptura. Habet autem res admirandam interpretationem, & profundam atque valde remotam pervestigationem. Sensus autem istius lectionis hic est: Piscis similitudinem habet asperæ conversationis Ascetarum, qui jejuniis, vigiliis, & aliis castigationibus carnem domuerunt: qui seipsos mundo & voluptatibus crucifixerunt, & qui humidis cibis voluptuosisque renunciarunt, aridisque seipsos domantes, asceticam viam ingrediuntur, quemadmodum præcepit Christus: *Qui vult animam suam servare, perdet eam*, jejuniis utique, vigiliis & aliis afflictionibus. *Matth. 16. 25.* Quomodo vero piscia assimiletur ascesi, vel macerationibus, nnnc attende. Pisci similis est homo: nam sicut piscis dum adhuc est in mari omnem habet humiditatem, & cum suo sanguine in vasto vivit luto: quando vero captus extra aquam venerit, moritur: ad ignem vero positus assatur & aresit, perditque suam omnem immunditiem. Talis etiam est homo: dum adhuc est in medio vitæ suæ curriculo, voluptatibus indulget, & immoderatis concupiscentiis. Quando vero relicto mundo, Ascesi & asperiori vitæ in deserto operam dederit, sancti Spiritus igne calefactus, a suis affectibus arescit, & ab omni repurgatur immunditia, atque per virtutes accepta Deo efficitur hostia. Nam sicut piscis ad carbones assatus, fit commodus & utilis cibus: sic homo per calorem Spiritus sancti repurgatus, hostia Domino accepta efficitur.

Nunc quod ad favum mellis attinet, talem habet interpretationem. Quærendum itaque quomodo non fuerit mel sine favo. Est quidem favus sine melle, & aliquando mel est sine favo: hic vero repertum est utrumque; quo vero pacto audi. Mel quidem propter sancti Spiritus dulcedinem, quam super Apostolos & omnes fideles effusurus erat. Favum vero habuit, propter signaculum, quo per Baptismum omnes fideles obsignavit. Etenim thesaurus quanto magis inclusus est in favo, tanto est tutior. Consimili modo & gratiæ divinæ tutæ sunt in homine, qui baptismi signaculum & signum crucis, denique fidem quoque quæ est in Christum habet.

De gloria (Christi.)

Q. XLV. Sciendum vero quod Dominus noster Jesus Christus postquã ex Spiritu sancto & ex Maria perpetua Virgine sumsisset, & incarnatus fuisset; postquam humana omnia suscepisset præter peccatum & infirmitatem, postquam tanta edidisset miracula, essetque crucifixus, & tertia die resurrexisset secundum Scripturas, postmodum assumtus est, & consedit ad dexteram Dei. Dexteram vero Dei cum audis, ne locos vel figuras gloriæ circumscribe. Dextrum etenim & sinistrũ, sunt circumscriptarum rerum: Deus autem increatus est & infinitus, cui nulla adscribi forma, & qui nec ipse circũscribi queat. Dexteram vero Dei quando audieris, Dei gloriam & honorem intellige. Et Dei quidem filius & Deus, sicuti dictum est post adimpletam totam dispensationem, tandem assumtus est. Spiritus vero sanctus in sancto festo Pentecostes super sanctos Apostolos veniens, & super omnem carnem effusus, non est rursus assumtus, sed in generationem & generationẽ transit in omnes, & sicuti quemlibet hominum invenit, habitat in eo pro ratione puritatis cujusque hominis, multum in anima superans dulcedinem mellis.

Q. XLVI. Quid est, quod dicit Christus, *Si quis locutus fuerit aliquid contra filium hominis, remittetur ei: at si quis locutus fuerit contra Spiritum sanctum, non remittatur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro?* *Luc. 12. 10. His similia habentur supra Quæst. ad Antiochum 72.*

INTERPR. Hoc ideo dixit Christus, quod cum duplicis sit essentiæ, Deus nimirum & homo, omni blasphemiam contra carnem ipsius loquenti, peccatum remittatur, si ejus ipsum pœniteat: illi vero, qui blasphemiam dixerit.

Cete-

Cetera desiderantur.

* tertia persona similis homini, humanā illius præsentiam, *sive adventum*, clarissime describit: quarta denique assimilata aquilæ volanti, Spiritus sancti gratuitam illam donationem in Ecclesiam involantem declarat. Et consentiunt cum his ipsa etiam Euangelia, in quibus Christus una considet. Illud enim quod est secundum Joannem, exponit nobis imperatoriam illā & illustrem ipsius ex Patre nativitatem, cum ait, *In principio erat Verbum:* (Joan. 1. 1.) quamobrē etiam *Joannes* aquilæ nomen accepit, eo quod altissima quæque pervolans inde inexplicabilium scientiam adoctus, & occulta divinæ doctrinæ deferens, illam quæ nullis verbis exponi, nulloque rationis intellectu comprehendi potest, Filii generationem conscripserit. Quod vero secundū Lucam a Sacerdote Zacharia orditur: & quod est secundum Matthæum, ejus, qua homo est, generationem exponit: (Mat. 1. 1.) *Liber*, inquit, *generationis*. At quod est secundum Marcum: *Principium*, ait, *Euangelii*. Et hinc est quod Deus cum hominibus quatuor universalia fœdera sanxerit: primum quidem post diluvium cum Noe, per arcum: secundum vero cum Abrahamo, sub signaculo circumcisionis: tertium per Mosem, cum leges ferret: quartum denique, quod est gratia & donum, per sacrum Euangelium Domini nostri Jesu Christi.

Ex Veteri Testamento variæ Interpret.

(Gen. 1.) QUÆST. XLVII. Quidnam est illud: *Terra autem erat invisibilis, & incomposita.*

RESP. Quia nondum erat exornata. Insidente namque super terram aqua videri non poterat, invisibilis videlicet & occulta: incondita vero necdum exornata, nec perfecta. Nullus enim illi adhuc vigor erat, nulli flores vel prata, neque plantæ vel germen aliquod.

Q. XLVIII. Qualis erat ille spiritus, qni ferebatur super aquas?

(Vide Quæst. 8. Theodoreti in Genesin.) R. Videtur quidem quibusdam quod ille sanctus sit Spiritus, vivificans aquarum naturam. Ego vero haud incongruenter per illud verbum, *Ferebatur*, dico, significari motivam aeris essentiam: etiam juxta David de Deo universorum dicentem: (Psal. 147.) *Flabit spiritus ejus & fluent aquæ.*

(Hæc ipsa est apud Theodoretum Quæst. 12. In Genes.) Q. XLIX. Quare cum unam congregationem aquarum dixisset, postmodum multas vocavit? Inquit enim: *Congregata est aqua, quæ sub cælo erat, in congregationes suas.* (Genes. 1. 9.)

R. Una est aquarum natura & congregatio. Pluraliter vero collectiones vocavit, eo quod aliud quidem est Indicum pelagus, aliud vero Ponticum, & aliud Atlanticum, aliud Propontis, Ægæum aliud, & aliud Ionius sinus. Extra vero, terram alluit maximum Pelagus, quod Oceanum quidam vocant. Eam ob causam, aquam quidem ut est congregata, collectionem; ut autem ab alia separata est, collectiones vocavit.

Q. L. Qnale lumen separabat diem & noctem antequam sol creatus esset? Nam sol & reliqua luminaria postea demum sunt facta. Quomodo ergo illud intelligendum: (Genes. 1. 5.) *Et fuit vespera & fuit mane dies:* cum sol nondum esset?

R. Fiat lux, dixit Deus, & facta est. Illa igitur erat, quæ distinguebat diem ac noctem. Et dixit Deus, *Fiat lux, & facta est*. Lux illa non est sol: qualis vero lux sit, audi. Est hæc lux illa matutina, quæ exoritur diluculo & mundum illustrat, antequam sol oriatur. Nec aliquis putet, quod solis bic splendor sit qui solem præveniens statim lucet & mundum illustrat: sed hoc illud ipsum est quod dicit Scriptura: *Et dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux*. Hæc lux magna & splendidissima cum esset, divisit eam Deus in luminaria illa, solem & lunam, & reliqua.

(Vide Quæst. 15. Theod. in Genesin.) Q. LI. Quid est quod inquit, *Sint in signa & tempora, & dies & annos?*

R. Signa vocat, ad cognoscendum sementis faciendæ, messis & vindemiæ opportunitatem, quo tempore plantandum, & ligna quando cædenda. Nam quævis tempestas peculiare habet opus. Quatuor namq. tempestates habet annus, quarum quæque suum opus habet.

(Theodoreti Quæst. 16. in Genesin.) Q. LII. Quare plantas quidem ante luminaria creavit Deus, animalia vero post?

R. Propterea quod plantæ sunt inanimatæ, & non habent oculos, suntque creata ante luminaria. Splendorem enim lucis portabant, post luminaria vero tandem animalia creata sunt. Nam lucem illam magnam quam Deus fecerat, in luminaria divisit: quæ lux binc inde dispersa, aliquatenus est imminuta: quod nisi factum fuisset non potuissent animalia sustinere magnū jubar, & splendorem totius ignis ejusmodi. Atque hujus quidem rei gratia postremo sunt animalia creata, ut illius ignis splendorem perferre possent.

QUÆST. LIII. Quare Deus cum ex terra finxisset hominem, non etiam finxit Evam, sed eam formavit ex ejus costa?

RESP. Ne haberent occasionem dicendi, aliud esse lutum Adæ, & aliud Evæ: & lutum Adæ præstantius esse, quodque ex hoc boni & probi homines, ex Eva vero sint mali, perversi & pravi. Ideo fecit eos Deus ex uno eodemque luto terræ.

Q. LIV. Cum præstantius & mirabilius opificium Dei sit homo (Regem enim ipsum terræ constituit & secundum imaginem similitudinemqua suam creavit ipsum) cur omnium postremum creavit eum Deus?

R. Quemadmodum Rex quando in aliquam urbem adventurus dicitur, primum omnem ejus apparatum instruunt, parantes dona quæ conferant, & totum satellitium & hospitium, ac tum demum advenit Rex: ad aumdem modum cum homine quoque factum est. Primo habitaculum ei procuravit Deus, fecitque sedem habitationis, ac de omnibus necessariis ei prospexit, postea ipsum creavit.

Q. LV. Quid illud est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Quid est *ad imaginem?* Et quid illud, *ad similitudinem?*

(Vide Quæst. 20. Theodor. in Gen.) R. Non est Deus, sicuti sunt homines, humanā habēs figuram, absit. Sed quod dicit, *ad imaginem:* hoc est, Sicut in toto mundo Deus regnat, imperat, & potestatem exercet in omnia, quæ in cælo sunt & quæ in terra; sic etiam homo, princeps & Rex constitutus est super omnes res terrestres, & libera sua voluntate facit quod vult sicut ipse Deus. Et hoc est quod dicitur, *ad imaginem*. Quod vero *ad similitudinem* dicitur, est illa bonitas & justitia. Sicut enim Deus bonus est, miserator, misericors, justus, æquanimis, mansuetus, & qui nos amat, & nobis condolet, pacificus, & placidus, qui nostri miseretur, & alit omnes homines, atque hanc bonitatem omnibus exbibet. Ad eumdem modum fecit & formavit, & talem vult esse hominem, ut omnibus virtutibus exornatus sit, & imitetur Deum quantum quidem humanarum est virium in omni bono opere & honestate.

Q. LVI. Ad quem, dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?*

(Est Quæst. 19. Theod. in Genes.) R. Infames quidam hæretici hoc ad Angelos & ad malos dæmones dictum essa contenderunt. Nec intelligunt illi stupidi, eum non dixisse, ad imagines nostras, sed ad imaginem nostram. Dei enim & Angelorum ac dæmonum, neque essentia neque imago est eadem. Ego autem dico, quod prævidens unigeniti filii incarnationem, & humanæ naturæ assumtionem, quam ex

Virgine naturam assumturus esset, cum sic unam & eã- dem Dei & hominis personam, ac unam & eamdẽ ipsi adorationem ab omni creatura oblatũ iri intelligeret, ad ipsum unigenitum filium hunc dixit sermonem.

Q. LVII. Utra est principium & primas habet, nox vel dies?

Huic similis est Quæst. 32. ad Antiocham superius. Genes. 1.

R. A primitiva quidem mundi creatione, ab eo tempore videlicet quo factus est Adam usque ad adventum Christi, prior fuit dies, sicut etiam divina Scriptura loquitur, dixisse Deum: *Fiat lux, & facta est lux, & quod lucem Deus vocaverit diem, tenebras vero vocaverit noctem*. Ubi primum ponitur lux, per hanc enim exstitit primus dies. Nam a luce primum inchoantes, in tenebras postea devenimus. A recta namque via aberrantes, ad idola & ad fallaces tenebras delati sumus. A Christi vero adventu incipit rursus & diem præcedit nox. Ideo a vespera incipientes, solenniter celebramus dies sequentes. Id quomodo factum sit, audias. Quandoquidem primo a luce delapsi sumus ad tenebras; ab initio quidem fuit lux, tenebræ vero sunt insequutæ. Ex eo autem tempore quo sol justitiæ Christus Deus noster mundo exortus est, & ex tenebris erroris ad lucem cognitionis Dei nos reduxit, a tenebris inchoamus, & in luce terminum habemus. Ibi non refert, etiam si præcedat nox, cum hæc nobis initium det lucis, & ad lucem deducat. Etenim præsens nostra vita, in Scriptura tenebræ vocatur, quemadmodum, divus Paulus inquit:

Rom. 13. 12.

Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: hoc est, futuri seculi. Lux enim dicitur, sæculum futurum. Arma vero illius lucis sunt virtutes. Ideo

Joan. 12. 36.

Christus quoque dixit: *Dum lucem habetis, ambulate, ne tenebræ vos apprehendant*. Ubi lucem virtutes vocavit, quas virtutes homo, dum vivit, habere potest. Post mortem enim non poterit eas invenire. Tenebræ vero sunt, præsens hoc sæculum, propter tenebricosas & nefarias illius actiones. Sicut rursus, inquit

Joan. 8. 12.

Christus: *Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Sequi namque Christum, est, quæ placita sunt ei facere, & ejus mandata servare. Talis non ambulabit in tenebris, hoc est, in vanis hujus vitæ viis, sed inhabitabit & accipiet æternam lucem vitæ futuri sæculi, & interminatam, quæ ibi futura est, lætitiam & exsultationem.

Est Quæst. 28. Theodoreti in Genes.

QUÆST. LVIII. Quod Adam & Eva, postquam comedissent, cognoverint se nudos esse: numquid antequam comedissent, hoc sensu præditi erant?

RESP. Quemadmodum infantuli non erubescunt, etiamsi nullis vestibus tegantur, donec paulatim increscente corpore & pudor adveniat: sic sane de Adam & Eva sentiendum. Nam cum primum creati essent, sicut modo natus infans peccati nondum participes, non pudebat sine vestitu degere. Post admissam vero peccati experientiam foliis membra sua contegebant.

Vide Quæst. 40. Theodor. in Genes.

Q. LIX. Quid est: *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis?*

R. Per increpationem Deus vanam opinionem Adami reprehendens, dicit. Num factum est quod tu fore putabas? Numquid enim Deus es factus, sicut malignus ille dixit tibi. & te decepit? Nam excelsior fieri cum cuperet, in minorem decidit conditionem.

Genes. 4. 7.

Q. LX. Quid est illud: *Conversio ejus ad te erit, & tu dominaberis ei?*

R. Oblato dono, dixit Deus ad Cain: Munus illud tuum, quod obtulisti, ad te respiciat, & tu dominaberis ei, agito cum eo quod voles: nam illud ego non admisi.

Est Quæst 46. Theod. in Genes. immutatis paululum verbis.

Q. LXI. Quare cum peccasset Adam, Abel qui justus erat, mortuus est?

R. Quia noluit Deus mortis fundamentum esse firmum: nam si Adam primus fuisset mortuus, firmam illa certe basin habuisset, tamquam quæ primum mortuum, eum qui peccasset, abripuisset. Quia vero eum qui injuste fuit interemtus, primum recepit; lubricum habet & debile fundamentum.

Genes. 4. 15.

Q. LXII. Quid est quod dicit: *Omnis qui occiderit Caia septem ultiones exsolvet?*

R. In iis quæ perpetraverat Cain, primum peccatum fuit invidia, propter prærogativam Abelis. Secundum, dolus quo fratrem alloquutus est, dicendo: *Eamus in agrum*. Tertium, cædes, prioris mali additamentum. Quartum, peccati augmentum quia occidit fratrem. Quintum, quod parentibus luctum pepererit. Sextum, quod terram sanguine polluerit. Septimum, quod mentitus sit Deo. Interrogatus enim ubinam est Abel frater tuus? respondit: *Nescio*. Septem igitur ultiones exsoluturus erat qui interficeret Cain.

Ultiones illæ septem, sunt istæ. Prima, quod ad iram provocaverit Deum. Secunda, quod dolore patrem affecerit. Tertia, quod orbam fecerit matrem. Quarta, quod interemerit fratrem. Quinta, quod effuderit sanguinem. Sexta, quod cædem patraverit. Septima, quod infernum dedicaverit.

Genes. 4. 13.

Q. LXIII. Quid est quod dixit: *Major est culpa mea quam ut concedatur mihi vita, & non moriar.*

R. *Major*, inquit, *est condemnatio mea*: etenim talis per maledictionem Dei factus fuerat Cain, ut terror & membrorum tremor non admitteret, ut vel cibum sibi in os ingerere posset.

Vide Quæst. 44. Theodoreti in Genes. Genes. 4. 23.

QUÆST. LXIV. Quid est quod dicit Lamech: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum?*

RESP. Non dicit hic duo, sicut existimant quidam: neque Cain intelligit, ut quidam fabulantur, sed dicit quemdam & hunc adolescentem: Nam illud: *Virum in vulnus meum, & adolescentem in livorem meum*: hoc est, virum junioris ætatis. Declinavit vero pœnam, propter confessionem peccati, & ipsa sua sententia, sententiam Dei cohibuit.

Huic Quæst. similis est 57. ad Antiochum & Quæst. 47. Theodoreti in Genesin. Genes. 6. 2.

Q. LXV. Quosnam filios Dei vocavit Moses, dicens: *Videntes vero filii Dei filias hominum, acceperunt eas sibi uxores?*

R. Ex Adam quidem natus est Seth, qui tertius erat post Abel. Ex Seth autem natus est Enos, qui in Dominum Deum spem habuit & invocavit eum. Unde qui ex hoc nati sunt liberi, filii Dei vocati sunt, quemadmodum etiam nos ex Christi Domini nostri nomine Christiani nominamur. Segregatum est enim genus Seth, nec est cum iis commixtum qui erant ex Cain, quod ille a Deo universorum esset maledictus. Postea vero videntes filias ex cognatione Cain pulcras esse, atque blanditiis decepti, duxerunt eas uxores, & suum ita genus corruperunt.

Genes. 22. 13.

Q. LXVI. Quid est quod dicit: *Cum respexisset Abraham, vidit: & ecce aries unus cornibus implicitus hærebat ad plantam Sabec?*

R. Planta Sabec est veneranda crux: juxta Hebræos vero videtur Sabec, remissio esse & condonatio. Aries vero qui in Sabec hærebat ad plantam, qui etiam pro Isaac holocaustum oblatus est, præfigurabat Christum, immolatum pro nobis sacrificium immaculatum, & qui pro nobis in cruce mortem subiit. *Nam ejus vibice nos omnes sanati sumus*, inquit Esaias, *& pro nobis cruciatur, & propter peccata nostra vulneratus est*. Sicut igitur aries ille pro Isaac oblatus est, ita Christus immolatus est pro nobis omnibus.

Esai. 53. 5.

Vide Quæst. 82. Theodoreti in Genes. Genes. 27. 27.

Q. LXVII. Quid est quod inquit Isaac? *Ecce odor filii mei sicut odor agri plenus, cui benedicat Dominus: & det tibi Dominus de rore cæli & de pinguedine terræ & abundantiam frumenti & olei, & serviant tibi populi &c.*

R. Ager est mundus: ros vero cæli, divinitas est: pinguedo autem terræ, est humanitas. Quemadmodum

dum igitur ros quidem invisibiliter descendit, & in terra consistens apparet; eodem modo Deus Verbum, qui invisibilis est, per carnem in terra conspectus est, & cum hominibus conversatus. Frumentum vero & vinum, sacramentorum divinorum sunt ænigmata. Et omnes populi serviunt Christo.

Genes. 30. 37. Q. LXVIII. Quid per illud significatur, quod Jacob tres virgas accepit: styracinam viridem, nuceam, & ex platanis, & decorticavit eas?

R. Tres virgæ symbolice, sunt tres facultates animæ, rationalis, appetitiva, & irascibilis: vel tres contemplationes; corporum, rerum incorporearum, & sacræ Triadis: vel generaliter per nuceam virgam, activam vitam, per styracinam contemplativam, & per eam quæ ex platanis erat, mundum hunc & ejus contemplationem innuit.

Genes. 32. 2. Q. LXIX. Quare Jacob respiciens vidit castra Dei posita, & dixit: *Castra Dei hæc sunt*.

R. Ideo apparent Jacob Angelorum castra, ut confidat & non timeat fratrem suum Esau. Erat enim consilium Esau, ipsum occidere. Ideo enim cum Angelo luctatus est, qui dixit ei: Me victo, num hominem times? cognoscebat vero se Deum habere adjutorem.

Gen. 49. 9. Q. LXX. Quidnam est: *Catulus leonis Juda, de germine fili mi ascendisti, accumbens obdormivisti, ut leo &c.*

Horum quædam habentur in Quæst. 110. Theodoreti in Genesin. Resp. Hoc Christo congruit. Quemadmodum enim leo etiam cum dormit terribilis est: sic etiam mors dominica terrori est tum morti, tum diabolo quoque. Leonem vero ipsum & catulum leonis vocavit tamquam regem & tamquã regis filiũ. Hoc vero: *Quis excitabit eum?* ineffabilem ejus potentiam declarat. Nam ipse semetipsum excitavit, sicut ipse prędixit, cum inquit: *Solvite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joan. 2. 19.

Genes. 49. 11. Quæst. LXXI. Quid est illud: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem pullum asinæ suæ?*

R. Vineam quidem Jerusalem, pullum vero vocat populum qui est ex gentibus, tamquam indomitum. Hoc namque Dominus quoque adumbravit, missis discipulis ad solvendam asinam & pullum, super quem adhuc nullus hominum sedisset, nullus videlicet Patriarcha, nec Legislator vel Propheta de salute gentium cogitavit, sed Apostoli ad id ordinati, solverunt humanam naturam, peccatis alligatam.

Q. LXXII. Quid est quod dicit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum &c.?* Ibid. v. 11.

R. Hoc de Passione Christi dicit, & corpus quidem stolam vocat: sanguinem vero vinum: quandoquidem etiam mysticum illud vinum, sanguinem vocavit Dominus. Illud vero pulcriores vino sunt ejus oculi, lætitiam quæ passionem ejus sequuta est, significat.

Q. LXXIII. Quis primus nominavit Deum in terra?

Hæc Quæstio est 46. ad Antiochum. Genes. 3. 1. R. Diabolus, cum ad Evam diceret: *Quid est, quod dixit Deus, ne comederitis de hoc ligno?*

Q. LXXIV. Quid futurum est de elementis, de sole, luna & stellis in secundo adventu?

Hæc quæstio superius edita. R. Simul dabitur ipsis locus aliquis & domicilium, sed non in perpetuum abolebuntur.

Q. LXXV. Quare Cain quidem maledixit Deus, dicens: *Maledictus tu super terram*: Adamo autem loquens, maledictionem imposuit terræ, dicens: *Maledicta terra in operibus tuis?* Genes. 4. 11. Genes. 3. 17.

R. Eo quod Cain negaverit Deum & peccatum suum absconderit, quapropter majorem quoque in se pœnam derivavit. Adam vero quia confessus est, magnum illud a se supplicium depulit: nam qui sua peccata confitetur, remissionem consequitur.

Q. LXXVI. Quidnam est: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Psal. 2. 1.

R. Gentes dicit Romanorum; Francorum videlicet genus, qui Christum crucifixerunt. Populum vero dicit, caput Judæorum. Adstiterunt Reges terræ, Pilatus & Herodes. Principes vero, Annas & Caiphas.

Psalmus pro torcularibus.

Q. LXXVII. Quænam dicit torcularia?

R. Ecclesias in quibus vinum funditur, nempe sacrosanctus Domini nostri Jesu Christi sanguis & sanctum corpus ejus immolatur. Quod vero dicit Esaias Propheta: *Torcular ego calcavi prorsus solus*, hunc habet sensum: Sicuti torcular est receptaculum & in eo calcantur botri, sic etiam Christus conculcavit inimicos suos, tum intelligibiles, tum sensibiles. Dicamus autem & illud, quod botrus & uva Christus est, qui seipso compresso, voluntaria plaga & morte distillavit divinum mustum, suoque seipsum sanguine rubere fecit. Est vero omnino solus: nam solus ipse Christus pro nobis mortuus est; *non enim Angelus vel Legatus aliquis, sed ipse Christus salvavit nos*. Petrus namque Christum negavit ipso passionis tempore, ceteri quoque Apostoli dedere se in fugam. Es. 63. 3.

Q. LXXVIII. Quid est: *Sitientes venite ad aquas?* Es. 55

Resp. Aqua sacrum Baptisma significat, aut lacrymarum fontem, videlicet pœnitentiam. Hoc vero: *Euntes emite, edite & bibite absque argento*, sanctum Baptismum Domini nostri Jesu Christi significat. Ibid.

Similiter illud, *Dominus diluvium inhabitare faciet*, significat sacrum Baptisma, quia inundat omnia peccata. Psal. 28. 10.

Interpretatio LXXIX. Quid, *Vox Domini intercidentis flammam ignis?* Psal. 28. 7.

Resp. Significat futurum supplicium ignis, qui tandem jussu Christi dividetur. Ignis namque duplicem vim habet, ad lucendum videlicet, quod dabitur justis, & ad cremandum, quod peccatoribus deputabitur.

Interpret. LXXX. Quid, *Flumen Dei repletum est aquis?* Psal. 64. 10.

Resp. Per aquam Apostoli notantur, qui omnigenis donis & divina gratia impleti sunt. Ac quivis homo qui purus & justus est, non aliunde quam hinc talis efficitur: nam aqua & ros, aliquando quidem in Scriptura donum Dei, aliquando vero animæ tentationes & animæ perturbationem significat. Ex Theodoreto in Psalmum 64. v. 10.

Quando vero inquit: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent*. Et, *Ut ros Hermon descendens super montes Sion*, indicat dona Spiritus sancti. Montes vero Sion dicit, spirituales, qui secundum Deum vivunt, homines. Joan. 7. 38. Psal. 132. 3.

Rursus quando dicit, *Salvum me fac Deus, quoniam ingressæ sunt aquæ usque ad animam meam*: Et, *Forsitan pertransisses anima nostra aquam fundo carentem*. Animæ tentationes indicat. Psal. 68. 2. Psal. 123. 5.

Quæst. LXXXI. Quid est quod dicit: *Ascendens in altum, captivam duxisti captivitatem?* Psal. 67. 19.

Resp. Hoc dicit, quia Christus conscensa cruce, deprædatus est infernum & captivum duxit. Et hoc est & illud quod ait: *Dixit Dominus, ex Basan revertar*, hoc est, de cruce ad infernum redibo. Basan enim explicatur, turpitudo. Nam Judæi crucem ut turpitudinem reputant, & ideo maledictionis organum vocabant eam. Sed Christus eam sanctificavit, eo quod in ea salutem hominum perfecerit. Theodoret. in ps. 67. v. 23.

Quæst. LXXXII. Quid est quod dicit: *Divites eguerunt & esurierunt?* Theodoret. in hunc versum. Psal. 33. 11.

Resp. Divites hoc loco vocat Judæos, qui inopes facti sunt, eo quod occiderint panem vitæ, & venit super eos fames.

Quæst.

QUÆST. LXXXIII. Quid est quod inquit: *In ma-* A *tutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem?* Psal. 100. 8.

RESP. Hujus dicti hæc est sententia: sicut matutinum tempus, diei est initium, sic omnis peccati initium est inimici fraudulenta suggestio. Ideo, inquit: *In matutine interficiebam*, hoc est, respiciebam ad principia cogitationum, & persequebar earum impetus, atque adeo peccatores omnes, nempe dæmones, qui faciunt in me peccatum, *ut disperderem de civitate Domini omnes*, hoc est ex anima. Anima namque, Domini civitas est. Persequebar B enim, inquit, & abscindebam ipsorum capita, scilicet principia, ad disperdendum eos ex anima ne operarentur omnem iniquitatem & peccatum.

QUÆST. LXXXIV. Quid est quod inquit: *Catuli leonum rugientes ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in speluncis suis cubabunt?* Psal. 103. 21.

RESP. Catulos leonum, dicit Prophetas. Rugiebant vero clamantes & loquentes, ac prophetantes incarnationem Filii Dei. Exortus vero est sol, hoc est, venit Christus & tacuerunt. Prophetæ usque ad Joannem C prophetarunt. Hoc est, quod etiam alibi dicit Scriptura: *Tenebrosa aqua, in nubibus aeris. Præ fulgore ejus nubes transierunt*. Psal. 17. 12. Tenebrosam aquam dicit divinam Scripturam, quoniam in caligine Moses legem accepit a Deo in monte Sina. Quin ipsi Prophetæ quoque non manifeste, sed obscure & tenuiter quodammodo viderunt adventum Christi, & manifestarunt. Nubes enim vocat Prophetas, qui prædicarunt, & quasi aquam effuderunt, spiraruntque veluti venti divinum sermonem & legem super terram, quæ est illa tenebrosa aqua. A fulgore vero ejus in conspectu ejus, ut ab ejus in carne adventu coram eo nubes, D Prophetæ videlicet, cessaverunt & abscesserunt.

QUÆST. LXXXV. Quid est, *Mons Sion iste, in quo habitasti in eo?* Psal. 73. 3.

RESP. Divina Scriptura multis modis vocem montis interpretatur. Et hic quidem mons Sion, est locus Jerusalem, in quo habitavit Dominus ac Deus noster Jesus Christus incarnatus super terram. Montem rursus proprie vocat sanctissimam Deiparam, ut cum inquit: *Mons in que beneplacitum est Deo habitare in ee, etenim Dominus habitabit in finem*. Psal. 67. 7. Et alibi habetur: *Deus a Theman veniet & sanctus ex monte opaco & denso*. Habac. 3. 3. Mons autem dicitur sancta Deipara. Quia E quemadmodum ii qui in campo ambulant, & calore æstuant; si montem subeant, velut rore conspersi umbra arborum montis, vel aqua sedant æstum flammæ: eodem modo se habuit erga homines immaculata Virgo, quæ rore quodam sui partus animas hominum æstu peccati confectas in vitam revocavit, & in umbra alarum sui filii fovit. Montes vero dicuntur etiam dæmones, propter tumorem superbiæ. *Qui tangit montes, & fumigant*, Psal. 103. 32. hoc est, qui dæmonibus appropinquat, qui tamquam fumus dissipantur & evanescunt. Mons item virtus dicitur, quemadmodum sanctus Gregorius inquit. Siquidem et- F iam in hoc monte Deus apparet hominibus, ipse quidem a sui domicilii specula descendens, nos vero ex ima humilitate nostra in sublime tollens.

QUÆST. LXXXVI. Quare virtus dicitur mons?

RESP. Quia sicut mons etsi excelsus est supra terram, cælo tamen est humilior, ita qui in vita sua virtutem exercet: terra quidem est excelsior, eo quod hujus vitæ curas & mundi negotia superet; nihilominus tamen est inferior cælo, propterea quod adhuc in hac vita existit, & nondum est mortuus, ut penitus hoc mundo liberetur. Atque ob id inter A cælum terramque tenet medium, sicut mons, quemadmodum dictum est. Deinde cum dicit: *Montes excelsi cervis:* Psal. 103. 18. altos montes, excelsas virtutes: cervas vero, sanctorum animas vocat: quandoquidem in excelsis actionibus virtutum, sicut in montibus cervæ, versantur animæ Sanctorum. Petra vero refugium leporibus, est Christus. Estque refugium eorum, qui sedent in deserto.

QUÆST. LXXXVII. Quid significat, habitatio Herodii?

RESP. Herodius, ut aliqui dicunt, est avis, quæ nidum in deserto loco, in arboris alicujus B cacumine collocat. Veniunt vero passerculi, & subter ipsam circumquaque in arbore nidificant. Dux autem ipsorum est, eisque superponitur domus Herodii, quæ eos a nocivis reptilibus quæ ipsos lædere volunt, custodit.

QUÆST. LXXXVIII. Quid vult Propheta cum inquit: *In finem ne perdas David?* Psalm. 56.

RESP. Finem suæ vitæ, dicit Propheta. Orat itaque Propheta ne vitæ suæ finis veniat, neve incidat in aliquod damnum. Nam tota hominis vita si male transacta, finis autem ejus bonus fuerit, gratia C est & gloria. Si vero finis funestus fuerit, hoc demum est miserum. Orat ergo Propheta, ut suæ vitæ finis bonus sit: nam ideo conscripsit hunc Psalmum.

QUÆST. LXXXIX. Quid est quod inquit: *Gloriabuntur Sancti in gloria, & exsultabunt in cubilibus suis?* Psal. 149. 5.

RESP. Sanctos dicit spirituales & probos homines, qui gloriabuntur post mortem in cubilibus suis. Cubilia vero sunt mansiones sanctorum, quas post mortem inveniunt, & exultant in regno cælorum.

Exitum vitæ in gratia Dei obvenientem docens & ostendens divina Scriptura, vocavit ipsum, somnum, D cubile, lectum, & mortem. Somnum quidem vocat, ut cum ait David: *In pace in idipsum dormiam & requiescam*; Psal. 4. 9. in idipsum videlicet occurram, & huic rei operam dabo, ut vivam in Deo, juxta sanctum Apostolum, qui inquit: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus*. Gal. 2. 20. Cubile vero vocat, cum inquit: *Gloriabuntur sancti in gloria, & exultabunt in cubilibus suis*. Psal. 149. 5. Sicut enim qui in cubili cubat, requiescit & suaviter dormit: sic qui consummatus in Deo est, & qui crevit in virum perfectum ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, requievit in Deo, tamquam cubile reputans consummationem in Dei gratia obveni- E entem. Cubilis autem pedes, ait virtutes. Lectum autem appellat, cum inquit Salomon: *Sexaginta robusti circumdant ipsum*. Cant. 3. 7. Quando enim ad perfectionem venerit justus, circumdant & circa ipsum incedunt fortes, Angeli videlicet. Juxta dictum illud: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dexteris est mihi, ne commovear*. Psal. 15. 7. Est vero familiare divinæ Scripturæ, etiam Angelum vocare Dominum; ut Manoe contingit: *Deum vidimus*, inquit, Judic. 13. 22. cum esset in phantasia Dei. Denique mortem quoque vocavit David illum exitum, cum inquit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. Psal. 115. 15. Vides quomo- F do & somnum, & cubile, & lectum, & mortem illum esse ostenderit divina Scriptura? Mortem autem illam nominavit, quod ille qui mortuus est justificatus sit a peccato. Quemadmodum enim qui mortuus est, non potest rursus reverti in vitam & amplius peccare; ita qui apud Deum hoc honore dignus est habitus, non potest retrocedere, sed ait cum David, *Dominus illuminatio mea & salvator meus, quem timebo?* Psal. 26. 1. Et cum Paulo: *Sive namque vivimus, sive morimur, Domini sumus*. Rom. 14. 8. Et rursus: *Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus: quod vero nunc in carne vivo, vivo in fide*. Gal. 2. 20. Quapropter Sancti ea in re perfecti, mundum contem-

temſerunt, & hujus mundi voluptates. Et ſancti Martyres etiam contemſere tormenta.

Pſal. 149.6. PROPOSITIO XC. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.*

INTERP. Exaltationes Dei, ſunt doctrinæ legis & ſtatuta ſpiritualia. Ut enim ſpirituales doctores habent a Spiritu ſancto dona gratiæ, in gutture ſuo, id eſt, in ore ſuo & in lingua ſua, & docent populum; ancipites autem gladii ſunt duo Teſtamenta, vetus & nova lex; nam ſicut miles gladium ancipitem vibrans, inimicos interimit, & populum tuetur; ſic etiam doctores ſpirituales, ancipites habent gladios, doctrinas veteris & novi Teſtamenti, per quas vindictam ſumunt in gentibus, illaſque in ſupplicium conjiciunt, immittentes iram a Deo, per ſuas ad Deum ſupplicationes. Similiter quoque communem populum fidelium redarguunt & inſtituunt ad bonum. Quando vero non audiunt eos, ſed bono adverſantur atque contemnunt illos, tunc etiam ipſis immittunt ſupplicium per ſuam deprecationem ad reſipiſcentiam, ut videlicet caſtigati diſcant non inobſequentes eſſe Deo & Dei miniſtris. Nam qui ſpirituales homines audit, Deum audit, quemadmodum dixit ipſe Chriſtus. *Luc. 8.* Neque enim ad interitum, ſed ad utilitatem ipſorum, ſpirituales illi caſtigationem inducunt, ad correctionem boni & ad gloriam Dei, tamquam amantes & ultores Dei, oforeſque mali.

Ex Epiſtolis Pauli.

Rom. 2. 10. QUÆST. XCI. *Gloria, honor & pax omni qui operatur bonum: Judæo primum & Græco. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum. Nam quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt; & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.*

INTERPRET. Laudat omnes qui operantur bonum. Græcum vero dicit, non idololatram, ſed qui colit quidem Deum, neque tamen credit in Chriſtum, neque veterem legem tenet, ſed ſine lege eſt, ac Deum invocat & colit, ſervatque nihilominus virtutem. Nam talis etiamſi labatur, levius tamen punietur quam Judęus: quoniam Judęus legē tranſgreditur, eſtque graviori obnoxius accuſationi. *Rom. 2. 12.* Quando enim audis illud: *Quotquot ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*: minus ſuppliciū reputa. Hoc vero: *Quotquot in lege peccaverunt:* iſti nempe graviorem pœnam & ſupplicium ſubibunt.

Rom. 6. 5. PROPOSITIO XCII. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.*

RESP. Complantati facti ſumus, participes videlicet: quemadmodum corpus Domini ſepultum in terra, mundo ſalutem peperit; ſic noſtrum quoque corpus in baptiſmo ſepultum, nobis ipſis juſtitiam protulit. Similitudo autem ſic habet; ſicut Chriſtus mortuus eſt, & tertia die reſurrexit; ſic & nos in baptiſmo morientes, reſurgimus. Nam quod infantem ter in piſcinam immergimus, & ter educimus, id mortem Chriſti, & poſt triduum reſurrectionem ſignificat. *In Baptiſmo ter infans in piſcinam mergebatur.*

Rom 8. 3. QUÆST. XCIII. Quid eſt: *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus &c.*

RESP. Infirmabatur, inquit lex, videlicet ad juſtificandum hominem. Non enim poterat homo tyrannidem & incendium carnis ſuſtinere. Ideo miſit Deus unigenitum Filium ſuum, ut per carnem ſuam condemnaret peccatum. Hoc vero quod dicit, in ſimilitudine carnis peccati, non dixit, in carne peccati, ſed in ſimilitudine. Nam humana caro Chriſti in omnibus eſt ſimilis facta humanæ carni, qua ratione perfectus eſt homo. Peccatis vero caro ejus non fuit obnoxia, ſicuti noſtra eſt: *Peccatum enim non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* *Eſai. 53. 9.*

QUÆST. XCIV. Quid eſt, quod dicit: *Date locum iræ?* *Rom. 12. 19.*

RESP. Ei qui te contriſtavit ac tribulavit vel affecit injuria, condona, omnemque vindictam remitte Deo, qui quod æquum eſt diſpenſabit. Illud vero: *Beatus qui non judicat in eo quod probat*, hoc ſignificat: *Rom. 14. 23.* quando per diſpenſationem feceris aliquid, quod ad ſalutem fratris tui ſpectet, etiamſi id omnes incuſent, ſi tua te conſcientia non condemnat, beatus es.

QUÆST. XCV. Quid eſt, quod inquit: *Quoniam & Judæi ſignum petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum?* *1. Cor. 1. 22.*

RESP. Si dixerimus, inquit, Judæo: Crede, reſpondet, excitate mortuos, medemini inſanis. Si Græco idem dicamus, petit a nobis rhetoricum ornatum in verbis. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, qui eſt ſignorum potentia, & ſapientiæ pelagus. Verum ipſi quidem offenduntur & ſtultam reputant prædicationem, quando Deū cruxifixum eſſe audiunt: quod tamen non mirū; nā qui infirmis ſunt oculis, non poſſunt pure videre ſolem. Ad eumdem modū etiam iſti. Illud autem, *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*, de cruce loquitur. *1. Cor. 1. 25.* Nam ſapientes & philoſophi etiam præſtantiores, inaniter laborarunt & occupati fuerunt, nec quicquā boni perpetrarunt. Crux vero quā illi ſtultitiā reputabant, mundū ſalvū fecit: & propterea omnibus ſapientior eſt, eo quod tanta bona operata ſit.

QUÆST. XCVI. Quomodo vero dicit: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus?* *Ibid.*

RESP. Infirmitatem Dei vocat ſenſum Apoſtolorū, qui homines cum eſſent idiotæ & illiterati, tamen brevi tempore totum orbem quaſi ſagena capientes, Reges & principes, ſapientes & magnates devicere.

PROP. XCVII. Quid eſt illud: *Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt?* *1. Cor. 2. 7.*

R. Vides, quomodo nominet ipſe ſapientiam, quam prius ſtultitiam vocaverat. Etenim myſterium primum diſpenſationem dicit, ideo quod nullus neque Angelus, nec alia aliqua creata poteſtas cognovit hoc myſterium & diſpenſationem iſtam, quod in terra Deus carnem aſſumturus eſſet. Poſteaquam vero factum eſt, omnibus innotuit: quemadmodum inquit Apoſtolus: *Ut innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus, in cæleſtibus.* *Epheſ. 3. 10.* Vocat autem alibi quoque myſterium, eximia illa opera Dei, nempe nativitatem, crucem, mortem, reſurrectionem & aſcenſionem. Sicut etiam ſanctus Gregorius Theologus, myſteria vocat feſta, in ſermone de Luminibus: *Rurſus Jeſus ille meus, & iterum myſterium.* *Greg. Orat. 39. in ſancta lumina Epiphania.* Hoc autem dicit, propter feſtum Baptiſmi: ſimiliter atiam in reliquis.

Q. XCVIII. Quid eſt, quod inquit: *Si cujus opus arſerit, damnum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem?* *1. Cor. 3. 15.*

R. Si cujus opus arſerit, damnum patietur regni cælorum: ſalvus vero fiet ipſe tamquam per ignem. Quomodo vero ſervabitur? hoc eſt, ſalvus & integer manebit in igne, nec videbit mortem, ſed opus ipſius ſolummodo comburetur & confundetur. Ipſe vero æternum permanebit integer pœnas luens: nec tamen diſſolvetur.

Q. XCIX. Quid eſt, quod dicit: *Modicum fermenti totam maſſam fermentat?* *1. Cor. 5. 6.*

R. Hoc propter malos & perverſos homines dicit. Nam quemadmodum vetus fermentum exiguum quidem eſt, multum autem farinæ fermentat: ad eumdem modum malus homo, qui in ſe nutrit malitiam, impertit eam aliis, & ipſis eſt ſcandalum, multoſque lædit, propterea rurſum dicit: *Expurgate itaque vetus fermentum, ut novi ſitis.* *1. Cor. 5. 7.* Hoc eſt: Expellite malum & pravum ex vobis, aut vos ab ipſo recedite: quandoquidem omnis malitia inquinat hominem.

Psal. 25. 4. Ideo David malos fugiens, inquit: *Non sedi cum consilio vanitatis, & cum transgressoribus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium.* Et quare sic agebat? Psal. 17. 26. Quia ut dicit alibi rursus: *Cum sancto sanctus eris; & cum electo electus eris; & cum perverso perverteris.* Etenim qualis est ille quicum converfaris, talem te quoque reddet.

1. Cor. 6. 13. Q. C. Quid est quod dicit: *Esca ventri & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet?*

R. Ventrem dicit crapulam, non ipsum ventrem. Siquidem escæ cum crapula habent amicitiam, & crapula cum escis, nec potest qui crapulæ ventrique deditus est, servire Deo, sed sui ipsius ventris servus est, dum crapulæ & illuviei dat operam. Ideo destruxit illum, dicens: *Deus & hunc & illas destruet*, hoc est, & cibos & gulositatem. Non enim ventrem de- 1. Cor. 6. 13. struxit, absit. Audi enim, quid dicat ipse: *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Itaque non destruxit ventrem, sed crapulam, nec etiam moderatum cibum, sed immoderatum: siquidem ex eo fornicatio gignitur. Ait ergo: Corpus non est datum sub potestatem ingluviei, ut in fornicationes incidat, sed ut Domino serviat. Sicuti rursus 1. Cor. 6. 12. antea dicit alicubi: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Hoc ipsum nihil est aliud, quam quod hic dicit: quod omnes quidem cibi, quos creavit Deus in hominis alimentum, boni sunt, & licet mihi omnibus frui, eisque nutriri; sed escarum servus non ero: neque sub suam potestatem me rediget crapula. Id mihi non conducit, neque enim ædificat in me bonum. Quapropter, necessariis contenti, superflua respuamus velut inutilia, immo etiam tamquam quæ mihi noceant, & quæ gignant absurdas concupiscentias iis qui ea possident.

1. Cor. 10. 2. QUÆST. CI. Quid est quod dicit: *Et omnes in Mosem baptizati sunt?*

RESP. Baptismi signum erat, quod per rubrum mare pertransierit Israeliticus populus. Nam sicut illi transmissi, effugerunt inimicorum insidias, & in deserto nutriebantur manna: sic etiam qui baptizati sunt, liberantur a spirituali Pharaone, & ab Ægyptiis dæmonibus, sustentanturque cælesti pane Spiritus sancti. Quia vero de baptismo sermo est, dicamus de eo manifestius.

De sancto Baptismo.

Primum baptisma fuit inundatio diluvii ad excidendum peccatum. Secundum, fuit Mosis, quando transivit rubrum mare. Typicum enim seu figura erat: nam sicut illic erat mare, sic in baptismo est aqua; & sicut illic erat nubes, ita hic est Spiritus sanctus. Quæ autē ista nubes fuerit, audi: Cum egrederentur ex Ægypto Hebræi cum Mose, misit nubem veluti columnam ignis, quæ illis luceret noctu, ut videlicet noctu quoque possent ambulare, ne ipsos adtingerent Ægyptii. Sequebatur autem illos nubes a tergo, & tegebat eos, ne ipsos Ægyptii videre possent. Atque hoc est secundum baptisma. Tertium erat legale apud Hebræos. Nam quicumque erat immundus, aqua lavabatur, & suas quoque vestes abluebat, & sic introibat in castra. Quartum baptisma, fuit Joannis. Introducebat quidem illud, nondum tamē erat omnino spirituale, sed ad pœnitentiam solummodo. Quintum, per Dominum nostrum Jesum Christum, quo etiam ipse baptizatus est. Estque hoc totum spirituale: quo nos quoque baptizamur. Sextum lacrymis Psal. 6. 7. constat, estque vare laboriosum durumque. Veluti qui per singulas noctes lavat lectum suum, qui pœnitentia ducitur, & lugat super peccatis quæ commisit. Septimū baptisma per martyrium & sanguinem est, quo Christus quoque baptizatus est. Estque tanto aliis venerabilius, quanto minus denuo polluitur sordibus. Octavum & postremum non salutare, sed ardens est, quod æternum sine fine punit peccatores.

Q. CII. Quid est quod inquit: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt?* 1. Cor. 15. 50.

R. Quod quicumque carnem suam nutrit ad satietatem, regnum Dei consequi non possit.

Q. CIII. Quid est quod inquit: *Qui non diligit Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran atha?* 1. Cor. 16. 22.

R. Hoc est: Ab Ecclesia & a fidelibus segregate eum, sitque separatus a populo ille, qui non credit. Dominus enim venit, illud namque significatur per Maran atha.

Q. CIV. Quid illud est: *Si qua nova in Christo creatura renovatur?* 2. Cor. 5. 17.

R. Hoc est: Si quis in Christum credidit, in aliam vitam transivit: nam e supernis est natus per spiritum & vivit non eam quæ in peccatis vitam, sed quæ est in spiritu.

Q. CV. *Ter naufragium feci.* 2. Cor. 11. 25.

R. Mystice innuens hoc dicit, quod ter naufragium passa sit humana natura. Primum, per transgressionem. Secundo, in diluvio temporibus Noe. Tertio post acceptam legem, cum in idololatriam incidisset populus, usque dum venit Christus gubernator animarum, qui erexit vexillum crucis, & tranquillam nobis navigationem ad cęlos paravit.

QUÆST. CVI. Quid est: *Noctem atque diem in profundo egi?* Ibid.

RESP. Noctem dicit conversationem in tenebrosis erroribus; diem vero, vitam post adventum Christi transactam in claritate baptismi.

ALIA. Dicunt autem quidam, quod in medio pelagi navigaverit: alii, quod nataverit & urinaverit, ubi neque terram, neque montes videre erat.

PROPOSITIO CVII. *Datus est mihi stimulus carni, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* 2. Cor. 12. 7.

INTERPRETATIO. Satan adversarius dicitur. Angelum igitur Satanæ dicit Alexandrum ærarium fabrum, Hymenæum & Philetum qui vexabant ipsum, & resistebant, dicentes resurrectionem jam fuisse: qui etiam apprehensum eum, in carcerem projecere, & multis affecere malis.

PROP. CVIII. *Sufficit tibi gratia mea.* Ibid.

R. Hoc est: sufficit tibi gratia mea, qua mortuos excitas, cæcis visum das, & alia signa facis. Porro pulsi & exagitati persequentas vincite.

Q. CIX. Quid est quod inquit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo?* Galat. 6. 14.

R. Mundum & curas ejus relinquere, concupiscentiis & affectibus mori, jejunare, vigilare, asceſi macerari, sicut alibi dicit: *Qui vero Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.* Galat. 5. 24.

Q. CX. Quid est quod dicit: *Medium parietem maceriæ solvens?* Ephes. 2. 15.

R. Hoc est, inimicitia quam nos homines habebamus adversus Deum propter peccata nostra. Carne igitur assumta, Dominus Deus, & mortuus, solvit peccatum quod nos a Deo sejungebat; atque sic in pacem redegit omnia, & nos fecit filios Dei: nam discidit, quod adversus nos erat, chirographum in cruce. Quid autem fuerit chirographum, audi: cum peccasset Adam & accepisset manu sua de ligno, comedissetque, scriptum est ejus manu peccatum, quod penes se scriptum diabolus habuit. Cum autem in lignum, hoc est in crucem venisset Christus, & ejus manus clavis vulnerarentur; tunc in cruce scriptum illud affixit

& de-

& delevit. Ipse namque diabolus qui chirographum illud transgressionis Adam tenebat, ipse discidit, cum in cruce a Christo ligatus est.

Ephes. 5. 14. Q. CXI. Quid est, quod inquit: *Surge qui dormis, & exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus?*

R. Dormientem vocat eum, qui in peccatis jacet: nam qui in peccatis vivit, mortuus dicitur. Et ut mortuus immobilis est, ita qui peccatis est mortuus, ad bonum non movetur.

Ephes. 6. 11. PROPOSITIO CXII. *Induite armaturam Dei.*

R. (Totam armaturam Dei) dicit Spiritum sanctum. Nam qui Spiritus sancti non est particeps, nihil potest contra advarsarias potestates. *Ibid.* *Etenim non est nobis*, inquit, *lucta adversus carnem & sanguinem*. Non adversus homines videlicet bellum geritur, *sed adversus principatus*. Principatus autem dæmones vocat qui in hoc mundo principatum tenent, solummodo tamen in opera tenebrarum. Hoc vero quod inquit, *in cælestibus*: id est, non propter rem nihili nos oppugnant dæmones, sed propter cælestia bona. Quia enim ad regnum cæleste contendimus, vehementer nos impugnant. Ideo nos semper vigilare convenit & virtute gratiaque Christi vincere. Scutum autem fidei, fidem vocat sinceram & fervidam.

Coloss. 3. 9. QUÆST. CXIII. Quid est quod dicit: *Postquam exuistis veterem hominem, & induistis novum, qui renovatur?*

RESP. Veterem hominem dicit eum qui primus post lapsum Adæ natus est, vel improbitatem quæ ex illo procedit & malitiam. Novum hominem intelligit conversationem Christianam, piam videlicet & bonam vitam.

1. Thess. 4. 12. Q. CXIV. Quid est quod inquit: *Ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent?*

R. Qui non habent spem resurrectionis, illis convenit dolere. Nota autem quomodo de Christo dixerit, quod mortuus sit & resurrexerit: De communi vero populo dixit, *qui dormierunt*, ut ostenderet etiam eos qui dormiunt esse resurrecturos.

Philip. 2. 6. Q. CXV. Quid est illud: *Non rapinam arbitratus est æqualem se esse Deo?*

R. Quod Apostolus dicit, est ejusmodi: Filius Dei, qui etiam ipse Deus, volens in terram descendere & incarnari, non veritus est a sua dignitate descendere. Neque enim ex rapina divinitatem suam habebat: veluti si quis per rapinam aliquid habet, timet ne illud perdat. Talis non erat Christus, absit: sed cum perfectus Deus esset, homo quoque fieri voluit.

1. Thess. 4. 14. Q. CXVI. *Hoc enim vobis dicimus in Verbo Domini.*

R. Verbum Domini quod dixit, hoc est, audituri sunt vocem filii Dei; & qui audierint, vivent. Hoc, inquit, & nos dicimus, quod nos qui vivamus & residui erimus in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt. Viventes sunt, qui tum invenientur in resurrectione. Invenientur enim homines in illa die, nec videbunt mortem: verumtamen non prævenient eos qui obdormierunt ante. Nam primum resurgent mortui, deinde qui vivunt immutabuntur, & simul cum illis rapientur in occursum Domini in aera. Qualis autem iste raptus futurus sit, audi. Quando Dominus celeusmate, hoc est, jussu, & Angeli clamabunt: Surgite, venit enim sponsus; tunc de cælo descendet. Et primum resurgent mortui, deinde autem ii qui tunc vivent, immutabuntur & fient incorruptibiles. Et post hæc omnes sancti & digni rapientur in nubibus, & Dominum nostrum de cælis venientem axcipient, quemadmodum loquit: *Ibid.* *Et nos rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera.* Nam hæc est gloria & corona justorum. Peccatores vero exspectabunt ipsum donec descendat. Atque hoc non fit aliter, quam si Rex in aliquam urbem concedat. Ibi namque optimates & qui ceteris præstant, egrediuntur ei in occursum: pauperes autem & abjecti exspectant, donec in civitatem veniat. Sic etiam de Christo cogita. Descendente illo de cælo, omnes justi & boni rapientur in cælum ut obviam procedant descendenti Domino nostro Jesu: peccatores autem in terra stabunt exspectantes.

PROPOSITIO CXVII. *Nemo militans implicatur vitæ negotiis, ut ei, qui se in militiam elegit placeat.* *2. Tim. 2. 4.*

INTERPRET. Si enim ille, qui terreno regi militaturus est, non potest placere, nisi omnes vitæ curas reliquerit: quanto magis qui cælesti Regi militaturus est?

PROPOSITIO CXVIII. Quid est illud: *Quod si certat etiam aliquis, non coronatur, nisi legitime certaverit?* *2. Tim. 2. 5.*

INTERP. Nam etiamsiquis bellum ingressus fuerit, neque sic quoque coronatur nisi cum adversario manum conferens, gladio percusserit & interfecerit eum. Nam hoc est illud legitime certare.

PROP. CXIX. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* *2. Tim. 2. 6.*

INTERPRET. Hoc de spiritualibus doctoribus dixit: quia par est, ut doctor, qui pro se & pro suis auditoribus laborat & decertat, primum a Deo mercedem recipiat, deinde discipuli. Nam agricola, cum fructus suos collegit, ille primus in domo sua & de fructibus suis sibi recondit. Atque sic demum aut eleemosynam elargitur, vel satisfacit debitoribus.

ALIUD DE EODEM. Et aliter: Quicumque vult ad opus Dei laborare, qui alios docere, vel aliis vult prodesse, decet illum ipsum, qui alios docet, in primis exercere virtutes, ut accipiat a Deo dona gratiæ, & adquirat fructus sancti Spiritus, atque thesauros cognitionis bonorum Dei. Ita fiet, ut aliis quoque possit impertiri dona. Nam si quis aliquem oleo suis manibus ungere volens, oleum non habeat, quomodo impertiverit aliis id quod ipse non habet? eodem modo de doctore est sentiendum, sicut dictum est.

QUÆST. CXX. *Intellige quæ dico.* *Ibid.*

RESP. Quia per parabolas ei scripserat omnia, propterea dicit: Attende. Et non obsequuti sunt mandato Mosis. Præcepit Moses, & occiderunt eos, tria millia numero. Et hoc est, quod dicit Scriptura: *Quorum membra ceciderunt in deserto.*

PROP. CXXI. *Omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem.* *Hebr. 2. 2.*

INTERP. Quicumque transgressi sunt & inobedientes fuerunt in lege veteri, condigna poena sunt affecti. Nam Adam qui transgressus fuerat, condemnatus est: *Genes. 3.* Cain cum peccasset, maledictus fuit. *Genes. 4.* Et illi qui temporibus Noe mala perpetraverant, aqua submersi sunt. Sodomitæ qui turpem degebant vitam, horribiliter submersi sunt. Et Judæi qui sæpe adversus prophetas insurrexerunt, plagas, flagella, supplicia a Deo acceperunt. Nunc itaque hoc dicit: cum in veteri lege quotquot mandatum Domini spreverunt, nec obtemperarunt iisque Angeli & Prophetę annuntiabant, jure supplicium luerint iramque Dei in se concitarint; quomodo nos effugiemus, si tantā neglexerimus salutem, quæ neque per Angelos, neque per Prophetas nobis est tradita, sed per ipsum Christum & Deum? Nam veteris quidem legis minister fuit Moses, novæ autem Christus. Multum igitur hæc legislationi præstant veteri, quod ibi lex per servum sit administrata, hæc vero per ipsum Dominum Christum. Debemus ergo indubitan-

tanter, e quæ nobis præcepta sunt præstare, ne nobis quam veteribus gravius judicium sit subeundum.

Hebr. 2. 5. PROP. CXXII. *Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum de quo loquimur.*

INTERPRET. Orbem terræ secundi adventus sui judicium vocat, quando reddet unicuique secundum opera sua. Hoc vero quod inquit: *De quo loquimur*, illum significat, pro quo decertamus salutem consequi cupientes. In eo die, inquit Apostolus, non dedit Deus potestatem Angelis mundum judicandi, sed omne judicium dedit Filio suo. Et quia Filius Dei, qui etiam ipse Deus est, habet omnem potestatem judicandi mundum, quid passuri sunt ii, qui mandatis ejus non obtemperarunt? Nam si qui inobedientes fuerunt legi veteri, quæ per Angelos est lata, tanta passi sunt, idque non Angelis judicantibus mundum, quidnam illi patientur qui non obediunt ipsi Domino?

Psal. 8. 5. PROP. CXXIII. *Quid est homo, quod memor es ejus?*

INTERPRET. Hominem & filium hominis Christum dicit, sicut est per omnia consubstantialis patri, tamquam perfectus Deus & perfectus homo.

Ibid. v. 6. PROP. CXXIV. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.*

INTERPRET. Paulisper inferiorem dicit, quia Christus apud inferos tribus diebus & tribus noctibus fuit.

Hebr. 2. 9. PROP. CXXV. *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.*

INTERP. Gloria & honor Christi, crux est: quia innumera bona per crucem contigere, conculcata namque est mors, & in exilium relegata maledictio: infernus direptus est, peccatum est abolitum, transgressio sublata, natura hominū ab affectuum servitute liberata, diabolus est ligatus, plantata est salus, resurrectio est patefacta, malitia est abacta, vita quasi fons scaturivit, idololatria dissoluta: & quod mirabilius est, antiqui veteresque Prophetæ ex Christi sanguine & aqua ex ejus latere profluente baptizati sunt. Id quomodo factum sit, audi: Quoniam ex quatuor elementis constat humanum corpus, in ea post mortem rursus resolvitur. Ita cum Christo quoque factum est: nam sanguis & aqua, quæ ex sancto latere Christi fluxere, resoluta sunt in id, in quod etiam Prophetarum sanguis resolutus est, videlicet in elementa, quæ ibi inveniens baptizavit. Quod si quis nunc objiciat, quod etiam infidelium corpora baptizaverit: respondemus, Non. Nam sicut aqua diffluens, quascumque quidem reperit herbas virentes, eas irrigat & potat: quas autem aridas invenerit, iis nihil prodest: sic etiam hic cogitato.

Hebr. 2. 8. QUÆST. CXXVI. (Quid est quod dicit:) *Nunc autem nondum videmus omnia subjecta ei?* Cum nondum prædicatio in orbem pervasisset.

INTERP. Decebat eum, videlicet Deum & Patrem, per quem omnia facta sunt & subsistunt, ducem vitæ, Christum scilicet, multos filios ad gloriam & regnum cælorum adducentem: filios autem vocat spirituales & sanctos homines. Decebat, inquit, Deum & Patrem, principem salutis nostræ, scilicet Christum, per passiones perfectum & gloriosum exhibere.

Hebr. 8. 2. QUÆST. CXXVII. Quid est, quod inquit: *Et veri tabernaculi quod fixit Dominus & non homo?*

RESP. Tabernaculum dicit cœlum, quod non A creavit homo, velut in terra facere solent Ecclesiarum templa. Nec manu factum est, utpote quod fabricatum est verbo Dei.

PROP. CXXVIII. *Sancti omnes per fidem expugnaverunt regnum.* Hebr. 11. 33.

INTERP. Abraham, Moses, Jesus filius Nave, *operati sunt justitiam*. Abraham, Phinees & David, *adepti sunt promissiones*, item Jesus filius Nave & Chaleb. *Obturaverunt ora leonum*. Daniel in leonum fovea. *Exstinxerunt vim ignis*, tres illi pueri in ignea fornace. *Effugerunt acies gladii*, Helias & David. *Roborati sunt ex infirmitate*, velut Ezechias. *Fortes facti sunt in bello*, veluti B Samson, qui una asini maxilla mille prostravit Alienigenas. *Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos*, Sunamitis & Sarephthia. *Alii vero distenti sunt*, Jacobum fratrem Domini dicit, & alios quibus amputata sunt capita. Nam distentio nihil aliud est quam decollatio. *Alii vero ludibria & flagra experti sunt*, Esaias, Hieremias, & Michæas. *Lapidati sunt*, Stephanus & Nabuthe. *Dissecti sunt*, Esaias quem serra lignea secarunt Judæi. *Tentati sunt*, veluti Job. *In occisione gladii occubuerunt*, Jacobus, Zacharias & alii. *Atque omnes isti testimonio probati per fidem, non acceperunt promissionem*. Omnes videlicet isti sancti testimonium accepe- C re, quod placuerint Deo, etsi nondum fruantur gaudio regni cælorum & eorum bonorum quæ promissa sunt justis, sed exspectent secundum adventum, ut tum coronentur omnes in uno horæ momento. Nam hoc est quod inquit Apostolus: *Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis consummarentur*. Nam citra consummationem omnium Sanctorum, dimidia pars eorum bona promissa non accipit. Spem quidem & arrhabona habent, separatique sunt a peccatoribus. Ipsam vero perfectionem nondum sunt assequuti, quæ est præstabilior: nimirum ut omnes eodem tempore simul intrent in regnum, & D æqualiter omnes sancti bonorum Dei participes fiant.

Jacobus qui decollatus fuit non frater Domini, sed frater Joannis erat. Vide Chrysost. Homil. 27. in Epist. ad Hebræus. p. 567.

Hebr. 11. 40.

PROP. CXXIX. *Nos tantam habentes impositam nubem testium.* Hebr. 12. 1.

INTERPRET. Nubem testium ipsos vocavit, quia irrorant nos qui in peccatis detinemur & æstuamus, & umbra suæ intercessionis nos contegunt.

PROP. CXXX. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum.* Ibid.

INTERP. Pondus, multitudinem vocat. Sic autem inquit: Quandoquidem habemus tantam multitudinem sanctorum testiū, instar nubium irrorantem nos, E intercessioni precum ipsorum confisi, imitemur & nos illorum virtutes: & omni peccatorum abjecto pondere, atque peccato circumstante relicto, per tolerantiam & æquanimitatem, curramus in virtutis certamine. Circumstans autem peccatum dixit, eo quod non habeat aliquem certum locum ubi consistat, sed cito vertatur atque dissolvatur. Peccatum enim radicem non habet, nec etiam habet fructum. Evanescit vero statim, & solvitur, si gladio pœnitentiæ exscindatur. Nam securis est pœnitentia, exscindens omne malum. Est autem pœnitentia non genuflexio, F sed abstinentia a malo. Item labores, lacrymæ & preces ad Deum pro præteritorum peccatorum remissione. Nam ideo pœnitentia dicitur, quod mentem a malo ad bonum transferat.

[illegible], diximus in Typico. Analect. Græc. pag. 109. & in onomastico.

IN

IN ALIAS QUÆSTIONES MONITUM.

IN *hasce Quæstiones hæc habet Felckmannus in variis lectionibus Commelinianis p.* 90. Hæ, quia in Codice II. quo in Tom. I. usi sumus, plane (Symbolo excepto) ad finem nperum D. Athanasii inventæ sunt, ideo hic sunt positæ; licet & nomine auctoris & titulo carerent. Quod si divinare licet, putarim ego earum auctorem vixisse post exorta certamina inter Latinam & Græcam Ecclesiam, ut patet ex pagina 353. A. *Ubi errat Felckmannus, homo alias accuratissimus, cum ait: ad paginam* 353. *Commelinianæ Editionis aliquid controversiarum apparere Græcos inter & Latinos. Nihil enim ibi exstat ejusmodi; nec pagina* 353. *ad hasce Quæstiones pertinet, sed ad præcedentes. Puto annotare voluisse Felckmannum quæ de Francis dicuntur, non in hisce Quæstionibus, sed in præcedenti quæst.* 76. *Habentur porro hæ Quæstiones in duabus Codicibus Regiis, nimirum in* 2358. *ubi consequenter ponuntur post Quæstiones ad Antiochum, & multum variant ab editis, & in* 2450. *Ceterum nemo erit qui Athanasium tantarum nugarum patrem esse suspicetur.*

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Quæstiones aliæ.

QUÆSTIO I.

QUID est Deus?

RESPONSIO. Deus est essentia intelligens, quæ nec sub aspectum cadit, nec verbis explicari potest. Deus est Spiritus carens materia, oculus non dormiens, mens immobilis. Deus est essentia creatrix omnium invisibilium & visibilium creaturarum.

QUÆST. II. Deus, quare dicitur Deus?

RESP. Deus dicitur, quod omnia videat. Vox enim ea Gręcis est a videndo, quasi dicas contemplatorem omnium.

Rursum Deus dicitur, quod intelligibiliter sine tempore currat & pervadat omnia. Deus enim semper ubique præsens est.

QUÆST. III. Quot sunt Dii?

RESP. Unus est Deus deorum, & Dominus dominantium, & præter illum non est Deus alius. Psal. 81. 6. Dicuntur & homines dii, sed ex gratia: ut, *Ego dixi, dii estis, & filii Altissimi omnes.*

QUÆST. IV. At si est unus, quomodo illum unum Deum profitemur, tribus hypostasibus constantem, esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? Ecce enim tres profitemur & non unum. At tu doce nos, quomodo unus sit Deus, & qunmodo vicissim tres personas de Deo enunciemus. Permirum hoc nobis videtur, esse unum Deum & tres ejus persnnas.

RESP. Diligenter animum adverte, & intelliges sacræ Trinitatis mysterium, quatenus mens humana nosse potest. Nisi quod, ut mihi videtur, hoc dicitur, quoad per vim verborum fieri licet. Deus enim explicari nequit, ac propterea non possumus comprehendere naturam ejus: neque nostri similis est una sola constans persona. Quod si esset una persona, cognosceremus eum, uti nos mutuo novimus. Sed est unus quidem Deus, tres autem ejus sunt persnnæ. Et vide ounc quæ dicantur. Quemadmodum sol est unus: Sol autem habet radium & lucem, & sunt in sole tres personæ: orbis, radius & lux. Orbis quidem est receptaculum solis: radius vero, qui descendit lucidus, repercutitur ad terram: lumen vero lucet etiam in ombrosis locis sine radio. Et ecce tres sunt personæ: Orbis, radius & lux. Noo dicimus autem tres snles, sed unum solem: nec dicimus unam personam, sed tres. Si enim ioterrogeris, quot sint soles in cælo, dicturus es, quod unus sit sol: si vero interrogeris, quot sint personæ solis,
A dicturus es, quod tres; orbis, radius & lux: sic etiam cogita de Deo. Deus est unus, personæ autem unius Dei tres, Patris, Filii, & Spiritus sancti. Et ex hoc cognosce, quod quemadmodum sol constat tribus personis, ita & unus Deus tribus personis. Typus enim patris est orbis solaris: typus filii est radius: typus Spiritus sancti est lumen solis. Proinde, dic ita: In sole, orbis, radius & lumen: non dicimus autem tres soles, sed unum & solum: similiter & in Deo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, onus Deus, & non tres. Et vicissim, dic ita: In sole, ioseparabilis orbis, & radius & lumen, non enim segregantur a se invicem, & eam-
B dem ob causam dicitur, unus Deus & non tres, quoniam non segregantur tres personæ, Patris, Filii, & Spiritus sancti unius Dei a se invicem. Et quemadmodum orbis solaris generat radium, & emittit lumen: ita Deus & Pater generat Filium, & emittit Spiritum sanctum. Perpende diligenter, quemadmodnm radius solis descendit ex cælo ad terram, neque ab orbe snlari separatur, nec a cælo abest, neque a terra, sed est in orbe solari, & in cæln, & in terra, & ubique; sed neque in superioribus deficit, neque in inferioribus; sic etiam Filius & Verbum Dei descendit ad terram, & ne-
C que Patrem dereliquit, neque cælum, neque terram: sed erat in gremio Patris inseparabilis, & supra, & infra & ubique: neque usquam desideratus est. Et quemadmodum lumen solare est & in nrbe solari, & in radio, & io cælo, & in terra, & ingreditur domos, & ubique & illuminat; ita & Spiritus sanctus, & cum Patre est, & cum Filio, & supra, & infra, & nmnes homines illuminat, nec deficit umquam. *Spiritus enim sanctus*, inquit Apostolus Paulus, *omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. 1. Cor. 2. 10. Ecce jam qunmodo quem ante non novimus umquam, neque cognoscere potuimus, qualis esset, quando autem effigiem ejus videmus, tunc
D ex parte cognoscimus characterem personæ ejus, ita tu mihi cogitato de Deo. *Deum enim nemo vidit umquam*; quomodo igitur illum comprehendere quis possit? sed quandoquidem lumeo est & dicitur Deus, ex hac sensibili luce similitudinem capimus Dei, ut deinceps, quemadmodum supra diximus, ad typum solis conferamus sanctam Trinitatem, dicentes esse quidem Patrem orbem, Filium radium, Spiritum sanctum lumen ex lumine. Et sicut orbis, & radius, & lumen unum suot & tria, indivise divisa: ita & Deus Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus

unum est & tria; divisa quidem personis, veluti sol, indivisa vero quoad substantiam permanentia. Et quemadmodum orbis solis solus est causa & ingenitus, radius vero effectus & genitus ex orbe, lumen autem procedens ex solo orbe, per radium missum, & illuminans terrena: ita Deus & Pater ipse solus est causa duabus personis & ingenitus: Filius autẽ ex solo Patre causatus & genitus: & Spiritus sanctus ex solo Patre causatus & procedens, sed per Filium in mundum missus. Atque ita animo tene, & perpende, & crede de Deo.

Quod si non sit tibi solis exemplum satis ad cognitionem Deitatis tribus hypostasibus constantis, vide & aliam imaginem Dei, quæ est anima hominis. Quando enim formaturus erat Deus hominem, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & ad similitudinem nostram.* Ecce igitur homo imago est Dei, scilicet anima hominis. Est autem anima hominis una quidem, sed tribus subsistentiis constans: tres personas habet anima, & quomodo? audi. Est anima una persona: anima vero generat rationem, & ecce ratio altera persona: anima autem emittit spiritum, & ecce spiritus alia persona. Ecce personæ tres, anima, ratio, & spiritus. Etenim ratio & spiritus animæ sunt, non corporis, quoniam anima egressa ex corpore, neque ratio manet in corpore, neque spiritus, sed jacet corpus sine spiritu & sine ratione. Ratio vero & spiritus sunt cum anima: & inde palam est, quod quia & ratio & spiritus ab anima sunt, etiam personæ animæ sunt: itaque ecce anima persona una, & ratio persona altera, & spiritus persona tertia. Ecce tres personæ animæ, sed anima una, & non tres. Si enim interrogeris quot animas habeat homo, respondere debes, quod unam. Si vero interrogeris, quot sint personæ animæ, convenit respondere, quod tres: quoniam anima, ratio & spiritus, una anima, & personæ tres. Et est quidem anima imago Patris; ratio animæ, imago Filii & Verbi Dei: spiritus vero animæ, imago Spiritus sancti. Quemadmodum enim anima ingenita; ita & Deus & Pater ingenitus: & quemadmodum ratio genita ab anima; ita & Verbum Dei natum ex Patre: & sicut spiritus procedit ab anima; ita & Spiritus sanctus procedit a Patre. Quare dic ita: anima, ratio & spiritus, anima una, & non tres. Inseparabilis enim ratio & spiritus ab anima: Similiter Pater, & Filius sive Verbum, & Spiritus, unus Deus & non tres: inseparabile quippe Verbum & Spiritus divinus a Patre. Et sicut invisibilis est anima, ita invisibilis etiam est Deus. Et sic cum dubitas in mente tua, & dicis, quomodo sit Deus unus, & simul constet tribus hypostasibus; considera animam tuam, & dic: sicut anima mea una est, sed constat tribus hypostasibus, anima, ratione, & spiritu: ita Deus unus est, sed constat tribus hypostasibus, Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Et dic apud animum tuum, quod si anima opificium Dei, similiter & sol, constat tribus hypostasibus, natura autem eorum una, quanto magis Deus factor illorum? Nonne in Deum cadit, ut sit unus natura, & tribus personis constet: immo id in illum cadit. Quemadmodum enim anima, ratio, & spiritus, tres sunt personæ, & una natura animæ, & non tres animæ: ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ, & unus natura Deus, & non tres Dii. Ita si semper ratiocineris, non blasphemabis in sanctam Trinitatem.

Sed jam & aliã similitudinem Dei audi, dilecte. Ecce ignis unus est, sed ex tribus constat hypostasibus. Ipse enim unus est subjectus ignis, urẽdi autẽ vis est alia persona: & vis lucendi item alia persona. Ecce ergo tres personæ unius ignis, scilicet subjectus ignis, vis urendi, & lucendi vis. Una autem est natura ignis, & non tres: similiter etiam in Deo. Pater enim est ignis, Filius est urendi vis, & Spiritus sanctus est vis

A illuminans. Et quemadmodum in igne, ignem urentem & lucentem, & ipsum subjectum, ignem unum dicimus, & non tres: ita etiam in Deo tres personas Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, deum unum dicimus, & non tres. Et quod quidem spectat cognitionem sanctę Trinitatis hęc sufficiant credenti.

Verum audi & aliud præterea mysterium. Verbum hominis duplicem habet generationem, & in duabus lationibus generatur: unam quidem lationem habet ab anima, alteram autem a labiis: & nascitur quidem sermo hominis ab anima, cum quis cogitat aliquid dicere: B cogitatio enim prima generatio dicitur verbi, quia cogitat pronunciare illud verbum: non profert autem illud labiis; sed servat eum sermonem anima in sinu suo: & est cogitatio illa, prima generatio verbi ab anima. Illud enim, etiamsi nascatur ab anima, per primam generationem quando cogitat illud anima: sed non profert illud, sed adhuc conservat. Quando autem vult proferre verbum, tunc profert illud labiis: hæc est secunda generatio ex labiis. Ipsa autem ex labiis secunda generatio verbi aperit verbum omnibus, nec amplius verbum obscurum est, sed apertum. Quando autem profertur verbum per labia, C tunc omnes audiunt illud, & manifestum fit omnibus: & hæc generatio per labia; dicitur secunda generatio verbi; adeo ut duæ sint generationes verbi nostri: una quidem animæ, quando cogitat de enunciando verbo, quæ & prima generatio dicitur: & altera ex labiis quę aperit verbum omnibus hominibus, quæ & secunda generatio dicitur. Disce igitur accurate, quemadmodum verbum hominis duas habet generationes, unam ex anima, & alteram ex labiis: ita etiam Dei Verbum duas generationes habere; unam quidem ex Deo & Patre, quæ & prima generatio dicitur: & alteram D ex carne, quæ & secunda generatio dicitur. Et quemadmodum verbum nostrum, etsi natum sit secundum primam generationem ab anima, occultum tamen est, & non aperitur: sed post generationem manet in sinu animæ; ita & Dei Verbum, quantumvis ante sæcula a Deo & Patre natum sit, non tamen manifestabatur hominibus. Manebat enim in sinu paterno. Et quemadmodum verbum nostrum, quando volumus nascitur ex labiis nostris, & aperitur iis omnibus quibuscum versamur; ita & Dei Verbum, quando ei visum fuit, natum est ex labiis Prophetarum & ex castissima Maria, & tunc mani- E festum fuit in toto mundo. Sicut enim declaratur verbum nostrum natum ex labiis nostris; ita sane & Dei Verbum natum ex carne Mariæ semper Virginis, manifestatum est omni creaturæ, & qui credunt in illud, salutem consequuntur. Et sicut verbum nostrum natum ex labiis nostris, quando a labiis generatur, non relinquit animam, neque labia propria, neque aures audientium: sed est etiam in anima, & in labiis nostris, & in auribus audientium: & non deficit umquam etiamsi multa millia audiant verbum, nec minuitur, sed semper in nobis plenissimum est: ita & Dei Verbum, etiamsi natum F sit ex Maria Virgine, & ex labiis Prophetarum: non tamen a Patre discedit, neque a carne, neque ab omnibus hominibus, neque a tota creatura, sed ubique adest, nec minutum est, sed plenissimum. Atque ita cogita de Deo & Verbo, quod duplicem habeat generationem, unam ex Deo & Patre, & unam ex carne. Et hæc quidem, quæ ex Patre est, ante sæcula est: quę vero ex carne, ab ultimis diebus; quemadmodum & verbum nostrum primum nascitur ab anima, & deinde ex labiis. Et hæc de duabus generationibus Verbi Dei.

QU. V. Quid commune est sanctæ Trinitati?

RESP.

Resp. Commune est, essentia: commune, principio carere: commune, potentia, bonitas, sapientia, justitia. Omnia enim æqualiter habet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, præterquam proprietates suas. Proprium enim Patris quidem ingenitum esse: Filii vero, genitum esse: Spiritus sancti procedere. A

Quæst. VI. In Deo, quot confiteris essentias?

Resp. Unam essentiam dico, unam naturam, unam formam, unum genus, unam gloriam, unam dignitatem & dominationem.

Qu. VII. Hypostases autem, quot confiteris in Deo?

Resp. Tres hypostases confiteor, tres personas, tria propria, tria individua, tres characteres. B

Quæst. VIII. Quare dicitur Pater, Pater?

Resp. Pater dicitur Deus, quasi πάντα τηρῶν, id est, omnia conservans; quasi omnium conservator.

Quæst. IX. Et Filius, quare dicitur Filius?

Hæc in tractatu de definitionibus sub initium. Resp. υἱὸς seu Filius dicitur, quasi οἷος, id est, talis & æqualis: qualis enim Pater, talis & Filius. Vertitur enim ο in υ, & fit υἱός. Æqualis enim Filius est Patri.

Quæst. X. Et Spiritus, quare dicitur Spiritus?

Resp. Πνεῦμα, seu Spiritus dicitur, quod πᾶν νεῦμα, id est, omnem nutum acute intelligat, scilicet omnis nutus cognoscitur uno intuitu per illum. *Spiritus enim sanctus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* C 1. Cor. 2. 10.

Quæst. XI. In Deo, quot sunt causæ?

Resp. Unicam dico in Deo causam, & hæc est Pater. Ipse enim Pater gignit Filium & emittit Spiritum. Quare disce, quod Pater solus sit causa. Filius non est causa, sed causatus. Et sic quidem causa est solus Pater. Causata vero sunt duo, Filius & Spiritus. Causa autem dicitur Pater, quod gignat & non gignatur: quod emittat, & non procedat. Gignit enim Filium, & emittit Spiritum sanctum. Et propterea dicitur Pater causa.

Quæst. XII. Et quot sunt causata? D

Resp. Duo, Filius, & Spiritus. Non gignit Filius, sed gignitur, & propterea dicitur causatus. Quare, si quis te rogaverit, quot in Deo causas confiteris? dic: unam causam dico. Et qualis hæc est? Pater: & quare dicitur causa Pater? quia gignit Filium & emittit Spiritum. Si vero quis te interroget, quot causata dicis in Deo? dic, duo. Qualia autem ista? Filius, & Spiritus. Et quare appellantur causata? quia gignitur Filius, & non gignit; procedit autem Spiritus, & non emittit.

Quæst. XIII. In sancta autem Trinitate, quis primus? E

Resp. In sancta Trinitate nemo primus, & nemo postremus: sed simul Pater, simul Filius, simul Spiritus sanctus: & ideo etiam simul principio carentes dicuntur, & initii expertes. Principii expers autem dicitur, quod ante principium est. Principio ergo caret Pater, principio caret Filius, principio caret Spiritus sanctus. Atque ita nec primus, nec ultimus, sed simul tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quamobrem etiam simul principii expertes & sunt & dicuntur.

Quæst. XIV. Declara nobis & hoc, quomodo Filius & Verbum Dei gignatur a Patre: id enim nos obstupefacit. F

Resp. Quia Deus intellectu non capitur, nec explicatur, neque hoc possumus interpretari. Quomodo enim quis exponat, quod nunquam ipse vidit, aut ab alio aliquo audivit? Attamen ex operibus ejus nempe Verbi & Dei figurate loquamur, quoad ejus fieri potest. Cogitandum enim, quod, quemadmodum sermo hominis generatur ab anima sine semine, & supra omnem intellectum; ita gignitur & Verbum a Patre. Et sicut generatur ignis ex igne, & lumen ex lumine; ita generatur Filius & Verbum Dei a Patre.

Quæst. XV. Et Spiritus sanctus, quomodo procedit a Patre?

Resp. Neque te de hac re quærere decet. Est enim & hoc inexplicabile. Disce tamen hac etiam de re. Quemadmodum igitur respiratio hominis ex anima procedit, ita & Spiritus sanctus a Patre procedit. Et sicut Eva neque genita, neque ingenita, sed media erat; ita etiam Spiritus sanctus a Patre procedit. Etenim Adam ingenitus, Seth vero genitus, & Eva procedens. Eva enim neque genita est, ut genitus est Seth, neque ingenita erat, quemadmodum Adam; sed egressa est ex costa Adami, & sic Adam ingenitus, typus erat ingeniti Patris: Seth genitus, est typus geniti Filii: & Eva egressa ex costa Adami, est typus sanctissimi Spiritus. Per patres enim nostros adumbrata fuit sancta Trinitas. Sed Adam quidem & Seth & Eva corpora erant, & separabiles inter se: Deus vero & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, neque corpora sunt, neque separabiles a se invicem. Sola enim figura ingeniti Patris spectatur in ingenito Adam, & figura generationis filii in genito Seth, & figura processionis Spiritus sancti spectatur in Eva procedente. Itaque sic hac de re sentias.

Q. XVI. An continetur Deus uno loco, necne?

R. Adverte animum, & perpende quod Deus lux sit invisibilis & incomprehensibilis, neque videatur, neque capiatur loco. Et quoniam non capitur in toto, quomodo posset fieri, ut videretur aut intelligeretur quibusdam? Cujus neque Moses, qui Deum vidit, neque discipuli Verbi ipsius, in monte transfigurationis illius, neque alius quisquam umquam deitatem nudam videre potuit; ut clarum sit, quod nullo loco capiatur, sed ubique sit Deus. Et hæc quidem de Theologia (hoc est de Deo.) Nunc dicere incipiemus de ejus Œconomia, scilicet de incarnatione Filii & Verbi Dei.

Q. XVII. Ecce quæstionem tibi propono, tu vero mihi responde. Docuisti nos de sancta Trinitate, quod Deus constet tribus hypostasibus, scilicet Patre, Filio, & Spiritu sancto. Nunc autem quæro ex te, Christus ille quisnam est? Hoc volo edoceri.

R. Sane audivisti de sancta Trinitate, quod una persona dicatur Pater, & altera Filius, & alia persona Spiritus sanctus. Ecce jam cognosce, quod hic Filius & Verbum Dei & Patris induerit carnem hominis, & inambularit ut homo in terra. Appellatus igitur Christus est, quod unctus sit, vel certe assumserit carnem hominis. Et propterea dicitur incarnatus Deus & Christus, Filius & Verbum Dei, & Deus, quod gestaverit formam hominis.

Q. XVIII. Quam rationem, aut quam utilitatem proposuit sibi Deus, seu Filius & Verbum Dei, ut incarnatus sit, & ut homo inambulaverit in terra?

R. Deus nihil opus babuit incarnatione, sed humana natura indigebat sanatione. Postquam enim fecit Deus cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, finxitque hominem & posuit eum in medio paradisi, & constituit eum Regem omnium creaturarũ, ut omnia inservirent ipsi, & habitaret ipse in paradiso, tamquam Dei imago. Cum sciret hoc diabolus, invidens homini tantam dignitatem, dedit homini consilium, ut Deo nõ obtemperaret, ut per inobedientiam Deus eum eliminaret ex paradiso, & privaret illum divina dignitate, & immortalem redderet mortalem. Homo vero, ut qui nullam haberet peritiam malitiæ improbi illius, obtemperavit consilio diaboli, & nonobsequutus est Deo, & ex illo morti obnoxius fuit peccati: perinde etiam omnes ex ipso nati homines velut ex majoribus peccatũ in se derivantes obnoxii ei fuere: & prævaluit peccatum contra homines. Misit autem Deus Prophetas & Docto-

Doctores in mundum: ut docerent mundum (id est homines) & converterentur a peccato: nec tamen potuerunt Prophetæ convertere. Propterea dixit Deus in seipso: Descendam, & assumta carne fiam hominiformis. & docebo figmentum meum, & convertetur a consilio diaboli, & erit omnis homo ut Deus, non secundum naturam, sed secundum adoptionem. Cum hæc placerent Deo Patri, Spiritu sancto adjuvante, descendit Filius & Verbum Dei, & ingressus est immaculatum Virginis mulieris uterum, & assumta carne ex illa, homo factus est: & rursus egressus ex muliere, relicta illa pura & obsignata Virgine incontaminata, quemadmodum prius, inambulavit in mundo cum hominibus, ut homo, & tunc appellatus est Christus, quod unctus esset, & tulisset carnem hominis. Et hic est Christus Filius & Verbum Dei, qui carnem gestat.

Quæst. XIX. Et quomodo fieri potest, virginem parere carnem, & tamen manere virginem; & hoc nobis mirum videtur & omnino absurdum: doce nos etiam hac de re, quæsumus.

Resp. Etsi nobis hoc permirum videtur, verum non est hominis opus, sed Dei: Deus enim ubi vult, vincit naturæ ordinem. Et rursus: *Mirabilis est Deus, & mirabilia opera ejus.* Verumtamen audi de Virgine genitrice varia & evidentissima symbola: recordare, quod Evam genuerit Adam, cum esset virgo: & rursus virgo manserit, quemadmodum prius: & sicut Adam virgo generavit, & virgo mansit; ita & Deipara Maria, virgo cum esset, peperit Christum, & tamen virgo permansit. Sed & aliud audi mysterium; sicut domus circumsepta undique, quæ habet orientem versus vitream puram & tenuissimam fenestellam, oriente sole, radii ejus penetrantes vitrum & ingredientes domum totam collustrant: & rursus transeunte sole & egredientibus radiis vitrum non confringitur, sed ab ingredientibus & egredientibus repercussionibus radiorum solarium manet illæsum. Ita intelligas de semper virgine Maria. Illa enim castissima, ut domus quædam circumsepta cum sit, Filius & Verbum Dei ut radius divious ex sole justitiæ patre descendens, qui per vitream fenestellam aurium illius ingressus sanctissimam domum ejus illustravit, & rursus ut idem novit, exivit, ne minime quidem fędata virginitate illius: sed sicut ante partum, etiam in partu, & post partum Virginem castam conservavit. Præterea & aliam illustrem admirandam & illis similem audi similitudinem. Margarita io mari rubro generatur: generatur autem hoc modo. Extremitates maris rubri siccæ sunt, paucarum aquarum fluxum habentes. Inveniuntur autem ibi conchilia marina, in toto mari illo rubro, pinnæ nominata. Stant igitur pinnæ illæ semper hiantes & exspectantes escas ad nutrimentum sui: interim dum ita consistunt hiantes, & exspectant nutrimentum, & magna copia accedit sulgurum, accedit aliquod fulgur ad pinnam, & cum reperiat testas pinnæ apertas, ingreditur in illam: pinna vero contracta statim & constricta in seipsam intus includit fulgur. Fulgur vero obvolutum in globis oculorum pinnæ, illustrat illos, & commutat eos in margaritas. Egressæ autem margaritæ ex pinna, procidunt ad littus maris, atque ita piscatores capiunt illas. Perinde intelligas de incarnatione Verbi. Mare quidem est mundus, & Virgo concha. Stabat autem Virgo, quemadmodum pinna, in Templo, & excipiebat cælestem panem Christum Deum, qui & descendens & ingressus in eam, ut fulgur, & convolutus in visceribus virgioitatis illius, splendidam reddidit sanctissimã carnem, quam assũsit

A incarnatus; & sic natus est ex ea, Verbum Dei, ut pura & pretiosissima margarita sine congressu masculi. Et ut margarita cælestis est & terrena: cælestis quidem secundum fulgur: terrestris vero secundum complexum oculorum pinnæ; sic etiam Christus cælestis est & terrenus: cælestis quidem secundum deitatem: terrestris autem secundum humanitatem. Et quemadmodum margarita geoeratur sine congressu masculi & fœminæ, ex fulgure & pinna, ita etiam natus est Christus sine congressu masculi & fœminæ, ex Deitate, & ex carne Virginis. Et quemadmodum cum margarita cooteritur, materia quidem o-

B culorum pinnæ conteritur & resolvitur, nec tamen splendor fulguris patitur, sed splendor fulguris impatibilis manet: materia autem oculorum pinnæ sola conteritur & patitur; ita & in Christo hæc iotelligenda sunt. Cum enim ille Salvator noster flagellaretur & pateretur a Judæis infidelibus excruciatus in cruce, materia quidem carnis, hoc est humanitas, sola passa est, Deitas autem impatibilis permansit. Et cum hoc dicis, refutas Theopaschitas, & doces iocarnatã œconomiã. Hinc tibi, dilecte, scrupulus gratia Christi eximitur.

Theopaschitæ dicebant ipsam Deitatem in Cruce passam esse.

Quæst. XX. Quoniam omnia, divine Pater, coo-

C venienter nos docuisti, petimus a te, ut & hoc nobis interpreteris, de quo adhuc dubitamus: quamobrem Deitas non docuerit sola hominem, & servaverit eum sine carne? cur enim voluerit ferre carnem?

Resp. Etiam de hoc probe interrogas: unde audi etiam probe responsionem. Principio, quando Deus condidit hominem, & seductus est a diabolo homo, non vicit diabolus deitatem, sed humanitatem. Quapropter etiam decebat superatam humanitatem vicissim vincere hostem suum diabolum, ut vicissim acciperet per illum prius amissum divinum paradisum. Si enim nuda deitas advenisset, & diabolum vicisset, gloriaturus

D erat diabolus, nihil mirum esse dicens, si a deitate superaretur; a deitate enim esse se devictum: & propterea non visum fuit Deo, ut sola deitas diabolum oppugoaret, sed voluit humanitatem, quæ victa est a diabolo, eamdem & solam vincere eum qui ipsam vicerat, diabolum. Cum prævideret igitur sapiens Deus, quod non posset sola humana natura vincere sine deitate, abscondita est in ipsa carne deitas, ut diabolus videns carnem, & non cognoscens deitatẽ in eadem carne absconditã esse, accederet & cum Christo congrederetur, atque ita vinceretur ab abscondita deitate. Quod & factum est.

E Quemadmodum enim piscator volens capere piscem, non nudum hamum jacit in mare, sed affigit extrinsecus vermem per dolum, & sic projicit hamum in mare indutum verme: piscis autem videns vermem solum, & non cognoscens in verme latere hamum, sed existimans, sine hamo vermem esse solum, deceptus capitur hamo: ita etiam Christus fecit. Cum vellet enim venenatum piscem in aquis infinitis abyssi latentem capere, seu potius magnum illum draconem diabolum; non ouda deitate cum diabolo congressus est, sed dolo vermem, sanctissimam suam carnem, quam ex semper Virgine Maria, sanctissima terra sine pol-

F lutione, induit; quemadmodum inquit divus David: *Ego sum vermis & non homo*, texit sarerrimum hamum mundo salutarem crucem suam, illi affixus, & per illam latere voluit deitatem suam, a qua deceptus est & captus venenatus ille, & serpentinis morsibus infestus piscis, magnus draco diabolus, qui paradiso expulerat & occiderat homioem, & victus periit. Ita quidem deitatis typus est hamus: humanitatis vero typus est vermis. Videns igitur extrinsecus hominem & non animadvertens intrinsecus absconditam deitatem, deceptus est, & accedens ad humanitatem captus est ab inopinato & immobili hamo

dei-

deitatis: & sic victus est magnus draco diabolus. Quapropter non venit Filius & Verbum Dei, ut nuda deitate caperet diabolum, sed carnem gestavit, & sic ingressus est. Et hæc est causa quod incarnatus sit. Et quemadmodum ipse diabolus, cum vellet olim seducere hominem, & paradiso ejicere, non accessit ad Evam nuda sua forma diabolica, sed gessit carnem, scilicet serpentem: & sic accessit & decepit illam: norat enim astutus iste, quod si adcessisset ad illam nuda sua forma diabolica, numquam eam decipere potuisset. Et propterea indutus est, ut carne, serpente, & per formam carniferi serpentis Evam decepit. Atque serpens quidem apparebat, diabolus autem non apparebat. Et per apparentem serpentem efficax erat invisibilis serpens diabolus. Duæ enim
A naturæ in una persona effecerunt tunc lapsum in majoribus nostris. Et quemadmodum tunc diabolica forma & serpentina duæ naturæ erant in una persona unitæ, & una quidem natura scilicet serpentina, apparebat; altera vero, nempe diabolica, non apparebat, & ejiciebat hominem ex Paradiso: ita etiam in Christo duæ naturæ in unam personam divina & humana unitæ sunt: & humanitas quidem apparebat, deitas autem non apparebat, & per apparentem humanitatem deitas invisibilis efficax erat, & ejectum ex paradiso olim hominem duæ istæ præstantes naturæ, videlicet dei-
B tas & humanitas, in illum vicissim & nunc introduxerunt. Et hæc est causa, propter quam Christus incarnatus & homo factus est: ipsi debetur gloria in infinita sæcula, amen.

IN HISTORIAM IMAGINIS
BERYTENSIS
ADMONITIO.

I. ATHANASII *non esse hoc Opusculum, sed imperiti alicujus & infacundi hominis, eruditus nemo non judicat, quare non est quod in ea re probanda immoremur. Antiquum tamen esse ex eo liquet, quod in Concilio Nicæno II. Athanasii nomine lectum fuerit; atque teste Constantino Constantiæ Cypri Episcopo, Patribus eo coactis lacrymas excusserit. Exstat porro Tomo VII. Concil. Act. 4. Nec parum discrepat, si verba spectes ab editis & a mss. Tantumque variant inter se Codices, ut in multis licet reperiatur, nullus alii similis compareat. In Colbertino autem tertio ita prolixa & aucta legitur hæc Historia, ut duplo major cufis videatur; sic tamen ut multa verba, sed nihil rei gestæ adjiciatur. Exstat item Græce in Bibliotheca Cæsarea exemplar ejus ms. ab editis haud parum diversum & multo auctius. Principiumque ejus adfert Lambecius, Comment. lib. 1. p. 126, ut & versionem antiquam Anonymam ab edita diversam, quam integram refert idem p. 128. Omnium autem Codicum varias adferre lectiones, nec facile est, nec operæ pretium foret: quare eas solum annotavimus, quæ alicujus momenti visæ sunt. Magnæ vero apud sequioris ævi Græcos fuit existimationis hæc Historia: ita ut ea publice legi soleret Dominica ὀρθοδοξίας, seu Dom. prima Quadragesimæ, in qua celebrabatur apud Græcos Festum restituti cultus sanctarum Imaginum.*

II. *Cum itaque minime sibi invicem consentiant Codices mss. & ab editis mirum in modum discrepent, visum est binas ex Palatinis Codicibus desumtas Latinas versiones edere; quo libera cuivis mutuo conferendi sit facultas. Quamquam nullo forte dispendio potuisset alterutrum omitti, cum nulla ferme nisi verborum sit discrepantia. At scrupulose lectori morem gerere libet, indigne scilicet ferenti, si qua vel minima prius editorum prætermittantur. Bina itidem Latina exemplaria adferimus, quæ sub initium ad medium usque toto cælo discrepant; inde vero non item. Primum in antiquis Athanasii editis Latinis jam olim cusum fuit, cum hoc sub initium errore, ut dicatur lectam fuisse hanc Historiam a Petro Nicomediensi in Synodo Cæsareæ Cappadociæ celebrata, ob errorem circa Christi Domini sanguinem exortum, cum revera in Nicæna secunda Synodo, pro cultu Imaginum asserendo ab eodem lecta fuerit. In multis porro discrepat a Græcis hæc Latina Historia. Secundum exemplar Latinum ex antiquis Conciliorum mss. & editis desumtum, jam primum inter Athanasiana edere visum est, quia ad Græcorum litteram magis accedit, licet in nonnullis haud leviter discrepet.*

III. *De Historia Imaginis Berytensis hæc habet Sigebertus in Chronico ad annum* 365. Tempore Constantini Imperatoris & Irenæ uxoris ejus in Syriæ civitate Berytho, quæ subjacet Antiochiæ: Judæi Imaginem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi invenientes in domo cujusdam Judæi, ibi relictam a quodam Christiano, eam injuriose deposuerunt, & omnia opprobria quæ Judæi Christo Jesu intulerunt, ejus Imagini inferebant: illudentes ei, in faciem conspuentes, criminose conviciantes, eamque percutientes, manus & pedes ejus clavis configentes, acetum & fel ei porrigentes; tandem latere ejus aperto, exivit de eo sanguis & aqua, quod illi supposita ampulla suscipientes ad experimentum utrum fuerint vera miracula quæ Jesum fecisse audierant, omnes infirmos in Synagoga sua collectos hoc sanguine aspergebant, & a quocumque languore detinebantur, omnes sanabantur. Unde tandem Judæi compuncti ad Adeodatum civitatis Episcopum omnes concurreruot: eique re enarrata, Imaginem cum Sanguine ei dederunt. Quibus baptizatis Episcopus Sanguinem per ampullas divisum longe lateque dirigens, prædicabat magnalia Dei, obtestatus omnes ut singulis annis quinto idus Novembris celebretur Passio Dominicæ Imagiois. *Hæc Sigebertus, qui in hoc errat, quod Historiam Constantini & Irenes ævo gestam enarret; nam tempore Irenes, nomine Athanasii lecta fuit in Synodo secunda Nicæna. Nec potuit adeo recentis memoriæ tum fuisse, ut Petro eam Athanasio adscribenti fides haberetur. Verane ceterum an falsa sit hæc Historia, prudentis Lectoris judicio permittatur; nobis sane videtur admodum suspecta.*

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Sermo de miraculo Beryti edito, circa pretiosam & venerandam imaginem Domini & Dei nostri.

1. ERIGITE oculos mentis vestræ, ac videte novum stupendumque miraculum, quod nuper diebus contigit nostris. Respicite immensam Dei bonitatem, date ipsi gloriam, perpendite ineffabilem ejus erga homines amorem, magnitudinemque providentię illius: cum lætitia lamentum assumite. Nihil in Deo mirabile; sed in stupendo hujusmodi miraculo, quod editum est in illis diebus, omnia hominum corda stupore perculsa sunt. Obstupuit vere cælum ob patratum facinus, turbata sunt omnia hominum corda; obstupuere abyssi omnes, sol obtenebratus est, luna & stellæ conturbatæ sunt, ob rem Domini providentia gestam: audite omnes cælorum virtutes, ac stupete generationes generationum, ob ingens miraculum, his diebus editum.

2. Urbs est Berytus nomine, Antiochiæ vectigalis, in qua ingens erat Judæorum multitudo. Christianus porro quidam accepta prope Synagogam eorum cellula, illic commorabatur. Fecit autem imaginem Domini integram, pulcherrime depictam. Elapso quodam tempore, voluit Christianus secedere ex ista cellula, majoremque requisivit cellulam, qua scilicet opus habebat, ita ut etiam Judæis esset vicinus. Invento domicilio altero, inde commigravit, suis omnibus acceptis bonis. Quod ex Dei dispensatione factum est, qui vult omnem hominem salvum fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ostenditque mirabilia sua omnibus in ipsum credentibus in veritate. Acceptis Christianus omnibus ad se pertinentibus, uti supra dictum est, relicta est Imago Domini nostri Jesu Christi sola, eamque homo ille oblitus in cellula est.

3. Judæus autem quidam accepta ista cellula in domicilium, ubi erat Imago universorum Regis Christi, cum eo res omnes suas asportasset, ibi commorabatur: nec advertit Imaginem Domini, quæ illic stabat, neque lustravit eum locum. Quadam porro die cum Hebræum invitasset, ut secum sumeret cibum; dum pranderent, elevatis Judæus qui invitatus fuerat oculis, vidit Imaginem Domini nostri Jesu Christi, dixitque Judæo qui se advocarat: Tu Judæus cum sis, quare hujus Imaginem apud te servas? plurimasque ac nefandas contumelias profano turpique ore suo protulit contra venerandam Imaginem Domini, quas ne in mentem quidem hominum venire licet; absit: ostenditque Imaginē Hebręo qui se invitarat. Tū cępit Hebręus ille jurare per Judaicam fidē, se nondū ad eam usque horam hanc vidisse Imaginē. Hebræus porro qui vocatus fuerat, siluit. Surgensque Judæos adiit qui primarii sacerdotes & legis doctores erant; quibus dixit: Hebræus ille Imaginem Nazaræi habet domi, quam ego oculis conspexi meis. Qui his auditis responderunt. Quomodo id potes comprobare? Tum ille: Me sequimini, & ostendam vobis illam. Consilium porro iniere, ut omnes proxima dię mane cellulam adirent, in qua erat Imago Domini.

4. Ineunte luce sequentis diei, congregati sunt Principes sacerdotum & seniores, & Judæo secum assumto, domum petiere Hebræi, ubi erat Imago Domini. Cum eo advenissent, in domum irrumpentes Sacerdotum principes & Seniores, universa-

A que turba, vident Imaginem Domini. Tum furore repleti, Judæum illic habitantem domo pulsum Synagoga ajecerunt. Imaginem autem Domini nostri Jesu Christi cum demisissent, secum ita loquuti sunt: Quemadmodum Patres nostri illuserunt ipsi, ita & nos illudamus. Tum cœpere conspuere in faciem Imaginis Domini, atque ordine singuli alapis vultum ejus cæciderunt, ac percusserunt omnes dicendo: Quæcumque patres nostri fecerunt, ea nos in ejus Imaginem perpetremus. Audivimus, ajunt, multa in eum ludibria contulisse, & nos omnia conferamus. Infinita igitur ludibria in Domi-
B ni Imaginem contulere, quæ ne proferre quidem nos audeamus. Hinc ajunt: Audivimus Patres nostros clavis manus ejus confixisse, id & nos efficiamus. Confectis ergo clavis, manus pedesque Domini confixere. Rursum inquiunt: Audivimus aceto & felle eum cum spongia potavisse: id nos quoque faciamus. Illud itaque fecerunt similiter, posita ad os Imaginis Domini spongia aceto plena. Ajunt iterum: Comperimus eos arundine percussisse caput ejus; idipsum nos agamus, arreptaque arundine caput ejus percusserunt. Dicunt iterum: Accurate novimus, eos lancea latus ejus aperuis-
C se: ne minimum quidem prætermittamus; sed potius iis adjiciamus. His peractis lanceam postularunt, qua allata, vibrantes illam, confodere latus Imaginis Salvatoris, confestimque sanguis & aqua magna copia emanavit. Quo inexspectato edito miraculo, stupore perculsi sunt quotquot virtutes Dei conspiciebant & incredibilia miracula.

5. Quam investigabilia sunt judicia justitiæ tuæ, quam immensa bonitas, quam magna misericordia tua, Domine! Quis loquetur potentias tuas, Domine? quis auditas faciet omnes laudes tuas, hominum
D amantissime, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat? Christe tibi gloria. Quis similis tibi, Domine? Quis præter te faciens terribilia & prodigia? O miraculum! o Salvatoris magnificentiam! Horruere jam hac in re supernæ potestates. O quanta longanimitas! quanta misericordia! olim nostrum gratia & propter nostram salutem incarnatus, qui carnis expers erat, ex Virgine Maria, in eadem carne crucifixus fuit, cum secundum deitatem impassibilis esset: nunc vero rursum in Imagine crucifixus es, o Domine, ad convictionem impiorum omniumque infi-
E delium, & ad confirmationem eorum qui in veritate in te credunt. Sed, gloria tibi, Domine, qui solus omnia potes, & benedicto Deo nostro, una cum immaculato Patre, & Filio ejus Jesu Christo, ac bono vivificoque Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, amen.

6. Audite vos, fratres, cum timore Dei & gaudio, cetera quæ a Domino dispensata sunt. Cum enim latus sanctæ ac venerandæ Imaginis lancea perforatus esset, emanaretque aqua & sanguis, coacta est tota Judæorum turba, dicebantque mutuo. Quandoquidem ajunt ejus cultores, eum multas curare infirmitates, sumamus sanguinem ejus & aquam, deferamusque in

syna-

synagogam, ac congregemus omnes qui laborant ægritudine; ungamus eos illo, & videamus num vera sint quæ vulgn dicuntur. Admotaque lateri Domini amphora, illudendo amphoram implevere illa quæ manabat aqua: congregatisque omnibus qui male haberent, primum omnium paralyticum, quem a nativitate paralyticum esse sciebant, adductum unxerunt: qui statim consolidatus fuit, sanusque factus est homo. Confestim autem ingens tumultus per totam urbem exortus est, omnibus eum in locum ingredientibus, ob multas illas morborum curationes & miracula. Judæorum porro frequens populus commotus, adducebant infirmos suos, paralyticos, mancos, aridos, claudos, cæcos, dæmoniacos, aliosque variis ægritudinibus laborantes; qui omnes inuncti sacro sanguine & aqua lateris venerandæ Imaginis Domini, sani corpore evaserunt. Omnes porro principes sacerdotum & seniores populusque Judæorum, crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum, clamantes ac dicentes: Magnus Deus Christianorum: magna fides Christianorum. Gloria tibi, Christe, quem Patres nostri crucifixerunt, qui a nobis quoque crucifixus es in immaculata & veneranda Imagine tua. Gloria tiui, Jesu Christe Fili Dei, qui magna facis mirabilia. In te credimus, & in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem & indivisibilem. Propitius estn nobis, nosque recipe; sicut in sancta cruce tua positus recepisti latronem ad pœnitentiam. Nos annumera licet indignos & tibi hactenus inimicos, iis qui post undecimam horam venerunt; iis, inquam, nos annumera & illumina oculos cordis nostri, obscuratos, quos scilicet tenebris offudit malignus diabolus; ut illuminati per sanctum baptisma, cælesti tuo exercitui adjungi mereamur. Hæc illi cum clamore proferebant, altaque voce prædicabant mirabilia Dei. Pervasit autem orbem totum hujusce rei fama de veneranda nempe Imagine Regis nostri Jesu Christi. Omnes ab Oriente & Occidente offerebant infirmos suos, qui omnes Dei clementia curabantur.

7. Post hæc autem adiit tota turba Judæorum sacratissimæ Ecclesiæ sanctissimum Episcopum, accurrentesque dicebant: Nos annumerato sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, nos baptizato & Christianos facito. Sic omnes unanimiter clamabant a minore ad maximum, una cum mulieribus & pueris, dicebantque: Unus Deus Pater, unus Filius unigenitus, unus Dominus: ipsum Deum confitemur, agnoscimusque: illum scimus esse Deum: eum nos credimus crucifixum sub Pontio Pilato, resurrexisse die tertia, assumtumque fuisse cum gloria, in conspectu sanctorum discipulorum suorum, & sedere ad dexteram Dei & Patris. Multis itaque laudibus Deum celebrarunt, exhibita sancta Imagine ejusce urbis Archiepiscopo, cui ea narrarunt quæ contra sanctam Imaginem perpetrarant, & ostenderunt sanguinem & aquam, dixeruntque, qua ratione e latere Salvatoris exiisset. Ad horum tamen omnium confirmationem, accepit Episcopus ex sanguine & aqua, multosque oblatos infirmos unxit sanosque dimisit. His innumeris perpetratis miraculis, Episcopum rogarunt omnes, ut sibi baptismus conferretur, ac liceret communicare immaculatis & immortalibus mysteriis Corporis & Sanguinis. Tum Episcopus illis admissis, advocato toto Clero sanctissimæ Dei Ecclesiæ, postquam multis eos diebus instituisset, baptizavit illos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Synagogamque Judæorum in Ecclesiam Salvatoris nostri convertit. Rogantibus porro illis sanctissimum Episcopum, reliquas ipsorum synagogas in Dei Templa & in Martyria sanctorum suorum Martyrum consecravit, ad Dei gloriam & exaltationem orthodoxæ fidei. Constituit autem ex illis Presbyteros & Diaconos, Subdiaconos & Lectores. Atque ita ingens fuit lætitia in cælo & in terra, ob stupendum miraculum venerandæ & sacræ Imaginis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, in ista urbe: cum non modo corporeæ curarentur infirmitates, sed etiam animæ converterentur ad vitam æternam.

8. Hæc vestræ religioni significanda duxi dilectissimi, carissimique fratres: ad utilitatẽ & institutionẽ lectorũ, ut animæ vestræ firmentur adversus malignũ illũ, qui de nostra gaudet ruina, & fulciamur solida petra confessionis Christi. Demus ergo gloriã cum lætitia, in compunctione cordis, cũ gratiarũ actione ex pura fide: quo mandata & justificationes ejus observemus, ac in ejus cognitione perseveremus: quia ipsum decet gloria & imperium in Christo Jesu Domino nostro, qui cum Patre, una cum sancto Spiritu, gloria & adoratio, nunc & semper & in secula seculorum, amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

De Imagine Domini nostri Jesu Christi, & de miraculo edito in urbe Beryto.

1. ERIGITE oculos mentis vestræ, ac videte novum hoc spectaculum, quod factum est. Respicite immensum Dei miraculum, & date gloriam Deo, ejus ineffabilem spectantes clementiam erga homines, & magnam ejus providentiam: lamentum cum lætitia assumite. Nihil in Deo mirabile: Deus enim noster est. Ac quotquot rem istam apud nos gestam audituri sunt corde attoniti erunt. Revera obstupuit cælum ad hoc tanti facinoris spectaculum: turbata rursum est abyssus, sol obscuratus est, necnon astra & luna similiter ob ejusmodi facinus. At rursum lætatæ sunt ob illam Domini providentiam virtutes cælorum. Audite ergo, fratres, & obstupescite, intelligentia comprehendite quod gestum est in diebus nostris, aurem cordis vestri inclinate, & audite.

2. Urbs est Berytus nomine in confinio Tyri & Sidonis, Antiochiæ vectigalis; in qua urbe Beryto magna multitudo exstat Judæorum. Prope autem synagogam eorum, quæ admodum ampla est, Christianus a quodam cellulam accepit in domo ejus: cum autem ibi moraretur e regione accubitus eorum, Imaginem fecit Domini nostri Jesu Christi pulcre elaboratam, quæ staturam Domini nostri Jesu Christi totam repræsentabat. Modico elapso tempore, Christianus ille majus sibi domicilium perquisivit, quo opus habebat: quod Domini nostri gratia dispensatum est, ut opinor, qui scilicet vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ostenditque mirabilia sua iis qui credunt in eum, ad confutationem impiorum & fidelium confirmationem. Inquirebat igitur Christianus ille, uti supra dixi, ampliorem domum; & cum invenisset in urbe,

istinc

istinc omnia sua cum gaudio asportavit, relicta ex Dei providentia Domini Imagine, uti jam dixi.

3. Judæus porro quidam accepit in domicilium domum illam, in qua stabat Imago Domini: cumque omnia sua isthuc intulisset, in ea domo morabatur non advertens Imaginem Domini ibi stare. Neque enim de loco illo cogitarat, sed ingressus domū in ea manebat. Quadam vero die invitavit Judæus ille contribulem quemdam suum ad prandium. Dum pranderent autem, elatis Judæus ad prandium invitatus oculis ad Imaginem crucifixi, multas ex quo advertit illam & nefandas intulit illi contumelias, quas non ausim scribere, absit a me; quas tamen ille sceleratus Judæus contra Salvatorem nostrum protulit, videns illam Domini Imaginem. Judæus autem qui invitarat, affirmabat, aliique Judæo dicebat, se nondum illam vidisse Imaginem. Siluitque is qui fuerat invitatus: abscedens autem adiit sacerdotes, Judæumque illum accusavit his verbis: Homo ille habet domi Imaginē Nazaræi; qui his auditis, magno furore repleti sunt, eo tamē vespere quieverunt.

4. Ineunte luce sequente, assumto secum principes sacerdotum, Judæo qui alium accusarat, cum magna populi sui frequentia, domum concedunt Judæi, in qua stabat Imago Domini: cum pervenisset ad locum, insiliere principes sacerdotum & seniores cum eo qui rem indicarat, illoque commonstrante Imaginem Domini stantem viderunt. Tum furore magno repleti, Judæum in domo illa commorantem synagoga ejecerunt. Imaginem autem Domini nostri Jesu Christi cum demisissent, secum ita loquuti sunt: Quemadmodum Patres nostri illuserunt ipsi, (ita & nos ei illudamus.) Tum cœpere conspuere in faciem Imaginis Domini, colaphis eam in faciem hinc & inde cæciderunt. Dumque cæderent ajebant: Quæcumque patres nostri fecere, omnia nos contra ejus Imaginem faciamus. Audivimus, ajunt, ludibria in eum contulisse, idipsum nos agamus. Infinita igitur ludibria in Dei Imaginem contulere. Vereor vobis ea loqui, quæ tum illi sunt ausi. Ajunt deinde: Audivimus (Patres nostros) clavis manus & pedes ejus confixisse, id & nos faciamus. Tum pedes manusque dominicæ Imaginis confixere clavis. Iterum ajunt furore correpti: Audivimus eos aceto & felle cum spongia potasse illum: id nos quoque faciamus, quod & fecerunt apposita ori Domini spongia aceto plena. Rursum, inquiunt: Didicimus Patres nostros arundine percussisse caput ejus; idipsum nos agamus. Arreptaque arundine percutiebant caput Imaginis. Demum ajunt: Accurate didicimus eos lancea latus ejus aperuisse, nihil omittamus, sed illud quoque adjiciamus. Lanceamque adferri curarunt, ac jussere cuidam e suis ut lanceam vibraret, qua vibrata in imaginem Domini, statim ex illa manavit sanguinis & aquæ copia.

5. Gloria tibi, Christe: qui incomprehensibilis es, gloria tibi. Quis tibi similis, Domine? Quis præter te faciens terribilia & prodigia? O miraculum magnificentiæ Salvatoris nostri! Horruere plane hac in re sanctæ supernæ virtutes. Quantus es, Domine, clementia erga homines? Quanta misericordia? Olim propter nos & propter nostram salutem, incarnatus ex Virgine Maria, tu carnis expers qui eras, in illa carne crucifixus es, impatibilis cum sis in Deitate. Nunc autem in tua Imagine crucifixus es, o Domine, ad confutationem impiorum, omniumque infidelium, & ad confirmationem eorum qui in veritate in te credunt. Sed gloria tibi, Domine, qui solus omnia potes, cum benedicto Deo nostro Patre & sancto Spiritu, amen.

6. Vos autem, filii, audite cetera, quæ ejus bonitas dispensavit. Postquam enim latus imaginis Domini lancea perforatus esset, cum efflueret sanguis & aqua, ut alibi dictum est, ajunt Principes sacerdotum & Seniores populi: Quandoquidem cultores ejus, jactitant eum multas curavisse infirmitates, acceptum ejus sanguinem & aquam, deferamus in synagogam, ac cogamus omnes e populo qui ægritudine laborant, eoque illos ungamus, videamusque an vera sint quæ vulgo feruntur. Tum admota lateri Domini amphora ad locum ubi vulnus erat lancea inflictū, unde profluebat sanguis & aqua, impleverunt amphoram. Abducentesque, ac illudentes, quo nullam non, ut sibi videbatur, contumeliam adhiberent, coegerunt omnes qui male habebant, primumque omnium paralyticum, quem ex nativitate ita se habere norant: adductumque unxerunt, qui statim exsiliit & exsultavit, omnino sanus. Deinde cæcos adduxerunt, qui similiter inuncti viderunt, dæmoniaci innumeri confestim purgati sunt. Tumultus magnus per totam urbem exortus est, omnibus ob infinita mirabilia accurrentibus. Commota est omnis Judæorū turba quę habitabat in ista urbe, ita ut ne synagoga quidem eorum, maxima licet esset, capere posset, neque locus esset immensæ multitudini populi ob infinita miracula concurrentis. Omnes porro principes sacerdotum, seniores, populus, & turba Judæorum, virorum, mulierum, & puerorum, crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum, clamantes ac dicentes: Gloria tibi, Christe, quem Patres nostri crucifixerunt, qui jam a nobis in Imagine tua crucifixus es. Gloria tibi, Fili Dei viventis, qui tanta edidisti miracula. Tibi credimus: propitius nobis esto, & nos recipito. Hæc omnes clamabant, lugentes; eorumque clamor ascendebat, dum ungerent principes sacerdotum, omnesque curarentur & reviviscerent.

7. Postquam autem sanati omnes fuissent, turbæ Judæorum ad Episcopum illius Ecclesiæ, qui rem gestam jam didicerat, concurrere, clamantes: Unus Deus Pater, unus Filius ejus unigenitus, unus Christus, quem Patres nostri crucifixerunt: ipsum esse Deum scimus, huic nos credimus. Cum multis ergo laudibus Deum celebrassent, Imaginemque Archiepiscopo ostendissent, renuntiassentque ea quæ ipsi perpetraverant in Christi Imaginem, pariter indicabant sanguinem & aquam emanasse: qua ratione item ex latere Imaginis effluxisset, quam immensa edita essent miracula. Tum omnis multitudo rogabat, ut sibi sancti baptismi gratia tribueretur. Quos Episcopus admissos, una cum illius Ecclesiæ clero, omnes multorum dierum spatio baptizavit. Synagogam vero consecravit in Ecclesiam Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsis scilicet rogantibus. Ceteras autem eorum synagogas in Martyria convertit. Hinc magna exorta est lætitia in illa civitate, non modo curatis corporibus, sed tot animabus a morte ad vitam revocatis.

8. Hæc vobis ego, rei gestæ gnarus, significanda duxi, dilectissimi fratres, ad utilitatem animarum vestrarum: ut ea quoque in re, agnita Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi virtute, magis magisque in ejus fide confirmemini, atque exsultetis ob magna ejus miracula, nunc edita. Date igitur illi gloriam cum lætitia & compunctione cordis, in luctu gaudentes, gratiasque agentes ei de magnificentia sua: quod nos vera in ipsum fide & cognitione sua donaverit. Etiam, filii mei dilecti, jam in præsenti agnoscamus virtutem immensi Dei & Domini nostri Jesu Christi. Et celebremus ejus bonitatem, veri scilicet Filii Dei viventis. Ipsum enim decat honor, imperium, magnitudo & magnificentia, nunc & semper & in sæcula sæculorum, amen.

RELA-

RELATIO MIRACULORUM DOM. NOSTRI JESU CHRISTI,

quæ per Imaginem ipsius facta sunt, in Beryto Syriæ civitate, quinto idus Novembris.

Apud Cæsaream Cappadociæ urbem præmaximam, convenientes de singulis urbibus Asiæ sanctissimi Præsules, pro stabilimento sanctæ Ecclesiæ inierunt consilium. Siquidem apud eos de cruore lateris Domini nostri Jesu Christi, non exiguus error exortus esse videbatur. Qua ex re, ut præfati sumus, in jam dicta urbe maximus congregatus est sanctorum Episcoporum conventus, ut ex hoc errore in unum tractare deberent. Sed dum cuncti ex more in sanctam Ecclesiam ad residendum se contulissent, Petrus beatissimus Nicomediæ urbis Antistes, in medio eorum consurgens, ita ad universos exorsus est loqui: Si placet, inquit, vestræ sanctitati, o sanctissimi Patres, libellum unum Athanasii Alexandrinæ urbis magni Episcopi, me vobis referre delectat. Sancta Synodus respondit: Placet plane, & ut legatur optamus. Ad hæc ille libellum in medio protulit, & materiam ipsius tituli taliter aggressus est legendo.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

Archiepiscopi Alexandrini de Passione Imaginis Domini nostri Jesu Christi, qualiter crucifixa est in Beryto Syriæ civitate, libellus. *

Petrus Nicomediæ Episcopus libellum hunc sancti Athanasii esse scribit, actione quarta Synodi II. Nicenæ, ubi iisdem fere verbis integer habetur, Tom. VII. p. 743.

* In editione Lugdunensi additur *Temporibus Constantini Senioris, & Irenæ uxoris ejus;* sed inepte.

Dilectissimi itaque omnes filii sanctæ Ecclesiæ mentis vestræ oculos simul & aures erigite, & considerantes admiremini rem gestam, quam ad vestram scientiam transmittere cupimus. Cernite cuncti infinita Dei omnipotentis mirabilia, & ei laudas incessabiles reddite per sæcula. Contemplemini ejus ineffabilem per cunctas generationes benignitatis magnitudinem, multis modis luce clariorem, super humanum genus resplenduisse semper. Considerate sublime dispensationis ejus mysterium, & ideo ex nimia ejus pietate permoti, assumite planctum, lacrymasque amaras proferre mementote, ac singultibus super tale miraculum in nostra generatione patratum, quod pene omnibus sæculis est mandatum. Deo quippe nihil impossibile, sed etiam nec aliquid est difficile. Nam super ea, quæ ipse modernis dignatus est patrare temporibus, omne cor obstupescit, audientium fugit visus, hebetatur auditus. Sicut enim in Passione unigeniti ipsius expavit cælum, Dei cæca imago est reddita, radii quoque solis luce obtenebrati sunt, quinetiam terræmotus suo horrendo sonitu abyssi fundamenta valide exterruit, & mortuos plurimos, quos tenebat, eructavit vivificatos: ita & nunc secundo eadem signa pariter sunt innovata. Igitur audientes intelligite, intelligentes obstupescite, & ea quæ vobis intimare curamus, plena fide & aure intenta cordis percipite. Est autem hujusmodi series narrationis.

CAP. I.

Est quædam civitas in Syria, inter terminos Tyri & Sidonis posita, Berytus vocata, Antiochiæ vero subdita. In hac urbe innumerabilis multitudo erat Hebræorum, quamvis eodem tempore civitas Metropolitana obtineret dignitatem. Accidit autem, ut juxta synagogam Hebræorum, quæ magna valde habebatur, quidam Christicola a quodam suscepisset cellulam, censumque ei ex ea redderet. In qua dum ingressus esset ad habitandum, Iconam Domini nostri Jesu Christi, quam apud se habebat, fixit in pariete contra lectuli sui faciem, quæ etiam continebat in se integram Domini staturam. Evoluto denique non parvo temporis spatio, jam prælibatus deicola perquirere studuit in alio loco ejusdem urbis spatiosam domum ad habitandum. Quam cum reperisset, tollens cuncta, quæ ad se pertinere videbantur, egressus est de cellula. Domini autem providentia id agente, Jesu Christi Domini nostri Iconam ibi neglectam reliquit. Hoc autem Domini occulto peractum est consilio, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut ostenderet cunctis se colentibus, suorum miraculorum virtutem ad increpationem impiorum, firmamentum quoque suorum fidelium. Factum est autem post hæc, ut Hebræus quidam eamdem cellulam susciperet ad habitandum. Quam ingressus, cum suis omnibus cœpit habitare in ea, minime contemplatus locum illum, qui Dominicam Iconam apud se retinebat absconditam. Die vero quodam idem Hebræus de suis contubernalibus invitavit unum ad prandium. Epulantibus illis, elevavit Hebræus, qui invitatus fuerat, oculos, & vidit in interiori loco cellulæ ejus Iconam Dominicam parieti connexam. Tunc vehementi furore exardescens, cœpit fremere dentibus adversus eum, qui ipsum convocaverat, dicens: Tu Hebræus cum sis, quomodo apud te Jesu illius Nazareni Iconam habes repositam? Convitia quoque & opprobria tanta adversus Dominum Salvatorem emisit, quanta nec aures fidelium sufferre possunt, nec nos scriptis tradere præsumimus, ob injuriam nostri Redemtoris. Judæus vero, qui illum malevolum convocaverat ad prandium, satisfacere illi cupiens, sacramentis terribilibus profitebatur, se aliquando minime, quam præmonstrabat, vidisse Iconā. Ad hæc, qui invitatus fuerat, siluit. Finito autem convivio abscessit, & abiit ad summos Sacerdotes & principes, & dixit eis: Notum vobis sit, quoniā Hebræus ille talis, Jesu Nazareni Iconam apud se retinet clanculo. At illi hæc audientes, dixerunt ad eum: Numquid possunt vera esse quæ asseris? non credimus, nisi demonstraveris. Ipse vero adfirmabat, quia ego in domo ejus eam demonstrare curabo. Hæc illi audientes, maximam in iram deciderunt. Sed die illo, quia jam hora incumbebat vespertina, siluerunt. Mane vero facto, summi Sacerdotes, Principes, & majores natu plebis Judæorum, assumentes secum illum, qui eum accusaverat, ad domum ipsius velocius festinaverunt. Videntes autem vera esse, quæ dicta fuerant, facto impetu cum eo, qui hæc testificaverat, irruerūt in eum. Multisque contumeliis, ac variis cruciatibus affectū, extra synagogā semivivum projecerunt.

CAP. II.

Deponentes autem Domini nostri Jesu Christi Iconam in terra, dixerunt ad invicem: Quoniam aures nostras tetigit non exigua opinio, quod Jesum Nazarenum patres nostri diversis modis illuserunt,

ferunt, ita & nos huic faciamus. Tunc cœperunt A spuere in faciem Imaginis Domini Salvatoris nostri, & percutiebant eum alapis, & inde dicentes: Quanta Jesu Galilæo nostri genitores fecerunt, eadem & nos huic ejus Imagini faciamus. Innumerabilibus itaque illusionibus Dominicam illuserunt Iconam. Iterum dicunt: In ejus passione scriptum esse agnoscimus, quod ejus pedes & manus in cruce confixæ sunt: nos vero, quamvis moderniores tempore, nil prætermittentes, addamus & hæc. Tunc crucifigentes Iconam Dominicam, clavos acutissimos adhibuerunt in manibus, & pedibus illius imaginis. Post hæc permoti magis ac magis fellis amaritudine, dicunt inter se: B Audivimus quod Patres nostri, Jesu Galilæo acetum & fel in potum cum spongia præbuerunt, hoc & huic faciamus. Quod & sic fecerunt, apponentes ad os sanctæ Iconæ nostri Redemtoris acetum cum felle mixtum. Nec sic itaque cordis sui malitiam refrænantes, iterum dicunt: Didicimus quod nostri majores coronam contextam de spinis capiti illius crucifixi circumponebant, postmodum arundine percutiebant insultantes ei, & nos igitur nequaquam postponentes idipsum faciamus. Cumque coronam spineam capiti illius circumposuissent, C accipientes arundinem, percutiebant caput Imaginis illius, qui caput est omnium sanctorum. Ad extremum vero, cum insaniam suæ mentis tolerare non possent, dixerunt: Sicut veraciter didicimus, patres nostri latus Jesu lancea aperuerunt; nos vero, ne aliquid minus fecisse videamur, & hoc ipsum adjiciamus. Nullam ad hæc moram mediam fecerunt, & afferri lanceam jusserunt, & præceperunt cuidam Habræo tollere eam, & valido ictu latus dextrum Iconæ illius transfodere. Cumque tam maximum facinus fuisset perpetratum, res mira vehementer stupenda, nulloque umquam sæculo audita ibi repente D est effecta. Nam ipsius vulneris locus, aqua & sanguine illico cœpit decurrere. Et sicut in Passione Dei filii Salvatoris mundi, olim contigit cælum expavisse, ita nunc quoque pariter, Deo præstante, eadem innovantur sive reparantur. Vere enim in hoc facto non solum elementa mundi concuti potuere, sed etiam virtutes supernæ tale facinus exhorruere. Tibi ergo Christe, cum Patre, Spirituique sancto sit gloria indeficiens. Quis enim est sicut tu, Domine, & quis est Deus faciens mirabilia, signa, & terribilia & obstupescenda in cælo & in terra? E O admirabilis mediator Dei & hominum, homousion, mundi Redemtor ac Salvator, totius bonitatis & pietatis fons & origo. O quantus es, Domine Jesu, in humilitate, qui cum esses Deus, morticinum nostræ carnis suscipiendo, homo fieri dignatus es, pro salute generis humani, quem impii & crudeles paulo minus ab Angelis minoratum cernentes, horribili morte plectere non erubuerunt. O quam magnus es noster Salvator in patientia, qui in tempore tuæ traditionis, tuo proditori ad te venienti osculum præbere non renuisti, & servo Malcho Apostoli gladio abscissam auriculam redintegrasti, quando ad passionis victimam velut ovis F mansueta ducebaris. O quantus es in misericordia Christe! spes unica mundi, qui cum in cruce teipsum hostiam Deo Patri exhibuisses sanctam & immaculatam, pro tuis crucifixoribus veniam postulasti, dicendo ad Patrem: Pater, ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt. Tunc quidem pro nostra salute incurvatus, in eadem carne, quam ex Virgine sancta & immaculata assumseras, mortem pertulisti crudelem. Et qui eras in substantia cum Patre sanctoque Spiritu unus & impassibilis exsistens, & invisibilis, condoluisti humanam perire naturam. Et ideo in hanc lacrymarum vallem descendens, pro nostris erratibus & piaculis formam servilem suscepisti, in qua te permisisti ab iniquis teneri, flagellari, ad ultimum vero crucifigi. Nunc autem in sancta Imagine tua crucifigeris, Domine, iterum ad confusionem impiorum omnium * fidelium, & ad corroborationem omnium in te credentium. Et ideo tibi omnipotenti Deo, una cum Patre Spirituque sancto, gloria sit, per cuncta sæculorum sæcula, decus & fortitudo, virtus atque victoria, amen.

* infidelium.

CAP. III.

Audite omnes Ecclesiæ filii cetera, quæ postmodum facta sunt, ipsius enim mysterii fuit dispensatio. Postquam enim, ut superius dictum est, latus sanctæ Imaginis illius lancea apertum est, continuo exivit sanguis & aqua. Dixerunt autem Principes sacerdotum, adferatur vas ad locum vulneris, & videamus exitum rei. Qui illico detulerunt hydriam, & ad locum vulneris, unde sanguis & aqua decurrebant, statuerunt. Quæ absque ulla mora subito repleta est. Dixerunt autem ad invicem: Quoniam susurrant Christum colentes, quod signa & mirabilia multa inaudita fecerit in mundo, quæ nemo alius potuit agere: accipiamus hunc sanguinem, & aquam hanc, & deferamus ad nostram Synagogam, & congregemus universos qui se male habent, & ex hoc perungamus eos: & si vera sunt ea, quæ de Christo dicuntur, continuo sanabuntur: sin alias, ostentui habeantur a nobis cuncta, quæ suis sequacibus astruuntur de eo. Hæc dicentes hydriam deferunt ad synagogam, æstimantes se Christo Jesu Domino nostro æterni regis Filio maximam inferre posse injuriam. Congregaverunt igitur quoscumque repererunt languidos, & in conspectu cunctorum Habræorum introducti sunt in Synagogam, inter quos quidam provectæ ætatis erat homo, quem a nativitate sua gravissime possederat corporis molestia, quæ Græca locutione παράλυσις, Latina vero, dissolutio membrorum, dicitur. Hic dum primum ab eis fuisset perunctus, repente de suo grabato, quasi cervus exsiliens, ad laudem Filii Dei incolumis redditus, ad propria remeavit. Deinde adducentes cæcos nonnullos, loca eorum luminum peruagere studuerunt. Qui ipsi statim in Jesu Christi nomine discussa cæcitate, post multos annos, lumen amissum recipere meruerunt. Ægrotantes autem plurimi ad hoc spectaculum sunt adducti, manibus post terga revinctis. Cumque & illi fuissent peruncti, mirabili Dei virtute undique perfusi, sensu redintegrato pristino, ad propria dum revertuntur sanissimi, laudes Dei omnipotentis Filio Jesu Christo Domino Salvatori nostro persolvuntur ab omni populo. Tumultus autem exortus est magnus, per totam eamdem urbem concurrentibus omnibus, propter innumerabilia, quæ fiebant miracula. Et quicumque variis languoribus infirmos possessos habebant apud se, illuc eos deducentes perungebant, & statim sanitatem, quam desiderabant, consequebantur. Omnes autem, ad quoscumque pervenire potuit opinio, adferentes infirmos, quos habere poterant in domibus, paralyticos, cæcos, claudos, surdos, mutos, & leprosos, sive aridos, deducebant eos ad Synagogam Judæorum, ubi hæc fiebant signa divinitus. Sed quamvis maxima esset hæc eadem Synagoga, nequaquam tamen recipere poterat supervenientium multitudinem. Infinitæ enim erant populorum catervæ, quæ undique illuc confluebant propter innumerabilia miracula & prodigia, quæ pro sua nimia prolixitate ne fastidium generent,

rent, transgrediendo prætermittuntur. Omnes autem Principes Sacerdotum, & Seniores, & omnis turba Judæorum, parvulorum, ac majorum, & mulierum, videntes quæ facta fuerant, crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum, & dicebant: Gloria tibi sit, æterne Deus, & omnipotens Pater, qui nobis indignis, quamvis sero, revelasti unicum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum: quem, ut Esaiæ vaticinium cecinit, Virgo concepit, & Virgo peperit, ac post partum Virgo permansit. Gloria sit tibi, Christe, quem patres nostri verum Deum & verum hominem, in cruce morte horribili adficere non metuerunt. Qui nunc etiam a nobis iterum passus es te Imagine tua cruci affigere. Gloria sit tibi, Christe Fili Dei, qui tanta mirabilia nobis miseris demonstrasti. Tibi credimus, tu nobis esto propitius, & nos suscipere dignare, quia ex toto corde, & tota anima, atque virtute ad te confugimus. Hæc & his similia clamantes dicebant, lacrymas autem amaras emittebant & singultus.

C A P. IV.

POSTQUAM autem curati sunt cuncti, qui ægritudine detinebantur, occurrit omnis multitudo Judæorum ad domum sanctæ Ecclesiæ, quæ in eadem urbe erat, ubi Metropolitanus. Cujus provoluti vestigiis, se peccasse, se graviter deliquisse, magnis vocibus fatebantur. Qui cum ab eis perquireret omnem rei gestæ veritatem, sanctam Iconam Domini Salvatoris eidem demonstrantes, annunciaverunt cuncta, quæ in ea exercuerant. Et qualiter ab ictu lanceæ sanguis & aqua emanavit ex latere ipsius, necnon & de mirabilibus ab ea ostensis illi retulerunt per ordinem. Ille vero interrogabat, qualiter Icona ipsa ab eis fuisset reperta, & si ab aliquo eam excepissent. At illi retulerunt ei, quod quidam Christicola per oblivionem io cellula synagogæ proxima dimisisset eamdem Iconam, dum se ad alium locum transferret hospitandi gratia. Qui statim jubetur inquiri, & repertus in præsentia Domini Metropolitani statuitur. Cumque ab eo studiosissime fuisset interrogatus, quomodo Icona apud se devenisset, vel a quo tam mirabiliter posita esset, respondit dicens: quod Nicodemus, qui ad Jesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, & moriens Gamalieli tradidisset. Gamaliel autem doctoris gentium Pauli διδάσκαλος, cum diem sibi cerneret adesse extremum, Jacobo eam reliquit, & Jacobus Symeoni, & Symeon Zacchæo: & sic per successores temporum in Jerosolyma perduravit, usquequo subversio illius urbis patrata est quadragesimo & tertio anno post asceosionem Domini Salvatoris ad cælos. Sed biennium antequam Titus & Vespasianus eamdem subverterent urbem, admoniti sunt a Spiritu sancto fideles atque discipuli Christi, ut relicta urbe, ad regnum se transferrent Agrippæ Regis, quia ipse tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egressi ab urbe, omnia quæ ad cultum nostræ religionis vel fidei pertinere videbantur secum auferentes, in has regiones transtulerunt se. Quo tempore etiam Icona, cum ceteris rebus Ecclesiasticis deportata, usque hodie in Syria permansit, quam ego ipse a parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam, jure hæreditario usque nunc possedi. Hæc certa & manifesta ratio est de Icona sancta Domini Salvatoris, qualiter de Syria io Judææ partes devenit. Auditis his sermonibus reverendissimus Metropolitanus, valde hilaris redditus, conversus ad populum Israeliticum dicebat: Convertere Israel ad Dominum, patrem universorum viventium, & adora nobiscum ejus Filium, per quem sunt omnia creata, & Spiritum sanctum, qui est vivificator cunctorum viventium, & illuminator nostrarum animarum. Festina debitum absolvere votum. Omnis autem turba stirpis Judaicæ clara voce cœpit cantare, & dicere. Unus Deus Pater, & ipse ingenitus. Uous Filius, & ipse unigenitus Christus, quem patres nostri crucifixerunt, & nos ipsum agnovimus verum Dominum. Unus Spiritus sanctus, & ab utroque procedens, per quem veraciter nos credimus esse salvandos. Hæc dicentes, prostrati genibus ipsius, veniam postulabant de suis consequi sceleribus, per baptismi remedium. Quos suscipiens beatus Antistes cum suis clericis, per dies plurimos de disciplina erudivit Christiana. Ad ultimum vero cathechumenos factos, & triduano peracto jejunio, ex aqua & Spiritu sancto regeneravit eos.

C A P. V.

POSTQUAM vero baptismum consecuti sunt, rogabant enixius sanctum virum, ut synagogam suam Ecclesiam consecraret in honorem sancti Salvatoris mundi. Quorum petitionem minime aspernatus, synagogam illorum, quæ major esse videbatur, in nomine unigeniti Dei Filii Redemtoris mundi consecravit. Ex tunc itaque per diversas orbis terræ nationes & provincias mos inolevit, ut basilicas plurimas vel oratoria, Pontifices Christianæ legis, in honore sancti Salvatoris mundi condere & dedicare non desinant. Nam antea antiquiores nostri, vel majores, hoc peragere minime præsumserunt. Sed ad narrationis nostræ ordinem reflectamus articulum. Rogaverunt autem Metropolitani præfatum virum, ut ceteras synagogas eorum in honore quorumdam beatorum Martyrum consecrando reconciliaret. Itaque & huic petitioni libenter animum accommodavit, & quæ illi suggesserunt Dei juvamine fretus, cuncta explevit devotus. Factum est gaudium magnum in civitate illa, non solum de sanitate corporum, quæ emanaverat maxima, sed & de tantis animabus, quæ ab interitu Satanæ ad vitam æternam fuerant revocatæ.

C A P. VI.

VENERABILIS vero & summus Antistes, die noctuque variis fluctuabat cogitationibus de hydria, quæ Dominicum intra se retinebat cruorem, valde hæsitans, quid de ea opportunum fuisset peragere. Tandem autem salubri reperto consilio, omnium Ecclesiarum, quæ per orbem terræ longe lateque consistebant, inæstimabile atque profuturum providit consolationis remedium. Denique ampullas præcepit fieri vitreas, in quibus portiones misit singulas, de sanguine & aqua, quæ de imagine Domini Salvatoris nostri decurrerant, quas etiam per Asiam, Africam, Europam, per suos nuncios dirigens, cuncta, quæ apud urbem jam dictam suo tempore contigerant, devenisse suis scriptis vel eloquiis manifestissime universis sanctæ Ecclesiæ filiis viriliter declaravit. Hoc insuper ab eis efflagitans, ut per annos singulos in mense Novembri, qui apud Hebræos est nonus, apud nos vero mensis undecimus, nono die ipsius mensis, id est, quinto idus Novembris, non minori reverentia, quam natalis Domini vel Paschalis, ista dies præcipua observatione colatur.

C A P. VII.

HÆc est vera & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Salvatoris, qui profluxit de sancta imagine ipsius, quæ crucifixa est in Syria in Beryto civitate. Hic est etiam sanguis ille

Domi-

Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur.
Necesse aliter æstimandum est a vere Catholicis,
præter id, quod scribitur a nobis, quasi ex carne & san-
guine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi
illud quod in ara altaris per manus sacerdotum quo-
tidie spiritualiter efficitur. Hæc ergo sciens, aman-
tissimi patres & fratres, acceleravi declarare vobis, ad
ædificationem animarum vestrarum, ad incrementum
vestræ fidei, ut & in hoc scire valeatis, quanta sit
virtus & pietas Domini Salvatoris nostri Jesu Chri-
A sti. Idcirco in fide fortes estote, & congaudete super
magna & obstupescenda ejus miracula, quæ in nostra
generatione a Deo sunt patrata. Et date illi glo-
riam cum lætitia gaudentes, & cum nimia cordis
compunctinne ejus majestati immensas gratias agi-
te, eo quod fidei suæ & scientiæ dignos vos fe-
cit esse. Ipsi Christo Jesu Salvatori nnstro, cum
Patre, sanctoque Spiritu gloria sit honorque, laus
etiam perennis: qui sempiternum atque indivisum
absque initio & fine obtinet imperium, Amen.

SERMO SANCTI ATHANASII EPISCOPI,
de novis & modernis mirabilibus Imaginis Domini.

Ex codice mſ. S. Germani a Pratis n. 108.

ELEVATE oculos sensus vestri, universi sanctæ
Christianæ religionis fratres & patres, & consi-
derate hanc novam admirationem quæ facta est,
quam his temporibus ostendit Deus nobis, & date
gloriam nomini ejus. Considerate ineffabilem huma-
nitatem ac magnitudinem divinæ ordinationis, & la-
mentationem cum lætitia sumite. In Deo quidem ni-
hil extraneum est, quia Deus noster potens est. Quo-
niam autem in diebus nostris circa nos notam fecit
Deus virtutem suam, obstupescit omne cor audien-
tium pro enormitate sceleris, & magnitudine mira-
bilium Dei. Conturbata est iterum abyssus, sol & lu-
na obtenebrati sunt a facie iniquitatis; sed & omnes
virtutes cælorum & ornatus eorum laudem & gloriam
dederunt Deo, qui magnificentiam & virtutem opera-
tus est in Filio suo. Audite igitur fratres verbum quod
factum est in diebus nostris, & obstupescite: intelli-
gentes intelligite, & inclinate corda vestra ad magna-
lia Dei. Est civitas quę vocatur Byritho, ac jacens in-
ter terminos Tyri & Sidonis, præbens tributum An-
tiochiæ. In hac autem civitate multitudo erat Judæo-
rum, & Synagoga eorum magna valde. Accepit autē
quidam Christianus dato pretio cellulam a quodam
in pensionem, in qua habitans fixit Imaginem Salva-
toris nostri Jesu Christi in conspectu lecti sui: & sta-
tura quidem picturæ non magna, sed mediocris quæ ta-
men totam Imaginem Salvatoris contineret. Aliquan-
tum temporis fluxit, & substantia viri illius valde cre-
vit, utpote ubi miseratio & dispositio Dei mirabiliter
operari cœpit. Et ampliorem sibi Christianus ille ad
divertendum quærere cœpit domum. Tollens autem
omnem supellectilem suam, transtulit a supradicta cel-
la, quæ & ipsa valde contigua erat synagogæ Judæo-
rum, ad alium quem sibi inhabitandum elegerat lo-
cum, solius Imaginis Domini immemor factus, quod
& per providentiam Dei ita contigit accidisse. Rursus
vero Judæus quidam accepit in pensionem eandem cel-
lam, ubi Imago Domini relicta mansit; & introducens
omnia sua, ibidem conversari cœpit, non cognoscens
aut aliquando perspiciens Imaginem Domini; eo quod
ex adverso velut in occulto reposita staret. In una au-
tem dierum invitavit ipse quemdam alium Judæum ad
prandium secum: & inter prandendum elevans oculos
suos ille qui vocatus venit Judæus, vidit Imaginem
Domini nostri Jesu Christi. Et ait: Dum tu es Judæus,
quomodo hanc Imaginem habes? Et injurias quidem
multas & nefandas dixit contra Salvatorem ab hora
qua sanctam Imaginem aspexit, quod & jam nefas
duxi scribere, & satis ei fecit ille qui eum invita-
vit, quod ex eo tempore quo in eadem domo con-
versari cœpit, Imaginem Domini ibidem non cogno-
verit. Surgens autem cum indignatione, abiit ad prin-
cipes sacerdotum. Comperientes autem quæ facta
sunt, dixerunt ei: Potes hoc nobis demonstrare? At
ille certioratus est dicens, quoniam ego vobis hoc ex-
hibeo in domo ejus. Itaque transacta hora vespertina,
illo die siluerunt. Mane autem facto summi principes
sacerdotum & seniores populi, turba quoque multa
gentis eorum abierunt in domum ubi stabat Imago
B Domini nostri Jesu Christi. Et pervenientes domum
impetu facto irruerunt principes & seniores populi,
prævio duce Judæo illo qui illis annuntiaverat, & in-
venerunt Imaginem Domini nostri stantem sicut di-
ctum est ad illos. Irati valde circa Hebræum illum
qui ibidem inhospitabatur, extra synagogam eum
expulerunt. Deponentes vero sanctam Imaginem, di-
xerunt: Quoniam sicut audivimus quod patres nostri
huic olim illuserunt, & nos illudamus. Tunc cœperunt
exspuere in faciem ejus, & percutiebant eam. Dixe-
runtque: Quanta fecerunt ei patres nostri, & nos omnia
faciamus: & convitiabantur ei multis criminosis ser-
C monibus, quæ etiam pro enormitate sceleris scribere
nefas fuit. Item dixerunt, quia confixerunt manus ejus
& pedes, hoc & nos faciamus. Configentes autē manus
& pedes, adjecerunt dicentes: Audivimus quia ace-
tum & fel dederunt ei porrecta spongia, hoc idem &
nos impleamus. Et admota arundine cum spongia ple-
na aceto cum felle, apposuerunt ori ejus, addiderunt-
que iniquitatem super iniquitatem dicentes: Didici-
mus quod arundine percusserunt caput ejus patres no-
stri, similiter & nos faciamus. Et percusserunt arundi-
ne caput ejus. Finitis vero omnibus his, dixerunt: Si-
D cut lancea latus aperuerunt, ita & nos confodiamus.
Et perforato lancea latere ejus, exivit sanguis & aqua.
Gloria tibi Christe, gloria tibi Fili Dei vivi, qui de su-
pernis sedibus descendisti pro salute nostra tuam ex-
hibere præsentiam, & pro liberatione nostra cum im-
mortalis esses, morti te tradidisti. O inæstimabilis
benignitas Salvatoris nostri Dei, ut fidelibus tuis re-
memorareris antiqua tuę pietatis opera. Hęc mirabilia
tua cælo & terris stupenda. * Oculos mentis vestræ, &
exhilarate corda, quia hodie facta est nobis redemptio,
& jugum captivitatis vestræ contritum. Audite ergo
E & glorificate Deum pro beneficiis quæ adhuc vobis
ministravit. Principes Sacerdotum postquam lancea
latus Domini confoderunt, dixerunt: Quia per u-
niversam terram divulgata sunt signa & virtutes pluri-
mæ, quæ fecit Jesus Nazarenus, recipiamus sangui-
nem de latere ejus, & omnes infirmos & male haben-
tes per universam synagogam inde spargamus, ut ex-
periamur virtutem Christi, & si vera sunt quæ de illo
dicta sunt. Et supponentes ampullam vitream ad lo-
cum vulneris, receperunt in eam aquam & sangui-
nem de latere Domini decurrentem. Adhuc ipsis non
credentibus, sed injurias & blasphemias inferentibus,
F portabant ampullam plenam salute, & virtute,
ad locum in quo multitudo languentium coaduna-
ta fuit. Primum quidem omnium paralyticum quem-
dam a nativitate adeunt, liquore sancto perungunt, &
incolumitati reddunt, cæci quamplurimi a tactu san-
ctæ perunctionis gaudium receperunt luminis. Dæ-
moniaci ad odorem divinæ virtutis quotquot offere-
bantur, curabantur. Ubi autem celebre hoc factum est
verbum per universam civitatem, alii atque alii se
cum

A cum ægrotis suis inferentes, de agris, vicis & domibus cum multitudine infinita profluebant & salvi fiebant. Repleta est autem synagoga eorum paralyticis, claudis, dæmoniacis, leprosis, aridis, cæcis, mutis, surdis, & omni genere morborum ægrotantibus, & a quocumque genere detinebantur, sanabantur. Videntes autem principes sacerdotum & omnis congregatio eorum, signa & prodigia magna quæ fiebant, cum mulieribus & infantibus credentes, clamabant Deo Patri & Jesu Christo filio suo, atque Spiritui sancto: Unus Deus Pater, unus Christus Dei filius, unus ex utroque procedens Spiritus sanctus, qui in Trinitate perfecta vivit B & regnat Deus in sæcula, amen. Gloria tibi Christe, quem patres nostri ignorantes quidem crucifixerunt, qui nunc & a nobis in sancta Imagine tua crucifixus es. Gloria tibi Fili Dei vivi, qui per signa potentiæ tuæ illuminasti cæcitatem cordium nostrorum & ad tuam misericordiam traxisti. Tibi credimus, propitius esto nobis, & suscipe lacrymas & pœnitentiam nostram: ne forte pro magnitudine scelerum, infernus aperiens os suum deglutiat nos, qui cum patribus nostris mirabilia magna fecisti, & beneficia innumerabilia præstitisti. C Parce iniquitatibus nostris, & medere animabus nostris: & clamor magnus fiebat clamantium & Deum invocantium. Sanatis vero omnibus qui advecti venerant infirmis, principes sacerdotum & omnis multitudo eorum ad Episcopum civitatis cucurrit, una voce clamantes: Unus Deus Pater, unus Jesus Christus filius ejus Deus, quem Patres nostri crucifixerunt, unus & Spiritus sanctus Deus. Et confitentes peccata sua, ipsam sanctam Imaginem ostenderunt Episcopo, narrantes etiam qualiter sanguis & aqua de latere ipsius cucurrit, & quanta mirabilia facta sunt. Episcopus autem universaliter indicto jejunio, omnes regeneravit sacro baptismate, quos ipse omnes suscepit. Synagogam quidem eorum principalem Ecclesiam consecravit in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi: ceteras vero synagogas eorum dedicavit Ecclesias in honorem Apostolorum & Martyrum: factumque gaudium magnum, non solum quod tanta corpora curata sunt, sed quod & animæ multorum de morte ad vitam translatæ sunt. Hæc sciens ergo, dilectissimi fratres, acceleravi manifestare vobis; ut in hoc etiam cognoscentes virtutem & misericordiam Domini nostri Jesu Christi, amplius confirmati sitis in fide, & gratiarū actiones illi reddatis pro mirabilibus & beneficiis quę Dominus ostēdit. Decrevit sancta Romana & Antiochensis Ecclesia diē 5. iduum Novembrium solemnem agi, in quo hæc facta sunt ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.

IN SEQUENS OPUSCULUM

MONITUM.

Perperam titulus, Athanasii nomen præfert, cum sit hoc opusculum, alius cujusdam scriptoris, qui ut augurari licet Photii ævo hæc scripserit, quando oborta quæstio est, de additione, Filioque, *in Symbolo facta. Pro virili ergo pugnat hic homo, Spiritum sanctum, nec ex Filio, nec per Filium procedere. Multum tamen negotii faciunt aperta Athanasii hic allata testimonia, unde fortasse fuerit quod Athanasii nomen inscriptio ferat; Gregorii item Nysseni, & Cyrilli loca, quibus liquido adfirmatur ex Patre Filioque Spiritum sanctum procedere. Iis ut occurrat scriptor iste, vanissima utitur distinctione: ait enim, ut duplex est generatio Filii, æterna alia, aliaque temporanea; ita duplicem esse Spiritus sancti processionem; æternam aliam ex solo Patre, temporaneam secundam, qua ex Patre, Filio, atque seipso mittitur & datur. Quod gratis sane excogitatum commentum exsufflatur ex Athanasii locis compluribus in Præfatione, ubi de Spiritus sancti processione agitur, allatis: maximeque ex eo loco:* Filius in Patre fons est Spiritus sancti. *Quis enim negaverit fontem, primam significare originem? Ibi vide sis.*

Ex Codice Regio 2271. p. 155. ad marginem operis sancti Justini ad Zenam.

Athanasii Patriarchæ Alexandrini ex Sermone contra Latinos.

Joan. 15. 26.

1. At non ita (sentiunt) qui Christi sunt; sed sicut ille, qui ait: *Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*, his declarat Patrem solum esse Spiritus sancti productorem; eadem quoque isti ratione, magistro obtemperantes, ex solo eum Patre ajunt procedere. Quod si quis dixerit, nusquam dici Spiritum ex solo esse Patre; is audiat, eum qui de illo scribit, haud aliter quam ex divinissimorum Patrum nostrorum doctrina, illud ferre testimonium. Ut enim illi Spiritum sanctum dicunt ex Patre procedere, sumto ex Domini ipsius ore argumento; ita subsequentes scriptores consequenter declararunt. Nec quisquam est illorum qui ex Filio vel per Filium dicat ipsum procedere; nisi fortasse quispiam id dicat de alia profusione, seu manifestatione ac missione donorum Spiritus sancti. Ea quippe ratione quamquam ex Patre manifestatur Spiritus sanctus ad dispensationem, ita quoque ex Filio, ut docet regula veritatis. Et quandoquidem idipsum omnes uno consensu dicunt, nemoque unus est qui hac in re dissonet, propalam est ex solo Patre Spiritum suam habere subsistentiam: siquidem hujusmodi emanatio subsistentia est. Quemadmodum enim, hoc omnium dictum, Filius est Patris fetus, ita intelligitur, ut ex solo Patre sit Filius, secundum eam quæ ante sæcula est generationem; ita cum dicant omnes, Spiritum esse a Patre productum, intelligitur ex solo Patre Spiritum esse, secundum eam quæ ante D sęcula est productionem. Si solus ex solo Patre est Filius, solus ex solo Patre est Spiritus sanctus. Quod spectat autem secundam profusionem, sive dispensationem, qua datur iis qui digni sunt; sicut ex Patre est Spiritus, ita & per Filium & ex Filio. Quemadmodum & postremam Filii generationem, ejus scilicet ad nos adventum, non ex solo esse Patre, sed etiam ex Spiritu sancto existimamus. Ejusque tibi rei fidem faciat Angelica vox ad Josephum virum Mariæ facta: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est.* (Matth. 1.) Quod si ediscere cupias aliquos ex magnis apud nos Sanctis, affirmasse E ex solo Patre Spiritum sanctum procedere. jam tibi magnum Ecclesiæ nostræ, imo totius orbis solem, Cyrillum hujusce rei accipe testem: in suo namque de Trinitate libro, aperte ita loquitur. Sanctissima, inquit, & veneranda Trinitas, quę ante omnia sæcula est & semper futura, incorrupta est, æterna, incorporea, incomprehensibilis, incircumscripta, sed quæ complectitur omnia, universumque continet: bona, provida, creatrix omnium, visibilium & invisibilium, impatibilis, immutabilis, invariabilis, menti homi- F num & Angelorum, createque naturæ incomprehensibilis, in seipsa consubstantialis, incommunicabilis secundum substantiam omni creaturæ: quę a seipsa solum cognoscitur, & a nulla natura quæ in hoc mundo

vel supra hunc mundum fuerit. Unitas in tribus hypostasibus, seu personis, & Trinitas in unitate Deitatis, sive unius substantiæ cognita. Hujus sanctę & venerandæ unitatis, adorandæ tres hypostases cognoscuntur atque creduntur: in Patre qui est sine principio, sine causa, ingenitus, sempiternus: in Filio unigenito, inenarrabiliter, impassibiliter, ineffabiliter nato ante omnia sæcula, ex ipsa Patris substantia, atque ideo consubstantiali & æquali Patri, excepta paternitate, qui pro causa Patrem habet, generandi scilicet modo: & in Spiritu sancto & vivificante adorato, procedente ex Patre, id est ex substantia Patris; non generatione, quemadmodum Filius, ne duo sint Filii in Trinitate; sed procedente, uti dictum est, ex solo Patre, atque ex ore. Apparuit autem per Filium, loquutusque est in sanctis Prophetis & Apostolis. Ceterum, ut dixi, qui est ex substantia ipsius Patris & Filii, consubstantialisque est Patri & Filio. Incommunicabilis autem est, sicut Pater & Filius, omni creaturæ, juxta substantiæ rationem.

2. Viden', quod ex solo Patre sit Spiritus sanctus juxta sanctum Cyrillum; imo juxta totam Scripturam sacram. Et ne quis mihi ultra frigida illa proferat verba, aut voculas, quod scilicet præclari illi viri Athanasius & Cyrillus, unaque Gregorius Nyssenus, additionis in causa fuere. Athanasius quippe ita ait: Spiritus ex Patre (ajunt adversarii) & a Verbo, quod est ex Patre, procedit. Nyssenus autem postquam dixit, Filium esse peculiariter ex primo, id est, ex Patre, deinceps ait: Spiritus per eum qui est peculiariter ex primo. Sapientissimus vero Cyrillus aperte dixit, ex ambobus Patre nempe & Filio Spiritum esse sanctum. Hæc sunt argumenta auctorum portentosæ illius atque pravæ additionis. Ego vero ignarus licet, *omnem sensum captivans in obedientiam Christi*, hac ratione loca illa explico. Ea sententia Athanasius ait, Spiritum ex Patre esse, & a Verbo quod ex Patre procedit. Quemadmodum ex ipso coæterno Patre: sicut & Verbum mittitur daturque fidelibus a Spiritu, eadem ratione qua ab ipso Patre. Testimonium accipe ab ipso [*Esaie 61. 1.*] Verbo atque Filio, ajente: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Euangelizare pauperibus misit me*. Sanctus ergo Spiritus Filium unxit atque misit; sed etiam Pater ex ambobus Filio scilicet & Spiritu mittitur. Qua ratione porro id fiat, Patrem audi per [*Esaie 48. 12. & 16.*] Esaiam Prophetam ita loquentem: *Audi me Jacob & Israel quem ego voco. Ego Deus primus, & ego post hæc: & præter me non est Deus. Ego manu mea fundavi terram, & Spiritus meus firmavit cælum. Ego omnibus astris præcepi. Et nunc Dominus misit me*. Pater igitur est qui hoc loco dicit: *Misit me*. Viden' æqualitatem trium Personarum excelsissimæ Deitatis? Cum Spiritus sanctus mittitur a duobus, ut consubstantialis mittitur Patri atque Filio. Cum autem Filius ex Patre, ut consubstantialis etiam Spiritus. Cum autem Pater, ex Filio & Spiritu, quasi consubstantialis. Cum dixit itaque magnus Athanasius, Spiritus ex Patre procedens, declaravit, undenam Spiritus habeat subsistentiam, scilicet ex solo Patre. Cum autem ait rursum: Ita est Spiritus ex Patre, ut est ex Filio qui est ex Patre; æqualitatem Patris & Filii commonstravit, ut hac in re confunderet impiissimum Arium, qui Filium creaturam esse dicit, & non Deum: quasi hisce illum verbis compellaret: O impiissime Ari, sic Spiritus qui a Patre procedit, a Filio quem tu blasphemas, splendet daturque fidelibus, secundum ejus operationem atque donum, quemadmodum ab ipso sempiterno Patre. Quod autem hoc ad hunc modum se habeat, vide quæso, quid ad Serapionem scribat Episcopum, ille Pater, qui ab immortalitate nomen accepit. Eadem enim loquitur, deque iisdem philosophatur hisce verbis: Quemadmodum Filius proles est unigenita Patris, ita & Spiritus a Filio datus, atque missus, ipse quoque unus est & non multi, neque ex multis unus, sed ipse solus Spiritus. Unus enim cum sit Filius Verbum vivens, unam esse oportet perfectam plenamque, sanctificantem atque illuminantem vitam, quæ sit ejus operatio atque donum, quæ dicitur ex Patre procedere: Quandoquidem ex Verbo, quod ex Patre esse in confesso est, splendet mittitur atque datur. Sicut proles unigenita est, ait, Patris Filius, ita & productio ejusdem Patris est unus Spiritus & non multi, nec ex multis, ut planum est, habet subsistentiam. Sed sicut unus est ipse Spiritus, unum productum, ita & ex solo & uno est Patre. Cum unus namque sit Filius vivens Verbum, utpote ex uno Patre; unam quoque oportet esse perfectam & plenam, sanctificantem & illuminantem vitam, quæ est Spiritus sanctus, qui donum ipse suum operatur, & dividit proprie singulis prout vult. Quod donum ideo ex Patre dicitur procedere; hoc est, effundi atque mitti; quia a Verbo, quod ex Patre esse in confesso est, splendet mittitur & datur. Cum prius sanctus ille ratiocinatus subobscure esset de processione Spiritus quæ est ante sæcula, solumque ipsum ostendens esse productum, quasi ex uno productore, atque Patre; in subsequentibus nobis liquido declarat eam quæ in tempore est profusionem, quasi ex duobus, Patre scilicet atque Filio, exsistentem; quod ibidem significatur hoc dicto: Sic Spiritus ex Patre, quemadmodum a Verbo quod est ex Patre. Ita quoque hoc loco illud: Quæ ex Patre dicitur procedere, quandoquidem a Verbo, quod ex Patre esse in confesso est, splendet mittitur & datur.

3. Eodem quoque modo Gregorius Nyssenus, ait, Spiritum per eum esse qui est peculiariter ex primo; cũ Filio scilicet conjunctim atque simul, neque post Filiũ secundũ subsistentiã. Cũ ait autẽ Filiũ peculiariter ex primo, ne arbitrere ipsũ Spiritũ non esse peculiariter ex primo. Quemadmodum enim Filius peculiariter & proxime ex primo est, id est, ex Patre; ita & Spiritus peculiariter est ex primo, secundũ eã quæ ante sæcula est subsistentiã. Primus porro Pater est non tẽpore, nec ordine, absit, sed in quantum causa est Filii & Spiritus, quemadmodum & major & absque principio, ut sine causa ulla, radix & fons eorum quæ ex ipso emanant. Quemadmodum enim ipse solus absque principio est respectu Spiritus ac Filii, ita & eorum ipse solus est causa. Spiritus vero respectu Patris, non absque principio, nec absque causa est, quemadmodũ nec ipse Filius juxta suum in tempore principium. Non modo Spiritus, sed etiam Filius absque principio est sicuti Pater. Prima causa eaque sola Pater est Filii atque Spiritus. At secundam ne quæras quisquis orthodoxus es, neque tertiam; ut ne eamdem unamq. substantiam improbo dividens studio, ut pravæ doctrinæ homo damneris. Primus itaque Pater est in quantum major est; major vero in quantum est absque principio; absque principio autẽ est in quantum est principium hypostasium quæ sunt ejusdẽ naturæ. Spiritus & Filius peculiariter ex majore, id est, ex Patre. Una enim Filius proprie ac vere, necnõ Spiritus sanctus ex Patre sunt. Non quod ille prius, iste posterius; sed simul Filii generatio, & Spiritus processio splendet mittitur Spiritus atque datur per Filium, ut Beatus ait Athanasius, quemadmodum & Filius per Spiritum, uti dictum fuit. Eadem quoque ratione intelligendum illud Cyrilli dictum, nempe ex ambobus, scilicet, Spiritus ex Patre procedens ex ambobus splendet mittitur & datur, ex Patre scilicet & Filio. *Et paulo post:* Duas generationes, uti superius dixi, circa Filium didici; unam quæ est ex Patre ante tempora, aliam quæ ex Virgine in tempore. Eodem modo duas profusiones

didi-

didici esse Spiritus sancti; unam qua procedit ante tempora, & aliam qua bonitatem impactitur. Sed prioris Filii generationis & prioris processionis Spiritus, Pater solus causa est. Alterius vero generationis quæ in tempore facta est, & alterius profusionis, qua dona impartitur, non solus Pater, sed Filius & Spiritus sanctus est causa. Ex ambobus itaque, Patre scilicet & Filio, ad dispensationem effunditur: non secundum subsistentiam, absit; alioquin duæ causæ perperam inducerentur, quæ uni illi ejusdem naturæ ac paris honoris exsistenti, multum antecellerent.

IN SYNTAGMA DOCTRINÆ

ADMONITIO.

HOc *Opusculum paucis ab hinc annis in lucem protulit Vir clariss. Andreas Arnoldus Norimbergensis, anno scilicet 1685. Atque in præfatione sua multis ille argumentis Athanasio adserere contendit.*

Sancti Athanasii Archiepiscopi Alexandrini, *ait ipse*, Syntagma doctrinæ ad Monachos, Clericos & Laicos, recensetur ex pulcherrimo codice membranaceo Vossiano quingentorum vel sexcentorum annorum, qui continet præterea Palladii Historiam Lausiacam cum aliquot libellis vetustioribus. Ad cupiditatem describendi exciverunt me Viri illustris manu adscripta verba: *Non est in editis Athanasii.* Nolebam enim parvi facere quidquid tanti Ecclesiæ Doctoris esset, quodque ad aliquem meum fructum redundaret. Postea per litteras fautorem de voluntate emittendi Athanasii certiorem reddidi, quibus tale responsum dedit: *S. Athanasii de vita Monastica διδασκαλικὸν dignum est prorsus quod edatur, longeque præstantius ea regula, quam ex Hieronymi operibus collegit Lupus. Cum veteres scriptum hoc Athanasio tribuant, non satis video quare de auctore dubitas. Windsoriæ* XI. *Jul.* CIↃIↃCLXXXIII. ex quo magnum mihi nascebatur argumentum tum veritatis, tum dignitatis. Pergam in incepto, ubi tanto viro pro suis in me meritis, gratias egero. Per quinque amplius menses Bibliotheca ipsius, quæ multas alias raritate, utilitateque longe superat, non tantum patuit; sed oraculum eruditionis in singulos dies consulere fas erat. Veteres oraculi vel una vice consultandi causa longissima emetiebantur itinera, beati brevibus responsis: quis dubitet, meliore fuisse loco qui in templo Musarum cum Apolline habitavit? Alio quandoque spectabat Pythia vox: aliquando sortem oraculi eluserunt. Dormiebant nonnulli in delubris, ut per somnium viderent species rerum, vel audirent vocem: mihi tunc lætiores in vita illuxerunt dies, vera omnis & perspicua oratio. Gratias te dignas, Illustris Vossi, agere deberem, & quas possum ago. Siquidem nihil satis magnificum de virtute tua dixerim.

Tantopere de me merito, Lector benevole, gratum præbere, imperavit pietas; nunc ad Syntagma redeundum, quod novum exsistens, præfationem sibi postulat. Codex ille antiquus S. Athanasio tribuit opusculum, quæ res alicujus est momenti, utut librorum inscriptiones vera nomina non ubique referant. Nam posteriorum temporum Scriptores, vetera interdum sibi vindicant; nonnumquam sub priscorum Auctorum nominibus sua supponunt, præsertim ex doctrina nobilium & clarorum. Interea ex Codicis antiquitate constat, olim fuisse creditum seriem hanc doctrinæ ab Athanasio posteritati relictam. Si plura mss. eodem modo inscripta reperirentur, aliquam saltem veritatis rationem suggererent; verum præter Vossianum nullum adhuc inveni, neque in Christianissimi Regis Bibliotheca, vel alibi quoque. Argumentum foret ad probandum, aut coævi Auctoris testimonium, aut ipsius Athanasii in suis operibus, quod cum desit, aliud est in promptu. Quærenti aliquando in Bibliotheca Regia Sophronianam fidei confessionem indultu Cl. Thevenoti, conatus meos ornantis & promoventis; venerunt in manus ἐρωτήσεις κανονικαὶ καὶ ἀποκρίσεις τῆς ἁγίας συνόδου, absque loci temporisve circumstantia. Quæritur autem, εἰ δεῖ καταλύειν τὴν νηστείαν ἐν τετράδι καὶ παρασκευῇ, χάριν μνήμης ἁγίου ἢ ἀποστόλου τινός; ἢ μὴ μόνον ἐν ταῖς δεσποτικαῖς ἑορταῖς. *Utrumne oporteat Quarta & Parasceve solvere jejunium, propter memoriam Sancti aut Apostoli alicujus? vel, an jejunium * Dominicis solummodo diebus solvendum sit?* Respondit Synodus: περὶ τούτου ὁ μέγας Ἀθανάσιος οὕτω φησὶν ἔν τινι τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ· ὅτι ὁ δὲ παραβαίνων νηστείαν κυρίου μοναχὸς, ἢ ὁ ἱερεὺς, τετράδα καὶ παρασκευὴν, εἰ μή τι ἐπὶ νόσῳ βιβάζηται, χωρὶς τῆς πεντηκοστῆς, ἢ τῶν ἐπιφανειῶν. *De his magnus Athanasius in aliquo scriptorum suorum ita se exprimit: Monachus aut Sacerdos jejunium quartæ vel sextæ diei non solvat, nisi decumbat morbo, exceptis Pentecoste & Epiphaniis.* Placuit locus hic, ipsaque Syntagmatis nostri verba proferenda, unde illa desumta sunt: μὴ παραβαίνειν νηστείαν, ἤτοι τετράδα καὶ παρασκευὴν, εἰ μή τι ἐπὶ νόσῳ βεβάρηται, χωρὶς πεντηκοστῆς μόνης καὶ τῶν ἐπιφανειῶν. Alia ponitur quæstio, quæ æque huc attinet: περὶ τοῦ κλίνειν γόνυ ἐν σαββάτῳ, ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος καὶ ἡ ἐν τρούλλῳ διωρίσαντο. μεθ' ὧν καὶ ὁ μέγας Ἀθανάσιος οὕτω φησί· μή τίς σε πλανάτω τὸ νηστεύειν ἐν κυριακῇ γονυπετεῖν, ἢ ἐν πεντηκοστῇ· καὶ περὶ σαββάτου οὐκ εἶπεν. ἀπόκρισις· οὕτως ἔχει καὶ ἡ ἀλήθεια. πλὴν οἱ πολλοὶ διὰ τὸ μὴ γίνεσθαι νηστείαν ἐν σαββάτῳ τὴν γονυκλισίαν παρῆκαν. Nimirum, de genu die Sabbati flectendo, Synodos Nicænam & Trullanam statuisse, & magnum Athanasium pariter enunciasse: *Cave ne quisquam te inducat Dominica die esse jejunandum omnino, sive in Pentecoste.* Nihil vero dixisse de Sabbato. *Respondetur: Sic se res plane habet; plerique tamen, quia sabbato non jejunatur, genuflexionem prætermittunt.* Ut singula appareant, en Athanasium nostrum: μή τίς σε πλανήσῃ ἐν κυριακῇ νηστεῦσαι τὸ παράπαν, μήτε γονυπετεῖν τὸ παράπαν, μήτε ἐν πεντηκοστῇ. οὐ γάρ ἐστι θεσμὸς ἐκκλησίας. Duo fragmenta isthæc non levis sunt ponderis; tantique, ut nullum ferme dubium relinquatur. Siquidem ipsa Synodus eo testimonio utitur, neque refellit Monachos ex Athanasio nostro differentes. Apud Balsamonem occurrit Quæstio de genu in Sabbato flectendo, mota a Monachis extra urbem se exercentibus, tempore Nicolai Patriarchæ, & Alexii Comneni. Ad quam respondit sacra Constantinopolitana Synodus. Verum differunt interrogationes illorum Monachorum a nostris in ms. Regio, propter diversa capita. Porro, etsi ejusdem essent cum ceteris ævi, nemo facile sibi persuaserit, Athanasii tunc suppositionem factam; sed contra putet, longa ætate fidem obtinuisse in Patrum consessu. Conjicio autem quæstiones canonicas & responsiones codicis Regii ad sæculum IX. referendas, in quibus fit mentio typicorum, synaxariorum sancti Patris nostri Saba, & Præceptoris eremi magni Euthymii, nec non S. Athanasii illius in monte sancto. Producuntur Concilium Nicænum II. ὁ ἕνατος σύνοδος, ἡ γενομένη ἐν Κωνσταντινουπόλει, περὶ τῶν γάμων, Synodus Neocæsariensis, S. Basilius ad Amphilochium.

* In festis Domini.

Quid

Quid sit, quare Syntagma nostrum S. Athanasii esse nequeat, nondum perspicio: quamvis enim ipse in vita S. Antnnij narraverit, tam crebra Monasteria in Ægyptn tum non fuisse, sed quemque se exercuisse à suo pago non procul: nihilo secus Gregorius Nazianzenus, Orat. in laudem Athanasii, affirmat, Vitam Antonii promulgare leges Monasticas sub specie narrationis. Ad hæc cum nostris congruunt, quæ legas in S. Athanasio de Virginitate, ὅπου περὶ ἀσκήσεως. Propter superbiam diabolus ex cælis præcipitabatur. νήστευε ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν, χωρὶς πάσης ἀνάγκης· ὥρᾳ δὲ ἐννάτῃ τῆς ἡμέρας ἐν ὕμνοις καὶ εὐχαῖς διατελέσασα, καταλάμβανε τὸν ἄρτον σου ἐν λαχάνῳ ἀναπεποιημένῳ ἐλαίῳ. *Jejuna universum annum sine necessitate*; (*melius: nisi necessitas aliud postulet*) *hora vero nona, in hymnis & jejuniis perdurans, sume panem tuum cum oleribus oleo refectis*. Nuditas ne appareat coram alio. Non ibis ad balneum, siquidem sana sis, nisi urgente necessitate. Si corpus infirmum, χρῆσαι οἴνῳ ὀλίγῳ διὰ τὸν στόμαχον. Qund si adsit catechumena in mensa, ne nret cum fidelibus, neque sedebis & una cum illa panem comedes. Si vir justus ad te venerit, lava ei pedes. Si Virgines advenientes vinum bibant, etiamsi tu non bibis, propter eas bibe pauxillum. In Ecclesia tace, nec quicquam loquaris, sed lectinnibus intende. Similiter in exhortatinne ad Monachos, quam Latine habemus in Tomo II. opp. si donamus esse Athanasii, commendantur jejunia præter Dominicam, si vntiva sint: habitus vilis, atque alia nonnulla facillime cum nostris comparanda.

Stylus Syntagmatis ab Athanasiano non est adeo remotus, quandoquidem in tractatu de Virginitate multa iisdem verbis modisque dicendi exprimuntur. Subdifficile tamen visum fuit demonstrare, Athanasium usurpasse verbum θέλειν cum infinitivn, loco imperativi, v. c. θέλε ἀγρυπνεῖν, pro ἀγρύπνει· θέλε μένειν, pro μένε, quæ barbara sit loquutio: nutabam diu in ea re, dnnec invenirem in S. Basilii sermone de Abdicatinne rerum: μὴ θέλε διορθοῦν ἑταιρείας τῶν ἑτέρων, pro διόρθου. item, μὴ ἴσο περίεργος, μηδὲ πάντα βλέπειν θέλε, pro βλέπε. Unde illius argumenti vim evadimus. Post omnia ista quid restat? nemini rapiendum judicium suum, neque etiam resistendum & repugnandum contra veritatem, ad quam si quis curinliore nbservatione penetraverit, de publico bene merebitur.

Hæc Arnoldus, vir sane non minus eruditione quam comitate & moderatione conspicuus. Sed pace viri doctissimi, hæc, nostro quidem judicio, non sunt magni momenti ad hoc opusculum Athanasio adjudicandum. Nam quod de Quæstionibus Canonicis, ubi nomine Athanasii quædam ex hoc Syntagmate adferuntur, licet revera illæ in quodam Concilio editæ fuissent, quod tamen dubio minime vacat; in Synodis quandoque Athanasii nomine opera laudantur, quæ tamen constat Athanasii non esse; ut videre est in secunda Nycæna ubi Historia Imaginis Berytensis ad verbum legitur, quam nemo non fatetur Athanasio abjudicandam: quod potiori ratione de subsequentium sæculorum Synodis æstimandum. Multa certe exstant spuria opera quæ sexto vel septimo sæculo exarata sunt, quæque a posterioribus inde Synodis auctoribusque laudari potuerunt. Quod spectat vero adfinitatem quorumdam hujus opusculi locorum cum aliis libri de Virginitate & de Exhortatione ad Monachos locis, id minoris adhuc est pretii: tum quia prior liber magna suspicione, posterior aperte νοθείᾳ laborat; tum quia præceptiones illæ Monasticæ de jejunio, aliisque observationibus, eædem ferme in variis auctoribus leguntur; ita ut nullum hinc possit erui argumentum. Nobis itaque omnino spurium videtur hoc opusculum, tum ob styli genus, quod ab Athanasii ἐνεργείᾳ mirum quam remotum sit, tum ob multas voculas quæ sequioris ævi notam præferunt, ut est illud ἀνεμοπερίστατος, seu ἀκαιροπερίστατος, illud etiam μικροψυχῶ, simultas, item, ἐναφίδιον, nisi sit mendum, ἐργατάδια, περιχαχάω pro ægre ferant: & similia bene multa pro brevitate opusculi; quod neque potiaris esse conditionis arbitramur quam cetera opuscula ascetica, quæ Athanasii nomine subsequuntur. Ceterum Arnoldi notas non integras hic subjicimus, tum quia prolixiores sunt quam instituti nostri ratio ferat, tum quia multa complectuntur quæ in Onomastico nostro explicanda venient.

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Syntagma Doctrinæ ad Monachos, omnesque Christianos tam Clericos quam Laicos.

1. ECCLESIÆ Catholicæ filiorum, & potissimum A Anachoretarum sive Monachorum, tale est vitæ agendæ genus. Gratia quidem salvi sumus; sed gratia filios suos, sapientiæ item omnisque probi nperis filios esse peroptat, qui bonum experimento cognoscant, & ita agere nitantur. Te itaque recta hujusmodi fide dignum constitue. Facto, dilecte mi, hæc servandi proposito. * Nam sunt qui cum his præceptis pugnent: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum sicut teipsum*. Nnn occides, non mœchaberis, non scortaberis, pueros ne corrumpas, veneficin ne utare, ne simultatem habeas, abstine a suffncato, ab immolato & a sanguine. Hæc sunt B conspicua peccata: quæ autem minnra videntur præcepta, quorum tamen etiam ratinnem reddituri sumus, hæc sunt: Mnnachos quidem & continentes, oportet a mulieribus esse separatos, nec cum iis colloquia miscere, si fieri potest, neque earum cnnspectum optare, ne quidpiam hinc damni emergat, si cor scilicet, per oculnrum intuitum, mœchatum fuerit. Cavere item par est (Mnnachum) ne sit bilinguis, animn duplex, mendax, obtrectator, ne levi occasione distrahatur, ne sit impudens, errabundus, stolidus, arrogans, ne turpe dictum labiis proferat, vel juramentum quodlibet; sed solummodo, ita, ita; non, non. Et si quando id postulet necessitas, in colloquiis sic dicat: Agnosce, an veritatem dicam, an mentiar. Venerandum autem nomen ad juramentum ne sumito, neque aliud quodpiam juramenti genus usurpes, ut ait Euangelium. Hæc enim omnia minime decent, nec ea facere convenit: sed eum quoque qui hæc non nbservarit nportet ejici ab Ecclesia.

Ephes. 5. 8.

Matth. 22. 37. 39.

2. Decet insuper cnrpus non nudare in cujuspiam conspectu, nisi ob balnei necessitatem in morbo vel infirmitate maxima. Festis gentium non communicare, nec dicere fratri suo, Raca, vel fatue. Sabbata non custodire, nec magicam artem, nec veneficium exercere, vel aliud ejusmodi agere in morbo aut ægritudine. Nnli abire ad incantatorem, neque tibi Phylacterium

rium circumponas, aut emundes in circuitu: ne ipse hujusmodi quidpiam agas, vel ab alio fieri permittas. Ab omni turpitudine lasciviaque corpus serva purum: ne adscititiam mulierem habeas, ut sunt quædam, quæ sibi Dilectarum nomen imposuere, quæ tamen inimicæ postea deprehendentur. Ne simultatem habeas cum aliquo; quisquis enim habet, ejus anima Domino non probatur. Ne ores una cum hæretico, vel cum ethnicis. Jejunium ne violato quarta scilicet feria & Parasceve, nisi morbo labores, excepta solum Pentecoste & Epiphaniis. Quadragesimam sanctæ Ecclesiæ & hebdomadem sancti Paschatis accurate observa. Solve jejunium cum ad te frater accesserit; non jejunium scilicet statutum, ut feriæ quartæ, Parasceves, Quadragesimæ & Passionis; sed jejunium ex proposito tuo servatum, nempe Secundæ, Tertiæ, Quintæ. Sabbato & Dominica ne jejunaveris, excepto magno Sabbato sancti Paschæ. Quartæ autem feriæ & Parasceves jejunium ex jussu ad horam usque nonam servatur. Quod si quid ultra feceris, id tuo sit arbitrio: Si vero diutius potes sustinere jejunium, generose agis. Dum jejunas & hoc institutum vitæ tenes, cave ne superbia intumescas. Inflatio namque laqueus est diaboli, per quam ex cælo delapsus est: similiterque per illam deinceps homines illaqueans dejicit. Ne quis te seducat, ut vel Dominica omnino jejunes, vel genua flectas, vel in Pentecoste. Neque enim ea lex est Ecclesiæ. Cave ne te quidam Marcionistæ in errorem deducant, aut alii hæretici, & Sabbato vel Dominica jejunare suadeant. Conventus ne neglige; teque ipse ita præpara ut dignus sis mysteriis, ne forte in judicium incidas. Ne omittas te adeuntium fratrum pedes lavare, ejusmodi namque præcepti ratio postulabitur ab iis qui præ superbia illud omiserint, quamvis sint Episcopi. Nam Dominus noster prior ipse abluit, cum præcepit illis ut ita facerent.

3. Ne esto avarus, ne turpis lucri, possessionum, divitiarum cupidus: nam qui ejusmodi sunt, Deo placere non valent. Ne omnino negotia geras: multę sunt incultæ regiones, quarum incolæ si artes non habeant coguntur negotiari: qui etiamsi Monachi non sint, si negotientur, male quidem agunt, nisi in casu necessitatis. Usuram ne accipe: ne prius compares quidpiam * alio quam vulgari pretio. Ama omnes homines, & pacem habe cum omnibus, cum illis etiam quibuscum non oras, quantum facultas erit, excepta hæresis causa. Si suppetat, largire indigenti, sin minus, noli conqueri. Si quis mutuo a te petierit, dato, & ab eo accipe sortem, cum habuerit, absque fęnore. Ne dolose agas in conspectu Domini. Nam si fruges habeas aut argentum, atque aliquis a te mutuo accipere postulet, tuque, ne usuram accipias majore pretio vendis, ut emas postea viliore
1 Cor. 3. 19. & minore pretio, *Comprehendit Deus sapientes in astutia*. Perpende enim ac vide, te unius fęnoris loco, tria aut quatuor fęnora accepturum.

4. Esto humilis ac quietus, tremens omni tempore Domini eloquia. Ne sis contentiosus, ne cædas hominem, nisi puerum tuum modice, institutionis causa, idque tamen cum moderatione, cavens ne hinc cædes consequatur, complures enim sunt mortis occasiones. Neminem subsannes: ne quemquam vestimenti causa detesteris. Modesto utere habitu, neque mollibus vestimentis, neque cum indumento qui sanctorum esse virorum videatur, sordido scilicet vestitu, progrediare. Saccum si habeas, ut tua lugeas peccata, cave ne saccus ille videatur, sed absconditus sit interius. Ne pellibus sis amictus, ut ne ab hominibus gloriam referas. Capillos ne alas:
1 Cor. 11. 14. ejusmodi quippe ornatum præcidit Apostolus. Ne tondeas mentum, neque circumtonsione utare.

5. Si possis vel hebdomade integra jejunare, nemini id declares. A carnibus abstine, non ut qui eas detesteris, sed ut qui corpori cibos detrahas, teque indignũ eo æstimes, atque terrenorũ loco cæ estia appetas. Quisquis enim in ciborum lautitia modum tenet, his corpori fert opem ut se continere possit. A vino plane abstine, nisi solum ut degustes, & creatori ejus benedicas. Quod si tu quemadmodum Timotheus, ob nimiam exercitationem in morbos incideris, vino modico utere, nam parce sumtum medicina est; sin multo utare, utrasque tibi infirmitates induces: ad unum vero vel duo pocula bibito neque amplius. Si valeas nudis incedere pedibus, generose te geris; sin tibi necessitas plane fuerit ut calceos sumas, simplicia tibi sunto calceamenta: noli ornatis calceamentis amasiorum more te efferre. Sint tibi res quævis obviæ satis. * Etiamsi carnibus & vino tamquam supervacaneis abstinere soleas ex instituto tuo, cum tamen in peregrinam regionem concesseris, noli te jactare, sed esto fratribus æqualis, oleribus videlicet utens, coctisque cibis, immo si necessum sit garum comede & pisce vescere, si volueris; sed pro ea vice solum, ac rursum pristinam resume exercitationem. Si ægrotus ovum comederis, peccatum non est; sed si in morbo usque eo dejiciare ut avem & carnes comedas, minus quidem perfectum illud est; ne arbitrere tamen peccatum esse: sed dole quod pristinum vitæ institutum non plane servaveris, & a firmo proposito dejectus sis.

6. Si in morbo id necessitas postulet, una aut altera vice balneo utere, sanus autem balneo non indiges. Tu Monache & Sacerdos humi cubato, dum sanus corpore sis: in primis vero artem aliquam exerceas. In agro labora, ne panem otiose comedas; immo ex manuum tuarum labore, habeas unde fratres hospitesque reficias, & si facultas ferat, viduas, orphanos, & egenos. Quod si inter homines quosdam habitas, tibique locus, seu ager suppetit ad laborandum, fructus juste & absque ulla injuria colliges; primitiasque ante omnia Sacerdotibus offeras: dehinc viduis, orphanis, aliisque largire ex justis laboribus non ex fœnore, vel ex nimia abundantia, vel ex negotiatione, vel ex tumultibus. Si in Monasterio degis, ne Monasterii exercitia contemne. Quod si cum in Monasterium secedis agrum possides, nequaquam secedis, sed illudis atque illuderis. In Monasterio cum degis noli otiosus esse, ita ut alii te alant; sed par est te aut artem aliquam callere, aut operari, ut quotidianum tibi cibum compares. Si juniores tecum fuerint, primum humilis esto, neque magister esse optaveris: sed si videris animas tua conversatione salutem consequi, atque volueris quinque talenta accepta duplicare, animas cura tecum versantes, & juniores compelle, ut quisque seorsum degat, neque una confabulentur, aut una versentur, excepta solum mensa, synaxi, & psalmodia, ut inter dormiendum propriis quis indumentis amictus sit, & sticharium singuli suum, saccumque absconditum retineant, ut si fuerit noctu orandum, parati inveniantur. Vigila moderate in Psalmis & precibus: interdiu vero frequenter ora, ne tamen prolixa sit oratio, ne clamosa, ne multorum inaniumque verborum. Cum moderatione psallendum, ne molestia animæ adficiantur. Pueros ad silentium institue. In cauponam ne umquam ingrediare; sed si necessitas id postulet, si in extranea regione verseris, atque cibo vel potu opus est tibi, emtum mitte, & in Ecclesia comede, loco semoto: si nulla eo loco fuerit Ecclesia, aut orthodoxorum domus, necessumque tibi sit in diversorium ingredi, in diversorio maneas ubi nullæ sint mulieres, neque caupona: idque cum mœrore.

7. Si ejusmodi præcepta cum servaveris, & a prædi-

ctis peccatis caveris; in fide, castitate & eo vitæ instituto, uti diximus, cursum impleas, gradum tibi magnum & bonum adquires. Hæc supradictæ fidei præcepta, & observationes, quas si perfeceris, fidemque servaveris, eris discipulus Domini nostri Jesu Christi. Quod si quis supradictis contradicat, Deo contradicit. Evolvat ille divinas Scripturas, & intelligat traditionem Ecclesiæ, ac demum cognoscet hæc omnia præcepisse Dominum. Nos ne longiores essemus, testimonia non produximus. Hactenus præcepta Monachos reliquosque Christianos spectantia.

8. Jam vero si Sacerdos quispiam accurate velit sacerdotio fungi, cum superioribus præceptis, sobrius sit, sedulus, patiens, mansuetus, orphanorum, pauperum, hospitum, bonorum amans, quietus, firmus fide, sententia, verbo, abstinens a muliere, gregem non negligat, ne quempiam exsecretur, personam ne accipiat, omnes coarguat; ne sinat ullam scabiosam in ovili ovem, sed per pœnitentiam purget illam, atque ita in ovile recipiat: sciat quo pacto singulos pascere: quæ præcepta viduis, quæ Monachis, quæ
1.Cor.14.34 Laicis, quæ Catechumenis tradere debeat. Mulie-
A res vetet in Ecclesia prorsus loqui, sed semper silere jubeat & orare, nec se auro vestibusque exornare, vultum contegere, aut manus virorum osculari. Catechumeni autem seorsim orent & extra limen. Omnisque populus cum reverentia & silentio audiat verbum Domini. Porro non ii solum qui peccant, sed etiam qui de peccatoribus gaudent, pœnas luent. Oblationes quod spectat, vigilandum est Sacerdoti: nam si a milite acceperit qui effuderit sanguinem, a turbulento, a fure, ab improbo negotiatore, a perjuro, aut a divite defraudatore, a Publicano exactore, a fœneratore, vel ab
B eo qui pretium frumenti auxerit, vel a quolibet peccatore; hujusmodi Sacerdos, inquam, qui talia acceperit, clauda & cæca hinc Deo offert. Tibi Laico non licet Sacerdotem judicare, quod si prævaricatorem adverteris illum, fuge ab illo. Si hæc tu Sa- 1.Tim.3.15.
cerdos servaveris, gradum bonum tibi adquires; multamque fiduciam in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri & Spiritui sancto gloria in sæcula sæculorum, amen.

IN SEQUENS OPUSCULUM MONITUM.

Brevem hanc vitæ Monasticæ Institutionem Syntagmati apposite subjicimus, quod ambo ejusdem prorsus sint argumenti. Sequens autem Opusculum inelegans est omnino, & a quodam græculo Athanasii nomine confictum, ut quivis eruditus, vel primo adspectu existimabit.

Magni Athanasii Institutio eorum qui in quiete vitam agere cupiunt.

1. Talem & hujusmodi oportet esse Monachum, a terrenis rebus abstinentē, ac præterea Christi militem, materia expertem, solicitudinibus vacuum, extra omnem negotiorum cogitationem & exercitium. In his sit & degat Monachus, is maxime qui totam mundi hujus materiā dereliquit. Omnes speciosas pulcritudines superat ascesis illa, quieta & tranquilla est vita. Age ergo, dilecte, Monasticam amplectere vitam, & accurre ad illa quietis trophæa. Relinque ibi mundum, mundique curas, mundanos item principatus & potestates; id est, solus & materia esto, passionibusque vacuus, omnis expers desiderii, ut earum rerum circumstantia alienus, quietam probe vitam agere possis. Nisi enim quis sese ejusmodi rebus eximat, numquam potuerit eam agere vitæ rationem. Paucis & vilibus utere cibis, non vero copiosis, & probe paratis, imo potius improbe paratis. Quod si hospitalitatis causa te lauti cibi cogitatio subeat, missam fac illam, nec prorsus illi obtemperes. Insidiatur enim tibi per eam adversarius, ut te a quieta retrahat vita.

2. Cave ne divitias pauperibus erogandas expetas; melior enim sermo bonus est, quam donum. Est quippe illa item maligni fraus, qua ad inanem gloriam plerumque & ad multam negotiationem mentem conjicit. Vestimenta quod spectat, ne cupias multas habere vestes; sed eas solum tibi provide quæ necessitati corporis satis sint. Si tibi alimentis aut vestibus sit opus, ne pudeat ea accipere, quæ tibi ab aliis offeruntur: est enim illud quoddam superbiæ genus. Quod si tibi aliquid in hisce superfluum fuerit, da egeno. Hanc Deus filios suos vult œconomiam servare. Cum præsenti tempore necessaria suppetunt, ne futuri temporis solicitudinem geras, ne unius quidem diei aut hebdomadis: de præsenti solum cura: ipsum tempus sibi necessaria suppeditabit. Sed in primis quære regnum cælo-
C rum. Tuam semper utilitatem curato, & quietæ vitæ modum tibi constitue. Ne cum hominibus materiæ deditis, & ultro citroque distractis habites: vel solus habita, aut cum hominibus materia expertibus & tecum consentientibus. Nam qui cum hominibus materiæ deditis, & ultro citroque distractis habitat, is prorsus eorum distractionis particeps erit, humanisque serviet mandatis, obnoxius vanis sermocinationibus, aliisque malis omnibus, iræ, mœrori, materialium rerum insano amori, metui scandalorum, patrimonialium bonorum solicitudinibus, cognatorum amicitiis. Eorum
D itaque consortiū devita, ne forte tuam in cellula quietē adimant, & ad sua ultro citroque negotia pertrahāt.

3. Si porro cellula in qua degis circumquaque amœna sit, fuge ab illa, ne parcas, ne fortasse ejus amore pertrahare. Nihil non age, nihil non operare, ut possis quietæ & tranquillæ vitæ vacare, atque curare, ut juxta Dei voluntatem degas, & cum invisibilibus inimicis pugnes. Si non potes in tuis partibus tranquille & quiete degere, transfer propositum tuum ad hospitalitatem, in eamque cogitationes tuas quamprimum repone. Esto velut quidam optimus negotiator, qui omnia ad
E quietam vitam probat & ordinat; & quæ tranquilla & utilia sunt perquirit. Ceterum dico tibi, hospitalitatem dilige, nam liberat te a casibus in regione tua obvenire solitis, tibique præstat ut quietæ & tranquillæ vitæ utilitate perfruare. Fuge moras in civitate, & in eremo persevera, si fieri omnino possit. In urbem ne accedas: nihil enim utile, nihil tuo vitæ instituto fructuosum illic conspicies. Ne timeas neque formides * earū rerum sonitum, neque aufugias a stadio utilitatis tuæ. Absque timore sustine, & videbis Dei magnitudinē, omnia scilicet alia salutis signa & manifestationes.

F 4. Amicos si habes, fuge eorum frequentes confabulationes; si enim perraro colloquare cum ipsis, gratus Deo eris. Quod si deprehenderis per eos tibi damnum obvenire, ne prorsus accedas ad illos. Par quippe est amicos te habere qui tuo vitæ instituto utiles ac dediti sint. Fuge malignorum & contentiosorum virorum collo-

colloquium, cum nemine illorum babites, immo A hujuſcemodi, cultum tuum impendes. Ne eſto prava illorum propoſita recuſa. Fratres qui ſint pacifici,& ſpirituales ſancti Patres, amici tibi ſint. Ne cum diſtractis viris habites, neque cum iis una convivere; ne te forte ad ſuas fraudes pertrahant, & a ſcientia quæ quietam ſpectat vitam abducant. Quod ſi quis eorum qui ſecundum caritatem Dei incedunt, te adiens ad comedendum invitet, ſi lubeat abire, abi; ſed cito ad cellam remigra tuam. Si fieri poteſt, ne dormias extra cellam tuam; ut ſemper apud te permaneat quietæ vitæ gratia, ac ſine obice erga propoſitum hujuſcemodi, cultum tuum impendes. Ne eſto cupidus lauti cibi, nam quæ deliciatur anima, vivens mortua eſt. Ne variis cibis ventrem tuum impleas; ne te eorum cupido ſubeat, & tuum erga menſam appetitum inſtammes. Dictum namque eſt, non oportere falli ſaturitate ventris. Quod ſi te frequenter extra cellam tuam videas invitari, abnue. Nam frequens extra cellam tuam mora detrimento tibi eſt, quippe quæ gratiam auferat, ſenſum obſcuret, amorem marcidum reddat.

IN BINAS AD CASTOREM EPISTOLAS

ADMONITIO.

NOVUM *hic comparet commenti genus, Lector benevole: en tibi Inſtituta Caſſiani græce verſa, in compendium redacta, Athanaſiique nomine conſcripta. Quod opus eſſe videtur græculi cujuſdam latine periti, qui cum in Inſtituta Caſſiani incidiſſet, operæ pretium duxit græce illa interpretari, quamquam fortaſſe potuerit ex antiquo Caſſiani Græco textu, ſeu Græca verſione, hoc ipſum opuſculum contexere. Nam exſtant in antiquis Græcis codicibus, multa ex Caſſiani Inſtitutionibus, quarum haud ſemel loca adſeruntur Græce a quibuſdam ſcriptoribus, v. g. a Climaco. Inſtituta igitur illa exhibet hic Scriptor, non quidem integra, ſed excerptis hinc inde ſententiis, ſæpe etiam integris capitibus: tantaque omiſit, ut ex duodecim illis inſtitutorum libris, binas haſce tantum confecerit Epiſtolas, quas majoris commendationis cauſa magno Athanaſio adſcripſit. Porro tam ſupine tam incaute id facinoris adgreſſus eſt, ut quæ ſe ſuis vidiſſe oculis teſtatur Caſſianus, longe ſcilicet poſt Athanaſii ætatem acta, ea ipſe Athanaſium narrantem ac ſe vidiſſe teſtantem repræſentet, quod in aliis quoque nonnullis ſpuriis operibus animadverſum eſt. Caſtor autem ille cui nuncupantur Inſtituta Caſſiani, cujuſque nomen huc translatum eſt, Epiſcopus erat Aptenſis. Has porro nobis Roma tranſmiſere fratres noſtri.*

Ejuſdem magni Athanaſii ad beatiſſimum Caſtorem, de canonicis cœnobiorum conſtitutionibus.

Caſſianus in Præfat. ad Inſtituta cœnobiorum, ad Caſtorem.

1. CUM juſſeris mihi, beatiſſime pater Caſtor, ut orientalium maximeque Ægyptiorum cęnobiorum, canonicas tibi conſtitutiones declararem, quas meis ipſe oculis conſpexi; tuæ juſſioni obtemperans, hæc pauca tibi verba tranſmiſi; ut hinc viaticum ad virtutem iis ſuppetat qui in novo tuo Monaſterio, Deo juvante, coacti ſunt. Itemque miſi beatorum virorum canones, & alios nonnullos. Neceſſe eſt itaque ut ante omnia de Oratione, bonorum omnium cauſa, verba faciam; quomodo ſcilicet, & quam optimo cum ordine in Ægypti & Thebaidis cęnobiis eam perſolvant. Congregati quippe eodem in loco, tempore ſynaxis, poſtquam abſolutus eſt Pſalmus, non ſtatim ad genuflexionem veniunt; ſed priuſquam genua flectant, modico tempore ſtantes expanſis manibus orant; poſtea humi proſtrati, & facta brevi inter genuflectendum oratione, una ſurgunt omnes: ac rurſum expanſis manibus diutius atque ferventius ſupplicationes perſolvunt, nemine genuflectente, aut ex genuflexione ſeſe erigente, donec is qui orationem recitat, prior genuflexerit, aut prior ſurrexerit. Prout itaque dictum eſt, cum ejuſmodi ſynaxium cauſa conveniunt, tantum ab omnibus ſervatur ſilentium, ut in tanto & pene innumerabili cętu, neminem adeſſe videatur; potiſſimum vero tempore orationum, quo neque ſputum emittitur, neque tuſſis auditur: non illic pigritiæ ſignum, non dormitatio, non oſcitatio, non gemitus cum ſono audiuntur. Eum namque qui præ nauſea & animi mollitie cum clamore precatur, ajunt dupliciter peccare; primo, quod ſegniter oret; ſecundo, quod indiſciplinata illa voce, proximi aures obtundat, ac mentem diſtrahat: invadentibus una malignis ſpiritibus, qui cum nos viderint in oratione ſtantes, indecentibus nos cogitationibus, & nauſea atque faſtidio animam aggravant. Quæ cauſa eſt ut Pſalmos, non cum tumultu & perturbatione feſtinando recitent; neque verſuum multitudine, ſed mentis conſideratione B oblectentur; ea ſcilicet cogitatione ei obſequentes qui ait: *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente:* rati utilius eſſe decem verſus cum adtentione pſallere, quam totum pſalterium cum confuſione mentis.

Orandi ritus in Ægypto & Thebaide.

Ex Inſtitutis Caſſiani lib. 2. c. 7.

Inſtit. l. 2. c. 10.

Inſtit. l. 2. c. 11.

1. Cor. 14. 15.

2. Completis pſalmis & canone, uti ſuperius memoravimus, nemo fratrum vel tantillum temporis cum alio ſtare aut verba facere audet: ſed neque cella egredi, aut opus deſerere ſuum, quod præ manibus tractat, juxta apoſtolicum præceptum; niſi neceſſarii cujuſdam operis occaſione omnes una convenire oporteat: egreſſi autem opus ſuum exſequuntur; ita ut ne minima quidem C inter eos ſit confabulatio, ſed ſinguli meditationi mentis vacent & pſalmo, & quod ſibi juſſum eſt impleant. Magna porro ſolicitudine cavent, ne quis fratrum cum alio maxime novitio ſolus unquam relinquatur, aut extenſis manibus aliquem contrectare aut complecti audeat. Quod ſi quis hanc tranſgredi regulam deprehendatur, graviſſimæ correptioni ſubjicitur.

Caſſ. Inſt. l. 2. c. 15.

Silentium.

3. De canonico itaque more, ſive precum ſive pſalmorum, quo pacto ſcilicet eas oporteat in diurnis conventibus obſervari, ſat a nobis jam dictum eſt. D Deinceps vero agendum nobis eſt de iis qui mundum abdicarunt, qua ratione in hiſce cęnobiis ingrediantur, in illiſque permaneant in humilitate & obſequentia uſque ad extremam ſenectutem. Tanta quippe apud illos eſt obedientia, tanta humilitas ad ſenectutem uſque, quanta ne primo quidem anno in iis qui ſæculum abdicarunt, in Monaſteriis noſtris reperiatur. Non prius itaque in Monaſterio admittitur qui vult eſſe Monachus, quam ſpecimen & experimentum quoddam ſui erga Deum amoris, humilitatis ſuæ atque æquanimitatis per ſummam obedientiam dederit. His itaque probatus, ut admittendus ab illis habetur atque docetur, ne quidquam de bonis ſuis apud ſe re- E conditum conſervet: gnari ſcilicet eum qui de bonis ſuis quidquam retinet, non poſſe diu in Monaſterii obedientia permanere, neque ad finem uſque perſeverare, præ animi languore ac tædio. Cum quævis enim minima occaſio aut afflictio, ejus movebit animum, ſtatim reconditi theſauri ſpes, quaſi funda lapidem,

Caſſ. Inſt. l. 4. c. 2.

Ritus admittendi Novitii.

Ibid. c. 2.

Ibid. c. 3. & 4.

Ibid. c. 5. pidem, Monasterio illum ejicit. Quare quivis illorum antiquis possessionibus exuitur, ita ut ne vestimento quidem quo indutus erat uti sibi liceat. Sed congregatis cunctis fratribus, in medium adductus, exuitur vestimentis propriis, & eorum loco Abbatis manibus Monasterii vestimentis induitur; ut ea forma cognoscat ipse, se mundanis rebus omnibus arrogantia item & superbia nudatum, induisse paupertatem Christi, & sine pudore sese connumerare & exæ-
Ibid. c. 6. quare corpori fraternitatis. Vestimenta autem quibus exuitur, accepta servat œconomus Monasterii, atque seorsum reponit; donec ipse profectus, conversationis, patientiæque in variis tentationibus specimen dederit. Et siquidem deprehendatur in hisce posse perseverare, atque eo studio, & ferventi proposito quo cœpit permanere, reliquis eum fratribus annumerant. Quod si in eo murmurationis delictum, aut inobedientiæ cujuslibet peccatum comperiant, exutum eum Monasterii vestimentis, ac mundanis denuo indumentis amictum ex cœnobio expellunt. Ita ut post tam accuratam probationem, non facile sit volenti, arbitrio suo vel ingredi vel e Monasterio secedere; sed qui se profitetur remanere nolle, omnino exuatur Monasterii vestimentis.

Ibid. c. 7. 4. Cum igitur is qui susceptus est, ea qua diximus accuratione probatus, inculpatusque deprehensus est, non statim fratrum cœtui commisceri permittitur, sed traditur ei cui hospitum commissa cura est, atque jubetur hospitum ministerio & obsequio omnino vacare; ac postquam integrum annum inculpate hospites exceperit, hac re in humilitatem efformatus & in æquanimitatem, demum cœtui fratrum annumeratur, atque alicui e senioribus traditur, cui hujusce muneris solicitudo incumbit, ut discipulum doceat, quas vias ingressus ad perfectionem virtutum
Ibid. c. 8. pervenire possit. In primis docet eum studium superandi proprias concupiscentias & voluptates, jubendo ea quæ ejus voluntati contraria sunt. Ajunt enim Patres non aliter posse quemquam voluptates reprimare, aut iracundiam, aut tristitiam; aut veram obtinere humilitatem, aut denium una cum fratribus in cœnobio recte consummari, nisi ante per obedientiam volun-
Ibid. c. 9. tates suas mortificaverit. His constitutionibus atque doctrinis, quasi quibusdam elementis & syllabis, ubi discipulum ad præstantiorem statum produxerunt, postea hoc docent illum, ut cogitationes suas ne celet; sed ubi accedunt, quamprimum Patri suo revelet; neque de earum judicio & examine quidpiam cordi suo confidat; sed sciat id bonum, id malum esse, quod judicio suo pater, facto rei examine, tale esse declaraverit. Hac ratione poterit omnes inimici fallacias vitare quisquis ad virtutem instituitur: qui utpote imperitus, inimici dolos ignorat. Ajunt enim sancti Patres diaboli artis & insidiarum conspicuum esse signum, cum discipulis suadet, ut Patribus cogitationes occultent suas, idque ex superbiæ motu, quasi scilicet ipsi idonei sint per se congruum ea de re consilium capere; aut ex inani gloria, quod pudeat nimirum suas publicare cogitationes.

Obedientia. Cassian. Instit. l. 4. c. 10. 5. Tanta porro apud illos est obsequentia, ut citra Abbatis jussionem ausit nemo, ne ex sua quidem cellula in qua sedet egredi: atque tanto studio illius jussa complent, quanto si Deus
Ibid. l. 4. c. 18. ipse juberet. Dum sedent autem in suis cellulis, & operi manuum, meditationi & orationi incumbunt, atque studiose his adhibent animum, si quempiam ostium cellulæ pulsantem audiant, qui se aut ad communem orationem, aut ad opus manuum advocet, omnibus quamprimum dimissis, ad jussam sibi rem properant, obedientiæ virtutem studiosissime colentes; quam non modo
A operi manuum, lectioni, & quietæ in cellula commorationi, sed & omnibus virtutibus anteponunt, omniaque posthabent.

6. Illud autem superfluum est memorare, neminem scilicet illorum aliud quidpiam possidere, quam colobium, hemiphorium, sandalium, meloten, & stoream: turpe esse rati si dicatur, liber meus, penicillus meus, aut aliud quidpiam meum. Tantum autem singuli corũ ex opere & sudore suo, adferunt Monasterio proventũ, ut non modo eorum necessitatibus, sed etiam hospitũ pauperũque ministerio sint satis. Dum sic autem laborant non inflantur, non superbia tument. nec quisquam *Paupertas Monachorum Caff. Inst. l.4.c. 13.14.*
B proprii laboris & sudoris causa plus postulat, quam ab Abbate pro necessitate tribuatur; nec ullius rei possessionẽ sibi comparat, cum sese totius mundi advenam & peregrinum existimet; servumque se potius & ministrũ fratrum esse arbitretur, quam ullius terrenæ rei Dominũ. Quod si quis vas quodlibet fregerit aut perdiderit, *Ibid. c. 16.* negligentiæ suæ casum Abbati confitetur, & ita cum humilitate pœnitentiæ, veniam accipit. Si quis autem ad opus quodlibet vocatus, aut ad synaxim, præ contemtu tardius occurrat, aut durius petulantiusque respõderit: vel si negligentius aut cum murmure, jussam rem cõ-
C pleverit; aut si lectionem operi manuum & obedientiæ anteponens, jussa sibi opera tardius compleverit, aut a conventu dimissus, non cito ad opus suum adcurretit; aut cum quopiam absque necessitate confabulatus fuerit; aut cum confidentia manum alterius contrectaverit; aut cognatos citra Abbatis permissum & benedictionem convenerit, aut epistolam ab aliquo accipere, vel ad aliquem rescribere absque Abbatis concessione ausus fuerit; si in aliquo nempe hujusmodi deliquerit, hujusmodi ille pœnæ subjicitur: Fratribus in synaxi congregatis, sese in terram projicit, atque confessus, peccati veniam postulat. Gra-
D viora porro delicta, si quis perpetrans deprehendatur, quæ sunt, contemtus, repugnantia cum superbia, aut egressus ex Monasterio absque Abbatis concessione, aut congressus cum muliere, aut ira, aut pugna, aut inimicitia in aliquem, aut recordatio injuriarum, aut amor pecuniæ, quæ lepra est animæ, aut possessio cujuscumque rei, exceptis iis quæ ab Abbate dantur, aut furtivum alimentum absque benedictione Abbatis sumtum, & his similia, non supradictam subit pœnam, sed graviorem, & multo majorem. Quod si non resipuerit, ex Monasterio ejicitur.

E 7. Quod autem in quibusdam cœnobiis, tempore comestionis lectio habeatur, id non ex Ægyptiorum, sed ex Cappadocum regula observatur, qui non tam spiritualis exercitationis, quam quietis, & colloquii vitandi gratia illud constituerunt. Apud Ægyptios autem, maxime vero apud Tabennesiotas, tantum servatur ab omnibus silentium, cum ingens illa multitudo fratrum, tempore comestionis congregatur ad mensam, ut vix quidpiam simile in aliis reperiatur; adeo ut ne excreare quidem ausit quisquam, excepto mensæ præfecto, qui si re quapiam sit opus, pulsatione po- *Comestionis ratio. Cassian. Instit. l.4. c.17.*
F tius quam voce id significat. Cucullas autem, etiam infra palpebras demissas gestant, ne vagis oculis curiosius alios inspiciant, ac mensæ solum, gratiisque alenti Deo agendis adhibent animum. Magnaque apud illos cura est, ne quis eorum extra mensam cibum sumat. *Cap. 18.*

8. Ne quid videamur autem cœnobiticarum regularum omittere, memorare quoque oportet constitutiones in aliis regionibus traditas. In tota itaque Mesopotamia, Palæstina & Cappadocia, & in toto Oriente, tempore conventus Tertiæ, Sextæ & Nonæ horæ, si quis ante completum primum Psalmum non *Variarum regionum ritus Monastici. Cassian. Instit. l.4. c.19.*

occur-

occurrerit, is in Oratorium ingredi non audet, neque sese psallentibus admiscere: sed dimissionem Fratrum pro foribus stans exspectat. Egredientibus autem omnibus, humi prostratus, pœnitentiam agens, negligentiæ suæ veniam postulat. In nocturnis porro conventibus, usque ad secundum Psalmum venia tarde venientibus conceditur. Porro Fratres per hebdomadas sibi succedunt in coquina & in aliis officiis, cum multi laboris levandi causa, tum ut caritatis legem mutuis officiis impleant. Tanta autem humilitate & solicitudine ministeria implent, quantam ne servi quidem cum heris suis adhibeant. Completa hebdomade, Dominica die post matutinos hymnos, ingredientibus aliis ad serviendum, vasa officii sui signata tradunt: quæ accepta alii tanta cura & solicitudine custodiunt, ut ne eorum quidpiam vel frangatur vel pereat, quantam is adhibeat cui vasa sacra ac Deo dicata committuntur. Nam sese præparant ad rationem reddendam, non solum œconomo in præsenti tempore, sed etiam Deo in futuro, si aut negligentia aut segnitie eorum quidpiam perierit. Ad majorem porro dictorum fidem, quæ meis ipsa oculis perspexi narrabo. In hebdomade cujusdam Fratris, pertransiens œconomus, pauca lenticulæ grana humi projecta vidit, neque despexit quasi rem nullius pretii; sed multis increpatum Fratrem, cui hebdomas illa concredita erat, pœna mulctavit, quasi negligentem ea quæ Deo dicata essent, & conculcantem propriam conscientiam. Tanta enim cura & solicitudine omnia servant, omnia administrant, ut ea quæ nobis vilia & despicabilia videntur, magna adtentione custodiant; ita ut male positum vas transferant, projectum colligant, credentes sa a Domino Deo harum quoque rerum mercedem accepturos. Has hebdomadum regulas per totum Orientem observari deprehendimus. Apud Ægyptios autem non ita hebdomadum vicissitudo servatur; sed alicui Fratrum probatissimo culinæ cura committitur, quanto scilicet tempore virtus ejus augmentum accipit, vires corporis in officii functione suppetunt, nec senectus infirmitasve prohibet. Cum autem nobis sermo fit de obsequentia & de humilitate, per quas ad supremum virtutis fastigium possumus pervenire, operæ pretium duco pauca ex multis præclare gestis a sanctis Patribus qui in cœnobiis effulsere, exempli causa, narrationi adjicere nostræ.

Cassian. Instit. l. 4. c. 20. *Ibid. c. 22.*

Muthii Historia. Cassian Instit. l. 4. c. 27. alii putant. vellius legi Patermuthius una voce, qua de re alibi

9. Erat quidam Pater Muthius nomine, qui cum vellet mundo renuntiare, accedens ad cœnobium, diu ante fores Monasterii perseveravit, donec ob summam ejus patientiam cum parvo filio præter assuetam Monasterii legem, admissus est. Ac cum post multos labores ingressus fuit, non modo variis operibus ambo traditi sunt, sed separati etiam fuere quoad cellulæ habitationem, ut disjunctione illa paulatim mutua illa naturali adfectione liberarentur; qua item, Christi gratia, per multam exercitationem pater liberatus est. Ad probationem autem & experimentum virtutis ejus simulabat aliquando Abbas se ira adversus puerum concitari, jussitque supradicto ejus Patri ut sublatum projiceret in fluvium. Tum ille, quasi Deo jubente ut tolleret filium suum, concitato cursu ad ripam fluminis advenit, ac dum jussum implere ex ardenti fide, & ex fervore obedientiæ properaret, prohibitus est a Fratribus qui prævenere illum & filium abripuere. Usque adeo autem ejus fides & obedientia Deo accepta fuit, ut a Deo revelatum fuerit Abbati, ipsum Abrahami opus perfecisse. Parvo autem elapso tempore prædictus cœnobii Abbas cum obiisset, eum successorem sibi reliquit.

Cap. 19.

10. Alium novimus Fratrem, qui sæculo sese abdicavit, qui etiam in mundo insignis erat (Pater quippe ejus Comes bellum gerebat, diversque erat) nec mediocriter eruditus ac lectionis studiosus. Hic igitur sæculari relicto fastu, ad Monasticam se contulit vitam: atque ad probationem fidei & humilitatis suæ jubetur ab Abbate decem sportas deferre, & in propria urbe, nec una omnes sed singulatim eas vendere: quod ille cum omni patientia & humilitate complevit, sportasque imponens humeris sigillatim vendidit; non ille rei vilitatem, non generis nobilitatem secum reputavit; studebat enim Christi humilitatis imitator effici.

Alia Historia. Cassian. Instit. l. 4. c. 29.

11. Alium item quemdam ex Patribus vidimus Abbatem Pinophan, virum omni virtute ornatum, qui erat antiquus & Abbas magni cœnobii, quod in Ægypto situm est prope urbem Panepho: is cum sese videret tum ob vitæ institutum, tum ob senectutem & Præfecturam laudari & celebrari ab omnibus, nec posse, quemadmodum initio suæ conversionis studio humilitatis seipsum exercere; iis permotus, ob desideratam sibi subjectionem in qua vocatus fuerat, clam aufugiens ex suo cœnobio, secessit solus ad extremas Thebaidis partes: sublatoque Monachi vestimento, indutisque sæcularibus vestibus Tabennesiotarum cœnobium petiit, ratus in eo se latere posse, cum ob multitudinem Fratrum, tum quia multum abesset a regione, in qua situm erat cœnobium suum. Ibi cum multis diebus postulasset, receptus est ab Archimandrita, qui ipsi utpote seni & ad nihil aliud utili, curam tradidit horti, unaque alii Fratri, cui subditus cum esset desideratam sibi humilitatem & obedientiam colebat. Neque illo solo contentus ministerio; quæcumque opera aliis dura & difficilia videbantur, ea ille alacriter absolvebat. Cum ita latenter triennium peregisset, a Discipulis suis per totam Ægyptum perquisitus, a quodam Fratre, vix demum agnitus est, qui eo advenerat, quique viso illo & agnita vultus ejus forma, cum dubitaret adhuc, vocem ejus audire conatus est: neque enim ex solo visu certus erat, virum conspicatus senem, ligone terram fodientem, fimum humeris gestantem, ut ad olerum radicem deponeret. Cum igitur vocis sonum observans, deprehendit quisnam esset, prostratus ante pedes ejus, magno spectatores stupore perculsit, quod ita erga hominem se gessisset qui apud se novitius, relicto haud ita pridem mundo, ultimus habebatur. Magisque obstupuere, cum didicere nomen; erat enim antea magnæ apud eos famæ: ac veniam postularunt, quod eum ignari, cum postremis novitiis constituissent. Illumque multis hortati verbis, ad cœnobium suum invitum remisere, atque deplorantem quod concessum sibi non esset dilectam exercere humilitatem & obedientiam. Brevi igitur exacto tempore in Monastario suo, humilitatis rursum & obedientiæ desiderio ardens, observata noctis hora aufugit, non ulterius ad peregrinam regionem: conscensa quippe navicula ad partes venit Palæstinæ, sperans se illic ad finem usque latere posse. In Palæstinam cum advenisset Monasterium petiit, situm prope speluncam in qua Christus Dominus natus est, in quo Monasterio tum commoratus est. Non potuit tamen ibi latere juxta Domini vocem illam: *Non potest civitas abscondi supra montem posita*. Cum enim ex Ægypto Fratres venissent pro adoratione sacrorum locorum, agnitum illum multisque supplicationibus ac fletibus persuasum, rursus ad proprium abduxerunt cœnobium. Cum hoc igitur Sancto in Ægypto modico tempore habitavi: finemque faciam

Historia Pinophæ. Cassian. Instit. l. 4. c. 30. ubi Abbas vocatur Pinufius. *Ibid. c. 31.* *Matth. 5. 15*

Cap. 81. ciam sermonis narrando quæ audivi ab illo commonente fratrem, quem me præsente admisit.

Pinophæ ad Novitium exhortatio. Cassian. Inst. l. 4. c. 32. 33.

12. Nosti, inquit, Frater, quot diebus ante januam Monasterii peractis, admissus hodie fueris: quod si causam didiceris hujusmodi difficultatis, poterit illa tibi in hac, quam inire cupis, via, utilitatem ferre, atque te fidelem Dei servum efficere. Ut enim fideliter Domino servientibus gloria & honor in futurum promittitur; ita gravissima imminent supplicia iis qui molliter segniterque eam adeunt promissionem. Melius quippe est, juxta Scripturam, votum non facere, quam factum non reddere. Rursumque dicitur: *Jerem. 48. 10.* *Maledictus qui facit opus Domini negligenter:* eapropter te repulimus atque admittere cunctati sumus, non quod tuam omniumque illorum qui in Christum credunt salutem non exoptemus; sed ne temere te ac nullo negotio admittentes, nos quidem a Deo, * vel orantes, lenitatis nimiæ pœnam luamus, te vero reum gravioris supplicii constituamus, si te jam facile, priusquam didiceris gravitatem & accurationem promissi, admittamus, & tu postea mollis segnisque evaseris. Idcirco, ut supra dictum est, causam tuæ abdicationis ediscere te oportet, quid scilicet agendum tibi sit. *Inst. l. 4. c. 34. 35.* Abdicatio itaque nihil est aliud quam crucis & mortis promissio. Scito ergo ab hac te die mortuum crucifixumque esse mundo, mundumque tibi, juxta Apostolum: & edisce quænam sit crucis virtus: quandoquidem non ulterius tu vivis, sed ille in te vivit qui pro te crucifixus est. Hoc itaque typo quo Dominus pro nobis suspensus est, & nos necesse est in cœnobio agere, ut orat beatus *Psalm. 118. 120.* David, cum timore Domini postulat configi carnes suas. Quemadmodum enim qui corpus ligno adfixum habet, ad quamlibet actionem immotus est; sic qui divino timore confixam habet cogitationem, immotus est ad omnem carnalem concupiscentiam. Et sicut qui cruci est adfixus quæ præsentia sunt non ultra cogitat; neque propria voluntate dirigitur, non concupiscentia turbatur, non cura possidendi detinetur, non superbia inflatur, non contentione, non invidia exardescit, non dolet de præsenti contumelia, non præteritarum meminit injuriarum: nam post paulum temporis finem exspectat vitæ suæ per crucem scilicet; sic qui sincere mundo abrenuntiavit, & Dei timore quasi in cruce confixus est, hujusce vitæ exitum quotidie exspectans, immotas & imbecillas habet omnes concupiscentias omnesque carnales adfectus.

Cassian. Inst. l. 4. c. 36.

13. Cave igitur ne quando ea resumere concupiscas quæ in abrenuntiatione tua dimisisti. Nam juxta *Luc. 9. 62.* Domini sententiam: *Qui injicit manum ad aratrum & retro convertitur, non est aptus ad regnum cælorum*, & qui ex sublimi vitæ instituto ad viles ac terrenas hujus mundi res descendit, is contra Domini præceptum agit, cum ex domo descendit, & conatur aliquid ex domo auferre. Cave itaque ne antiqui tui erga carnales parentes affectus recordatus, & ad sæculi hujusce curas conversus, non aptus juxta Domini vocem inve- *Matth. 5. 19.* niaris in regno cælorum. Cave ne superbiam, quam initio per humilitatis fervorem conculcasti, rursum in te excites. Ubi Psalterium didiceris, aut aliquid ex Scriptura: vel juxta Apostoli vocem, cum ea quæ destruxisti rursum ædificas, ne te transgressorem exhibeas; sed potius ut incœpisti & professus es humilitatem, coram Deo & Angelis ejus ad finem usque servato. Similiter quam humilitatem in Monasterio exhibuisti, cum multis diebus pro foribus Monasterii cum lacrymis supplicans perseverasti, cura ut augeas. Misera prorsus res esset, si cum te deceat quotidie ad fervorem addere tuum, & profectu assiduo ad perfectionem ascendere, eum imminuas & ad inferiora revertare. Non enim ille beatus qui bonum agere incipit; sed quicumque ad finem usque in eo perseveraverit. *Cassian. Inst. l. 4. c. 37.* Nam serpens qui ad terram trahitur, calcaneum nostrum semper observat, id est, obitui nostro insidias parat, & usque ad finem vitæ nostræ nos supplantare conatur. Quare nihil proderit probe incepisse, nihil initium fervens obedientiæ, nisi finis similiter consequatur. Et ea quæ secundum Christum est humilitas, quam nunc promisisti, non firmabitur, nisi eam ad finem usque exhibueris. Quamobrem ut illam possis perfecte possidere, atque caput draconis conterere, cum te invaserint cogitationes, mature ab ipso principio revelato illas. *Ibid. c. 38.* Nam si ita publicaveris ab initio perniciosas draconis cogitationes, si non te pudeat eas patri tuo declarare, conteres caput ejus. *Genes. 3. 15.* Enimvero juxta divinam Scripturam, si accesseris ad serviendum Deo, *Eccli. 2. 1.* præpara teipsum, non ad incuriam, non ad otiositatem; sed ad tentationes, ad tribulationes. Nam, *Act. 14. 22.* *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*; & *Matth. 7. 14.* *Angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Animum itaque paucis illis bonis adhibe, & ex eorum exemplo vitam institue tuam; nec attendas pigris & contemtoribus quantumvis multi numero sint: *Matth. 20. 16.* *Multi enim*, inquit, *vocati*, *pauci vero electi:* *Luc. 12. 32.* & parvus grex est cui placuit Patri dare regnum. Ne parvum etenim existimes esse peccatum, perfectionem polliceri, & negligentiores atque segnes imitari. Ut valeas itaque ad perfectionem pervenire, hoc utere instituto, his ascende gradibus.

Cassian. Inst. l. 4. c. 39.

14. Primus virtutis gradus & initium nostræ salutis est timor Dei: per eum namque peccatorum fit purgatio, & virtutum custodia viaque ad perfectionem obtinetur. Nam cum in animam ingressus fuerit timor Dei, suadet ille ut omnia mundana despiciamus; hinc oritur cognatorum universique mundi oblivio. Ex his porro humilitas omnium caput virtutum, omniumque bonorum complementum exercetur; nam ex contemtu & privatione rerum omnium accedit humilitas. Humilitas vero his comprobatur indiciis. Primum, si quis mortificatas in se habeat proprias voluntates. Secundum si non modo operum, sed etiam cogitationum suarum nihil Patri occultet. Tertium, si non propriæ credat prudentiæ, sed in omnibus Patris sui discretioni, semperque sitiat, exoptet, suaviter auscultet ejus admonitiones. Quartum, si Patris jussa omnia absque pudore exsequatur. Quintum, si non modo ipse non ausit aliis contumelias inferre, sed si ab aliis illatas cum gaudio suscipiat. Sextum, si nihil novi facere aggressus fuerit, quod nec communis regula, nec Patrum exempla permittant. Septimum, si omni vilitate contentus, de datis sibi rebus gratias agat, seque iis indignum existimet. Octavum, si se omnibus plane inferiorem existimet, * nec sit verbis temerarius. Decimum, si non sit in sermone facilis & lingua præceps. His & similibus signis dignoscitur humilitas. Hæc cum revera exhibita fuerint, cito ad dilectionis fastigium adducunt, in qua non est timor gehennæ, & per quam omnia non jam ex necessitate & cum labore perficiuntur; sed ex amore fervendi, & ex boni concupiscentia. *Cassian. Inst. l. 4. c. 40.* Quam virtutem ut possis facilius adipisci, pro exemplari tibi sint verba Fratrum una tecum concurrentium, pietatemque possidentium: non autem eorum qui plures numero, negligentius segniusque vitam exigunt. Ex Sanctorum enim imitatione æmulationeque ingens volentibus ad perfectionem contendere accedit utilitas.

** Cassian. ibid. Nono, si linguam cohibere, vel non sit clamosus in voce.*

Cassian. Inst. l. 4. c. 41.

15. Si vis itaque facultatem tibi esse hæc omnia exsequendi, & sub his in spirituali cœnobii certamine ad finem usque perseverare, necessaria tibi ad custodiam

in

Psal. 37. 14. in cœtu Fratrum fuerint, ea quæ David ait: *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut homo non audiens & non habens in ore suo redargutiones.* Quotiescumque igitur aliqua videris aliena ab ædificatione & utilitate, esto quasi cæcus; & si qua audieris his similia, fias quasi surdus & mutus, & non habens in ore tuo redargutiones. Neque imiteris eos qui infideles, inobsequentes, petulantes, scurriles, contumeliosi sunt: sed quasi mutus & non audiens hæc prætermittas. Si quis tibi increpationes, opprobria, contumelias inferat, immotus esto quasi frænatus, & quasi mutus: *Psal. 38. 2.* hunc tibi Psalmi versum assidue repete: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui & humiliatus sum.* Ad hæc & illud quartum ante omnia meditare; & observa quod tria *1. Cor. 3. 18.* ista superius dicta ornare poterit; ut scilicet te stultum & insipientem, juxta Apostoli præceptum in hoc sæculo efficias, ut sis sapiens; videlicet nihil dijudicans aut dubitans in quibuscumque tibi mandatis, simplicitate nempe & fide obedientiæ instructus. Inter sancta omnia id solummodo sanctum, illud sapiens, illud utile credas, quod a Patre tuo jussum tibi fuerit. Hoc proposito si cor tuum firmaveris, poteris ad finem usque Christi jugum obedientiæ sustinere, & nulla ex diaboli tentationibus & artibus *Cassian. Inst. l. 4. c. 42.* excutere te poterit ex scientia vitæ. Patientiam vero tuam, humilitatem, æquanimitatem, ne exspectaveris ex aliorum virtute statuere; si videlicet nemo te stimulet, nemo despiciat, nemo dedecore adficiat: quod sane neque virtutis tuæ argumentum est, nec in tua est facultate: sed si opprobria, contumelias, contemtus libenter feras; id enim tui est arbi*Ibid. c. 41.*trii. Ut igitur quæ fusius supra diximus, jam compendio dicamus, ut eorum facilius memineris, audi rursus qui poteris per ordinem ad perfectionem pervenire. Principium salutis nostræ timor est Dei: ex eo gignitur bona obedientia: hinc oritur subjectio & contemtus rerum mundi: ex hac humilitate nascitur propriarum voluntatum mortificatio: ex propriarum voluntatum mortificatione, exsiccantur voluptatum radices: his autem omnes animæ imperfectiones eliminantur, quarum expulsione crescunt fructumque ferunt virtutes. Ex virtutum incremento gignitur puritas cordis: puritatem cordis consequitur Apostolica perfectio; gratia & auxilio Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum, amen.

Ejusdem magni Athanasii ad eumdem Castorem, De octo malitiæ cogitationibus.

Cass. Inst. l. 5. c. 1. & seq. 1. CUM prius de constitutione Cœnobiorum verba fecerimus, vestris freti orationibus, jam scribere aggredimur de octo malitiæ cogitationibus, edacitate scilicet, fornicatione, avaritia, ira, tristitia, *De Abstinentia.* pigritia, vana gloria & superbia. Primum itaque de abstinentia dicetur a nobis, quæ edacitati opposita est: agemus item de jejuniorum modo, de qualitate & quantitate alimentorum. Et hæc non ex nobis ipsis dicturi sumus; sed ea quę accepimus a sanctis Patribus nostris. *Inst. cap. 5.* Illi itaque non unam jejunii regulam, neque unum comestionis modum, neque eamdem ipsam omnibus mensuram tradidere, quia non omnes ejusdem sunt roboris, vel ætatis, & quia alii infirmitate corporis laborant, alii delicatiore sunt corpore. Unum autem omnibus tradidere scopum, ut fugiant crapulam, & ventris saturitatem aversentur: ac experimento comprobatum dixerunt utilius esse quotidianum jejunium, atque ad puritatem magis conferre, quam si ad tres vel quatuor dies, aut ad hebdomadam usque jejunium protrahatur. Ajunt enim eum qui immoderate jejunium protrahit, ultra mensuram sæpe cibo uti; ita ut hinc sæpe accidat ut aliquando quidem ex nimia abstinentia in languorem corpus incidat, & ad spiritualia ministeria segnius evadat; aliquando contra multitudine alimentorum oneratum, pigritiam mollitiemque animi ingeneret. Rursum non omnibus competere olerum usum, non omnibus item leguminum, non posse omnibus sicci panis alimentum sufficere: item esse qui manducatis panis duabus libris adhuc esuriant, alios qui una libra, immo sex unciis satientur. Omnibus itaque, ut dictum est, unum abstinentiæ scopum tradiderunt, ut non decipiantur saturitate ventris, neque trahantur gulæ voluptate. Non solum enim qualitatis differentia, sed etiam magna ciborum quantitas, igni*Inst. l. 5. c. 6.*ta peccati tela solet accendere. Quocumque enim cibo venter impleatur, libidinis semina gignit. Ac rursum non vini solum crapula; sed etiam aquæ plenitudo, ac quorumlibet ciborum redundantia, hominem aggravant, ac torpentem dormitantemque reddunt. Sodomitis non vini, non variorum ciborum crapula sub*Ezec. 16. 49.*versionis causa fuit, sed panis saturitas, juxta Prophetam. *Cap. 7.* Infirmitas corporis puritati cordis non adversatur. Ea itaque corpori tribuas quæ infirmitas ejus postulat, non quæ voluptas expetit. Ciborum usus adhibetur quantum ad vitam fovendam necessarium est, non ut impetui concupiscentiæ serviatur. Moderata & rationabilis cibi sumtio, sanitatem corporis conciliat, nec sanctitatem aufert. *Cap. 8.* Hæc norma & regula est abstinentiæ accurata, a sanctis Patribus tradita, ut instante adhuc appetitu, cibi sumendi finem faciat qui comedit. Et Apostolus dum ait: *Carnis curam ne feceritis in desiderio*; *Rom. 13. 14.* non solicitudinem vitæ necessariam prohibuit, sed curam vetuit fovendæ voluptatis. *Inst. l. 5. c. 6.* Ceterum ad perfectam animæ puritatem, sola ciborum abstinentia non sufficit, nisi concurrant ceteræ virtutes. Humilitas itaque per obedientiam in opere, & per afflictionem corporis magna nobis confert bona. Illud est avaritiæ expertem esse, non modo pecunias non habere, sed ne concupiscere quidem illarum possessionem. Animam ad puritatem adducit cohibitio iræ, tristitiæ, vanæ gloriæ, superbiæ. Hæc omnia universam animæ puritatem efficiunt. Puritatem autem illam animæ peculiarem, quæ per temperantiam obtinetur, abstinentia in primis & jejunium efficiunt. Impossibile quippe est eum qui satur ventre est, animo decertare adversus spiritum fornicationis. *Inst. l. 5. c. 14.* Primum itaque nobis sit certamen, ut ventri imperemus, corpusque in servitutem deducamus: non modo per jejunium, sed etiam per vigilias, laborem, lectionem, item animo concipiendo gehennæ timorem, & desiderium regni cælorum.

Cass. Inst. l. 6. cap. 1. 2. Secundum nobis est certamen adversus spiritum fornicationis & concupiscentiam carnis, quæ concupiscentia a primæva ætate molestiam homini creare incipit. Magnum illud graveque certamen, duplici constans lucta; duplex enim est, cum in corpore & in *De Continentia & Castitate.* anima committatur. Quapropter duplici oportet cum illo pugna confligere. Neque enim corporale jejunium satis est ad perfectæ temperantiæ possessionem & ad veram castitatem, nisi adsit oratio ad Deum assidua, frequens divinarum Scripturarum meditatio, labor & opus manuum, quæ instabiles animæ impetus comprimere possunt, atque illam ex obscœnis cogitationibus revocare. Ad id præsertim confert animæ humilitas, citra quam nec fornicationem, nec ceteras *Inst. l. 6. c. 2.* passiones valebit quispiam superare. Cum primis itaque oportet omni custodia cor servare a sordidis cogi*Prov. 4. 23.*tationibus. Ex eo namque prodeunt juxta Domini vocem

Matth. 15. 19. cem cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes
& cetera. Jejunium quippe non modo ad afflictionem
corporis injunctum nobis est, sed etiam ad temperan-
tiam mentis, ne ciborum multitudine obtenebrata,
non possit cavere a cogitationibus. Oportet igitur non
solum jejunio corporali omnem curam impendere, sed
etiam adtentioni ad cogitationes, & spirituali medita-
tioni, citra quas impossibile est ad cacumen veræ casti-
tatis & puritatis adscendere. Convenit igitur, juxta
Matth. 23. 26. Domini vocem, nos interiora calicis & paropsidis
mundare, ut sint exteriora munda. Quapropter si cura
2. Tim. 2. 5. sit nobis, juxta Apostolum, legitime certandi, & coro-
nam accipiendi, devicto impuro fornicationis spiritu;
ne nostris viribus, ne nostræ ascesi confidamus, sed o-
pitulationi Domini Dei. Nullus enim homini finis
certaminis cum ejusmodi dæmone, donec revera cre-
dat, se non suo studio aut labore, sed Dei impulsu
& auxilio ab hujusmodi morbo liberari, & ad sum-
Inst. l. 6. c. 6. mum castitatis fastigium ascendere. Enimvero su-
pra naturam res est, & aliquo modo extra corpus exsi-
stit, qui stimulos carnis ejusque voluptates calcavit.
Quare impossibile est hominem, suis, ut ita dicam,
pennis, ad hoc cacumen, & ad bravium sanctitatis
advolare, Angelorumque imitatorem effici; nisi il-
lum gratia Dei ex terra & cœno educat. Nulla enim
virtute homines carne illigati cælestibus Angelis si-
miliores efficiuntur, quam temperantia: per eam e-
Philipp. 3. 20. nim dum adhuc in terra degunt, habent juxta Apo-
Inst. l. 6. c. 10. stolum conversationem in cælis. Illud autem est vir-
tutis hujusce a nobis adquisitæ indicium: si nulla ob-
scœnæ phantasiæ imago dormientis subeat animum.
Etiamsi enim peccatum non reputatur hujusmodi mo-
tus, signum tamen est ægrotantis ac nondum passione
tali liberatæ animæ. Quamobrem obscœnas illas
phantasias inter dormiendum occurrentes putare de-
bemus esse præcedentis segnitiei argumentum, at-
que nostræ infirmitatis, morbumque in secreto cor-
dis nostri latentem aperit cessatio somnii expergi-
Ibid. c. 12. scentis. Quare animarum medicus in animæ pene-
tralibus medicinam reposuit, gnarus morbi causas
Inst. l. 6. c. 12. inibi esse, dum ait: *Qui respicit mulierem ad concu-*
Mat. 5. 28. *piscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*:
non tantum ut lascivos & curiosos oculos corrigeret,
sed multo magis animam intus sitam, quæ oculis ad
bonum sibi a Deo datis improbe est usa: quæ causa
est cur sapiens proverbium dicat, non, Omni cu-
Prov. 4. 23. stodia serva oculos; sed, *Omni custodia serva cor tuum.*
Illi scilicet maxime custodiæ remedium applicat,
Inst. l. 6. c. 13. quæ oculis arbitrio suo utitur. Itaque hæc sit pur-
gationis nostræ prima custodia; ut cum mentem no-
stram mulieris memoria, diabolica operatione sub-
ierit, etiamsi matris, aut sororis, aut piarum a-
liarum mulierum, mature illam ex corde nostro eji-
ciamus: ne si in tali cogitatione diutius immore-
mur, seductor ac malorum auctor ille, ex ejusmodi
vultuum phantasia, in obscœnas & damnosas cogita-
tiones mentem devolvat ac præcipitet; quemadmo-
dum præcipitur mandato illo Dei ad primum ho-
minem dato, ut nimirum observaret caput serpen-
tis, id est, principium damnosæ cogitationis, qua
in animam nostram irrepere nititur; ut ne admis-
so capite, id est, prima cogitationis irruptione, re-
liquum serpentis corpus, scilicet consensum volu-
ptatis admittamus; atque hinc demum in nefarium
facinus mentem ille dejiciat: sed par est, uti scriptum
Psal. 100. 8. est, in matutino interficere omnes peccatores terræ;
id est, lumine cognitionis internoscere atque disper-
dere cogitationes ad peccatum deducentes; ex terra,
scilicet ex corde, juxta Domini vocem. Et dum
Psal. 136. 9. adhuc parvuli sunt filii Babylonis, seu malæ co-
gitationes, tum eos solo æquare atque allidere o-

A portet ad petram, quæ est Christus. Si enim con-
sensu nostro ad virilem perveniant ætatem, non
citra magnos gemitus & labores superabuntur. Ad
ea autem quæ superius ex Scriptura sacra dicta sunt,
adjicienda sanctorum Patrum dicta. Dictum est i-
taque a sancto Basilio Cæsareæ Cappadociæ Epis- Inst. l. 6. c. 19.
copo: Mulierem ignoro, nec tamen virgo sum; ns- Basil.
que adeo exploratum habuit, non sola corporali
temperantia a muliere, virginitatis donum recte pos-
sideri; sed multo magis animæ sanctitate puritateque
ac timore Dei haberi solere. Ajunt item Patres, non
posse nos castitatis perfectæ virtutem possidere, ni-
B si prius veram in corde humilitatem possideamus:
neque vera cognitione dignos haberi quamdiu in ani-
mæ penetralibus fornicationis adfectus situs erit. Ut
autem magnam hujusmodi virtutem ex Apostolo ipso
palam faciamus, unam ejus memoremus sententiam,
qua loquendi finem faciemus. *Pacem*, inquit, *sequi-* Hebr. 12. 14.
mini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo vi-
debit Dominum. Quod enim ea de re loquatur, propa-
lam est ex iis quæ subjunxit, cum ait: *Ne quis forni-* Ibid.
cator, aut prophanus, ut Esau. Quanto itaque ma-
gis cælestis & Angelica est virtus castitatis, tanto
gravioribus ab inimico insidiis oppugnatur. Quam-
C obrem curare debemus non modo ut corporis tem-
perantiam servemus, sed etiam contritionem cordis,
ac frequentes cum gemitibus orationes fundamus;
ita ut nostræ carnis fornax, quam rex Babyloni-
cus stimulis concupiscentiæ quotidie accendit, rore
præsentiæ sancti Spiritus exstinguatur. Ad hæc ma-
ximum nobis telum adversus ejusmodi hostem sup-
petit, vigiliæ scilicet in Deo servatæ. Quemad-
modum enim castitas, & diurna custodia, nocturnam
præparant sanctitatem; ita nocturnæ in Deo vi-
giliæ diurnam * * *

D 3. Tertium nobis est certamen contra spiritum a- De Avaritia & de Paupertate. Cassia. Inst. l. 7. c. 1. 2.
varitiæ: extraneum est hujusmodi bellum, ac extra
naturam esse deprehenditur, atque incredulitatis occa-
sione Monacho contingit. Enimvero aliorum adfectuũ
stimuli, iræ scilicet & concupiscentiæ, ex corpore occa-
sionem habere videntur, ac quodammodo insiti sunt, &
ex nativitate principium habent: quæ causa est ut non-
nisi diutino tempore superentur. Avaritiæ autem mor-
bus extrinsecus adveniens facilius exscindi potest, dum
adsit cura & animi adtentio. At si negligatur, pernicio-
sior aliis adsectibus est, atque exsecrandus evadit: nam
radix omnium malorum est juxta Apostolum. Verum 1. Tim. 6. 10.
E hac ratione ista consideremus. Naturales corporis mo- Inst. l. 7. c. 3.
tus, non solum in pueris conspiciuntur, in quibus non-
dum est discretio boni & mali, sed etiam in quam mi-
nimis & lactentibus infantibus, qui cum carnalis vo-
luptatis ne vestigium quidem habeant, in carne tamen
motum exhibent. Iræ similiter stimulus in infantibus
comparet, ubi illos adversus eos qui sibi molestiam cre-
ant commotos cernimus. Hæc porro dico, non quo na-
turæ ut peccati causæ convitier, absit; sed ut ostendam,
tametsi ira & concupiscentia homini a creatore Deo
ad bonum collatæ sunt, videri tamen eum quodam-
modo ex corporis natura in ea quæ præter naturam
F sunt segnitie sua delabi. Nam corporis motus ad libe-
rorum procreationem, & ad generis humani successio-
nem continuam, non ad scortationem a creatore datus
est, & iræ commotio ad salutem nobis insita est; ut ad-
versus peccatũ irascamur, non ut adversus congenerem
nobis furore concitemur. Si ergo iis perperam utimur, Ibid. c. 4.
nequaquam ideo peccat natura, neque ideo opificem
incusemus; sicut nec eum qui in rem necessariam &
utilem ferrum dedit, si is qui accepit ad cædes perpe-
trandas eo utatur. Hæc vero diximus ut ostendere-
mus, avaritiæ adfectum non ex naturali motu initi-
um habere, sed ex sola malitia, & ex corrupto proposi-
to.

[Cap. 7.] to. Hujusmodi namque morbus cum tepidam & incredulam initio secessus animam repererit, justas quasdam, ac specie quidem rationabiles causas subjicit, ut quidpiam ex possessionibus retinere suadeat: Monachi enim animo repræsentat longam senectutem, & corporis infirmitatem: quod quæ ad necessitatem in cęnobio dantur, satis ad consolationem non sint, non infirmo solum, sed neque incolumi: quod ibi non idonea infirmorum solicitudo geratur, sed quod multum negligantur, adeo ut si nihil auri clam suppetat, misere intereundum sit. Demum subjicit, non posse in Monasterio diu perseverari ob gravitatem operum & ob Patris severitatem. Ac cum ejusmodi cogitationibus animum subornarit, ut vel denarium unum retineat, tum suadet illi ut clam Abbate artem ediscat, qua poterit studiose asservatam augere pecuniam: demum occulta spe miserum decipit, subjiciendo lucrum ex arte sua obventurum, hincque fore quietem, animumque curis vacuum. Ac demum lucri cogitatione colligatus, nihil adversi considerat: non quanta futura sit ira, quantus furor, si contingat in detrimentum aliquod incidere, quanta męstitia, quantus dolor, si lucro operis sui privetur: sed sicut aliis venter Deus, perinde illi aurum est. Quocirca cum id probe nosset B. Paulus, non modo radicem omnium malorum, sed etiam idololatriam eam nuncupavit. Perpendamus itaque in quantā malitiam hic morbus hominē pertrahat, ut qui eum in idololatriam conjiciat. Postquam enim avarus mentem suā ab amore Dei avulsit, imagines hominum auro insculptas diligit: ejusmodique cogitationibus obtenebratus Monachus, dum ad pejora augmentum accipit; nullam deinceps humilitatem, nullam habere potest obedientiam; sed [Inst. l. 7. c. 8.] irascitur, indignatur, ad quodlibet opus murmurat, repugnat, nulla demum servata verecundia, quasi effrænatissimus equus in præcipitia fertur, nec diurno victu contentus, denique testificatur se non posse ultra sustinere: aitque non illic tantum esse Deum, nec salutem suam eo in loco inclusam esse; sed ubique Deum a quærentibus se inveniri: periturum se nisi eo Monasterio excedat; & [Inst. l. 7. c. 9. 10. 11. & seq.] sic cum ad corruptæ mentis suæ auxilium suppetat recondita pecunia, quasi quibusdam levatus alis, meditansque suum ex Monasterio exitum, superbe deinceps atque aspere ad omnia jussa respondet, seque velut peregrinum atque extraneum reputans, si quid in Monasterio emendatione dignum viderit, nihil curat, immo despicit. Dehinc quærit occasiones iracundiæ aut querelæ, ut ne videatur leviter & absque causa egredi ex cœnobio. Nec eo ille modo se gerere dubitat, ut delicti sui opitulatorem inveniat. Ita porro seductus avarus suarum igne pecuniarum, numquam in Monasterio potest quiescere, aut sub regula vivere. Cum autem illum dæmon ex ovili quasi lupus abripuerit, atque ex ovili segregatum, a se devorandum acceperit; tum curat ut opera quæ statis horis in cœnobio negligebat omnino, eadem, nocte & die magna cum alacritate in cella sua perficiat: neque finit eum precum consuetudinem, jejuniorum morem, vigiliarum normam observare; sed illi avaritiæ furore colligato suadet ad opus suum omne studium, omnem laborem impendere.

[Cass. Inst. l. 7. c. 24.] Hujusce vero morbi tres sunt modi a divinis Scripturis & a Patrum doctrina æque prohibiti. Primus de quo superius scripsimus, qui curat ut miseri, ea quæ ne in mundo quidem habuere, adquirant & accumulent. Alter id agit ut eos qui pecuniis renuntiarunt facti pœniteat: suadetque illis ut requirant ea quæ Deo obtulere. Tertius is est qui cum initio Monachum incredulitatis tepiditate illigarit, non finit eum perfecte mundanis abrenuntiare rebus, animo sub- [A] jiciens metum paupertatis, atque diffidentiam Dei providentiæ: illumque promissorum violatorem exhibet esse, eorum scilicet quæ professus est dum mundo abrenuntiaret. Horum porro trium modorum exempla in divina Scriptura abscondita reperimus. Nam Giezi quod pecunias quas ante non habuerat [4. Reg. 5. 27.] concupivisset, privatus est prophetiæ gratia, quam volebat illi Magister ejus hæreditatis loco relinquere: & pro benedictione, per Prophetæ maledictum æternam possedit lepram. Judas vero cum vellet pecu- [Matth. 27. 5.] nias resumere, quas ante ut Dominum sequeretur, abjecerat; non solum cum ad Domini proditionem a- [B] nimum adpulisset, ex choro Apostolorum extrusus est, sed ipsam carnalem vitam violenta morte terminavit. Ananias & Sapphira, cum quædam ex iis quæ [Act. 5.] Domino consecrarant reservassent, Apostolico ore mortis pœnam luunt. Magnus autem ille Moyses [Inst. l. 7. c. 21.] in Deuteronomio mysticum dat præceptum iis qui mundo renuntiaturi sunt, & quodam diffidentiæ metu terrenis adhuc inhærent: *Si quis ho-* [Deut. 20. 8.] *mo timidus sit & corde pavidus, is non prodibit ad bellum: abeat domum, ibique molliter degat, ne forte pavorem incutiat cordibus fratrum* [C] *suorum*. Est-ne quidpiam hoc testimonio securius atque liquidius? Nonne iis verbis ediscimus qui mundo renuntiamus, nobis perfecte renuntiandum, atque ita ad bellum procedendum esse; ne forte ex molli & corrupto initio alios ab Euangelica perfectione avertamus. Quandoquidem vero illud probe in Scriptura dictum: *Beatius est* [Inst. l. 7. c. 16.] *dare quam accipere*, male quidam interpretantur, [Act. 20. 35.] vimque litteræ faciunt, atque ad propriam fraudem & ad pecuniæ concupiscentiam dicti sententiam detorquent, necnon Domini doctrinam, quæ sic habet: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes &* [Matth. 19. 21.] [D] *da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me*: & judicant divitiarum facultatem paupertate feliciorem esse, seque ex hujusmodi abundantia posse indigentibus largiri; sciant hujusmodi homines se nondum mundo renuntiasse, neque ambulare in Monastica perfectione, quamdiu erubescunt pro Christo gloriosam cum Apostolo assumere paupertatem, atque ex opere manuum sibi egenisque subvenire. Quod si desiderent Monasticam opere complere promissionem, & cum Apostolo gloriam accipere, distribuiis veteribus divitiis, in fame, siti & nuditate, cum Paulo decertent bonum certamen. [2. Tim. 4. 7.] [E] Nam si ad perfectionem, necessariam reputasset ipse [Inst. l. 7. 17.] Apostolus veterum divitiarum possessionem, priorem suam dignitatem minime despexisset: se quippe illustrem & civem fuisse Romanum testatur. Qui autem Jerosolymæ domos vendebant & prædia sua, & [Act. 22 25.] ad pedes Apostolorum deponebant; nequaquam illud [Act. 4. 35.] egissent, si nossent, æstimare Apostolos felicius esse pecuniis suis ali, quam labore proprio & manuum opere. Liquidius autem eam rem docet Apostolus in sua ad Romanos epistola: *Nunc autem proficiscar in* [Rom. 15. 25.] *Jerusalem, ministrare Sanctis. Probaverunt enim Macedonia, & Achaia, collationem aliquam facere in* [F] *pauperes Sanctorum, qui sunt in Jerusalem*. Ipse autem vinctus plerumque & in carceribus, itinerisque incommodis subditus, atque eo impeditus, ne uti solebat, propriis manibus necessaria sibi pararet, ea se accepisse docet ab iis qui e Macedonia erant fratribus, quique sa convenerant, ajens: *Nam quod mihi* [2. Cor. 11. 9] *deerat suppleverunt Fratres qui venerunt a Macedonia*. Et ad Philippenses: *Quod in principio Euangelii cum* [Philipp. 4. 15.] *nulla Ecclesia communicavi in ratione dati aut accepti, nisi vobiscum solis: quia & Thessalonicæ semel & bis in usum mihi fuistis*. Sint itaque avari, juxta suam sententiam, Apostolo beatiores: quandoquidem ipsis

ex propria substantia, quæ sibi necessaria sunt, suppeditantur. Sed nemo nisi in extremam deciderit a- *Inst. l. 7. c. 18.* mentiam id proferre ausus fuerit. Si volumus itaque Evangelicum & Apostolicum sequi præceptum, atque universam supra Apostolos ab initio fundatam Ecclesiam; ne opinionibus nostris obtemperemus, nec ea quæ probe dicta sunt perperam intelligamus, ac repudiato tepido illo atque incredulo animi adfectu, accuratum Euangelii studium assequamur. Ea quippe ratione valebimus, sanctorum Patrum subsequi vestigia, atque a cœnobii scientia & instituto numquam abscedere, itemque revera huic mundo renun- *Inst. l. 7. c. 19.* tiare. Operæ autem pretium fuerit hoc loco sanctorum Patrum dicta memorare. Fertur itaque sancti *Basil.* Basilii Episcopi Cæsareæ Cappadociæ sermo ad quemdam Senatorium virum, qui tepide mundo abrenuntiavit, & qui ex pecuniis suis quidpiam reservavit, dictum ejusmodi: Et Senatorium perdidisti, & Mona- *Inst. l. 8. c. 20. & sequ.* chum non fecisti. Oportet igitur omni cura ex nostra exscindere anima radicem ac principium malorum omnium, avaritiam scilicet: compertissimum habentes, manente radice ramos pullulare, difficileque esse virtutem exercere, nisi in cœnobio degamus: in ipso *Act. 5.* enim etiam de necessariis rebus nihil curamus. Ananiæ & Sapphiræ damnationem præ oculis habentes, horreamus de antiquis facultatibus quidpiam nobis *4. Reg. 5. 27.* reservare. Similiter Giezi exemplum pertimescamus; qui avaritiæ causa æternæ lepræ traditus est. Caveamus ne nobis hujusce vitæ pecunias accumulemus, quas ne in hoc quidem mundo possedimus. Timeamus itidem, Judam laqueo pereuntem nobiscum reputantes, ne quidpiam servemus ex iis omnibus quibus cum contemtu renuntiavimus. Ad hæc omnia præ oculis semper habentes mortis incertam horam, caveamus ne, qua hora non putamus, veniat Dominus, conscientiamque nostram inveniat avaritia maculatam. Dicatque nobis illud quod diviti illi in *Luc. 12. 20.* Euangelio dictum est: *Stulte, hac nocte a te repetunt animam tuam, quæ autem parasti cujus erunt?*

De Iracundia. Cassian. Inst. l. 8. c. 1. 4. Quartum nobis est certamen adversus spiritum iracundiæ, ut cum Deo mortiferum hujus venenum ex intimo animæ nostræ exscindamus. Eo enim intra cor nostrum reposito, ac tenebrosis tumultibus oculum mentis excæcante, nullam eorum quæ consentanea nobis sunt discretionem habere valemus, neque spiritualis cognitionis comprehensionem invenire, nec veræ vitæ participes effici, nec mens nostra divinæ ac veræ lucis capax erit. Nam, *Psalm. 6. 8.* *Turbatus est*, ait, *a furore oculus meus.* Neque sapientiæ participes erimus, etiamsi nobis ipsis sapientes videamur, cum scriptum sit: *Furor in sinu insipientium habitabit:* sed neque salutares discretionis radios consequi possumus, etsi ab hominibus perquam sapientes existimemur; scriptum quippe est: Ira etiam prudentes disperdit: neque justitiæ gubernacula vigilanti corde retinere vale- *Jacob. 1. 20.* mus, cum scriptum sit: *Ira viri justitiam Dei non operatur:* neque omnium ore celebratam modestiam decentiamque obtinere possumus; quandoqui- *Prov. 11. 25.* dem scriptum est: *Vir iracundus modestus non est.* *Inst. l. 8. c. 5.* Qui voluerit ergo ad perfectionem adtingere, qui exoptat spirituale certamen legitime obire, ab omni delicto iræ furorisve alienus sit, audiatque *Ephes. 4. 31.* quid præcipiat vas illud electionis: *Omnis amaritudo & ira & indignatio, & clamor & blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.* Cum ait autem *omnem*, nullam nobis indignationis occasionem, vel quasi necessariam, vel quasi consentaneam reliquit. Qui igitur errantem Fratrem corripere aut castigationem ipsi inferre voluerit, studeat se se commotionis perturbationisque ex-

A pertem custodire; ne dum alium vult curare, morbum sibi trahat, neve dicatur ei Euangelicum illud: *Medice cura teipsum:* ac rursum: *Quid tu* *Luc. 4. 23.* *vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem* *Matt. 7. 23.* *in oculo tuo non intelligis? aut quomodo dices fratri tuo: Sine, ejiciam festucam ex oculo tuo, qui trabem in proprio oculo habes aperientem illum?* Qualibet enim de causa, iræ motus effervescat, mentis o- *Inst. l. 8. c. 6.* culos excæcat, neque sinit hominem respicere Solem justitiæ. Quemadmodum enim qui oculis imponit aurea & plumbea metalla, æque impedit videndi facultatem, nec aurei metalli pretium aliquam facit B cæcitatis differentiam; ita ex qualibet causa iræ com- *Inst. l. 8. c. 7. 8.* motio accendatur, animæ videndi facultatem obtenebrat. Tunc solum juxta naturam indignatione utimur, cum adversus vitiosas & voluptarias cogitationes eam movemus. Id quippe nos Propheta David docet cum ait: *Irascimini & nolite peccare;* id *Psalm. 4. 5.* est, adversus proprias passiones iram movete, nec non adversus pravas cogitationes, neque agendo quæ vobis suggeruntur ab illis, peccetis: quam plane interpretationem declarat, quod sequitur: *Quæ dicitis,* *Ibid.* inquit, *in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini:* id est, cum ascenderint pravæ cogita- C tiones in cor vestrum, ejicite illas, concitantes adversus eas iram vestram; postquam vero ejectæ fuerint, quasi in lecto seu quiete, tum compungimini ad pœnitentiam. His porro consonat beatus Paulus, qui hujusce dicti testimonio est usus, atque illud adjecit: *Sol non occidat super ira-* *Ephes. 4. 26.* *cundiam vestram, nolite dare locum diabolo;* id est, ne pravis cogitationibus consentiendo, Solem justitiæ Christum irritantes, efficiatis ut occidat in cordibus vestris; ut ne ejus discessu locum in vobis inveniat diabolus. De isto sole ait Deus per Prophetam: *Inst. l. 8. c. 9. Malach. 4. 2.* D *Timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, & medicina erit in alis ejus.* Quod si dictum illud (Apostoli) ad litteram accipiamus, ne quidem ad occasum usque solis conceditur nobis ut iram servemus. Quid igitur de *Inst. l. 8. c. 10. 11.* illis dicemus, qui feritate, atque insania vitiati adfectus, non ad usque solis hujusce occasum tantummodo servant iram; sed etiam ad multos dies producunt eam, a mutuo colloquio abstinentes: neque verbis ulterius iracundiam exprimunt suam, sed silentio ad invicē servato, virus memoriæ injuriarum ad suam perniciem accendunt; ignorantes non modo a peccato quod opere perpetratur abstinendum esse; sed etiam ab eo quod in E mente concipitur; ne tenebris recordationis injuria- *Cap. 12.* rum obscurata mens, excidat a lumine cognitionis, ac discretionis, atque privetur sancti Spiritus habitatione. Quamobrem jubet Dominus in Euangeliis, relinqui munus super altare, & reconciliari fratri: quod fieri nequeat acceptum munus esse, nobis ira ac inju- *Mat. 5. 4. 1. Thess. 5. 17.* riarum memoria occupatis. Apostolus vero cum ait, sine intermissione orandum esse, in omnique loco elevandas esse sanctas manus, absque ira, etiamsi in sola cogitatione sit, id agendum esse docet. Restat igitur ut vel numquam oremus, atque ita obnoxii simus Apostolico præcepto; aut si præcepta servare curemus, F ut absque ira & recordatione injuriarum illud agamus. *Inst. l. 8. c. 13.* At quandoquidem plerumque contingit, ut contristatis aut perturbatis fratribus, nos rem contemnamus, atque dicamus, non nos in causa esse quod illi contristentur; animarum medicus, ut iræ occasiones radicitus evellat ex corde nostro, non modo si nos contrista- *Mat. 5. 4.* ti & irati simus in fratrem nostrum, jubet ut munus relinquamus, & reconciliemur ipsi; sed etiamsi ipse in nos jure an injuria irascatur, ut excusatione nostra iram ejus sedemus, & tunc munus offeramus. Sed quid *Inst. l. 8. c. 14. 15.* diutius Euangelicis & Apostolicis præceptis immoremur, cum ex veteri item lege liceat hoc ediscere: quæ

ta-

tametsi ex illa severitate deflectere ac sese adtemperare videtur, ita habet: *Ne oderis fratrem tuum in corde suo.* (Levit. 19. 17.) Ac rursum: *Viæ eorum qui injuriarum memoriam tenent, ad mortem.* (Prov. 12. 25.) Hoc enim loco non modo eam quæ in opus prorumpit, sed eam item quæ mente retinetur iram, vetat atque ulciscitur. Quamobrem oportet divinis legibus inhærentes, totis viribus contra spiritum iræ decertare, & contra morbum illum intra nos situm: neque contra homines iram concitare, ac ideo solitudinem & segregationem consectari; quo scilicet nemine ibi præsente qui nos concitet ad iram, virtus æquanimitatis facile in solitudine exerceatur: nam B tum ex superbia, tum quod nolimus nos ipsos incusare, nostræque segnitiei iræ causas adscribere, efficitur ut exoptemus a fratribus segregari. Quamdio itaque imbecillitatis nostræ causas aliis imputamus, impossibile est nos ad perfectionem æquanimitatis adtingere. (Inst. l. 8. c. 16. 17.) Summa quippe emendationis nostræ, non ex proximi erga nos æquanimitate obtinetur, sed ex nostra erga proximum longanimitate ac injuriarum oblivione. Cum autem æquanimitatis certamen fugientes eremũ petimus & solitudinem, quascumque illuc nondum curatas sedatasque passiones adserimus, occultas eas non deletas esse putemus. Enimvero eremus atque C secessus iis qui nondum passionibus liberi sunt, non reservare modo imperfectiones, sed eas occultare quoque novit. Neque iis sentire concedit quibus sint passionibus obnoxii; quinimmo iis quas suggerit phantasiis suadet ipsis quod æquanimitatem, quod humilitatem sint assequuti, donec adest nemo qui concitet & probet ipsos; cum accidit autem occasio qua concitentur & exerceantur, reconditæ statim ac pridem occultæ passiones, ceu effrenes equi ex stabulis erumpentes, ac longa quiete & otiositate perpasti, vehementius, efferatiusque equitem in perniciem conjiciunt. Passiones quippe in otio ne- D que excitatæ ab hominibus magis efferuntur in nobis: ipsamque patientiæ & æquanimitatis umbram, quam phantasia tantum & opinione tenemus, si Fratribus nos immisceamus, per solitudinis otium, ob negligentiam exercitandi amittimus. (Cap. 18.) Quemadmodum enim venenata animalia, in deserto & in cubilibus suis recumbentia, tunc furorem suum demonstrant, cum accedentem quemdam capiunt; ita homines passionibus obnoxii, non virtutis adfectu, sed ex deserti loci necessaria conditione quiescentes, tum animæ virus evomunt, cum accedentem quempiam & irritantem se apprehenderint. Quamobrem qui mansuetudinis per- E fectionem exquirunt, par omnino est, ut non modo adversum homines non irascantur, sed neque adversus bruta, immo ne adversus inanimata quidem. Memini me cum in eremo degerem, contra calamum iram concepisse, quod ejus modo densitas modo tenuitas displiceret: cuntra lignum item, quod exscindere cum vellem, celeriter non possem: rursum contra igniarium silicem, quod me festinante ignem educere, non statim exsiliret scintilla; ita nimirum grassatur ira, ut ad usque insensibilia & inanimata efferatur. (Cap. 19.) Si cupiamus itaque consequi beatitudinem Christi; non modo iram quæ ad opus prorumpit, uti supra dictum est, coercere F debemus, sed eam quoque quæ mente concipitur. Non enim tantumdem adfert utilitatis os continere suum, & furiosum quodquam dictum non proferre; quantum cor purgare ab injuriarum memoria, & pravas non fovere cogitationes. Docet enim Euangelica doctrina, excisas oportere peccatorum radices, potius quam ramos. Excisa quippe a corde iræ radice, nullum odium, nulla invidia ad opus usque deducetur: nam, qui odit fratrem suum, homicida est, nimirum quoad adfectum odii occidit eum. Occisum autem videt illum Deus: cujus sanguinem, non gladio effusum

A vident homines; sed ex adfectu odii ille occisus fuit. Deus itaque non modo pro operibus, sed etiam pro cogitationibus & proposito, unicuique coronas aut supplicia retribuet, quemadmodum ipse per Prophetam ait: Ego venio collectum opera, cogitationes, & meditationes eorum. Ac rursum Apostolus ait: *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Deus occulta hominum.* (Rom. 2. 15.) Ipse autem Dominus docens, oportere nos omnem iracundiam deponere, ait in Euangeliis: *Quod, quicumque irascitur fratri suo, reus erit judicio.* (Matth. 5. 22. Inst. l. 8. c. 20.) Ita enim habent accurata exemplaria: nam illa vox, *te-* B *mere*, adjectitia est: quod palam est ex præcedenti Scripturæ clausula. Scopus namque Domini vult nos radicem ac scintillam iræ prorsus abscindere, ac ne minimam iræ occasionem intra nos servare; ut ne scilicet si ex consentanea ratione iram concitemus, demum in bruti animi furorem incidamus. (Cap. 21.) Hujusce porro morbi hæc est perfecta medela; ut scilicet persuasum habeamus, nobis neque justa neque injusta de causa licere, indignationem concitare nostram. Nam si spiritus iræ mentem obscuret nobis, neque lux discretionis, neque recti consilii justitiæ- C que gubernaculum in nobis reperietur: neque spiritu iræ dominante fieri potest, ut anima nostra templum sancti Spiritus efficiatur. Demum oportet, ut incertam mortis horam præ oculis habentea, custodiamus nos ab ira, ac sciamus neque ascesin, neque temperantiam, neque abdicationem rei omnis materialis, neque jejunia & vigilias, utilitati nobis fore, si ira atque odio correpti, rei simus judicio. Quo utinam liberemur, gratia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum.

5. Quintum nobis est certamen adversus spiritum tristitiæ, (De Tristitia. Cass. Inst. l. 9. c. 1.) qui animam obscurat nostram ut nul- D li possit spirituali contemplationi vacare, cohibetque illam ab omni bono opere. Cum enim pravus ille spiritus animam apprehenderit totamque obscuraverit, non preces cum alacritate fundere concedit, non in sacrarum lectionum capienda utilitate vacare, non fratribus mansuetum & commodum esse sinit: odium omnis circa opera studii, ipsiusque vitæ professionis suggerit. Dum omnia denique salutaria animæ consilia confundit tristitia, ejusque firmitatem ac perseverantiam solvit, quasi stultam illam & attonitam efficit, ac demum eam desperationis cogitatione illigat. (Cap. 1. & seq.) Quapropter unus E nobis sit scopus, spirituale certamen certare, spiritus nequitiæ cum Deo vincere, & omni custodia cor nostrum servare a spiritu tristitiæ. (Prov. 4. 23.) Quemadmodum enim tinea vestimentum, & vermis lignum, ita tristitia corrodit hominis animam, dum suadet illi ut ab omni probo consortio declinet, neque concedit illi ut a veris amicis consilium accipiat, nec ut mitem & pacificam responsionem det ipsis; sed animam conturbat totam, tristitia & incuria replet: atque demum suadet ut fugiat ab hominibus, quasi sibi in causa fuerint perturbationis: neque sinit eam agnoscere, non exteri- F us sed interius ægritudinem esse sitam, quæ tunc apparet, cum ingruentes tentationes experimento illam palam faciunt. Numquam enim homo læditur ab alio, (Inst. l. 9. c. 7.) nisi intus situm habeat morbum, scilicet passionum causas: quæ causa est quod omnium opifex & animarum medicus Deus, qui solus probe & accurate animæ vulnera novit, non hominum consortia relinquere præcipiat, sed malitiæ causas in nobis exscindere, gnarus causam sanitatis animæ, non in separatione ab hominibus obtineri, sed in conversatione cum hominibus & in exercitatione. Cum itaque ob consentaneas quasdam occasiones fratres

relin-

relinquimus, nequaquam tristitiæ occasiones præcidimus, sed solum commutavimus eas, morbo scilicet intus posito eas pro rerum conditione moven- Cap. 8. te. Quapropter contra intariores passiones, totum nobis sit bellum. Iis enim Dei auxilio ejectis, non dico cum hominibus, sed cum feris etiam facile degemus, juxta illud beati Jobi dictum: *Immanes feræ* Job. 5. 23. *pacem secum habebunt*. In primis igitur pugnandum contra spiritum tristitiæ, qui animam conjicit in desperationem; ut (malum) illud ex corde nostro pellamus. Illud enim non sivit Cainum post fratris cædem pœnitere, neque Judam post Domini proditionem. Eam solam habeamus tristitiam, quæ pœnitentiam peccatorum respicit, cum bona spe conjunctam, & quæ cælestium bonorum possessionem conciliat; de qua dixit Apostolus: 2. Cor. 7. *Quæ secundum Deum tristitia est* * * *

Ea itaque tristitia quæ pœnitentiæ spe alit animam, gaudio commixta est: quare alacrem & ad omne bonum opus obsequentem reddit hominem, accessu quoque facilem & humilem

Hic deest unum folium, scilicet quod superest adversus tristitiæ spiritum, & initium eorum quæ dicuntur de torporis spiritu.

2. Thess. 3. 6. * * 6. Panem manducent. Audiamus quam sapienter nobis ostendat Apostolus torporis hujusce causas. *Inquietos* quippe vocat eos qui non operan- De Torpore. Cass. Inst. l. 10. c. 21. tur: hac una voce multam declarans malitiam. Qui enim otiosus est, verbis quoque temerarius exsistit, promtusque ad convitiandum, ac demum ad quietam vitam agendam ineptus, & torporis servus. Præcipit itaque ut subtrahamus, id est segregemus nos ab illo, quasi a pestifero morbo. Deinde quid ait: 2. Thess. 3. 6. *Et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis*, ac per hoc dictum ostendit eos esse superbos, contemtores, & Apostolicarum traditionum violatores. Ac Ibid. v. 8. rursum: *Neque gratis panem*, ait, *manducavimus ab aliqua, sed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus*. Doctor ille 2. Cor. 12. 2. Gentium, Euangelii præco, qui sublatus est usque ad tertium cælum, qui ait jussisse Dominum, ut 1. Cor. 9. 14. eos qui Euangelium annuntiant, ex Euangelio vivant, in labore nocte & die operabatur, ne quem gravaret. Quid igitur nos agemus qui præ torpore opus aversamur, corporalemque perquirimus quietem: quibus nec Euangelii prædicatio, neque Ecclesiarum cura commissa est; sed solius animæ propriæ solicitudo incumbit. Deinde clarius ostendens quan- Ibid. v. 11. tum ex otio damni accedat, subjungit: *Nihil operantes, sed curiose agentes*: ex otio, inordinatio; ex inordinatione, omnis malitia exoritur. Deinde 2. Cor. 9. huic remedium præparans ait: *Iis autem qui ejusmodi sunt denuntiamus, & hortamur, ut cum silentio operantes suum panem manducent*, atque cum magna Inst. l. 10. c. 24. increpatione subjicit: *Si quis non vult operari, nec manducet*. Hisce Apostolicis præceptis sancti Patres Inst. l. 10. c. 22. Ægyptii eruditi, ne minimo quidem tempore concedunt otiosos esse Monachos, maxime juniores, gnari se per patientiam operis, torporem eliminare, suumque sibi alimentum comparare, atque egentibus auxilio esse. Non modo enim pro suis necessitatibus operantur; sed peregrinis etiam, pauperibus, carceri traditis omnibusque egenis necessaria ex suo opere suppeditant: creduntque officium hujusmodi sacrificium esse Deo acceptum. Hoc item ajunt Patres eum Cap. 23. qui operatur, cum uno dæmone pugnare, ac plerumque ab illo tribulari; otiosum autem, infinitis dæmo- Cap. 25. nibus esse captivum. Operæ autem pretium fuerit dictum memorare Abbatis Moysis, inter Patres specta-A tissimi, quod ad me loquutus est. Me quippe brevi tempore sedentem in eremo, torpor adflixit, atque accedens ad illum, sic alloquor: Torpore graviter adflictus, atque admodum infirmatus, non prius eo liberatus sum quam abirem & Abbatem Paulum convenirem. Respondit mihi Abbas Moyses: Perspectum habe, teipsum minime ab eo hactenus liberasse, immo potius dedititium te atque servum ei tradidisse. Scito igitur gravius te, utpote desertorem, ab eo debellandum esse; nisi deinceps per patientiam, orationem & opus manuum, eum oppugnare studueris.

7. Septimum nobis est certamen adversus spi- De Inani gloria. Cass. Inst. lib. 11. c. 1. & seq. B ritum inanis gloriæ, multiformem illam ac tenuissimam passionem, quæ ne ab eo quidem qui tentatur comprehenditur. Ceterarum quippe passionum irruptiones, apertiores sunt, atque facilius cum iis pugnatur: anima quippe cum bellum agnoscit, repugnando & orando superat. At inanis gloriæ malitia multiformis cum sit, uti supra dictum est, expugnatu difficilis est. In omni quippe hominis studio præsens se sistit, in habitu scilicet, forma, gressu, sermone, vigiliis, jejuniis, in oratione, lectione, quiete, in æquanimitate. Iis enim omnibus conatur militem Christi confodere. Quem enim vesti- C mentorum sumtuositate decipere nequit, & ad vanam gloriam deflectere, eum vestimenti vilitate tentat. Et quem non potuit honore, eum dedecoris patientia ad insipientiam usque inflat: quem scientia ad vanam gloriam deducere nequivit, eum ex silentio, quasi quietum hominem, decipere conatur: quem ciborum lautitia ad mollitiem trahere non valuit, eum jejunio ad laudum cupiditatem deducit. Demum opus omne, omne studium, belli occasionem huic dæmoni præbet. Ad hæc Inst. l. 11. c. 14. 15. qui ab illo oppugnatur, nonnumquam sibi sacri D ordinis gradus confingit. Memini cujusdam senis, qui, cum in Scete degerem, cellulam adiit cujusdam fratris visitandi causa, & ut januæ cellæ appropinquavit, ipsum audivit intus loquentem: & cum putaret Senex quidpiam illum ex Scriptura repetere, stetit auscultaturus, atque sensit illum ex inani gloria insanire, ac sese diaconum ordinare, catechumenisque dimissionem tribuere. Id cum audisset Senex, demum aperta janua introivit, cui frater occurrens de more salutavit eum, rogavitque an diu ad januam stetisset. Tum Senex placide respondit illi: Mox inquit, adveni, cum tu E catechumenis dimissionem tribuebas. His Frater auditis procidit ad Senis pedes, ut precibus postularet sibi erroris hujuscemodi liberationem. Hujusce rei memini ut ostenderem in quantam insipientiam hic dæmon conjiciat hominem. Qui vult itaque perfecte certare, & justitiæ corona redimiri, omnibus satagat modis multiformem hanc superare feram, præ oculis semper habens dictum illud sancti Davidis: *Dominus dissipavit* Psalm. 52. 6. *ossa eorum qui hominibus placent*: nihilque agat intuitu laudum humanarum, sed mercedem quærat a Deo, ac cogitationes propriæ laudis, cor suum F invadentes semper abjiciat: sese in conspectu Dei despiciat. Hoc siquidem pacto poterit Deo juvante liberari ab inanis gloriæ dæmone, gratia Domini nostri Jesu, cui gloria in sæcula, Amen.

8. Octavum nobis est certamen adversus spiritum De superbia. Cass. Inst. l. 12. c. 1. & seq. superbiæ, quod est gravius acriusque ceteris omnibus, quo perfecti maxime oppugnantur, quique eos qui fere ad virtutum fastigium pervenere, subvertere conatur: ac morbi pestiferi instar non partem corporis, sed totum perdit. Et aliæ quidem singulæ passiones, tametsi animam turbant, quia tamen cum una tantum virtute sibi opposita pugnant, atque eam supe-

rare

rare nituntur, ex parte solum animam obscurant atque conturbant; superbiæ autem passio totam tenebris offundit, & ad extremam deducit ruinam. Utque liquidius quod dictum est excogitemus, hac ratione rem speculemur. Gulæ vitium abstinentiam corrumpere satagit, fornicatio continentiam, avaritia paupertatem, indignatio mansuetudinem, ac reliquæ species malitiæ, contrarias sibi virtutes; at superbiæ malitia cum miseræ animæ dominatur, haud secus agit quam truculentissimus quidam tyrannus, qui ampla & excelsa capta urbe, totam diruit & a fundamentis evertit. Cujus rei testis est Angelus qui ex cælo propter superbiam cecidit; qui a Deo creatus & omni virtute ac sapientia ornatus, non Dei gratiæ hæc adscribere voluit, sed propriæ naturæ: unde se Deo æqualem esse putavit: quam ejus cogitationem arguens Propheta dicit: *Dixisti in corde tuo: Sedebo in monte excelso, ponam thronum meum supra nubes & similis ero Altissimo. Tu vero homo, & non Deus.* (Esai. 14. 13.) Aliusque Propheta ait: *Quid gloriaris in malitia qui potens es?* (Psalm. 51.) Et paucis interjectis: *Dilexisti omnia verba demersionis, linguam dolosam. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te & transferet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium. Videbunt justi & timebunt, & super eum ridebunt & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, & prævaluit in vanitate sua.* Hæc cum sciamus, timeamus & omni custodia servemus cor nostrum a lethifero spiritu (Prov. 4. 23.) superbiæ, nobis ipsis hæc Apostoli recitantes, quando virtutis cujuspiam opus perfecerimus: *Non ego autem, sed gratia Dei quæ mecum est.* (1. Cor. 15. 10.) Et quod a Domino dictum est: *Sine me nihil potestis facere.* (Joan. 15. 5.) Et quod a Propheta dictum est: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* (Psalm. 126.) Iterumque: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (Rom. 9. 16.) Nam etiamsi quis alacritate fervens, ac proposito studiosus fuerit, sed carne illigatus & sanguine, non poterit ad perfectionem pervenire, nisi ad hæc omnia in misericordia & in gratia Christi speraverit. Nam juxta divinum Jacobum: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* (Jacob. 1. 17.) Et Paulus ait: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (1. Cor. 4. 7.) sed de alienis donis quasi de tuis extolleris. Quod autem nobis gratia & misericordia Dei salus accedat, testis est latro ille, qui non in virtutis præmium regnum cælorum adeptus est; sed gratia & misericordia Dei. (Luc. 23. 43.) Hæc cum probe nossent Patres nostri, una omnes sententia tradiderunt, non posse nos firmum ad virtutis perfectionem jacere fundamentum, nisi per humilitatem, quæ a fide, mansuetudine & perfecta paupertate procedit; quibus perfecta caritas obtinetur, gratia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, cum sancto Spiritu in sæcula. amen.

H O M I L I Æ

Q U Æ

A T H A N A S I I N O M I N E

C I R C U M F E R U N T U R.

IN SEQUENTEM HOMILIAM

A D M O N I T I O.

HANC *Homiliam esse Athanasii nemo existimabit, tantum scilicet abhorret ab Athanasii stylo, gravitate, elegantia; immo ut ex orationis genere vocabulorumque ratione conjectare licet, multis post Athanasium seculis scripta est; quamplurimæ namque hic occurrunt voces compositæ quæ ad infimam accedunt græcitatem. Demum magis sequioris ævi Græcorum loquacitatem redolet hæc homilia, quam antiquorum Patrum eloquentiam.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

In Nativitatem Præcursoris, in Elizabet, & in Deiparam.

1. EXSICCATA terra, & onagrorum conculcationi derelicta, aratoris bovis labore sulcatur. Quanto diutius enim incultus ager fuit, tanto graviori in arando bos premitur labore, adteruntur que jugi onere cervices. Mulier item sterilis ac ætate grandæva, inque duo mala prolapsa, sterilitatem scilicet & imbecillitatem; sterilitatem, inquam, naturæ, & imbecillitatem senectutis, verbo, non labore, a naturæ conditore Deo Verbo, corporis senectute liberatur atque renovatur, sterilitate vero naturæ levatur. Testis mihi hæc loquenti est uxor Zachariæ sacerdotis, Elizabet, quæ non risit ut Sara, sed ut Anna credidit, quæ in suis jam debilitatis membris ut aquila renovata est: (Gen. 18. 10. 1. Reg. 2. 17.) puerum namque enutrivit præclarum, venerandum, in Jordanicis fluentis versantem. (Psalm. 102. 5.) Vere magna inter mulieres Elizabet, utpote gloriosæ Virginis cognata, quemadmodum jamjam audisti ex Gabriele dicente: *Et ecce Elizabet cognata tua.* (Luc. 1. 36.) O generis nobilitatem! o pietatis exercitationem! o vitæ puritatem! o corporis castitatem! o Deum amantis animæ adfectum! o vas unguentarium! Evam supplantavit serpens, Elizabetam Angelus in præclaras res initiavit. Vere

magna inter mulieres Elizabet, quæ Joannem Baptistam gestavit, incredulo Zachariç exprobravit. Quod autem incredulus Zacharias imbecillitatem corporis, Dei promissione (ad persuadendum) firmiorem esse arbitratus sit, audisti prius ex hac Lucæ Euangelistæ
Luc. 1. 11. lectione: *Visus est ei Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi*. Modus ipse visionis ejus veritatem suadere valet. A dextris Angelus stetit, quia dexter faustusque fœtus futurus erat, qui dexteram regni cælo-
Prov. 4. 27. rum viam prædicaret, juxta illud dictum: *Vias quæ a dextris sunt novit Deus: perversæ sunt autem quæ sunt a sinistris*. Quod ait non ut viarum discrimina notet,
Luc. 1. 11. sed ut mores adumbret. *Visus est autem ei Angelus Domini stans a dextris altaris incensi*. Audiant qui adsunt, intelligantque altari adstare Angelos: ubi autem Angelorum præsentia, ibi Dei habitaculum. Zacharias sacerdos vice sua aderat, ordineque suo per quoddam dierum spatium intererat ministerio: neque semper eo accedebat, sed vice sua ministrabat. Angeli vero Dei qui ad altare deputati sunt, nequaquam per vices ministrant, sed nocte dieque indesinenter altari adstant. Norunt qui contemnat & qui non contemnat: probe sciunt quinam pie accedant, quinam haud pari modo adcurrant: intelligunt quinam recte jurent, quinam perjurent; obsignant eos qui fructum ferunt, eosque qui torpent. Ne spectes altare quod lapidibus sit ornatum, ab Angelis namque gestatur, ab Archangelis circumcingitur. Si enim quivis Gentium terminus juxta numerum Angelorum adsignatus est, secundum
Deut. 32. 8. hoc dictum: *Constituit terminos Gentium juxta numerum Angelorum Dei*; quanto magis altare plenum Angelis erit; ubi jacet carbo mysticus, quem forcipe spiritus per Sacerdotis ministerium accipientes Seraphini, qui eo pertranseunt, peccatorum purgationem petenti largiuntur? Quod autem hæc in altari adsint,
Esai. 6. 6. audi clamantem Esaiam Prophetam: *Vidi, & ecce missus est ad me unus ex Seraphim, & habebat carbonem in manu sua, quem tulerat forcipe de altari: Et tetigit labia mea, & ait: Ecce tetigit labia tua, & auferet iniquitates tuas, & peccata tua purgabit*. Viden' quinam sint qui altari adstant, & quibusnam oculis introspicere par sit, sinceris, dolo carentibus, munificis, pauperum amantibus.

2. Quid igitur Lucas Euangelista? oportet enim totum
Luc. 1. 11. resumere: *Visus ei, inquit, Angelus Domini, stans a dextris Altaris incensi. Et videns Zacharias turbatus est, & timor cecidit super eum. Ait autem illi Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, & ecce Elizabet uxor tua, pariet tibi filium & vocabis nomen ejus Joannem. Et erit tibi gaudium & exultatio & omni populo tuo*. Hæc loquente Angelo, pavore ac timore Dei correptus Zacharias respondit illi: Absque timore jubes me ministrare, aisque mihi: Ne timeas Zacharia, ecquâ ratione fieri illud potest? Quod numquam videram nunc primum conspicio, loquentem ignem, incorporeum hominem, depictum vultum, incompositum adspectum, habitum nubis speciem ferentem, aereum cursorem alatum, sermonem inter sacrificia erumpentem emittis, metum incutis, verba tua ignea, & promissa tua creditu difficilia. Elizabet uterum gestabit; & ego pater esse declarabor? Cum vicina mors, tumne puer gignitur? Cum ætate avus esse possim, tumne me patrem fore sperandum? Nulla gignendi ratio: genitalia exstincta sunt, dormit jam natura, nec excitari potest ad concupiscentiam, ad oblivionem sui devenit. Ego præ senectute versus terram curvatus sum, jam si-
Num. 17. 8. bi Elizabet baculum adparavit. Semel arida Aaronis virga floruit, sed non pluries. Quo signo illud norim? Tum Angelus illi: Quid nugaris, Zacharia? sacerdotio fungeris & dubitas? Nonne

A Abraham centenarius, & Saræ vulva exstincta erat? An ideo eorum fructus cohibitus est? Si non suppeteret exemplum jure dubitares; quod si ab illis originem ducis, quare quæ illos spectant non recogitas? Gentilis Abraham credidit, & tu Sacerdos ambigis? ille absque incenso suffitu, perflatus est, & tu in Altari fumigatus? Herede ille accepto exsultavit; tu Præcursorem Joannem nihil reputas? Ipse te damnatione liberabit: ipse te eruet a maledicto: ipse clavem linguæ gestat tuæ: multos convertet ad Dominum: ipse in virtute Heliæ Prophetæ prophetabit, non igneo curru vectus, sed Jordanicum præparans lavacrum, propter multas peccatorum sordes. Quamobrem jussus sum tibi dicere: *Exaudita est oratio tua*, quia advenit tempus olim prænuntiatum a Prophetis, nunc impletum: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Non Angelus, non legatus, sed ipse Dominus veniet & salvabit nos. Quapropter, Zacharia, tu esto mutus, accepto, in repugnantiæ tempore, merito supplicio: ego vero ab alio in alium locum pergo, & Virginem conventurus sum, & a conversatione cum exercitu cælesti, ad ministerium quo missus sum me confero. Hæc, dilecte, de Zachariæ incredulitate paucis præmissa sunto.

Genes. 17. 17. / Genes. 15. 6. / Luc. 1. 16. / Luc. 1. 13. / Esai. 40. / B / C

3. Nunc vero quædam ex jamjam lectis disquirenda nobis sunt. Quænam illa? Quæ a Gabriele annuntiata, & a Virgine credita, a Spiritu sancto promota, a Domino quasi thesaurus recondita, & a Patre obsignata, & a piis hominibus servata sunt. Audisti modo Euangelistam Lucam dicentem: *In mense sexto, missus est Angelus Gabriel in civitatem Galilææ, cui nomen Nazaret, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen Joseph*. O sponsalia cum alio contracta, alii promissa! o sponsalia, quæ gaudium exhibent, perturbationem sedant! Audisti modo Lucam Euangelistam ita loquentem: Ingressus domum Angelus, Virginem salutavit ac dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidisset, turbata est in sermone ejus; & cogitabat apud seipsam qualis esset ista salutatio*. Vidistin salutationem Angeli perturbationem excitare? nec modo perturbationem, sed etiam cogitationes; immo dubitationem, atque his similia. Subitus namque Angeli ingressus, vultus insuetus, colloquii insolentia, magnitudo promissionis, inexspectatæ vocis auditus, Virginem conjecit in metum, quæ cogitatione temperantis animi, omnem pravam abjecit cogitationem. Quamobrem turbata est; atque turbata, imperturbata permansit. Quid est illud: atque turbata, imperturbata permansit? Studiose audi. Cum Gabriel Angelus ut missionis suæ ministerium impleret, nullo excitato pedum strepitu virginale cubiculum adiit, sola quippe Virgo erat in Sponsi sui domo. Nostis porro cuncti quo pacto erubescat Virgo sub initium initi nuptiarum pacti; inclinato vultu, demissa loquens voce, nullum exhibens nutum, nullam non gerens temperantiæ solicitudinem. Cum sic adfectam videret Angelus, ait illi: *Ne timeas, Maria*, tametsi anxia, & utpote Virgo, temperantiæ solicita fuisti, ne irruens Sponsus tuus, tuæ vim adferret verecundiæ. Illud scias velim, o Virgo, nullum fore tibi cum Sponso tuo Joseph congressum. Aliud te negotium exspectat, divinum, dominicum, ineffabile, inexplicabile, qui sermone enarrari nequeat. Dominicum futura es habitaculum: Mater, nuptial s expers thori prædicaberis: Cæli terræque Dominum susceptura es, incorruptum gestatura fœtum. *Ne timeas, Maria*, tuam firma cogitationem, animam corrobora, cor confirma. Ne imitere Zachariam: ne, quemadmodum ille, dubitaveris, tu quæ mulierum gloria es: tu Israelitici

Luc. 1. 26. / D / Luc. 1. 28. / E / Luc. 1. 29. / F

po-

populi exsultatio: tu Gentium ornamentum, tu gaudii radix, tu benedictionis plantatio. Tu præ omnibus virginibus invenisti gratiam apud Deum. Et *ecce concipies Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur.* Horum tibi honorum nuntius accedo, etiamsi extra naturam sint quæ dico; attamen a conditore totius rerum naturæ nihil obliquum, nihil tortuosum; sed recta omnia, & suavem atque planum ordinem spectantia. His capta promissis Virgo, omnique prava suspicione liberata, non ultra quasi diffisa tacuit, sed ait Angelo: *Quomodo fiet mihi istud, quoniam virum non cognosco?* Quid cor terres meum, auremque insolita voce attonitam reddis? Quid rem annuntias a sæculo non auditam? An prægnans inveniar, quin viri experimentum capiam? *Quomodo fiet mihi istud?* Mater vocabor, & maternis partus doloribus expers ero? *Quomodo fiet mihi istud?* Mammam præbebo, pannis involvam, puerum lactabo, cur quod me spectat non intelligam? *Quomodo fiet mihi istud?* consentaneam profer mihi causam, ut obscuram illam uteri gestationem intelligam. Insolens fuit Evæ generatio, attamen ex viro illa sumta fuit: causaque fuit qua ejusmodi massæ ratio cognosceretur, quoniam scilicet ex illo, quæ pro illo, sumta est: priusque locus proprio loco repletus est. Insolentior Evæ generatione Adami generatio; attamen illa scripto tradita ac enarrata fuit, notumque est qua ratione repente facta sit. De accepto scilicet limo terræ Creator, animal deiforme, præparavit nempe primum parentem. Ut illa nota sunt, hoc item declara mihi, quandoquidem id quod ante dixisti mihi, illa alia longe superat. *Quomodo erit mihi istud, quoniam virum non cognosco?* Tum Gabriel ad Virginem: Quomodo erit tibi istud? a me Virgo modum quæris ediscere? An potest servus scopum nosse Domini sui? Quomodo erit tibi illud? Nuntius non interpres missus sum. *Quis novit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Quæ audio loquor, nihil a me confingo. Quomodo erit tibi istud? Apud Deum ne quæras quomodo. Quomodo erit tibi istud? Quemadmodum Esaias prænuntiavit dicens: *Ecce Virgo in utero habebit*; te in utero habituram prædixit, ego autem dico tibi, quod *paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum*, ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.

Luc. 1. 30. Luc. 1. 34. Genes. 2. Luc. 1. 34. Esai. 40. 13. Esai. 7. 14. Luc. 1. 30.

IN SERMONEM

DE ANNUNTIAT. SANCTISS. DEIPARÆ MONITUM.

I. *SPURIUM esse hunc Sermonem nemo jam eruditus non judicat, cum sole clarior sese prodat styli hujusce ab Athanasiano discrepantia. Athanasii enim oratio nitida puraque est: contra vero hujusce scriptoris ita perplexa & obscura, ut vix intelligatur: quod est, ait Tullius, in oratione vitium vel maximum. Ad hæc nugæ hic comparent permultæ, sagaci quovis homine, ne dicam Athanasio indignæ, ut est inepta illa etymologia vocis* ἰδία, *ab* ἰδία, *& aliæ ejusmodi: vocesque complures Athanasio ignotæ, ut sunt illæ* δυσώνυμος, [illegible], ἀρχίδιος *&* ὑπάρχειν, *& aliæ quas bene multas, pro brevitate opusculi, huc contulit scriptor iste; ita ut inferiorem omnino Græcitatem redoleat. Et sane quæ de Christi hypostasi & de duabus in Christo naturis subtiliter disputat, suadent eum post Synodos Ephesinam, & Chalcedonensem scripsisse. Quarum etiam Synodorum ipsissimis verbis utitur in locis infra notandis. Quæ vero de duabus in Christo voluntatibus edisserit, arguere videntur eum post vulgatam Monothelitarum hæresim vixisse: sed libet Baronii hac de re dissertationem, a Fratribus nostris Romæ nobis transmissam, hic apponere. Qui Clarissimus Annalium scriptor cum Latinam Nannii versionem textu Græco clariorem solum legerit, stupendam styli perplexitatem non animadvertit.*

T. Cic. de Oratore.

EPISTOLA APOLOGETICA CÆSARIS BARONII
adversus objecta Thomæ Stapleton.

ADMODUM REVERENDE PATER, S. P.

I. ETSI non litteris ad me datis; missis tamen ad amplissimum Cardinalem Alanum, scriptis tuis, me provocasti, ut hanc, Vir optime ac disertissime, Epistolam Apologeticam redderem. Ægro sane animo tulit Sanctus Hieronymus, quod alii prius quam ipse legissent, quæ Sanctus Augustinus in Commentariis a se editis esse emendanda significasset: sed nihil est quod hoc nomine tibi succenseam, quin potius excusem, quod ex his, quæ natura hominum fert, sicut Abraham non putavit in Geraris aliquem reperiri, in quo Dei timor inesset; ita fortasse existimasse me, non sine stomacho lecturum esse ea, quæ meos palam facerent, & emendarent errores. At quemadmodum magnum illum Patrem falli contigit; eodem quoque modo scias, si id existimasti, te tua hac opinione deceptum. Etenim illud mihi semper in ore: Corripiat me justus, si modo juste; immo nec refugiam, si injuste, quod sciam ex iis, quæ utcumque in controversiam vocantur, veritatem magis illustrari, reddique perspicuam. Quæ quidem etsi æquo, libentique animo a quolibet erudito viro ferenda sunt; quanto magis a meo Thoma, Anglicanæ Ecclesiæ ornamento, sacrarum litterarum Antistite, Fidei Confessore, Martyrii candidato, & Ecclesiæ Catholicæ antesignano propugnatore, non dico toleranda, sed expetenda sunt. Etenim cum ex sententia Clementis Alexandrini, nullius scripta ita feliciter currant, quibus aliquid non objici jure valeat; in lucro mihi erit, si talem tentumque nactus ero monitorem, correctorem, atque emendatorem.

II. Nullum ergo hac ex causa sit jurgium inter me & te. Non autem addam, quod Magnus Pater ille subdidit: Si ad dexteram ieris, ego ad sinistram pergam, immo audentius, fidentiusque ingeram illud Petri: *sequar te quocumque ieris*: quod sic existimem bene consultum Catholicæ pietati, si junctis simul dexteris, unanimes pro veritate certemus. Sed nec velim putes, alia me incedere via, si interdum contingat haud insistere tuis vestigiis; est enim secundum Isaiæ vaticinium in Ecclesia,

semi-

semita atque via, hæcque non duo tramites, sed una via sancta vocata. Quamobrem nunquam dicemur ab invicem dissentire, cum diversis semitis in via una ad unam veritatem libero pede tendimus, etsi aliqua in re aliquando inter nos discrepare contingat, ut modo accidit.

III. Legi pervalidam confutationem tuam meæ assertionis de Homilia, quæ extat apud Athanasium de sanctissima Deipara, quam non Athanasii esse, sed auctoris qui post Nestorium vixerit, affirmavi. Equidem quod alio veloci cursu tendebat oratio, nonnisi leviter, sicut & obiter, atque in transitu ea tractara licuit; existimans tamen potuisse illa sufficere, ad declarandum illud Athanasii opus non esse; mihique libenter arrisuros fore omnes Viros eruditos, cupidos veritatis. Idque complures fecere mihi adgratulantes, quod spurios filios a legitimis segregarem: quippe qui eamdem accuratius perlegentes, facile persuasi sunt disputantem adeo diserte, vocumque proprietate exquisite adversus Nestorium agentem, longe diversum ab Athanasio esse illius tractatus Auctorem. Quas tu voces, etsi ex sententia vel Cyrilli, vel aliorum etiam ante Nestorii tempora tibi vendicas ex diversis Auctoribus, certe quidem tempore Athanasii, quod nulla hujusmodi vigeret hæresis, haud adeo exacta requiri videbatur earumdem vocum expressa proprietas: nam idem ipse Athanasius, de quo vertitur quæstio, pro voce *persona*, interdum *naturæ* nomen usurpat in Libro de Incarnatione Verbi, quem locum (ne quis putet textum esse depravatum, vel ioterpretem non assecutum) hic ex Cyrillo reddemus, qui eum citat, tum in Libro de fide ad Reginas, tum etiam in Apologetico, ubi hæc ait verbis ipsius: „ Confitemur etiam esse ipsum Filium „ Dei & Deum secundum Spiritum, Filium hominis secundum carnem, non duas naturas, unum Fi„ lium: unam quæ adoretur, unam quæ non adoretur, sed unam naturam Verbi Dei incarnatam, & ado„ rabilem cum carne sua una adoratione, non autem duos filios. „ Hæc ipse; quo quidem exemplo apparet, tam distincte, atque proprie, tamque explorate, & abunde de duabus naturis loqui, præ se ferre Auctorem ejus Homiliæ essa Nestorii potius temporis Scriptorem, quam Athanasium.

IV. Id quidem & illud magnopere persuadet, quod cum exactissima facta sit Scriptorum Athanasii indagatio, tum a Cyrillo ejus sedis Episcopo, penes quem ejusdem Athanasii lucubrationes asservabantur, tum ab adversariis, qui quod aliquid non invenerint, librum ad Epictetum (ut idem Cyrillus testatur) corrumpentes, in suamque ipsorum mutantes sententiam, fecerunt pravi dogmatis assertorem. Ubinam gentium, quarum Homilia ista delituit, ut non modo Cyrillus non repererit, sed nec tot doctissimi Episcopi qui convenerunt ad quatuor Œcumenica Concilia, Ephesinum & Chalcedonense, quintam, & sextam, Synodos, in quibus de eisdem actum est, cujus una tantum inspectio ob exactam rerum & nominum definitionem, & tanti Auctoris præstantiam, satis superque erat ad Nestorium atque Eutychem, & alios hæreticos confutandos? At in conjecturis his, quamvis haud levioris ipsæ sint argumenti, diutius immorandum non est; cum fortissimæ adsint ab Auctore ipso petitæ probationes, atque in primis illa.

V. Quid enim est quod adeo exsecretur ibi Auctor has voces, Christum hominem Deiferum: quibus tamen (ut ipsemet tradit) germano sensu acceptis, usi sunt Patres Nicæni Concilii, atque sæpe (ut auctor est Theodoretus contra Cyrillum in anathematismis) Sanctus Basilius una cum aliis ante Nestorium Hæresiarcham, qui primus his abusus est vocibus, ad suam hæresim statuendam? Sane quidem quod illas detestetur voces, quæ Athanasii temporibus pie, sancteque dici a Patribus consueverunt; a Nestorii vero tempore sunt vetitæ, perspicue absque dubitatione aliqua demonstratur, Auctorem illum post exortam Nestorii hæresim ea scripsisse. Ut autem eædem voces, Christus homo Theophorus a piis omnibus respuerentur, solus Nestorius in causa fuit, qui eas suæ hæresis veneno infectas reddit exsecrabiles, ut pluribus docet Cyrillus in libro de Incarnatione Unigeniti cap. 22. & 23. nec non Sanctus Joannes Damascenus agens contra Nestorium, cujus verba recitat Euthymius in Panoplia: quibus plane testatur, Nestorium ad suam astruendam hæresim, Christum Dominum nostrum appellasse Deiferum. Ob id itaque in quinto Cyrilli anathematismo a Concilio Ephesino recepto, ita definitum habetur. „ Si quis Christum Deife„ rum hominem audet dicere, & non potius Deum secundum veritatem, anathema sit. „

VI. Rursum vero quomodo potuit has ut impias voces Athanasius exhorruisse, qui aliis minoris efficaciæ usus fuit? Fortioris vis est dicere, Christum hominem Deiferum, quam asserere Christum hominem Dominicum, prout ipse dixisse reperitur in Expositione fidei, ad finem, & in sermone majori adversus Apollinarem, qui citatur in Concilio Lateranensi sub * Martino Papa & Martyre, Actione V. Qui ergo dicere non veritus est Christum hominem Dominicum, certe quidem haud vitasse potuit asserere Christum hominem Deiferum? Quid igitur his evidentius rogo, quidve firmius dici potest ad insinuandum Auctorem illum, esse non potuisse Athanasium, sed alium, qui post Nestorii vixerit tempora?

VII. Sed quamvis hæc satis superque ad hanc sententiam confirmandam, stabiliendamque videri possint: ex quo tamen semel cœpi loqui, adjiciam alia. Cum enim Auctor quam exactissime quæ sunt in Christo duæ voluntates, duæque operationes pertractet, redarguens hæreticos, qui aliter sentirent: quis non videat ipsum urgere, confutare, immo confundere Monothelitas? Sed reddamus hic verba ipsius: „ Duas voluntates prædicamus, sed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, sed unum „ volentem secundum unitatem personæ: contra duas voluntates, duas operationes secundum peculia„ rem utriusque naturæ rationem. „ Hoc igitur modo Divinum Incarnationis Mysterium prædicantes, hæreticorum blasphemias repudiamus, in quibus ipsos relinquentes transimus. Hæc Auctor. Sed quosnam hæreticos urget, quæso, nisi Monothelitas? Quinam vero vel Athanasii tempore, vel etiam ante fuerunt hæretici, qui de una in Christo operatione, & unica voluntate adeo explicite disputarint, ut incumberet Athanasio tam exacta definitione illos arguere? Sicque plane jam liquidum est convinci ex suis ipsius verbis Auctorem, ea scripsisse post exortam Monothelitarum hæresim.

VIII. Quamobrem ex eo mihi recantandi palinodiam onus incumbit, quod in Notis ad Romanum Martyrologium dixerim, Homiliam illam adscribendam esse Cyrillo Alexandrino potius quam Athanasio: cum nonnisi Auctori, qui vixerit post proditam Monothelitarum hæresim adscribi jure valeat; tantum abest, ut concedam eam esse Athanasio tribuendam. Sed si in his rebus dubiis conjecturæ sit locus, dicerem, ob similitudinem nominis esse Anastasii potius quam Athanasii scriptionem, illius inquam Anastasii Episcopi Antiocheni sanctitate, & eruditione clarissimi; cujus nobilis ingenii nunnulla monumenta supersunt. Hæc quidem, quæ de Athanasio dicta sunt, haud affirmare me puto cum Ec-

clesiæ detrimento: non enim ex his jacturam sentit, quæ cum sit columna, & firmamentum veritatis, procul abhorret, ut instar Æsopi Corniculæ adscititia quærat, cum pulchrior sua fulgeat simplex veritas nuditate. Vale, Frater, hasque accipe litteras defensionis testes, atque meæ erga te benevolentiæ, & observantiæ obsides. Romæ Kalend. Novembris, anno Domini 1592.

CÆSAR BARONIUS.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Sermo in Annuntiationem Sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ.

1. DIvos sacrarum rerum præcones, non infirmitatem auditorum spectare oportet; sed requisitam vim, argumentũ & causam: quam præ oculis habentes, de prędicatione conjecturam facere convenit. Quare etiam nunc ad prædicationem divini Euangelii de Deipara, ac Matre Dei nos conferentes, concionaturi ad conventum festivitatis hujus, necessarium est ut in argumẽto incorporeę & divinissimæ Trinitatis, Incarnationem unius ex Personis ejusdem Trinitatis in medium proponamus. Nisi enim distincte de Trinitate actum fuerit, quæ ad unam personam incarnatam pertinent, quomodo expendi poterunt? Quamobrẽ par est ut inde orsi, transeamus ad ea quæ Incarnationem spectant, atque ita de Annuntiatione consequenter verba faciamus. Ac primum quidem illud memoriæ subjiciẽdum duximus, unam ex Dominicis festivitatibus, maxime venerandam, & primam ordine rerum pertractandarum in prædicationibus quæ Christum respiciunt, quæ divinæ Annuntiationis sancta dies nuncupatur, descensum Filii Dei ex cælo denuntiare. Nos enim eum de cælo descendisse credimus, ut & eumdem ascẽdisse confitemur. Oportet igitur nos divina prædicatione institutos, inde ordiri sermonem, unde quæ pertractanda nobis sunt, probe distingui poterunt.

2. Credimus itaque in Patrem, & Filium, & Spiritũ sanctum; Trinitatem hypostasium, quæ distinctionem inter se habent indissolubilem, & inconfusam unionem. Non enim secundum intervalla locorum, distinctionẽ trium sanctarum divinarumque Hypostasium prædicamus, neque confusam unionem; sed distinctionem sine ulla distantia, & inconfusam unionem, cui nomen unum est, Deus, secundum unam singularitatam constitutionis. Siquidem unum Deum in Trinitate Personarũ confitemur, nullum principium, nullumque tempus, in unaquaque sanctarum divinarumque hypostasium constituentes, juxta peculiarem earum proprietatem: Patrem ingenitum dicentes, Filium genitum, Spiritum sanctum, procedentem. Patrem sine principio & sine tempore esse existimantes, Filium sine principio & sine tempore prædicantes, Spiritum sanctum sine principio & sine tempore confitentes: non ut prior sit Pater, posterior Filius vel Spiritus sanctus, sed simul Patrem & Filium & Spiritum sanctum, secundum unam principio & tempore carentem, ac supersubstantialem unitatem exsistentiæ colentes: unum Deum in tribus proprietatibus credentes, vereque glorificantes: non quasi alium Deum Patrem prius exsistentem, nec alium Deum Filium posterius inductum, nec alium Deum Spiritum sanctum postea excogitatum, secundum blasphemias hæreticorum; sed unum Deum in tribus hypostasibus esse docentes, unam habere substantiam, virtutem & efficaciam, & quæcumque alia de substantia considerantur, theologice docentur, celebrantur.

3. Et ut formulam sermoni demus, necnon plenitudinem & consummationem, quæ Theologice docentur teneamus. Quæ sint illa, & circa quænam versentur deinceps audiamus, nimirũ dici illũ, increatum, incorporeum, tempore & principio carentem, sempiternum, indesinentem, infinitum, æternum, incognitum, ineffabilem, nullius figuræ, investigabilem: Deum Deorũ, Dominum Dominorum, Regem Regum, Omnipotentem, Factorem, Creatorem, Lumen, Vitam, Sanctum, Bonũ, Immortalem, Fortem, Cunctipotentem, & quæcumque similia per excellentiam & ætiologiam dicta. Non quod singula, substantia dicantur, sed circa substantiam, quasi ex duobus aut pluribus ad unũ habeant relationẽ (qualia esse didicimus quæ divisa sunt) quæ coalitio & plenitudo Deitatis dicuntur, secundum Scripturã, non quod ad unam unius substantiam referantur, sed ad unãquamque sanctarum trium Personarum æqualiter spectentur & doceantur. Quare ipse unigenitus Deus ait: *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Et ad Patrẽ ait: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis.* In omnibus namque in quibus theologice glorificatur Pater, in iisdem glorificatur Filius & Spiritus sãctus. Atque inde perfectus Deus dicitur Pater, perfectus Deus Filius, & perfectus Deus Spiritus sanctus. Siquidem nihil ulli deficit ex plenitudine divinitatis: sed æqualitatem habet unusquisque omnium proprietatum, quibus æqualiter plenitudo Deitatis conspicitur. Nam ex derivatione, *ἴσος*, id est, æqualis, *ἰσία*, id est, æqualitas, dicitur, feminea terminatione, quæ est æqualitatis multorum complexio. Quibus enim æqualis est substantia, diversis tamen proprietatibus, *ἰσία*, dicitur, ut & *ἰσία* & *μία*. Et cum *ἰσία* etymologice dicatur, conversione τοῦ ι in ο, ac deinde additione literæ *υ*, *οὐσία* efficitur, quasi sit, velut constans quædam exsistentia, rerum, quæ ex multis in unitatem coalescunt. Atque ita hominẽ in Dei imagine factum spectantes, definimus: quod scilicet constitutio ejus proprietatum, secundum ejus exsistentiam, essentia appelletur, utpote quæ sit complexio & comprehensio multorum, quæ in unum coalescunt. Nam quod creatus sit homo, quod intelligens, quod rationalis, quod animatus, quod corporalis, quod patibilis, quod fluxus, quod temporalis, quod mortalis, quod genitus, quod corruptibilis, quod vegetabilis, quod mutationi, varietati, & tristitiæ sit obnoxius, atque his similia: quæ habita ratione atque proportione, in homine secundum æqualitatam, *ἰσία*, hoc est, æqualitas, dicuntur; mutationeque ac pleonasmo litterarum, *οὐσία* vocatur: atque hinc plenitudo humanæ naturæ axplicatur, quod ejus coacervationem complet, secundum unicam ejus constitutionem.

Joan. 16.15.
Joan. 17.10.

4. In quibus annotamus, nullam earum proprietatum quæ in homine coalescunt secundum se *οὐσίαν* vocari, nec quicquam horum, *ὑπόστασις*: sed conjunctim & omnibus coactis, coacervatio proprietatum hominis, *οὐσία*, seu essentia dicitur: proprie vero atque in uno

uno ὑπόστασις, seu subsistentia. Cum itaque & communiter de multis hæc cogitantur; οὐσία, seu essentia nuncupatur; cum autem de uno proprie colliguntur, ὑπόστασις, seu subsistentia nominatur. Et sicut iterum, quando hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum conspicimus, una mentem, verbum & spiritum apprehendimus, nec horum quidquam vel prius vel posterius, sed pariter consistunt, atque unum quidem dicuntur, sed trinitatem esse quodammodo cogitamus: atque mentem quidem ingenitam, verbum autem genitum, ipsumque pro tempore atramento exaratum, scriptum ac missum; ita quoque & in universorum Deo, Patrem quasi mentem ingenitam, Filium quasi Verbum genitum, ipsumque missum, quo tempore placuit paternæ voluntati; non quasi prolatum, aliquo tempore & momento, ad quemdam usum genitum sit, sed quasi subsistens, ac per se exsistens, quemadmodum & natum est. Semel namque genitus ex Patre hypostasis est, indissolutam habens exsistentiam, sub iis quæ esse ipsius constituunt. Nam hypostasis, secundum etymologiam, explicatur subexistentia. Siquidem Pater, utpote mens, quatenus est geniti causa, quasi genitum Filium in se habet. Quamobrem Euangelista, hujus vocis loco, ὑπὸ, id

Joan. 1. 1. est *sub*, πρὸς, id est *apud*, conscripsit dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Idem itaq. sibi vult, & ad unam eamdemq. significationem redit, ὑπὸ, & πρὸς, cũ nomini adduntur.

5. Igitur ὑπόστασις est Filius, quasi sub Patre exsistentiam habens, nec sine Patre, sed apud Patrem semper existens, neque aliam quam Patris voluntatem habens, neque aliam potestatem, vel operationem, ut neque aliam substantiam; sed cum omnia quæcumque Pater habet, habeat & ipse Filius, consubstantialis est Patri & Spiritui. Hic juxta paternum consilium, antiquum atque verum, utpote magni consilii Patris Angelus, mirabilis consiliarius, qui olim ut Verbum Patris multifariam multisque modis loquutus est Patribus in Prophetis; novissimis diebus his, loquutus est nobis, incarnatus & homo factus: qui, ut ait, & sæcula fecit: non quod diis quibusdam portentosis suam providentiam commiserit, ut ajunt Ethnici; sed ipse Filius ex Patris beneplacito, & Spiritus sancti cooperatione, omnem rerum providentiam acceperit. Siquidem communionem ostendens ejusdem & unius providentiæ at-

Joan. 5. 17. que operationis ait: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Non enim secundum aliam & aliam providentiam Pater & Filius operantur, sed secundum unam atque eamdem substantialem divi-

Hebr. 1. 3. nitatis operationem. *Qui cum sit* (ut ait iterum præco ille) *splendor gloriæ & figura substantiæ ejus*, palamque etiam est & Patris: ferat que omnia verbo virtutis ipsius, purgationem peccatorum nostrorum faciens, sedet in dextera magnitudinis in excelsis. Conversus autem sermo in eamdem recidit cogitationem, considerando scilicet; splendorem, quasi radium ex toto sole ortum, quasi scilicet ex disco totum solem continente oriretur, indiscretum habere fulgorem: & figuram, esse ostensionem substantiæ illius, per quam figuratur.

6. Quemadmodum enim annuli signatorii character impressus, eamdem habet expressam imaginem, quæ etiam sigillum nuncupatur, quoque secundum substantiam in nullo deficit; ita quoque Filius eumdem quem Pater fert characterem. Neque enim character expressus variat, sed invariabilis manet, juxta eam quæ in annulo est figuram, sive in cera sive in auro exprimatur, pro ratione regii denarii: & sic divina Filii figura substantiæ Patris invariabile sigillum est; & ferens omnia verbo virtutis suæ, secundum ipsum proprium suum

A characterem, carnem quasi ceream in se suscepit, eamque in semetipso obsignavit. Quæ res sane neque impossibilis, neque incredibilis est; ut tempore paternæ voluntatis, ut character (siquidem & character est) Incarnationem in se exprimeret, illa usus quasi cera vel auro: quandoquidem totum mysterium ineffabilis illius & inexplicabilis Incarnationis subostendit. Nam illud etiam nunc ineffabile & inenarrabile manet, ob rationem crescendi; siquidem gradibus quibusdam dogmata tradimus, neque uno momento totum imprimimus sigillum. Sigillo enim, cum multis ante temporibus, tum in multis ceris exprimi potest imago: in di-

B vina vero Incarnatione, non simul, sed quodam incremento res perfecte edocetur. Quæ res probe intelligi queat; si quis mentis subtilitate præditus, profunde possit penetrare ad corpus animale nuper satum, atque illic rem ineffabilem inexplicabilemque contemplari, quomodo scilicet desidente illic genitali semine, statim quidem in particulam quamdam coalescit; paulatim vero & per accessionem incrementum accipit. Neque enim illud ipsum apud nos dici potest; verum imaginando tantum aliquid percipitur, sed ineffabiliter atque inenarrabiliter. Itaque cum aliquo incremento di-

C vina Verbi Incarnatio efficitur, non quod divinus character augeatur vel concrescat; sed crescente animali carne secundum omnem plenitudinem, qua homo propria natura crescit dum in utero gestatur. Quamobrem lege hominum, novem mensium spatio gestatur, atque exinde Christi Incarnatio Dei hypostasin habere dicitur, & nullatenus hominis: quandoquidem juxta divinum characterem humana forma exsistentiam suam accepit, secundum unionem quasi spiritus ad animam. Ea enim ratione duo est Christus & non unum, ac simul unum & non duo. Duo quidem est & non unum secundum duas naturas; unum vero & non duo secun-

D dum unam hypostasin. Quamobrem duas dicimus voluntates, non duos volentes, duas operationes non duos operantes. Sed unum quidem volentem secundum unam hypostasin, duas autem voluntates & duas operationes juxta naturarum proprietatem.

7. His igitur divinum prædicantes mysterium Incarnationis, abjicimus hæreticorum blasphemias quibus illos demersos relinquentes, ad historiam Euangelistæ pertransimus, qua narrat illa Annuntiationem Deiparæ & Dei Matris, & ut res ordine se habet explicatius audiamus. Hoc significamus igitur: quo tempore paternæ

E voluntati placuit in consummatione septuaginta hebdomadum Danielis Prophetæ post instaurationem Jerosolymæ, in reditu Judæ ex captivitate Babylonica, per Salathielem & Jesum filium Josedec tunc Sacerdotes, in consummatione quadringentorum nonaginta annorum; Zacharias secundum vicem Sacerdotii sui ingressus est in Templum Dei ad incensum offerendum, apparuitque illi Angelus Domini ad dexteram altaris, annuntiavitque illi de Joanne filio suo, quem conceptura esset uxor sua Elizabet, & paritura Baptistam & Præcursorem Christi. Ac conceptione pera-

F cta, mense sexto prægnantis Elizabet, mittitur Archangelus Gabriel a Deo in urbem Nazaret Galilææ ad Virginem Mariam. Et ingressus Angelus ad illam salutavit eam dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Etiam hic animadvertimus vocem illam Angeli Luc. 1. 28. secundum prolationem spiritus soni fui, significationem habere, nec tamen ipsam esse Filii hypostasin, neque ipsam esse quæ facta est caro: sed ad eam vocem, Verbi & Dei proprietas, quæ alia est secundum hypostasin, statim descendit in uterum Virginis: blasphemantque ii qui ajunt, ipsam Archangeli vocem, fuisse hypostasin Dei Verbi. Ideoque blasphemiæ

miæ damnationem repudiantes, locum annotavimus.

8. Cum diversa igitur esset a voce Archangeli hypostasis Verbi & Filii Dei, apertis prius per Archangeli vocem Virginis auribus, statim in illam introivit divina Filii hypostasis. Qua ratione autem, ne ipsa quidem Virgo cognovit: novit vero qui ingressus est qua ratione sit ingressus. Quare ut ignorans mysterii eventum, statim perturbata est ad sermo- [Luc. 1. 28.] nem Angeli dicentis: *Ave gratia plena, Dominus tecum, & cogitabat qualis esset hæc salutatio*, quare re- [Ibid.] spondens Archangelus dixit ad illam: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus thronum David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in sæcula, & regni ejus non erit finis*. Ad hæc item verba stetit hæsitans Virgo, utpote ad naturam respicians, & de Josepho cui desponsata erat cogitans, [Luc. 1. 34.] Angeloque sic reponit: *Quomodo fiet mihi istud, quoniam virum non cognosco?* Quandoquidem, ait, o Angele, virum non cognosco: tu cur per illud, ecce, quod est adverbium demonstrandi, aia, *Ecce concipies*. Quasi tempus instet; ignoro quomodo istud fiet. Sed, o Angele, tu dicito, tu interpretare, *Quomodo fiet istud?* Respondens autem Angelus, di- [Ibid.] xit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Hæc est ait concipiendi ratio: ita concipies in utero, Spiritu sancto in te super- [Ibid.] veniente, & virtute Altissimi te obumbrante. *Ideoque*, ait, *& quod nascitur sanctum, Filius Altissimi vocabitur*. Illa vero adhuc hæsitans, verum sibi hæc optans, ait: *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Et discessit ab ea Angelus. Nam Euangelista significat Angelum ab ea discessisse, ne occasionem iis relinqueret, qui dicere vellent, ipsum Angelum in Virgine habitantem incarnatum fuisse, aut verbum Angeli secundum prolationem soni, Incarnationem operatum fuisse. Sed indicat, abscedente Angelo Spiritum sanctum in Virginem supervenisse, & virtutem Altissimi obumbrasse illi: atque ita demum completum est sacrum puerperium. Quibus est iterum necessario insistendum, ac considerandum qua ratione ad [Luc. 1. 35.] Virginem dictum sit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Numquid eodem modo quo ad Apostolos ajebat Christus: [Luc. 24. 49.] Vos autem sedete in civitate Jerusalem, donec induamini virtute ex alto, Spiritu sancto in vos superveniente? Æqualis quippe est promissio, & pari ratione accipi potest: Quandoquidem hic quoque dicitur, virtutem ex Altissimo in Apostolos adventuram, nec non Spiritus sancti præsentiam. Quid igitur? Num sicut Apostolis spiritus & virtus Altissimi promittitur, ita quoque Virgini?

9. Quod si ut in Apostolis, virtus Altissimi & adventus Spiritus sancti fuit, & in Apostolis non est incarnatio subsequuta, nec in Virgine igitur virtus est incarnata, neque Spiritus homo factus est, etiamsi Filius ipse juxta communem Theologiæ usum dicatur Virtus Altissimi. Sed sicut in Apostolos ideo virtus advenit, ut vim illi haberent contra omnem adversariam potestatem, fuitque adventus Spiritus secundum omnia quæ substantialiter in eo sunt, operans in omnibus signis & prodigiis & virtutibus ad confirmandam & afferendam Christi promissionem; ita & in Virgine fuit adventus Spiritus sancti, cum omnibus quæ substantialiter in eo sunt ratione divini principatus, gratiam illi tribuens, ut in omnibus illa gauderet. Siquidem eo gratia plena vocata est quod omnibus per Spiritum gratiis repleta esset, & quod virtus Altissimi obumbraret ipsi; quodque id haberet toto conceptionis tempore: immo ut credo, etiam post conceptionem. Neque enim arbitror ad tempus in Virgine factum illud esse, sed omni tempore, & tum & jam, & in perpetuum habet Virgo obumbrantem sibi virtutem Altissimi, & Spiritum in se supervenientem. Hoc enim pacto ea de re cogitamus. Erant ei omnia gratia plena per Spiritum sanctum, & per virtutem Altissimi. Neque ut ajunt hæretici, aliqua ἐνέργεια a Spiritu sancto facta est in Virgine, ut compleretur Incarnatio. Etsi enim absque semine, non dicimus tamen, per divisionem gratiarum Spiritus dividentis singulis prout vult, efformatam fuisse carnem circa propriam Filii Dei hypostasin, absit. Ejusmodi enim sententia, Pauli Samosateni & reliquorum hæreticorum est; sed ita dicimus secundum Orthodoxorum dogmatum puritatem: Quod virtute & Spiritu sancto repleta sit Virgo, cum ad sanctificationem carnis suæ, tum ut posset gestare salutarem fœtum. Hoc pacto igitur ipsa divina Verbi hypostasis, in Virgine inhabitans, incarnata est & humanitatem assumsit: non virtute & operatione, sed hypostasi, secundum totam plenitudinem divinitatis, ipsa quæ ab initio & ultra initium Deus est Filii Dei hypostasis, incarnata est & humanitatem assumsit. Superius enim probatum fuit, quod sicut substantia potentia & regnum & alia omnia, quæ juxta Theologiam his adduntur, singula hæc, inquam, non hypostasis dicuntur, sed circa hypostasin secundum substantiam speciatim interpretantur; sic operatio & virtus circa hypostasin substantialiter referuntur, & in commune quidem ad unamquamque sanctarum trium divinarum hypostasium, proprie item ad unam Filii Dei, incarnatam & hominem factam.

10. Supervenit igitur Spiritus sanctus in Virginem & sanctificavit illam, ut in Psalmis ait Spiritus: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, & obumbra- [Psalm. 45. 5.] vit virtus Altissimi corroborans eam, & divinæ umbræ ostensionem inducens, ut hinc instituta videre posset, quantum scilicet poterat videre, Deum formæ expertem in ipsa gestatum. Neque enim suspicandum est, Virginem secundum simplicem naturæ proprietatem Deum in se habitantem videre potuisse: (cum ne ipsa quidem animalis, rationalis & spiritualis incarnatio id videre potuerit) sed pro viribus, utpote obumbrante ipsa Altissimi virtute, & quasi umbram faciente, ut videret, quatenus poterat, inhabitantem Deum. Et quemadmodum nos habentes animam in carne nostra inhabitantem, eam ut in se est non possumus videre, sed quasi umbras quasdam & formas a viribus & operationibus ejus; tale quiddam tum Virgo, tum ipsa rationalis & intelligens anima videre potuit, jamque potest per traditas sibi facultates atque vires. Atque secundum hanc rationem potius res pertractanda est, quod fecerit Dominus hominem, & ad imaginem Dei fecerit ipsum. Nam ad imaginem & similitudinem hujusmodi incarnationis & assumtæ humanitatis fecit Deus hominem; ut in se gestans illam imaginem & similitudinem, ne dubitaret de ejusmodi incarnatione & assumta humanitate; Incarnationem, inquam, & assumtam humanitatem, nam eam una duplici voce appellamus, nec solum incarnationem prædicamus, sed etiam assumtam humanitatem; ne impiis hæreticis videatur nos mente & ratione carentē prædicare incarnationē; sed dicendo incarnationē & assumtā humanitatē, nos & carnē credere, & animā rationalē & intelligentē significare. Ideoque eos qui dicunt unā Dei Verbi naturā incarnatā, neque addunt animatam, rationalem & intelligentem, non admodū recipimus, nisi exponant, & dogmatibus adjiciant dicti interpretationem. Illud enim, prius simpliciter dictum a quibusdam,

busdam, postmodum in pravam sententiam deductum est, hæreticis vocem illam depravantibus.

11. Sanctificata igitur Spiritus sancti adventu Virgo, & corrobata virtute Altissimi, gravida eum gestat qui secundum propriam suam hypostasin Filius Dei est, secundum unam deitatis suę naturam: paritque eum incarnatum & hominem factum juxta duarum naturarum proprietatem: qui ex duobus & in duobus prædicatur, absque confusione, mutatione & divisione: non deiferum hominem, sed hominem carnem gestantem. Neque enim, ut iterum dicamus, hoc pacto intelligunt hæretici, sed prout dictum est; secundum efficaciam Spiritus & virtutis Altissimi, uterum gestasse Virgi- B nem, Deiferumque hominem ex Virgine docuerunt esse gestatam Dei virtutem & efficaciam Spiritus, qui operatus sit coram Pharaone & omnibus filiis Israel. Quapropter verba usurpant Principis Apostolorum, prædicantis in Actibus de Christo, qui recte quidem loquutus est: at illi tortuose & maligne interpretati, cum ille dixerit: *Jesum Nazarenum, quem unxit Deus Spiritu sancto*, de ipso illi ajunt, quod in utero Virginis efformaverit Deus hominem sine semine, operatione Spiritus sancti, & unxerit eum virtute Altissimi, uti scriptum est, oleo exsultationis præ consortibus ejus. C Huncque Altissimi filium vocavit Scriptura, qua ratione in Psalmis dictum est, Deo multos alloquente: *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes*. Quæ & similia, nos, ut hæreticorum dogmatum sententiam confutemus, & hac prædicatione corrigamus, dicimus Christum, non Deiferum hominem, sed Deum carnem gestantem esse, quoniam Deus cum esset, hominem gestavit secundum plenitudinem humanæ naturæ. Deus perfectus & homo perfectus, unus secundum unam hypostasin, & ex duabus atque in duabus naturis. Hunc enim hominem, quem dicimus quod (Verbum) gestaverit, hunc ipsum Deus & Pater D voluntate sua, & operatione Spiritus sancti, una item operante Filio, unxit Spiritu sancto, tribuens ei omnem efficaciam, virtute Altissimi circumcinxit illum, ut posset omnis adversariæ potestatis impetum sustinere, omnemque curationem in populo operari. Siquidem & tentari a Satana voluit, omnemque humilitatem paupertatemque in carne sua toleravit, quemadmodum magnus sacerque ille præco clamat: *Nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato, damnavit peccatum in carne*. Itaque Filius Dei qui in carnem descendit, ipse dicitur, E homo factus, ut alibi ait: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*.

His fere verbis utuntur Ephesina Synodus p. 455 & Chalcedonensis.

Act. 10. 38. *Psalm. 81. 6.* *Rom. 8. 3.* *Galat. 4. 4.*

12. Atque hinc notandum, quod primum Filius a Patre mittatur, ac tum nascitur ex muliere, non primum nascitur & tunc mittitur; sed primum mittitur, ac deinde nascitur ex muliere. Atque his apostolicis dictis consonant Prophetæ, qui ipsum Filium esse missum dicunt. Et primum in Esaia ipsius qui missus est verba ausculta: *Ego sum primus, & ego sum in sæcula, & manus mea fundavit terram, & dextera mea firmavit cælum*; & postquam percurrit variis F temporibus editas operationes, subdit: *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*; his manifeste declarans se Deum esse, qui fecit cælum & terram, ait: *Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus*. Et per Zachariam ait: *Gaude & lætare, Filia Sion, quia venio, & habitabo in medio tui, & confugient gentes multæ ad Dominum in illa die: & cognosces quia Dominus misit me ad te*. Inde ipse, incarnatus & homo factus, sese confitetur ajens: Missus sum a Patre, &, Misit me Pater, idipsumque multis testificatur verbis. Itaque non ut homo missus est, sed ut Deus & A Dominus, Filius, a Domino Patre: quale illud est: *Pluit Dominus a Domino*. A Domino dictum est. Et illud: *Dixit Dominus Domino meo*. Accipit autem in hisce verbis thronum David, qui enarratur esse corporaliter pater ejus: *Et regnabit in domo Jacob in sæcula, & regni ejus non erit finis*.

Esai. 48. 12. *Esai. 48. 16.* *Zach. 2. 10.* *Gen. 19. 24.* *Psal. 109. 1.* *Luc. 1. 32.*

13. Intelligas velim sermonem doctrinamque hac in narratione constitutam: omnia enim concutiunt & perscrutantur hæretici, ac cum simulatione interrogant. Num illud Incarnationem Christi subsequutum fuerit; an scilicet acceperit thronum David Patris sui, & regnaverit in domo Jacob in sæcula. Quibus ita respondemus, cum quadam observatione considerandum esse, Angelum ubi ait: *Et dabit illi Dominus thronum David*, nequaquam addidisse, ut confirmaret & corroboraret; sed absolute, *& dabit*. Hinc oportet ex iis quæ re & opere completa sunt, difficultatem solvere. Nam illud, *dabit*, dictum est, ita ut transtulerit regnum illud, ut ipse Christus ad Judæos loquens interpretatus est: *Ideo auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Itaque accepto Christus regno Davidis, transtulit illud deditque sanctis Christianorum regibus, ut converteret eos ad domum Jacob, & traderet illam in opprobrium & in direptionem. Regnat in Christianos in sæcula, & regni ejus non erit finis. Neque enim alii populo relinquetur juxta visiones Danielis Prophetæ; sed prædicant (Prophetæ) ipsum Christum Regem esse, perseverantem usque ad secundum suum adventum: quo tempore cum venerit, rex manebit in sæcula, & regni ejus non erit finis. Cum enim natus ex Virgine omnia compleverit quæ spectant œconomiam mortis & crucis, & post resurrectionem dixerit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*; jam inde regnavit, & Christianorum rex prædicatur: quemadmodum initio precum mutuo compellantes, clamare solent: Venite adoremus & procidamus coram Christo Rege nostro. Et venturus in magno & illustri secundo adventu suo, ipse manebit rex in sæcula, & regni ejus non erit finis. Siquidem is ipse qui ex Virgine natus est, rex est, & ipse Dominus Deus. Ejusque gratia, quæ ipsum genuit, Regina, Domina, & Deipara proprie ac vere prædicatur.

Ibid. *Mat. 21. 43.* *Mat. 28. 18.*

14. Hincque decet nos eam respicientes, nec non ex ea genitum carniferum filium, dicere: Nunc adstitit a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, circumdata varietate. Ut enim fœmina, Regina est atque Domina & Mater Dei: jamque ut Regina adstans a dextris omnium Regis filii sui, in vestitu deaurato incorruptionis & immortalitatis, circumamicta, varietate circumdata, sacris verbis celebratur; non quidem secundum simplicitatem spiritualem & quasi sine carne & corpore adstat, sed circumamicta, secundum suam sanctissimam carnem, incorruptione & immortalitate, & circumdata varietate, secundum ossa ejus sanctissima quæ carnem ipsius fulciunt. Etenim ex carnibus & ossibus ejus, quasi ex veteri Adamo, novus Adam Incarnationem sibi quasi costam efformavit, gestatque illam in perpetuum. Atque hinc est quod nova Heva, mater vitæ nuncupata, manet circumamicta & circumdata varietate, ad primitias vitæ immortalis omnium viventium. Dicamus igitur iterum atque iterum semper & in perpetuum, cum ad ipsum Regem Dominum & Deum, tum ad ipsam Reginam, Dominam & Deiparam respicientes, ex motu quodam contemplationis spiritualis ac perspicacis oculi nostri: *Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, varietate circumdata*. Et jam audi filia David & Abraham, & inclina aurem tuam ad supplicationem nostram, ne obli-

Psal. 44. 9.

blivifcaris populi tui,neque noftrum qui domus Patris fumus tui. Patres namque tui fumus quadam ratione, & filia noftra tu es per generatinnem tuam ex nobis: decetque te, utpote Dei Matrem, Reginam, Dominam & heram, propter Regem Dominum, Deum & herum ex te natum, noftrum recordari, adftantem illi qui terribilis nobis, tibi jucundus eft, omnefque tibi largitur gratias; unde gratia plena nuncupata es, quafi omni lætitia plena, propter adventum Spiritus fancti in te. Quamobrem vultum tuum deprecamur omnes divites plebis, talibus ditati bonis ac fpiritualibus contemplationibus: ad te clamamus: Recordare noftri, fanctiffima Virgo, quæ poft partum Virgo permanfifti, & tribue nobis pro exiguis his fermonibus, magna dona ex divitiis gratiarum tuarum, n gratia plena: pro quibus, quafi veris & celebrandis laudibus, tibi ad encomium, fi qua virtus, fi qua laus, a nobis, necnon ab nmni creatura hymnus offertur, gratia plenæ, Dominæ, Dei Matri, & arcæ fanctificationis.

15. Ecce jam a præfenti tempore & initio diei, quafi primitias encomii tibi Archangelus contexuit
Luc. 1. 28. clamando: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Beatam te dicunt omnes generationes. Ac primum omnes cæleftes Angelorum hierarchiæ, & quæ fuper terram funt, hierarchicas manus adtollentes, te benedicunt quæ in cælis es benedicta, & in terra beata
Ibid. prædicaris. *Benedicta tu iu mulieribus, & benedictus* A *fructus ventris tui*. Ejufmodi te benedictionibus, prima Hierarchia Thronorum, Cherubim, & Seraphim, qui inflammati appellantur, dicunturque effe plenitudo cognitionis Dei & Regis, celebrat dicens: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus, qui Deum geftavit, & ubera, quæ infans ipfe fuxit. Secunda Hierarchia Dominationum, Virtutum, & Poteftatum, ad te refpiciens clamat, prout fcilicet didicit a fublimiore & prius initiata Hierarchia: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus, qui Deum continuit, & ubera quæ nutrierunt Deum infantem factum. Similia quoque, tertia Principa- B tuum, Angelnrum & Archangelorum Hierarchia, juffa a mittente Deo ut per unum Archangelum Gabrielem, magnificentiffimum, & multa complectentem hymnum concelebret, femper clamat: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Ibid. Ab iis edocti, nos qui terrenæ fumus Hierarchiæ, exaltationes Dei in gutture ferentes, vel eafdem mutuati voces, te exaltamus magna & alta voce canentes: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Ibid. Intercede pro nobis Domina & hera, Regina, & Mater Dei, quia ex nobis orta es tu, & qui ex te genitus carnem geftat Deus nofter: quem decet glnria & magnificentia, omnifque honor, adoratin & gratiarum actio, cum Patre ejus initio carente, & fancto, bono vivificoque Spiritu, nunc & femper & in fæcula fæculorum. Amen.

IN SERMONEM DE CENSU,
SEU DESCRIPTIONE DEIPARÆ,
ADMONITIO.

HUNC *Athanafii effe putavit, Lucas Holfteinius, qui ineptiffimum illum Dialogum, Jofephum inter & beatam Virginem, qui num. 6. legitur, interpolatoris alicujus audacia additum fuiffe fufpicatur, cujus opinioni fuffragari forte videantur Lipomanus & Surius, qui hunc tractatum in vitis Sanctorum, omiffo Dialogo edidere. Sed cum Dialogus ille in manufcriptis omnibus quæ infpicere licuit compareat, quorum quidam funt 700. circiter annorum, arbitramur ab ipfo Surio & Lipomano, utpote ridiculum, refectum fuiffe. Etiamfi porro hic Dialogus adfcititius effet, multa alia fupereffent νοθείας figna. Primum enim multum abhorret hoc Opufculum ab Athanafii illa gravitate & ftili ἐνεργείᾳ. 2°. multa, pro Opufculi brevitate, infueta vocabula hic exftant, ut eft illud κυνογλωσσομίσης, illud item μαζὸς ἁγιόριζος, γάλα ξεναρμόνιος, & φλεβοσυλία. Item num. 7. poftquam dictum fuit ftabulum Bethlehemiticum typum gerere Ecclefiæ, paucis interjectis hæc leguntur: θρόνος ὁ παρθένος, κρατῆρες οἱ μαζοὶ, ἀνεβίβασεν ὁ ἐνανθρώπησις, ῥιπιστῆρες τὰ Χερουβὶμ, δίσκος τὸ ἅγιον σῶμα, ὁ πατὴρ δισκοκάλυμμα. Quæ nugatoria effe nemo non fateatur; quis enim ferat Spiritum difco, Patrem difci operculo conferri, ubi Angeli Sacerdotum, Paftores Diaconorum officio funguntur; ut ibidem dicitur. His de caufis Homiliam iftam cenfemus Athanafio abjudicatam oportere. Præfationem porro Holfteinii fubjicimus.*

PRÆFATIO HOLSTEINII
IN SEPTEM HOMILIAS,

Quæ non confequenter, fed juxta rerum & argumenti ordinem inferius pofitæ funt.
Sunt autem Homiliæ hujufmodi.

I. In Defcriptionem five Cenfum Beatæ Virginis.
II. In illud Matth. 21. v. 2. *Ite in caftellum, quod contra vos eft.*
III. In illud Lucæ 19. *Eunte autem illo, fubfternebant veftimenta.*
IV. In S. quintam feriam, & proditionem Judæ.
V. In S. Pafcha, & in recens illuminatos, Sabbato in albis.
VI. In cæcum a nativitate. Joan. 9.
VII. In SS. Patres & Prophetas, & venerandam Ecclefiam, Pfalmumque tricefimumquartum.

LUCAS HOLSTEINIUS LECTORI.

CUM Divi Athanafii opera recudi a Typographis audirem, rem me facturum exiftimavi & publico utilem, nec bonis doctifque ingratam, fi cetera Sanctiffimi Patris ἀνέκδοτα conquirerem, & in lucem hac occafione producerem. Collegi ergo npera tumultuaria ex Chriftianiffimi Regis Bibliotheca, atque ex Cl. & R. P. Sirmondi, meifque fchedis Homilias feptem Athanafii nomine prænotatas: neque enim Athanafii omnes effe credat, cui vel minimum in hifce ftudiis judicii, quique vel obiter tantum cetera ejus fcripta infpexerit. Quo-

circa ne carbones thesauri loco venditare videar, indicandum paucis existimavi, unde singulas depromserim; tum meam de iis sententiam, nullo tamen veritatis aut κριτικωτέρων præjudicio, proferre volui. Primo ergo loco comparet *Homilia in descriptionem B. Virginis*, ante triennium a me Oxonii in celebri illa Bodleiana Bibliotheca ex Ill. Equitis Henrici Savilii membranis transcripta. Reperi eandem in quinque aut sex regiis codicibus, assumentis quibusdam auctiorem: cum quibus & R. P. Sirmondi exemplar Romæ descriptum consentit. Latine jampridem eam ediderunt Lipomanus & Surius in Vitis Sanctorum, sed paraphrasi, ut solent, liberiori: in qua Dialogus ille, ne quid gravius dicam, plane intempestivus inter Josephum & Beatam Virginem, nescio utrum Græci exemplaris fide, an illorum judicio, omissus est. Ego ut in Manuscriptis codicibus reperi, ita bona fide repræsento, bona malis, & χρύσεα χαλκείων permixta. Neque solius Athanasii ea fortuna, ut ineptissimorum interpolatorum manus subiret, cum Chrysostomi, Procli, aliorumque Homilias, similibus sequiorum sæculorum ineptiis fœdatas in iisdem regiis codicibus invenerim. Et fucum manifeste arguunt Lipomani & Oxoniensis Academiæ exemplaria: cum ab illis petitus, ab hoc autem magnam partem assumenta illa absint. Comparatio speluncæ Bethleemiticæ & Ecclesiæ prolixe a Sancto Germano ἐν τῇ μυστικῇ θεωρίᾳ pertractatur: in ea tamen id proprium Athanasii est, quod Josephum ἐφημερευτὴν appellat, voce mihi hactenus nullibi lecta. *Vicarium* verti, cum commodius nihil occurreret. Alludit autem ad ἐφημερίας, sive vices sacerdotum Leviticorum, quarum & B. Lucas cap. 1. meminit. Quid φλεβοσωκίας vox sibi velit sub fine ejus Homiliæ, ingenue fateor me nescire: nec eruditissimi viri, quos ea super re consului, nodum illum expedire potuerunt. Versione ita, uti sententia exposcere videtur, utcunque expressi; nec longe me ab Athanasii mente aberrasse puto. *Sequentes duas Homilias* ex unico Regio exemplari transcripsi: Athanasii eas esse sane crediderim, neque quidquam video, cur aliter judicem. Quartam illam in *S. Magnam quintam feriam*, ex eodem Regio codice & R. P. Sirmondi exemplari repræsento. Habet ea characteres sive notas expressas styli Athanasiani a Photio observatas, τὸ ἀπέριττον καὶ τὸ δεινόν, ut & quinta illa *in S. Pascha*, meo judicio omnium optima & elegantissima, quam uni P. Sirmondo debemus, qui Romæ abs se descriptam perbenigne mecum communicavit. Sabbatum τῆς ἀπολυσίμου, quo ad recens baptizatos eam habitam inscriptio testatur, appellant Græci, quod Dominicam in Albis, sive ut iidem vocant, κυριακὴν τὸ ἀντίπασχα præcedit, quod Paschalis festivitas, toto octiduo olim celebrata (διακαινήσιμον eam septimanam Græcorum rituales libri vocant, ob fidelium, ni fallor, per baptismatis Sacramentum revocationem) eo die finiretur, cœtusque sacri solverentur, id enim λύσιν sive ἀπόλυσιν iidem vocant, unde postremus solennium festorum dies ἀπόλυσις quondam vocabatur, quod ex Basilio Seleuciensi aliisque jampridem V. Cl. & amicissimus Joannes Meursius in Glossario suo docuit. Eo autem Sabbato Christianæ militiæ tyrones, magno Sabbato baptizatos, albas vestes deposuisse notius est, quam ut indicari debeat.

Rejeci tandem in finem *duas Homilias*, quæ præter titulum nihil Magni illius Athanasii habent: aut si unquam eum patrem agnoverunt, ita nunc interpolatæ sunt, ut Athanasius ipse, si eas legeret, earum auctoritatem desugeret, in quibus nec vola, quod ajunt, nec vestigium ingenii stylique illius agnoscitur. Prior tamen ista *in cæcum natum*, minus contaminata est a rhetorculis istis, qui ex optimis SS. Patrum Homiliis Dialogos pessimos nobis concinnarunt. Prodit ea ex Regio Manuscripto, emendata tamen aliquot locis ex P. Sirmondi exemplari, cujus ope egregie aliquot loca restitui.

Postrema illa in *SS. Patres & Patriarchas*, ineptissima est, & ipso rure inficetior. Reperi eam in unico Regio codice, quo nihil me magis barbarum vidisse memini, adeo nulla orthographiæ aut constructionis ratio isthic servata, & tota vitiis scatebat, quorum maximam partem sustuli, ita ut legi intelligique jam queat. Potuisset sine scelere omitti, nisi doctissimi viri ejus auctoritate jampridem in crucis usu probando asserendoque fuissent usi. Quorum ego judicium vehementer hac in parte desidero. Nam quæ de imaginibus sub finem leguntur, Iconoclastarum tempora sapiunt, iisque impostor, quicunque demum is fuerit, veluti sorex suo judicio manifeste se prodit. Loca scripturæ, quæ imaginum usui probando afferuntur, admodum ἀπροσδιόνυσα sunt: ludit enim in verbo γράφειν, quo Græci & scripturam & picturam promiscue significant. Quod de Zachariæ sanguine scribit, notas ejus & vestigia in saxis apparuisse id & Tertulliani auctoritate confirmatur cap. 8. Scorpiacis: quamvis B. Hieronymus in 23. Matth. ut piam commentum id elevet.

Hanc editionis nostræ rationem paucis exponendam putavi: & certa me spes tenet bonos & eruditos viros, si non operam, certe conatum & voluntatem nostram probaturos. Cetera quæ adhuc latent in Italiæ & Hispaniæ Bibliothecis alii dabunt, præsertim *Commentarium perpetuum in Psalmos*, quod ego palmarium Athanasii opus existimo. Quæ in S. Antonii vita ex Manuscripto codice Reverendissimi & Clarissimi Domini Caroli de Montchal, Abbatis S. Amantii supplevi & emendavi, seorsim Typographus dabit, aut Hoeschelianis notis inseret; mihi enim nunc eorum copia non est, nec ita uti vellem, recensere licet. Vale, & hoc qualicunque nostro labore fruere feliciter. Antissiodoro, cIↄIↄcxxvi. Postridie Idus Octobris.

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

In censum sive descriptionem sanctæ Mariæ, & in Josephum, sermo.

Ex mss. Reg. Oxon. R. P. Sirmondi, & Colbert.

1. QUEMADMODUM operarii auriferæ terræ metalla effodienda nacti, cum in venam incidunt, quæsiti auri ramenta exhibentem, illic operam ponunt suam, illic effodiunt, utpote via ibi ad lucrum commonstrata, non retro cedunt, nec ante sedem commutant, quam propositæ rei latibulum deprehendant; eadem prorsus ratione nos Ecclesiastici operis distributores, Lucam Euangelistam præ manibus habentes, ut Dominicum virginei partus thesaurum contemplemur, non ante finem perquirendi faciamus, quam propositas diligenter colligamus divitias. Quamobrem ordine Euangelistæ vestigia indagabimus, ne quidpiam lucro faciendo idoneum omittamus. Etiamsi enim verba principio exigua videantur, at magna gratiæ mysteria. Nemo sermonem fastidiat, quasi parvi momenti lectionem audierit. Nam si spectetur nati Domini potestas, exigua & perquam exigua sunt quæ modo lecta sunt, panni scilicet, præsæpe, incommodus locus. Et hæc quidem exigua sunt; quæ autem in hisce proponuntur mystica sunt, nempe uterus inenarrabilis, sinus incomprehensibilis, ubera sancte radicata, lac insolito fluens modo, mamilla a naturali ordine aliena, Mater Domini censu descripta, Joseph sponsus nomine, nec re consortio fruitur.

Luc. 2. 1. 2. Audisti modo Lucam Euangelistam dicentem. *In diebus illis: exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptia prima facta est sub Præside Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Profectus est autem & Joseph a Galilæa de civitate Nazaret in Judæam, in civitatem David quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Viden' quam exigua verba, quam magna mysteria? Dominus in utero gestatur, & prima descriptio edicitur. Qui universam creaturam descriptam habet, quique discipulis suis, ait: *Gaudete & exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* (Luc. 10. 20.) In parvis Latinis codicibus Matrem suam describi concessit. Quis non loquatur? Quis non miretur humilem Domini adtemperationem? Sursum liber, deorsum censu descriptus: sursum Filius, deorsum servus: sursum rex, deorsum mercenarius: sursum dives, deorsum egenus: sursum adoratur, deorsum tributum solvit: sursum divinus thronus, deorsum spelunca rustica: sursum paternus & incomprehensibilis sinus, deorsum stabulum parvum & præsepe. Quis non mirabitur magnas sursum res, & viles deorsum pannos? Qui solvit ligatur: qui nutrit enutritur: incomprehensibilis, puer apparet: Qui fontes scaturire facit, ubera mutuatur: Qui omnia gestat, inexplicabili modo gestatur: Qui nusquam non est, in certo loco incircumscripte circumscribitur. O res stupendas! Elizabet in concinna ædicula parit, & Virgo in parva gignit spelunca: Joannes in lecto, Dominus in præsepio. Non sine causa Dominus ex Virgine natus: non sine causa pannis involutus est: nec sine causa mamillam suxit: non sine causa in præsepio reclinatus est: nec sine causa Augusti descriptione accitus est; omnia ex certa causa & ratione, etsi occulta, peracta sunt. Ex Virgine nascitur, ut primum hominem A Adam ex limo virginis terræ formatum reformet. Pannis involvitur, ut peccatorum nostrorum nexus solvat, vincula vinculis solvens, juxta dictum illud: *Unusquisque enim vinculis peccatorum suorum constringitur.* (Prov. 5. 22.) Mamillam suxit, ut gratiæ lac, quod ex latere ejus effluxit, scaturiret: nihil enim aliud lac est, nisi sanguis albescens: in præsepio reclinatus est, ut humanum genus brutorum more desipiens corrigeret; duorumque animalium esca fieret: Quorum duorum animalium? Ethnici, Judaicique populi, de quibus scriptum est: *In medio duorum animalium cognosceris.* (Habac. 3. 2.) Descriptionem B sub Augusto Cæsare admisit, ut inconditum orbis statum componeret. Ipsa quippe descriptio, probi in orbe futuri ordinis pignus fuit.

3. Et quod vera hæc sint, paucis percipe. Antequam Dominus homo fieret, hominum genus magna tyrannis occupabat, nulla ratione terra gubernabatur, regia dignitas ludibrio erat, apud homines multos ingens Regum turba exoriebatur: si cui erant centum circiter homines subditi, regium is sibi habitum continuo usurpabat. Talis erat hominum pugna: cum certorum locorum principatus ambirent, C nec ex loco transirent in alium; nisi quandoque sibi mutuo bellum inferrent. Cum diutius ejusmodi confusio perseveraret, ubi primum Dominus in terra virgineum occupavit palatium, permultos illos abstulit principatus, ac monarchiam instituit, ubi Romanorum imperium omnes obtinere decrevit, ad cælestis scilicet imperii normam. Quemadmodum enim unum in cælo Dei regnum obtinet, omnesque Angeli voluntati ejus subjiciuntur; dæmonibus barbarorum more imperium detrectantibus eadem ratione & in terra, licet permultæ sint indomitæ gentes, unum tamen Romanorum imperium obtinet. Probi igitur hu- D jusce ordinis constituendi causa, primam sub Augusto descriptionem Rex in utero gestatus edici mandavit: unde & se ipse in Romani imperii censu describi permisit ad confirmationem statutarum legum. Tum enim Regis lex obtinet, cum prior ipse quam tulit legem implet. Nam qui legem ponit, nec implet, is legis abrogator est potius quam legislator. Boni igitur hujusmodi ordinis ponendi causa, prima sub Augusto descriptio facta est, ut & legis cultus auferretur, & Judæorum natio cohiberetur, ut ne perversis Judæis, si suo jure viverent, liceret innoxios occidere, sed necessitatis jugo legibus parerent.

E 4. Necessaria itaque fuit supradicta sub Augusto descriptio. Ipsa quippe descriptio, Judæorum populum depressit, Christianorum contra genus exaltavit, Judæis, Romani metu imperii, non audentibus priore suo uti furore. Quapropter post eam descriptionem, cum Dominum comprehendissent, & morti tradere festinarent, non ausi sunt arbitratu suo agere, sicut olim cum Prophetis, quos cæco impetu dilaniarunt; sed Pilato coram stiterunt, tum Romanorum præsidi, exacturo ut coram se accusaretur; idque ut pro dictis ejus pœnas exposcerent, & artificio consensum ejus obtinerent. Quamobrem Pilatus, utpote Romanorum Præses, ut Judæos vidit canina lingua Domini necem postulantes, gnarus eos præ invidia tradidisse illum, in-

interrogabat Judæos hisce verbis: Ut probe nostis omnes, nihil morte dignum invenio in hoc homine, o Judæi. Quid Romanorum imperium polluere conamini, petulanter justum capientes, & insontem sontem esse volentes? Nihil morte dignum invenio in hoc homine. Barrabas ergo occidatur, Christus autem dimittatur: quia ille quidem homicida & seditiosus, hic vero beneficus & vitæ largitor, quandoquidem hanc adversus illum accusationem adornastis. Verum cum ne hac quidem ratione assentirentur Judæi, sed Cæsaris inimicum Pilatum proclamarent; Pilatoque Christi patrocinium suscipienti in faciem dicerent: *Non es amicus Cæsaris*, siquidem velis eum vivere qui se regem dicit. At ne ita quidem Judæis concessit Pilatus, ut quidvis proprio agerent arbitrio. Si namque concessisset illis, Judæi Dominum lapidibus interemissent, aut serra lignea dissecuissent. Quod si factum fuisset, nos Crucis jacturam fecissemus. Nam apud Romanos supplicium, Crucis erat lignum. Quamobrem interrogabat Judæos Pilatus: *Quid vultis faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* At illi Romanorum instituto confisi, clamarunt: *Tolle, tolle, crucifige eum*: & confestim Pilatus annuit: desuper enim nutum hunc acceperat.

Joan. 19.12.

Matth. 27. 22.

5. Ob eum igitur probum ordinem prima sub Augusto Cæsare descriptio edicta fuit: nisi enim edicta fuisset, nequaquam Domini corpus perfectæ sepulturę traditum fuisset; futurum enim erat ut Judæi, præ nimio furore, corpus Domini aut in ignem conjicerent, aut in mare demergerent. Si enim amicum sibi Jeremiam in lacum cœni demiserunt, quid facturi erant in Domini corpus, nisi se cobibentem reperissent Romanorum legem? Quare cum Judæis minime concederetur a Pilato ut corpus Domini acciperent, Joseph ab Arimathæa, amicus Pilati, adiens illum, petiit ab eo corpus Domini, allato pro ea re ingenti pretio. Necessatia itaque fuit descriptio sub Augusto Cæsare facta: tametsi enim, uti modo audisti, sponsus Virginis mœrore adfectus est, attamen mundus universus præstantioris ordinis initium accepit. Quid illud est, sponsus Virginis mœrore adfectus est? paucis ausculta. Cum Joseph Virginis sponsus, ut modo audisti, propter Augusti censum in Bethlehem concessit cum Maria desponsata sibi uxore prægnante, ignorabat Joseph Mysterium in Virgine abditum, necdum Angeli oraculum acceperat: at Virgo, tum ex verbis, tum ex uteri tumore, certo sciebat quid gestum esset; quanto enim magis uterus intumescebat, tanto securiorem Virgo vitam degebat, una virginitatem servans intemeratam, fœtumque gestans citra vel minimam molestiam; nec tantum illo gravata, quantum levata.

6. Horum causa anxius Joseph, cum videret eam uterum gestare, ignoraretque intus reconditum thesaurum, mœrore adfectus, Virginem in via objurgavit hisce verbis: Quid tibi videtur, o Maria? Nonne tu es quæ ut verecunda Virgo in Templi septo es educata? Nonne tu es, o Maria, quæ viri adspectum non sustinebas? Nonne tu es, o Maria, quæ contra propositum tuum me in sponsum admisisti? Nonne tu es, o Maria, quę virginitatis rosam immarcessibilē servare peroptabas? Nonne tu es, o Maria, quæ Susannam diligebas, Ægyptiam oderas? Nonne tu es, o Maria, quæ vi stupratam Thamar sæpe legebas, & impudicum Amnonem exsecrabare? Quorsum abiit ille continentiæ tuæ thalamus? Quorsum ille castitatis immaculatus thorus? Quorsum verecundus ille vultus? Ego pudore adficior, tu confidenter agis? Quia peccatum sileo tuum, tu propius accedere festinas? Non vides alvi tuæ tumorem? Intus infans palpitat, & tu quasi nihil experta hilaris es? Abi, Maria, remigra in domum tuam:

Gen.

A quære pudicitiæ tuæ furem, cum illo describare. Ego contumeliam illam non admitto, nullam ad pœnam deprecandam invenies excusationem. Tum Virgo ad Josephum: Quid indignaris, mi sponse? Quid me ut impudicam damnas? Quid contumeliosis oculis uteri mei tumorem conspicis? Quid me ad erubescendum cogis? Gloria sum mulierum, a priore illas turpitudine emergere feci: Evam revocavi: igneum transtuli gladium, & tu me jubes occultari? Nemo pœnas a me reposcere poterit, quę communem omnium gesto Dominum. Si de me ipsa testimonium feram, inanis gloriæ cupida deprehendar. Paululum expecta, Joseph, B tibique Pastores vera persuadebunt, te Magi certiorem facient: stella pudore adficiet: Angeli ad compunctionē excitabunt. Jā dubitas, paulopost gloriā dabis, ubi cælestem exercitū audies cū concentu clamantem: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus beneplacitum*. Tum genua flectes, nec perquires. An non transitum nostrum consideras, o Joseph, quod scilicet vir nullus nobis sit comes itineris? Non vides solem splendidiore amictum veste? Non vides universam creaturam exsultantem? Non vides montes saltare? Non vides colles lætari? Non vides aquarum alveos exundare? Non vides Jordanem extra ripam C effluentem? Ex signis rem conjice significatam, nec ambigas, o Joseph, quod me prægnantem cernas. Me ipsam mutuo dedi, nec polluta sum: Uterum commodavi, nec virginitatem temeravi. Ne propositis rebus fidem abneges, o Joseph: cum obstetrice usa fuero, tum quæ sim exploratum erit; jam probris adficior, tum beata prædicabor; nunc ut ream abigis, tunc ut sanctam prope adesse rogabis. Ne glorieris quod me custodire videaris: Ego namque te custodio. Nam qui uterum meum in tabernaculum sibi adparare dignatus est, is est totius D naturæ custos. Pergamus ergo & describamur, ut & militaris lex, & Imperatorium edictum impleatur.

Luc. 2. 14.

7. His pudefactus Joseph, duplici deinceps via incedebat, pedibus quidem terram vestigio calcans, cogitationibus autem nubes supergressus. Quid enim aliud agendum Josepho restabat, quam ut sursum mente degeret? Quandoquidem omne donum perfectum desuper datum est. Quamobrem deinceps Joseph una Virgini comes, & adjutor erat, atque futurarum spectator rerum. Non quod Virgini adjutore esset opus, nedum ei qui in Virgine gestabatur, quique omnium auxiliator erat & est, & ad quem exclamat ille E qui ita vociferatur: *Auxilium meum a Domino qui fecit cælum & terram*; sed quod necesse esset, ad œconomiæ illius negotium, adjutorem Joseph esse, ut Virgo conjux reputaretur, ut diabolo lateret quod agebatur, neque rem gestam ille edisceret: qua ratione scilicet Deus cum hominibus conversari dignatus sit. Quid igitur Lucas Euangelista? nam operæ pretium est videre & Joseph certiorem factum, & domicilium in quo peperit Virgo, quod Ecclesiæ typum gerit: ubi altare, est præsepe; qui vice sua ministrat, Joseph; Diaconi, Pastores; Sacerdotes, Angeli; Summus Sacerdos, Dominus; Thronus, Virgo; crateres, F mammæ; vestis Sacerdotalis, incarnatio; flabella, Cherubim; discus, Spiritus sanctus; Pater autem disci operculum. Quod autem Ecclesię typum præfiguraret locus in quo Virgo Dominum peperit, audisti jamjam Euangelistam Lucam dicentem: *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.*

Psalm. 120. 2.

Luc. 2. 6.

8. O res admirabiles! papæ, quam exigua verba, quam magna mysteria! *Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret*. O rem stupendam, conditor temporum definitum tempus exspectat! Qui termi-

minum tempori constituit, statutum mensium spatium exspectavit; ut nemo phantasiam aut speciem tantum illud esse existimaret. *Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret filium suum primogenitum: & pannis eum involvit & reclinavit eum in præsepio.* Perpende mysticum Virginis partum: ipsa peperit, ipsa pannis involvit. Inter fœminas hujus sæculi, alia parit, alia pannis involvit: apud Virginem non item; ipsa peperit, ipsa pannis involvit: ipsa infatigabilis mater, ipsa obstetrix sine magistra, non permisit quemquam impuris manibus partum intemeratum contingere; ipsa per sese curavit eum, qui ex se, & ante se, & propter se natus erat: *Et pannis eum involvit: & reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Vides, o dilecte, quomodo Ecclesiæ typum nobis jam ante depinxerit vile illud diversorium, ubi Virgo illa peperit quæ semel uterum gestavit, nec secunda vice genuit, nec contumeliæ notam sustinuit: licet insani quidam, quod audierint Lucam Euangelistam sic loquentem: *Et peperit filium suum primogenitum*, secundam fuisse Virginis conceptionem docuerint, incorruptionem in corruptionem transmutantes: in suis dogmatibus ita loquentes: Nequaquam primogenitus dictus fuerit, nisi subsequatur alter. Adversarii autem nostri, non modo Lucam suæ pravitatis producunt testem; sed etiam Euangelistam Matthæum qui ea ipsa enarret, & apertius adbuc adfirmet, atque ejus voces impii illi proferunt, in scriptis suis ea loquentes quæ Joseph in visione accepisse scribitur, Matthæo Euangelista dicente: *Apparuit autem Angelus Domini in somnis Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est. Surgens autem Joseph*, ait, *accepit Mariam conjugem suam; & non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum.* Simili modo adversarii has voces mutuantur, ut gloriosam Virginem secundo peperisse doceant. Sed apage absurditatem: immaculatum prorsus permansit hoc virginale, & gloriosum cimelium: nequaquam pollutum fuit secundum cælum: nequaquam prophanatum fuit vas illud, quod Deum altissimum continuit. Dominus primogenitus ex Virgine audivit, ac probe audivit; non quod secundum ex eodem genere acciverit; sed quia primogenitus, id est incomparabilis erat. Neque enim quia B. Paulus de æterna Domini ex Patre generatione ait: *Qui est primogenitus omnis creaturæ*, naturalem statim Domini fratrem conscripsit: neque rursum ipse Paulus, cum ipsum Dominum primogenitum ex mortuis vocavit, statim alium Domino similem induxit, qui pari modo infernum conculcaverit.

Matth. 1. 20. — Coloss. 1. 15.

9. Quamobrem prudenter audi, ac pie credito. Primogenitus est Filius ex mortuis, ex Patre & ex Virgine, ut per omnia unica filiationis dignitas agnosceretur. Incomparabilis autem est dominica proles: nam ubi Mater Virgo, quanam ratione proles explicatur? Similiter quod Euangelista Matthæus de Josepho dicat: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Non plane cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Donec uterum Virgo gestabat, non cognoscebat eam Joseph: nec sciebat, quid in illa esset, ignorabat quid negotii gereretur, ignorabat quid appararetur: atque tunc solum cognovit cum illa peperit: tunc agnovit Joseph quænam Virginis esset virtus, & quid Deus facere dignatus esset: tunc novit, eam ubera dedisse, nec in vena sua rapinam sustinuisse; tunc novit eam peperisse, & quæ ad partum adtinent non novisse: tunc scivit mamillam a prærupta petra, spirituali petræ datam fuisse: tunc novit Joseph, de illa Esaiam scripsisse: *Ecce Virgo concipiet.* Incomparabili itaque modo primogenitus est Jesus. Quod si in rei veritate loqui oporteat: ipse Dominus & Unigenitus ex Patre; solus namque ex solo, sine principio natus est: idem Dominus & Unigenitus & primogenitus: Unigenitus ex Patre, Unigenitus ex Matre, propter œconomiæ decretum. Habet enim multos fratres, non natura, sed gratia, & in Virgine & in Patre. Simili quoque modo in Resurrectione fratres habet Dominus: ecquinam illi? Ante omnes, sancti Apostoli, quibus Dominus dicit: *Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum;* quibus Dominus ait: *Vos autem cum oratis, dicite: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria & imperium nunc & semper, & in sæcula sæculorum. amen.

Matth. 1. 25. — Matth. 6. 9. — Joan. 20. 17.

IN SERMONEM DE NATIVITATE CHRISTI MONITUM.

HAUD *ita pridem Sermonem de Nativitate Christi ex Barociano codice, sua manu exscriptum, transmisit nobis vir doctissimus Jacobus Mill, Principalis Collegii Oxoniensis, cujus prolixam erga nos voluntatem, inque studiis nostris promovendis desiderium non semel experti sumus. Indicarat ipse nobis in quodam codice Baroc. tres exstare homilias Athanasio adtributas. Rogantibusque ut earum nobis copiam faceret: hæc ille rescripsit:* Homilias de Nativitate Christi quod spectat, exstant istæ omnes in exemplari illo ms. cui acceptas pridem dedit Cl. Holstenius homilias quas in Tomum II. operum Athanasii ad finem conjectas vides. Primæ, cujus apographum petitis, pars prior usque ad verba ista, [illegible] &c. ex homilia quadam excerpta est (rejectis hinc inde plurimis pro arbitrio defloratoris) quam sub Chrysostomi nomine inter ἀμφισβητούμενα a Savilio evulgatam habes Tomo V. quæque jamdiu Chrysostomo adjudicata est a Cyrillo Alexandrino, libro ad Reginas. Reliqua omnia, luce quantum video non indigna, aliunde desumta sunt. Homiliam integram dedi. Secunda Homilia de Nativitate Christi, integra sub titulo Chrysostomi exstat in Tomo V. ex editione Frontonis Ducæi hom. XXXI. ut & tertia Tom. V. Savil. præfixis duntaxat istis verbis: [illegible]; *Hæc Vir Clarissimus. Prima itaque Homilia, quæ ut probe monuit ipse, multa refert initio ex Sermone in Nativitatem Christi, cuso in V. Tom. Operum Chrysostomi ex editione Savilii p. 846. inter* ἀμφισβητούμενα, *hæc inquam homilia, quia exceptis clausulis nonnullis sub initium hinc inde dispersis, alia omnino est ab illa Saviliana, idcirco hic inter supposititia locum habet: nam ne suspicari quidem licet eam esse Athanasii: cum liquido constet fuisse illam ex laudata Chrysostomi Homilia de Nativitate excerptam; quam, ut erudite advertit Vir Clarissimus, Chrysostomo adjudicandam suadet Cyrillus, qui eam ut Chrysostomi fœtum memorat in libro* ταῖς βασιλίσσαις *inscripto p. 50. ubi ejus fragmentum non modicum adfert. Secunda quæ inter Chrysostomi*

opera habetur in editione Frontonis Ducæi numero XXXI. p. 417. & tertia quæ inter ejusdem Chrysostomi opera comparet in editione Savilii Tom. V. p. 851. cum in solo Barociano codice legantur nomine Athanasii, ex mendo puta quodam, aliasque in editis & codicibus bene multis exstent Chrysostomi nomine, in editione ejusdem Chrysostomi a nobis adornanda reponentur: ibique, Deo juvante, quid de illis sentiendum indagabitur.

Propalam autem est hanc quam edimus, post Nestorii ævum conscriptam, seu potius consarcinatam fuisse: ex iis scilicet quæ pro asserenda voce θεοτόκος *dicuntur. Commonstratur enim B. Virginem non modo* θεοδόχον *verum etiam* θεοτόκον *esse. At nulla erat ævo Athanasii de voce* θεοτόκος *controversia, quæ demum Nestorii tempore mota fuit. Quamobrem nec Athanasii esse, nec ante Nestorium prodiisse videtur.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

In Nativitatem Christi.

1. MYSTERIUM video novum, solis loco solē justitiæ in Virginem venire, incircumscripto modo. Ne quære quomodo; ubi Deo ita placet, superatur ordo naturę. Namque voluit, potuit, descendit, redemit. Una concurrit omnia: Deus qui exsistit & pręexsistit, hodie id efficitur quod nō erat: cū enim Deus esset, homo efficitur, nec cessat esse Deus. Nec excedens Deitate homo factus est, neque rursus ex homine profectus & auctus Deus est effectus; sed Verbū cū esset, ideoque impatibilis, factus est homo, natura permanente immutata. Atque novo & invio progressus itinere, ex alvo prodiit intacta, illaborata. Neque Angelos Deus reliquit sua gubernatione orbatos, neque homo apud nos factus, propria excessit Deitate. Sed Reges quidem, cælestem Regem adoratum venerunt, ineffabili modo ex Patre genitum; & hodie propter me ex Virgine natum; sed tum quidem genitum, secundum naturam: hac die vero propter suam ipsius naturam. Ante sæcula namque genitus ex Patre, ut novit qui ipsum genuit, hodie ex Virgine supra naturam genitus est, ut novit spiritus gratia. Antiquus dierum, factus est infans: qui in throno sedebat excelso, in præsepio reponitur: qui intactilis & incorporeus est, manibus involvitur humanis: qui peccati vincula discerpit, in pannis complicatur. Immo vero, quia id illi placet. Quemnam igitur Virgo peperit? Dominum naturæ. Etiamsi enim tu sileas, ipsa clamat natura. Peperit quippe Virgo Maria, quare qui natus est nasci voluit. Non enim naturæ legem sequebatur; sed tamquam naturæ Dominus, novum nativitatis induxit modum. Attamen homo licet factus sit, non tamquam homo nascitur. Nam si ex vulgari conjugio sicut & ego prodiisset; id rem esse confictam multi existimassent. Nunc autem ideo ex Virgine nascitur, matremque conservat illibatam, ac ejus virginitatem intemeratam custodit; ut insolens partus modus, magnæ mihi fidei foret. Unde si vel Gentilis, vel Judæus me interroget, num Christus secundū naturam homo factus sit, aut contra suam naturam, pro responsione testem hujusce rei advocabo immaculatum virginitatis signaculum: ita nempe Deus naturæ vincit ordinem.

2. Quod si libeat, interroga beatum Lucam Euangelistam, tibique ille respondebit de ejus in carne œconomia. His enim ipse verbis orditur: *In mense autem sexto conceptionis Elisabet, missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazaret, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, & nomen Virginis, Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus. Quem cum vidisset illa, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus thronum David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet mihi istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. 26. Ægre scilicet illud ferebat. Ingressus autem (Jesus) qui carnis erat expers, gestatus est novem mensibus in utero Virginis. Ingressus est prout voluit, gestatus fuit, ut sibi placuit. Prodiit ut ipse cupiebat. Ingressus est carnis expers; factus est homo, unitæ deitatis œconomia. Neque duos dicimus filios, sed unum, ipsumque ac eundem intelligimus Dei Verbum & Dominum nostrum Jesum Christum. Factus est homo: fuitque natura homo. Factus est quod non erat, & remansit quod erat. Namque *In principio erat Verbum,* Joan. 1. 1.
& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Factus est caro, nec amisit quod erat. *Et habitavit in nobis.* Illud: *Habitavit in nobis;* id est, nobiscum conversatus est juxta sanctum Jeremiam, immo potius ejus ministrum Baruch: *Hic Deus noster, nec æstimabitur alius adversus eum. Qui adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Baruc. 3. 36.

3. Audi igitur Euangelii vocem: magnum enim nobis quidpiam significat hæc Angeli vox ad sanctam Virginem: *Ecce*, inquit, *concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Priusquam in utero puer conciperetur, vocatus est Deus, scilicet, nobiscum Deus. Prophetæ igitur sermoni concinit illud. *cum hominibus conversatus est*, & illud: *Habitavit in nobis*. Ante conceptionem ergo puer, vocatus est Deus. Quo pacto igitur Deipara non fuerit sancta Virgo Maria? Cum itaque nomen illud nullam hominis habeat significationem, Deus est puer ille natus, qui Virginis naturalem illam virginitatem non solvit; sed ita genitus ex Deipara, Deus est & homo; Deus secundum naturam, homo quia ita placuit ipsi. Factus autem homo, est etiam Deus, conjunctis scilicet duabus naturis. At fortasse dicet adversarius: Si Deipara Virgo, Deo Verbo ex Virgine initium tribuis. Nequaquam dico ipsum ex sancta Virgine initium accepisse, absit. Ante sæcula enim erat, ipse quippe sæcula fecit, ipse est universæ rei creatæ opifex, ut ait Euangelista: *Omnia per ipsum facta sunt,* Joan. 1. 3.
& sine ipso factum est nihil quod factum est. Hic

ipse

ipse per quem omnia facta sunt, novem menses in utero degit, nec sinum paternum deseruit. In utero Virginis cum esset, a supernarum virtutum populo laudibus celebrabatur & adorabatur. In utero Virginis cum esset, cælum & terram implebat, qui cælum & terram gestat, non robore, sed nutu suo. Hic utero gestabatur ut homo, operabatur ut Deus, non circumquaque delatus in Virginis utero, sed omnia complectens, omnia gubernans ut Deus, juxta vim nominis illius: *Nobiscum Deus*, qui scilicet ex Virgine natus est. Quod si dixeris eum qui natus est simpliciter puerum esse, non Deum, audi magnum præconem Esaiam clamantem & dicentem ingratæ Synagogæ, seu potius Exagogæ, id est, foras ejecto cœtui Judæorum: Esai. 9. 6. *Puer natus est nobis, filius datus est nobis; cujus principatus super humerum ejus. Et vocatur nomen ejus, Magni consilii Angelus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Potens, Princeps pacis, Pater futuri sæculi. Amen.* Puer secundum naturam quandonam factus est Deus potens, quemadmodum puer iste, qui cognominatur, *Nobiscum Deus?*

4. Quod si filius ille ex Virgine natus, est Deus fortis, Potens, Princeps pacis, & Pater futuri sæculi, quare Virgo non erit Deipara; sed Dei exceptrix, siquidem concepit & peperit, Deusque illud est quod natum est? Rursum ipsi dicam, ut voluit ingressus est, ut sibi placuit gestatus in utero fuit, ut libuit genitus prodiit. Cur ejus voluntatem examinas? Cur ejus beneplacitum perquiris? Cur decretum investigas? Paulum audi, immo potius ab eo convincare. Rom. 9. 19. *Voluntati enim ejus quis restitit?* Et sane quis tu es, o homo, qui inquiras & investiges ejus nativitatem? Cum dicat Propheta: Esai. 53. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Renuit Propheta generationem ejus enarrare, & tu naturam ejus curiose perquiris & investigas? Euangelista porro Lucas ejus in infimis generationem enarrans ait: Luc. 2. 8. *Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & gloria Domini circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Dixitque illis Angelus: Nolite timere: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David.* Angelus euangelizans Pastoribus eum qui natus erat ex Virgine, Christum & Dominum ipsum vocat. Si ergo Dominus est qui natus est, qui non Dominipara Virgo fuerit? Ego vero & Christiparam & Dominiparam, & Salvatoriparam, & Deiparam dico sanctam Virginem esse, juxta vocem Angeli, qui & Pastoribus & Virgini nuntium attulit. Si Angeli Salvatorem & Christum & Dominum & Deum prædicant, nos quare testimonium illorum respuemus? Ingressus est in Virginem carnis expers, corporaliter ut sibi placuit gestatus est: ex dispensatione per maternam egressus est naturam, neque tamen post partum unitus est Deus Verbum carni per dispensationem assumtæ. Prodiit qui immutabilis natura erat, factus quod non erat, manens quod erat. Non substantia mutatus, semetipsum exinanivit; sed ut sibi placuit: nec ab alio exinanitionem, & formam illam servi accepit; nec amissa deitate juxta beatum Paulum, qui ait: Philip. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Semetipsũ exinanivit id effectus quod non erat, & ut iterum dicam, manens quod erat. Deus enim erat hoc Verbũ qui quasi parvulus factus est, quasi filius glorificatus. Ingressus est incorporeus, corpus induit prout voluit, atque absorptum est quod mortale erat a vita.

5. Dicito itaque Deiparam Virginem, non Dei exceptricem; immo potius dicito Dei-exceptricem & Deiparam. Si Dei-exceptrix est & Deipara, annon carnem ex illa accepit Deus Verbum? Sed hic vim mihi adfert Euangelista, magna voce clamans: *Verbum caro factum est.* Joan. 1. 14. In alio autem Euangelista sic dicitur: Mat. 16. 13. *Interrogabat Jesus Discipulos suos dicens: Quem me dicunt homines esse, filium hominis? Respondentes autem Apostoli dixerunt: Alii Heliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dixit vero Jesus: Vos autem quem me dicitis? Respondens autem Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Non dixit: Tu es qui per gratiam Filius Dei effectus es, sed clara voce: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Marcus sane Euangelista ea ipsa usus est voce, beati Petri sententiæ consona loquutus: Marc. 1. 1. *Initium Euangelii Jesu Christi, Filii Dei.* In Euangelio autem secundum Matthæum, ubi narratur Resurrectio Salvatoris nostri Jesu Christi, ait Centurio & qui cum illo Jesum custodiebant, viso terræ motu, editisque signis, admodum perterriti, hæc verba protulere: Mat. 27. 54. *Vere Filius Dei erat iste.* Angelus vero Pastoribus: Luc. 2. 10. *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Si ergo quod natum est Dominus est, Dominipara est Virgo. Ubi autem Dominus, ibi & Deus. Nec distinguuntur, Dominus a Deo, nec Deus a Domino; ut in veteri Testamento dicitur: Genes. 19. 24. *Et pluit Dominus ignem a Domino.* Et iterum: *Diliges Dominum Deum tuum.* Ac rursum: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Et iterum Psalmista: Psalm. 83. 9. *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam.* Ipseque rursum: *Deus Dominus & illuxit nobis.* Item ipse: *Dominus Deus virtutum, quis similis sibi?* Et Paulus in sua ad Titum Epistola ita scribit: Tit. 2. 11. *Apparuit salutaris gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos; ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hic est qui natus est ex sancta Virgine, qui est Christus Dominus. Hunc Christum & Dominum beatus Paulus magnum Deum vocat dicens: *Magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Rursum in sua ad Romanos Epistola ita scribit: Rom. 9. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamentum & legislatio & obsequium & promissa: quorum Patres & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus.* Ac rursus ipse Paulus: Ephes. 5. 5. *Omnis fornicator, aut avarus, aut ebriosus, aut immundus, aut idololatra, non habet hereditatem in regno Domini & Dei.*

6. Demonstratum itaque est Dominum, Deum; & Deum, Dominum esse. Quod si hæc non admittis id tibi vel dæmones persuadeant in regione Gergesenorum clamantes: Luc. 4. 34. *Sine, quid tibi & nobis, Fili Dei? huc venisti ante tempus torquere nos.* Id tibi, inquam, dæmones persuadeant. Si Petri testimonium recusas, & Euangelii vocem respuis; illam Marci vocem reverenre. Angelum verere, qui ait, Salvatorem, Christum & Dominum esse illum qui natus ex Virgine est. An hisce non credis? Refræna impetum blasphemiæ tuæ, & confitere Angeli vocem, quæ in Euangelio dicitur, Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Ante conceptionem Deus vocatur: & dum concipitur per œconomiam, nec secundum naturam, in utero Virginis, negas Deum illum esse? Quod si confiteare ipsum esse Deum in utero Virginis, quod etiam sic se habet; & ipsum Deum Verbum unitum fuisse carni per dispensationem, cur renuis Virginem vocare Deiparam? Si Deipara non est, neque Virgo post partum: At ego dico, eum dum gestaretur materno in utero, in Patris

sinu

sinu incircumscriptum sedisse. Simplex namque & in- A compositа est natura divina, nec circumscripta. Immutabilis natura & invariabilis substantia. Hunc autem ipsum qui in sinu Patris est, nunc per œconomiam Virgo genuit. Ut voluit, introivit; ut sibi placuit, conceptus est in utero Virginis. Ut voluit, natus processit. Quid tu curiose inquiris ejus generationem? Aut ut Deum time: aut ut herum verere: aut ut creatorē & opificem cole: aut ut Dominum formida: aut ut judicē horre. Pudore te adficient dæmones qui porcos pepulerunt, & totum gregem præcipitem actum suffocarunt. Illi cum Dominum nossent ajunt: *Quid nobis & tibi, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Illi B periculū comminationemque supplicii refugiunt; & tu tibi judicium supplicii attrahis. Illi norunt Dominum & judicem mundi totius, ex Maria genitum, quē cum vel ante judicium viderent, contremuere: & tu qui hoc præ oculis judicium habes, nihil curas nec metuis? Rursum hæc dicam nec finem dicendi faciam, ut plane vobis dicti illius argumentum aperiam & de- C clarem; ut ex certa cognitione firmam atque stabilem fidem habeamus, & fidei fundamentum certam scilicet confessionem retineamus.

7. Ad rem iterum redeamus, rectam & minime deflexam viam fidei ostensuri. Hæc me dicere non piget, vobisque tutum est. Hic Deus ingressus est per auditū Virginis, prout voluit; gestatus utero est, ut sibi libuit: natus prodiit, ut sibi placuit: Incorporeus ingres- D sus est, ut voluit: gestatus est qui nullo contineri potest, in vase qui contineri potest, in Virginis vulva per dispensationem, ut sibi placuit. Prodiit natus Deus & homo, ut voluit. Factus est quod non erat, habens * invariabilis substantiæ quod erat. Deus enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Proinde Apostolus dicit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Hunc Galat. 4. 5. Filium misit Deus, factum ex muliere, ex immaculata natura genitum, ex ineffabili substantia procedentem, qui ex paterno sinu non abscessit, qui ex Regio throno non amotus est; sed proprie unum cum Patre thronum occupat, una sedet cum illo; non gratia, sed divina natura, & paterna substantia. Quomodo namque istihinc semotus esset, dic mihi; cum ipse dicat: *Ego in Patre, & Pater in me?* Et rursum: *Pater autem* Joan. 14. 10. *in me manens ipse facit opera.* Ipsum (dicimus) na- Ibid. tum ex Maria Virgine. Hunc ante conceptionem Angelus, Emmanuel vocavit, id est, *Nobiscum Deus*, de quo loquutus est Esaias Propheta. Hunc, inquam, puerum qui ex Virgine processit, Deum fortem, Potentem, Principem pacis, Patrem futuri sæculi. Quinam puerulus, secundum naturam genitus, Deus fortis potensque fuit? Quis puer natus stellam attraxit quæ perquisitum infantem significaret; immo potius angustum Domini diversorium? Quis puer Magos ex Oriente vocavit, ut se adorarent? Quis puer naturæ conditione genitus dona a Magis accepit? Donaque illa consideremus, num illi, ut infirmo homini oblata sint; annon potius ut Deo, Regi & homini. Aurum ut Regi; thus ut Deo; myrrha ut homini ad sepulturam. Aurum quidem ut Regi: *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam* Psalm. 71. *filio Regis.* Hoc dictum protulit David. Posthæc Angelus cum salutaret Mariam: *Et dabit* Luc. 1. 32. *illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domum Jacob in sæcula, & regni ejus non erit finis.* Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN HOMILIAM DE CHRISTI OCCURSU

MONITUM.

HANC *primum edidit Combefisius, vir de re litteraria, potissimum Ecclesiastica bene meritus, qui illam Athanasio adserere pro virili conatus est. Utque argumento occurrat desumto ex memoratis num. 15. Nestorio ac Eutyche; ait eorum nomina a Librario quodam post Nestorii & Eutychis ætatem* In Bibliotheca PP. Tom. 1. p. 496. *inserta fuisse, adjectaque Simonis, Marcionis, Sabellii & Arii nominibus: quod ita gestum fuisse ideo pugnat, quod memoratis ibidem prædictis hæreticis, eorum mox errores recenseat, de Nestorii vero & Eutychis hæresibus ne verbum quidem faciat. Verum fatemur, nobis plane non liquere, esse Nestorii & Eutychis nomina hoc loco adjectitia: nam præterquam quod exstant in duobus Codicibus Regiis, ad quorum fidem hæc homilia edita fuit; cum scriptor iste post allata sex Hæresiarcharum nomina multas hæreses memoret, tac te hæreticorum nomine v. g. Docitarum, Apollinaristarum aliorumque; sane innuere videtur, nequaquam sibi id consilii fuisse, ut præmissis nominibus Simonis, Marcionis, Sabellii, Arii, Nestorii, Eutychis, eorumdem omnium hæreses ordine postea memoraret, sed allatis quatuor priorum erroribus, reliquas deinceps hæreses ut sese memoriæ offerebant recensuisse. Quod utique prudentis Lectoris judicio permittatur. Ad hæc, alia exstant in hac homilia, quæ post Nesterii ætatem conscriptam illam arguant; ut est illud numero 4.* διὰ τὸ χρηματίσαι τὸν αὐτὸν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, μίαν ἐξ ἀμφοτέρων ὑπόστασιν, καὶ διὰ μιᾶς ταύτης ἀμφότερα εἶναι καὶ ὁρᾶσθαι καὶ γνωρίζεσθαι. Et quod sit una Deus atque homo, una ex utroque hypostasis, ac per unam illam (hypostasim) utrumque est ac dignoscitur. *Quæ licet revera sit Athanasii sententia, at vix concesserim Athanasium his eam explicuisse verbis. Indicant item in posteriora Nestorie tempora, quæ numero 16. dicuntur: Beatam scilicet Virginem ubique terrarum* θεοτόκον *vocari. Quæ vox Athanasio licet ignota non fuerit: at non erat ejus ævo ubique terrarum evulgata. Stylum si spectes, ab Athanasiano alienissimum fateare necesse est; cum apud Athanasium, teste Photio, semper emineat,* τὸ ἀπέριττον, *ac vi magis quam copia verborum ille gaudeat. Scriptor autem iste aliquam licet elegantiæ præferat speciem, ad* φλυαρίαν *usque verba sæpe multiplicat: quod neminem puto non adversurum. Tanta insuper vocum Athanasio minime familiarium sylva hic passim occurrit, ut vel hinc solum* νοθείας *possit ferri judicium: ut sunt,* νυμφοστόλος λαμπὰς, χοροστατοῦντες, ἱεροφαντεία, χειροκλήτη, βροτοφανὴς, νεοφανὴς, θεοφιλῶς, ὑμνῳδία, *& alia bene multa, quorum omnium vim & significationem in Onomastico videsis.*

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Sermo in occursum Domini Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi.

1. PRÆSENTEM sacram solennitatem personet Euangelica tuba. Mysticusque nuptiarum adornator Lucas, nos qui virginali huicce nuptiarum thalamo pura mente intersumus, verbis suis deducat ad intelligentiam bonorum in eo exsistentium. Non decet enim, ad ea initiante Luca, alium extrinsecus admittere sermonem, unde ipsi decoris quidem nihil, nec modicum probri adferatur. Quemadmodum enim sole clarius lucente, vanus inutilisque lucernæ fulgor; ita ubi Lucas, aut quis alius Euangelistarum personat, sermo quivis otiosus est, molestus, inutilisque. Loquatur ergo ille ut nos ad festivitatis notitiam deducat. Eamque nobis festi amantibus, apertius quam tubæ, belli cupidis instructas acies, ostendat. Plane loquetur, perspicue admodum ostendet, aurem modo benevole præbeamus. Curandum enim atque omni solicitudine cavendum, ut ne Patronum accusatorem, concionatoremque judicem stolide efficientes, pœnitentia tandem licet inutili & infructuosa ducamur.

Luc 2. 22. 2. *Tulerunt* parentes puerum Jesum, *in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini*. Quis sermo ea quę dicta sunt assequatur? Quæ mens rem ita mirabilem complectatur? Quis auditus tantam excipiet narrationem? O tremendam lectionem! Antiquior sæculis, novus: qui ante tempus fuit, in tempore: in circumscriptione, qui incircumscriptus est: æternus ille, infans: quodque maximum est, Dei Filius, hominis Filius efficitur atque creditur. Quid novi, quid insolens illud? Quę isthęc tanta Verbi erga nos adtemperatio? Tulerunt parentes puerum. Quid ais, sacrorum Euangelistarum excellentissime & sapientissime! Quid profers, o cælestis expositionis enarrator & Magister? Quid profers o mistice cogitationum Spiritus descriptor? De Deo verba facis & localem memoras transitum? Vin' tu, natum ex Virgine, Filium Dei ad fines usque terræ declarare, ac carnales in medium adferre parentes? Num Dei parens in terra usquam habetur? An parentes Deus habet? An infans est? Num gestatur Deus a parentibus? Quis sermo ille, quod mysterium? Tulerunt parentes puerum: quibus manibus? quibus gestantes ulnis? Tremunt Cherubim, vultum avertunt Seraphim, horrent Angeli, stupent Archangeli, omnesque cælorum Virtutes, metu faciem obtegunt; & tu mortales inducis materiales qui gestent, qui moveant, qui circumferant illum? Quod miraculum? Quæ res? quod arcanum? Tulerunt parentes puerum: Hęc enim dixisti cum nativitatem nobis enarrares: ea quippe de causa Angelos induxisti, natum simul & locum ejus Pastoribus declarantes atque renuntiantes: cælestem quoque illam mul-
Luc. 2. 14. titudinem, alta voce clamantem hisce verbis: *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax*. Puerperamque diligenter omnia observantem, ac cum virginitatis signaculis conferentem. Plane, inquit, ne tu miraculum modo, sed œconomiam quoque respice: neque enim Deus, ex natura sua, nudus ut infans curatur, & maternis circumscribitur ulnis; sed mortalem assumsit naturam, immo potius revera homo factus est, peccati licet expers. Quomodo, quave ratione? Nequeo dice-
A re, ait, inenarrabile quippe & prorsus ineffabile illud est; non mihi modo, verum ipsi quoque puerperæ; immo neque ipsi modo, humanam enim & ipsa naturam sortita est, tametsi gratia hominis conditionem superante, donata; sed etiam materiæ experti naturę, quæ est post primam prima. Quod si ipsa materiæ expers natura, quæ mysterio ministravit, mysterium ignoravit omnino, quid illud a me discendum exposcis, homine, qui ne illud quidem quod pedibus occurrit, quandoque sciam? quo modo factus est homo? dic ipse primum de teipso, quomodo factus sis homo, & tum
B de divina quoque Incarnatione scrutaberis; immo ne tum quidem: neque enim si generatio tua nota sit, & divina statim erit: alioquin esset ipsa hominis non Dei.

3. Nequaquam igitur, illud, *quomodo*, exquirendum est: quanto enim tu Deo inferior, tanto occultior Dei generatio est quam tua. *Tulerunt parentes puerum Jesum in Jerusalem*. Quid facturi? Num ut Israelis regnum occuparent? an ut arma fabricarent? aut exercitum cogerent? an ut quidpiam aliud ex infimis & temporaneis lucri, puero compararent? minime, inquit; sed, *ut sisterent eum Domino, sicut scri-*
C *ptum est in lege Domini*. Quid ais, o homo? est ne ejus qui vere Deus est, Deus; aut ejus qui proprie Dominus est, Dominus alter? Est plane, nec ideo metuas: non est quippe per naturam illud, sed per gratiam & supernam œconomiam. Quemadmodum enim, eorum qui non sunt proprie filii, Pater dicitur Deus: Nam *Ego*, Psalm 81. 6.
ait, *dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes*; ita quoque illius qui secundum naturam filius est (consubstantialis enim est Patri Filius) per gratiam autem & œconomiam, Deus dicitur: *Ascendo* enim, inquit, *ad Patrem* Joan. 20. 17.
meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Quapropter *non confunditur Filius nos vocare* Hebr. 2. 11.
D *fratres, ait enim: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Sicut scriptum est in lege Domini*. O œconomiam! o imperscrutabilem Verbi erga nos clementiam ac bonitatem! Legislator sub lege: Mosaicorum lator præceptorum, non recusat ipsis subjacere præceptis. Qui a legis maledicto hominem liberavit, non cunctatur ipsi legi ut homo servire.

4. *Sicut scriptum est in lege Domini*. Quisnam est Luc. 2. 23.
qui scripsit, quis, inquam est? Dominus. Nonne unus atque is ipse est, qui cum Patre & Spiritu glorificatur? Etiam, inquit; sed illud œconomiæ est, & ne Christus inimicis suis esse videatur ἀντίθεος, id est, Deo
E adversarius. *Nolite enim putare*, inquit, *quia venerim solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere*. Quid porro mirum, si is qui nativitatem, præsepe, pannos, circumcisionem post dies octo admisit, is ipse sisti Domino secundum Legem voluerit in Jerusalem: qui tantum abest ut ipsis latere velit, ut Stephano a Judæis lapidato, stans a dextris Patris sui apparuerit; quamquam stabilem perpetuamque a dextris ejus habet sedem: *Dixit* enim, inquit, *Do-* Psalm. 109. 1.
minus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam
F *inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Sed illud quidem superne, & utpote Deus; hoc autem inferne & per œconomiam assumtæ naturæ, & quod sit una Deus atque homo: & una ex utroque hypostasis: ac

per unam illam (hypostasin) utrumque asse dignoscitur; ut naturarum communione, atque proprietatum iis competentium, facillimam nobis ac brevissimo compendio salutem cociliaret.

Exodi 13. 2. Luc. 2. 23. 5. *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Quid ergo, an sanctus omnis primogenitus? * Restat igitur, ut Ismael, Esau, & ante illos Cain, multique alii Deo invisi ac maledicti homines, quod primi vulvam aperuerint, sancti Domino vocentur. Ecqua de causa de Ismaele dicitur: *Ejice ancillam & filium ejus?* (Gen. 21. 10.) Cur de Esau: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui?* (Malach. 1. 2.) Quæ causa fuit, si sanctus Cain Domino erat, quod pro cæde fratris, septias ultio ab eo reposceretur? Si omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; quid plus habet Christus, quam Ruben? Quid amplius illi quam Amnooi? Nam & ipsi quoque primo partu editi, vulvam videntur aperuisse. Sed cave ne ferventius circa Scripturas insistas, ac longius a meta excurras. Non enim, inquit, ita dixi: Omne primogeoitum sanctum Domino vocabitur: alioquin ad brutam usque naturam sanctitas permearet: Sed: *Omne masculinum aperiens vulvam:* Quando scilicet absque concubitu partus evenerit: cum non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri; sed ex Spiritu sancto fœtus susceptio fuerit: cum nemine foris pulsante, infans ipse intus aperuerit: cum virginitatis signaculis atque septis, infractis intus conservatis, foras fœtus exsilierit: sic utique, *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Nam illic quidem non infantes vulvas adaperuere, sed viri cum muliere congressus. Nam, *cognovit*, inquit, *Adam Evam uxorem suam, quæ concepit & peperit Cain.* (Gen. 4. 1.) Hic autem non item, sed ipse fœtus, vulvæ fores aperuit, nullo egens exterius carnali coocubitu. Etenim, *Antequam*, inquit, *convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* (Matth. 1. 18.) Licet quoque brevius vocem excipere atque interpretari, subintelligendo extrinsecus *Virginis* vocem, ut sic consequenter intelligatur: *Omne masculinum adaperiens vulvam virginem, sanctum Domino vocabitur.* Quod in Christo solum accidit, cum nemini alii id commune fuerit. Ipse namque solus Virginem vulvam io carne nascendo aperuit: eamque item Virgioem, ut ante partum erat, conservavit.

Luc. 2. 24. 6. *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in Lege Domini: par turturum, aut duos pullos columbarum.* Quid vero? Etiamne hostias secundum legem obtulit? Ecqua ergo ratione Paulus ait: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex qui non haberet necessitatem quotidie, quemadmodum Pontifices, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel semetipsum offerendo?* (Hebr. 7. 26.) Hoc est, per crucem sese immolando. Quod si immolaturus ipse ascendat, primum quidem comperitur ea firmare, iis auctoritatem præbere, quæ ipse io melius commutaturus accessit. Deinde, ipse quoque unus erit ex multis qui legis maledicto serviebant. Ecqua ergo ratione Paulus ait: *Christus nos redemit ex maledicto legis?* (Gal. 3. 13.) Annon pro puero hæc dicta sunt? Non, dicet ingenue Euangelista, sed pro Matre pueri genitrice. Quod ex supra dictis palam est. Nam, *postquam impleti sunt*, inquit, *dies purgationis ejus: tulerunt puerum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini:* (Luc. 2. 22.) Hoc de puero: *& ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum:* Hoc de Virgine ac ejus sponso. Quod si de Infante quoque dicantur, nihil absurdum. Qui enim non dedignatus est secundum legem circumcidi; quomodo legis hostias recusasset? Qui tantum abest ut ea differret aut intermitteret, ut ne Joannis quidem baptismo baptizari abnuerit; etiamsi ipse Baptista opus haberet ab eo baptizari. Ita nihilominus se nobis adtemperavit, atque tanta erga nos clementia permotus est; ut non solum legalia, sed crucem atque mortem sustineret, quo nos inferne in transgressionis ruina jacentes, ad se pertraheret.

7. *Et ecce*, inquit, *homo erat in Jerusalem, cui nomen Symeon: & homo iste justus, & timoratus exspectans consolationem Israel.* (Luc. 2. 25.) Quis Viro digniorem laudem, quam pauca istiusmodi verba complectuntur, adserre possit? *Ecce homo erat;* homo videbatur & supra hominem esse intelligebatur. Homo substantia; sed dignitate magno homines intervallo superabat: natura homo, sed virtute Angelus. Homo cui quidem sensibile habitaculum erat inferior illa Jerusalem; spirituale vero, superna Jerusalem, Metropolis illa, *cujus artifex conditorque Deus.* (Hebr. 11. 10.) Homo, qui carne cum hominibus una versabatur, spiritu autem cum Angelis degebat, immo ipsis Angelis superior Symeon: siquidem eum qui inaspectabilis ipsis est, videre meruit; nec modo videre, sed quod præstantius ac mirabilius est, & ulnis suscipere. *Et homo ille justus*, cuique enim pro jure & conditione tribuebat. Rationi quidem, ut divina cogitaret ac meditaretur: ut sensum omnem captivaret in obsequium Christi: (2. Cor. 10. 5.) ut ne, insipientium more, creatura insurgeret in Creatorem: ut ne quid extra divinam esse providentiam existimaret: ut ex proportione quadam per creata, Creatorem intelligeret. (Rom. 1. 20.) Iræ autem, austeritatem in serpentem, severitatem in peccatum: inclementem atque durum erga impios animum. Ea Helias adversus Achabi centenarios, (4. Reg. 1. 14.) Phinees contra Madianiticum scelus: (Num. 25. 9.) Petrus & Paulus; prior quidem contra Ananiam & Sapphiram; (Act. 5. 4.) posterior vero contra Elymam & Alexandrum & alios multos, (Act. 13. 8. 1. Tim. 1. 20.) justissime usus est. Cupiditati autem, ut in lege Domini perpetuo meditaretur, desiderabiles existimaret, justificationes Domini super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciores super mel & favum: (Psal. 18. 11.) ut diceret cum Davide: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* (Psalm. 83. 1.) Ita justus erat Symeon nullo virtutis genere destitutus: siquidem justitiam reliquas omnes existimamus complecti virtutes, quæ genericas istas subsequuntur. *Timoratus* porro, qua ratione? quod vereretur faciem Domini & mandata ejus: legerat quippe illud nec sine magna adteotione: Super quem respiciam, nisi super mitem, & quietum & trementem sermones meos? (Esai. 66. 2.)

8. *Exspectans consolationem Israel.* Quam consolationem? Eam scilicet quam Abraham io Angeli specie videns, religiose, ut Deo conveniebat, adoravit. (Gen. 18. 2.) Quam consolationem? De qua præfatus est Jacob: *Non deficiet*, ajens, *princeps ex Juda, neque Dux ex femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, & ipse exspectatio Gentium.* (Genes. 49. 10.) Quam coosolationem, inquam? Eam ipsam de qua Balaam, licet extra Ecclesiasticam aulam staret, prophetavit his verbis: *Orietur stella ex Jacob, & surget homo ex Israel:* (Num. 24. 17.) Eam ipsam de qua Moyses ait: *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus noster ex fratribus vestris sicut me.* (Deut. 18. 15.) Hanc consolationem exspectabat Symeon, accepto Spiritus sancti oraculo. Quid igitur? Numquid eam semper exspectans, spe sua excidit, aut expectatione frustratus est? Nequaquam, minime gentium; sed & vidit & ulnis excepit. O virtutem viri! o præclaram pietatem

* Explicatio isthæc habetur apud Amphilochium, Homilia de occursu pag. 25. itaque similis huic est, ut videatur Scriptor iste ab Amphilochio eam mutuatus.

1. Petr. 1.12. tem puritatemque! *In qua*, juxta B. * Paulum, *desiderant Angeli prospicere*; in ea ipsa Symeon, non prospicere modo, sed pure ingredi, ea contrectare, iisque pure initiari valuit!

Luc. 2.26. 9. *Et venit in Spiritu in templum*. O miraculum! Ne suis quidem pedibus ad Sacramenti ministerium usus est. Currus ipsi est Spiritus sanctus qui eum quasi

Dan. 14.35. alatum, vel quasi alium aeris cursorem Ambacum, in templum inducit, ac sistit sacrario. His plane verbis compellans virum: Accede, dilecte senex, quo redditorum tibi olim oraculorum eventum liquido conspicias, noverisque quantis rebus initiandus reservatus sis, quantam præ aliis gloriam sis consequutus. Veni, præclaræ virtutis tuæ eventum percipe. Ac quæ olim

Exod. 33.21. ille Dei inspector, sensibiliter quidem petra Montis Sinai, spiritualiter autem infracta sua erga Deum fide obtectus, vix quasi per foramen, obscuræ, opinor, speculationis atque cognitionis, posteriorum specie vidit; ea tu modo perspicue ediscas, atque demum transeas a corporali morte ad vitam spiritualem: ac legem quæ in littera sita est, cui probe admodum ac religioso erga Deū adfectu ministrasti, commuta in eā quę est in gratia. Multum namque in figuris atque umbris laborasti. Jam te oportet in veritate junior effici; ut legalium observationum fines, initium tibi sint ad gratiæ documenta.

10. His, intelligibili aure, a Spiritu auditis divinus senex, gaudio plane atque lætitia repletus est, ac stupore quasi attonitus, afflatusque numine, hæc fere compellanti reposuit. Ergone, Paraclete, venerunt illa, quæ visurum me oraculo accepi? An plane venerunt illa quæ me conspecturum pollicebare? Manum senectuti porrige, Paraclete, porrige, inquam. Gratiam suppone tuam; suppone quæso. Caducum corpus meum incedere vix potest. Tu gestato, quæso, o natura omnium opifex & indefessa, gestato me imbecillum, senem, & quam celerrime eo adducito. Nam si pedibus meis iter aggrediar; in via cunctabor, illa interim abscedent, nec conspicere licebit mihi. Ac væ mibi, quam triste illud, si iis privabor, quorum jamdiu visiones accepi. Hæc vixdum senex animo conceperat, atque ad templi fores citius dicto sistitur: *Venit enim*, inquit, *in Spiritu in Templum*. Hujusmodi est enim virtus Spiritus, ut sit illi voluntas opus, & res ipsæ cogitatum subsequantur.

Luc. 2. 27. 11. *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo: & ipse accepit eum in ulnas suas*. Vidistin occursum mirabilem, ac supra hominem? Vidistin occursum, non casu aut constituto factum, sed ex spirituali operatione & gratia? Et, o res mira, ne minimum quidem alter alterum præoccupavit, sed una Christus & Symeon, maternis ille ulnis, hic Spiritu gestatus, ad Templi limina simul steterunt. Symeon autem a curvitate sua corpus erigens: nam præ senectute corpore curvus pronusque erat abjecto baculo, pedibus brevi tempore nititur: extensisque manibus, infantem Deum hominem maternis ex ulnis accipere conabatur. Paululum Mater cohibuit, necdum enim clare noverat, Senem in Spiritu in Templum advenisse. Post, ut divinum vidit infantem, in ulnis subsultantem suis, atque in illius insilire manus contendentem, statim cognoscit vim mysterii, manusque porrigenti seni tradit illum. Accipe, clamans, homo venerabilissime, eum qui in te, magis quam in me puerperam, insilire festinat: accipe illum qui te magis quam Joseph expetit: accipe illum, qui amicitiæ tuæ, suum erga me Matrem adsectum posthabere videtur: accipe, ac a te desiderato, arbitratu tuo fruere: Hæc Deipara, ac in Senis manibus filium reponit. Tum ille, quam celerrime inclinato in puerum vultu, oculisque in ejus labia intentis: his eum ferme vocibus compellavit.

12. Quæ tanta tua hæc erga nos homines clementia & adtemperatio, Domine? Quæ tantæ miserationis tuæ divitiæ? Quid tuam movit clementiam, ut nos vilissimos visitares? Ecqua ratione ad nos venis, o benigne ac bonorum amans, Domine? An Cherubim atque Seraphim commovisti? An alium omnem cœlestiū ornatū adducis? Num *commotio quædam facta est, vel spiritus grandis & fortis subvertens montes & conterens petras; vel ignis facile exterrens, ac accedentes consumens; vel vox auræ tenuis?* 1. Reg. 19.13. quibus te olim Thesbitæ exhibuisti. Nequaquam, inquit, o Senex sapientiæ studiosissime: cum nulla rerum earum vobis appareo. Ea enim capere nequit natura mortalis materialisque; sed carnem ferens, vobisque similis: infans, ut vides, ac corporali statura adhuc puerulus & imperfectus: infans adhuc pannis involutus, materna adhuc ubera ambabus apprehendens manibus: infans, obscurū aliquid hactenus proferens intercisumque, ob eam quā ex Maria sumsi carnem: infans quem ulnis complecteris, qui ad matrem & ubera respicio. Et hæc quidem jā adsunt. At brevi postea ubi ætatis tricesimum adtigero annum, tum Joannis baptismate baptizandus sum, tradendus, vinctus ad Caipham adducendus, exspuendus, colaphis cædendus, flagellandus, demum crucifigendus ac lancea perforandus, velut mortuus in sepulcro deponendus, seductor vocandus, denique, quidquid humanæ proprium naturæ fuerit, perinde atque vos, præter peccatum adsumam. Nec mireris, neve obstupescas animo, aut percellare: hoc namque mysterium est a sæculis atque generationibus occultum. Hoc magnum est Patris consilium; hæc magna ejus præscientia, cujus ego Angelus a Prophetis Dei afflatu prædictus sum.

Esai. 9.6. Hæc magna est erga vos misericordia, quod nolim meam imaginem conspicere miserabiliter a dæmonibus vinctam: quod non feram regem creaturæ conspicere ipsi creaturæ misere servientem: quod non sustineam apostatam illum atque superbum cernere adversus opificium meum subdole insurgentem. Hæc me ex paterno sinu excitarunt, licet inde minime discesserim, atque meum ad vos in carne profectum effecerunt. Hæc in causa fuerunt, quod natus, infans fierem, in templo sisterer, tuisque in ulnis reclinarer. Non enim alias fieri potuit, ut tyrannus colligaretur, utque vasa illius diriperentur; nisi pari atque vos ratione, excepto peccato, humanæ naturæ particeps fierem. Non poterat aliter Adam implicatis inferni laqueis solvi, atque priorem resumere conditionem, ac demum effici Deus, nisi homo ego fierem, atque eadem qua ille substantia atque natura particeps forem.

13. Meæ itaque Incarnationis causas edoctus abscede: ac Adamo cum tristitia in inferno degenti, cum hilaritate ac lætitia te siste. Evæ item pro partus doloribus, fausta lætaque defer nuntia. Venit, ajens, redemtio, venit Redemtor, venit remissio, venit Liberator: ne ultra lugeas, o humanum genus; veniet enim qui opem ferat, veniet & non tardabit. Divinis hisce vocibus spirituali aure auditis Abrahamicus ille senex, senectutis quasi oblitus, illico exsiliit. Repletusque alacritate præalta voce hæc loquutus est: Confortamini manus dissolutæ, confortamini: genua dissoluta erigimini: tibiæ contritæ, roboramini; ut recto cursu iter in infernum emensæ, tantorum nuntiæ bonorum progenitoribus sitis. Hebr. 12. 12. Tum, quam citius potuit ad divinum conversus infantem: *Nunc dimittis*, inquit, *servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutaluta-* Luc. 2. 25.

lutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem Gentium & gloriam plebis tuæ Israel. O fervorem! o ardentem animum! Quandoquidem, Domine, ita decrevisti, atque benignitate permotus, opus tuum miseraris: neque ego spe lapsus sum mea, ac divini Spiritus oraculum inviolabile mansit; dimitte me quam primum, dimitte, quæso; ne me diutius detineas: ne tardem primis parentibus læta adferre nuntia: ne me, Domine, infantes præveniant, qui propter te ab Herode occisi sunt: pueri sunt, ac vegeti agilesque; at ego senex, tardus, ac ægre mobilis: vereorque ne cito cursu præcurrentes, maximorum præclarorumque bonorum nuntii primis generis parentibus sint. Ita plane divinus ille vir, ac præclarus adventus Christi præco, gratiis actis, ut hinc liquet, quod Deum benedixerit apprecatusque dimissus est. Afflavit enim invisibiliter, opinor, mentem ejus Salvator, ac obsecrationem ejus plane exaudivit, & ut proprium sibi cultorem assumsit, qui sub lege & sub umbra diu multumque laborasset, tuncque divina gratiæ doctrina junior effectus esset.

Ibid. 14. Joseph autem & Mater ejus, *mirantes*, inquit, *erant super his, quæ dicebantur de illo*. Mirabantur autem, arbitror, quod nondum de ejus divinitate certiores facti essent: tametsi satis erant miracula in ejus nativitate gesta; illa, inquam, quæ Magos spectant atque pastores: nec non variæ Angelorum visiones. Quodque miracula superat omnia, virginitatis conservatio ac perseverantia, ad rei certam fidem, ac omnium consensum. Attamen cum miraculi magnitudinem conspicerent, atque pietate sua cogitationes frænarent (rati magnum esse, ut revera est, quod Deus incarnaretur) fluctuante adhuc atque dubitante erant animo. Quare cum paucis Senex quasi elementis quæ pueri deitatem spectabant tradidisset, illos deinceps alloquitur, benedicens, ac beatos illos prædicans, quod essent œconomiæ illius administri; ea quæ crucem spectabant optime & absolutissime prædixit.

Ibid. 15. *Benedixit* enim, inquit, *illis Symeon, & dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum cui contradicetur*. Contradicet enim atque disceptabit de illo, ac doctrina eum spectante, Simon adversus Marcionem, Arius adversus Sabellium, Eutyches adversus Nestorium, utrique adversus Ecclesiam; ita ut alii quidem solam ipsi deitatem, alii carnem solam tribuant: alii creatum, ac paternæ substantiæ alienum inducant, alii Verbum quoddam hypostasi ac substantia vacuum, nihilque discrepans ab eo quod per prolationem effunditur: alii ejus per carnem adventum phantasiam esse suggerant: alii carnem nullatenus sumsisse contendant; aut assumsisse quidem, sed inanimatam, atque inefficacem; aut animam habentem, sed mente ac ratione destitutam. Demum alii alio modo hæsitabunt ac contradicent, singulis arbitratu suo quæ ipsum spectant determinantibus. *Nam de secta hac*, ajunt Judæi
Act. 27. 22. ad Paulum, *notum est nobis quia ubique ei contradicitur*. Contradicitur quidem, at non dejicitur: oppugnatur, at non vincitur: telis petitur, at non vulneratur: obsidetur, at non captiva ducitur: quodque maximum est, cadit, nec conteritur; quin potius in fugam vertit. Ea quippe est puræ fidei nostræ præstantia, quæ omne superat miraculum; ut non modo ipsa, licet undique factiosis hæresum turbis atque procellis circumsessa, immota & inconcussa maneat; sed ut etiam ex contrariis contraria sapienter efficiat, ac præclara adversum insidiantes sibi erigat tropæa.

16. Talis est, inquit, o beata Virgo, is quem ex utero tuo protulisti: qui facile frangat & côturbet eos qui sese a veritate divulserunt; erigatque & offerat Patri eos omnes qui ipsi adhæserint, ac ejus jussa custodierint. Licet porro talem susceperis Filium, ac tantam côsequuta sis gloriam, ut terrena quoque omni natura superior agnoscaris; nequaquã tentationum passionumque expers futura es, neque ærumnis vacua eris: quin, *& tuam ipsius animam gladius pertransibit*. Ne te, inquit, miraculi magnitudo, in tumorem superbiæ efferat. Etsi enim, inquit, supra naturam uterum gestasti, at afflictionem perpessura es, iis quæ secundum naturam pepererunt æqualem; imo multo majorem, & graviorem; quatenus scilicet illę absque miraculo dolores liberorũ causa susceptos sustinuerunt; at quod te spectat, post tantã prodigiorũ turbã, post innumerabiles illos Prophetarum voce prænuntiatos eventus; post celebratissimam virginitatis integritatem ac custodiam, o miraculum! & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Cujusnam? tuam, inquit, ipsius, quæ faustum nuntium Gabrielem nacta es ac partus indicem. *Tuam ipsius* (animam) quæ virtutem Altissimi obumbrantem, ipsumque Spiritum sanctum ad te supervenientẽ ac circum te volantem manifestissime habuisti. Tuam ipsius animam, quam Magi cum stella, stella duce adorarunt: quam Pastores & Angeli, una cum divino Mat. 2. 2.
infante, beatam prædicarunt, atque celebrarunt. *Tuam ipsius animam*, quam Jacob scalam vidit ad cælos Gen. 28. 12.
attingentem: Moysesque ille qui Deum vidit, rubum Exod. 26. 13.
incombustum, lucernam, arcam, tabulamque ac mensam: Aaron, sine humore germinantem virgam con- Num. 17. 8.
spexit. *Tuam ipsius animam*, o plane intemerata, atque inculpata Virgo! quam David arcam vocat sanctificationis: Salomon autem, lectum aureum, ac thronum Psal. 131. 8.
convallemque liliorum, virtutum scilicet, ut puto, Cant. 1. 9.
divinarum, & Paradisum a Deo plantatum. Et *tuam* Cant. 2. 1.
ipsius animam pertransibit gladius: tuam ipsius ante nativitatem electæ, prædestinatæ a sæculis & generationibus. *Tuam ipsius*, quam Pater elegit, Filius inhabitavit, Spiritus sanctus, ut Deo conveoit, obumbravit: omnisque creatura Dei Matrem, ac Deiparam propriissime ac verissime prædicat. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*.

17. Cur, inquit, meam animam, admirabilissime senex? Num ego meipsam Dei Filium prædicavi? Num ego de Templo prophetavi? An Lazarũ suscitavi? An Paralyticum curavi? An cæco a nativitate visum restitui? Quid causæ erit quod animam meã gladius pertransibit? An quod sabbatum violarim? An quod legẽ transgressa sim? En tibi, ejus servandæ causa, Filium circumcidi, Jerosolimã properavi, in Templo adsum, ac pullos turturum, argumentum parvi pauperisque sacrificii, ad divinam repono mensam. Quid igitur parvi magnive est in Lege, quod transgressa sim, ut gladius animam meam sit pertransiturus? Dic cito ne delirum te, ac nimia ætate desipientem esse suspicer. Nequaquam, ait divinus senex, ac prophetica plenus gratia. Nihil eorum in causa est; tu extra ac supra illa omnia posita es; sed, *ut revelentur ex multis cordibus co-* Luc. 2. 35.
gitationes. Quod ais ænigmati simile est, nondum perspicue adflictionis causam aperuisti. Dicas oportet clarius: adhuc enim obscurum ac tenebrosum est quod loqueris. Tum ille, Tibi inquit, o Christi possessio, prædium, & habitaculum, omnem quæstionum tuarum solvam difficultatem. At cave ne si te dolor superet, pusillanimem te, nec satis virtuti assuetam arguat: quod tibi non plus licet adscribere, quam soli, lucis atque caloris vacuitatem. Eum quem divino modo genuisti visura es tradi, ligari, conspui, verberari, flagellis colaphisque cædi, calamo percuti, spinis coronari, chlamyde indui, Pharisæorũ calumniis impeti, a

Sad-

Sadducæis probro affici, a Pilato judicari, a militibus irrideri, a cohorte genu flexo adorari: Barrabam visura es illi anteponi, ac pluris eo fieri, demum cruci illū adfigi, aceto cum felle potari, lancea perforari, sepulcro concludi, seductorē vocari, signaculis obstringi, a militibus custodiri. Ac ut compendio dicā, omne in eo doloris ac dedecoris genus, atrocissime illatū, visura es. Propterea animā tuā pertransibit gladius: ea de causa lugebis ac congemisces; & utpote Mater, pro Filio lacrymaberis, quē scelesti morti tradent: tumque maxime cum secretas illas tecum volves cogitationes; scilicet, faustum Gabrielis nuntium, conceptionem absque semine, partum sine corruptione, inviolatam virginitatem, intameratam castitatem, in partu vacuitatem doloris, qui naturalem matris legem consequitur: quia nimirum tam ante, quam post partum virgo verissime fuisti, ac ita permansisti.

18. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Revelabitur quippe fervens atque ardentissimus Petri zelus, tepidus ac frigidus per negationem factus: Joannis autem, Jacobi & ceterorum, per fugam qua eo derelicto omnes abscesserunt, quasi omnium maximorū immemores miraculorum. Item revalabitur, quod Pilatus ad pœnitentiam deducatur, per manuum ablutionem: quod uxor ejus crediderit per nocturnam visionem: Centurio per signa: Joseph & Nicodemus, quid cogitent revelabitur per funeris curam: Judas, per laqueum: Judæi, per pecuniam custodibus traditam. Ut uno verbo dicam, pugna quædam erit & quasi seditio oppositarum cogitationum atque ratiociniorum; aliis quæ deitatem spectant, aliis quæ humanitatem, cogitantibus. Mirabuntur enim, inquit, cum videbunt eum pati, in agone esse, sudoris guttas emittere, itemque pavere, ac deprecari passionem. Ubi vero secum reputabunt, mortuos resurrexisse, cæcos visum recepisse, mundatos leprosos, fugatos spiritus malignos, universamque aliam ejus signorum multitudinem mirabuntur, mentemque ultro citroque fluctuantem habebunt: videntes hæc minime cum prioribus consentire ac congruere. Mirabuntur item, qui terræ motum videbunt, noctemque in die obtingentem, scissum velum, diruptas petras; insuperque monumenta aperta, ac mortuorum resurrectionem. Mirabuntur, corde obstupescent, atque ad imum dubitationis demergentur, cum hominem suspensum cernent; Deumque, tanta signa operantem ac perficientem. Ita revelabuntur ex multis cordibus cogitationes, aliis hæc, aliis illa cogitantibus. Attamen isthæc cogitationum pugna, seditio, confusio, contradictio, rerum oppositio; supremæ concordiæ, consensionis ac pacis causa, Ecclesiæ futura est; ex utrisque enim prædicabitur, quid erat Christus: idemque Deus & homo fuisse cognoscetur, qui ipse unus libero suo arbitrio vellet & operaretur, hæc secundum deitatem, illa secundum humanitatem. Hæc puto dicturus erat Abrahamicus ille senex, si quis eum his de rebus percontatus esset.

19. Post illum in Scriptura Anna sistitur, senili gressu incedens: nam & ipsam mysterium vocabat, prophetiæ gratiam atque munus impleturam; ut ipsa quoque prophetice testificaretur, quod notum fecisset Dominus salutare suum, & in conspectu gentium revelasset justitiam suam. Psalm. 97. At ex Euangelio primum sciscitemur, quænam hæc & cujas esset, qua de causa & quando venerit in Templum: ac rursum quæ dixerit percontemur. Ait enim Euangelista: *Et erat Anna* Luc. 2. 36. *Prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua: & hæc vidua velut annorum octoginta quatuor; quæ non discedebat de Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora superveniens, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemtionem in Jerusalem.* Quid causæ est quod adeo accuratam Euangelista fecerit hujus Prophetissæ narrationem; ut & patrem & familiam ejus memoraverit, quod vix de alio quoquam reperiatur? Sane certam hujusce rei causam, solus noverit Sanctorum Deus, iique qui ex ejus Spiritus instinctu loquuntur, mysteria edocti, juxta divinum Apostolum. Hæc porro prophetica fulgens gratia, iis qui in Jerusalem redemtionem exspectabant, a Deo datam adserebat consolationem; cum diceret, universi advenisse Redemtorem, omniumque Salvatorem venisse & apparuisse, suam redemturum imaginem, liberaturum quod condiderat opificium. Idcirco enim Christus, Jesus vocatur, siquidem Jesus Salvator interpretatur.

20. His omnibus ita gestis, ita enuntiatis, obstupescebat Dei Mater Maria, mirabatur qui una aderat Joseph. Impletis tamen iis quæ lege præcepta erant; siquidem advenit Christus omnia quæ legis sunt impleturus, ac finem legis præceptis daturus; in Nazaret remigrant, ubi a Gabriele faustum nuntium acceperat ea quæ Salvatorem mundo genuit, quæque sine semine concipiendo prægnans fuit, & Virgo post partum mansit, videntibusque omnibus ostendit, notum factum esse salutare Dei, lumenque Gentibus illuxisse: Dei item justitiam ac redemtionem, in omnibus terræ finibus apparuisse: ac quotquot receperunt eum, gloria divina pariter ac sempiterna induisse, fluxionis simul ac correptionis nescia.

22. Nos autem, o desideratissimi, perinde atque illi, Christo Deo occurramus, temperantiam adferentes, castitatem gestantes, innocentiam offerentes, injuriarum oblivionem exhibentes, a distrahentibus curis nos segregantes, ac Deo puros offerentes, morum lenitatem gerentes, mansuetudinem atque caritatem mutuam omnibus exhibentes. Ad hæc omnia commiserationem in universos habentes; atque ex commiseranti animo misericordiam semper quasi scaturientes, ita accedentem Christum excipiamus; ita Christum in ulnas, ut Deum decet, suscipiamus, atque vicissim propheticis cofiteamur verbis, celebrantes ejus ad nos profectum: ejusque erga nos commiserationem magnificis prædicemus vocibus; ut & regnum cælorum consequamur, & bonis perfruamur æternis: in ipso Christo Deo nostro, quicum optimo Patri, ac sanctissimo Spiritui gloria, imperium, honor, adoratio, & magnificentia, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

IN HOMILIAM DE CÆCO NATO.

ADMONITIO.

NON est quod in hujusce Homiliæ νοθείᾳ commonstranda diu immoremur, cum orationis genus, voces ceteraque omnia Scriptorem prodant Athanasio longe imparem. Et vero non ex vocibus & stylo tantum spuria illa deprehenditur: cum multa complectatur inepta, & sagaci quovis homine, ne dicam Athanasio, indigna; ut est illud de Samuele Propheta commentum, & similia, quæ Lectori primo adspectu occurrent observanda.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

In Cæcum a nativitate Homilia.

1. SUMMA cura hominibus colendus est dulcis ille, germanus, desiderabilis, quovis auro pretiosior, parentum amor. Nullæ sunt in hac vita facultates parentibus comparandæ. Aurum sæpe perit, parentum autem amor non exstinguitur. Argentum plerumque rubiginem contrahit, parentum autem erga prolem affectus non minuitur. Margaritæ non raro corrumpuntur, parentum varo lacrimæ coram Deo sistuntur. Quamobrem divina Scriptura, indicans quantus sit honor erga parentes habendus, sic monet filios,
Exod. 21. 17. exclamans: *Qui maledicit Patri vel Matri, morte moriatur*. Sed fortasse dixerit quispiam: Si tanta cura colendus est dulcis ille erga parentes adfectus, quid causæ est quod David parentes accusans dixerit: *Pater*
Psal. 26. 10. *meus & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumsit me?* Quid ad hæc ais, dilecte? Omni creatura pretiosior esse debet dulcis ille erga parentes affectus, nec tamen cum Deo omnium opifice comparandus: nulla quippe est creatura quæ cum Creatore conferri possit. Si David postquam dixit: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me*, adjecisset, Ille quidam vicinus, aut cognatus, aut amicus suscepit me; id quasi ax adverso adfirmasset. Quod si magis quam parentes misericordem Deum pronuntiavit, parentibus injuriam non fecit, & Deo gloriam dedit.

2. Quid causæ est autem, quod David syllabas apponit dicens: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me*. Gnari omnes estis, utpote lectionis studiosi, quo pacto omnium Deus cum vellet Saulem, utpote improbum hominem regno abdicare; & Davidem, ut dilectum sibi, regnum adire, ministrum suum miserit Samuelem, ad domum parentum David, cornu ferentem ordinatio-
1. Reg. 16. nis, dixeritque Samueli Dominus: Perge ad domum Jessæ, & unge mihi unum ex filiis ajus in Regem. Samuel autem ad ministerium missus, respondit Domino: Ecquem ordinabo? Indica nomen, Domine, ut diligentius ad jussa tua properem. Tum Dominus ad Samuelem: Nolo scias quem constituerim, ne quasi personam acceperis, accusere. Habes cornu ordinationis, in quem inclinabitur cornu, & oleum emanabit, illum mihi constitue Regem. Cum cornu teneas quod nullam personarum acceptionem facturum est, ne moleste feras. His auditis Samuel, quasi a Deo accepta cognitione, statim, haud dubio pede, accurrit ad domum Jessæ, quem sic alloquitur: Misit me Dominus ordinatum, ex filiis tuis unum in Regem. Confestim Jesse & uxor ejus filium suum produxere natu primum, ut qui primogenitorum benedictionem gestaret, & ut inter liberos suos rectum ordinem servaret. Samuel autem elevans statim manum, ac sese ad ordinationem componens, inclinatoque cornu, priorem absque ordinatione dimisit, oleo, ex Dei nutu, effluere nolente. Cum autem illi cunctos filios suos præter Davidem adduxisset, abscesserunt omnes vacui nec ordinati.

3. Iis porro vacuis regressis, Samuelem Jesse aggressus est, his verbis: Quid fecisti, o homo? hallucinatus es, nec te hallucinantem intelligis. Aut deceptus es, aut me illusurus huc properasti. A januæ ingressu aberrasti: alio missus, hic cornu protulisti: nos vano gaudio replevisti: pollicitus es, nec promissa complevisti. Tum Samuel ad Jesse: Quid me incusas, o Senex? damnas eum qui me misit. An potest umquam errare Propheta? Si proprio consilio huc accessissem, jure dubitares. At si cordium scrutator me misit, quid renuis? Jesse vero ad Samuelem: In quo demum annuam? Adduxi ad te omnem liberorum meorum florem, & nusquam promissi tui indicium comparet. An non potius ignoras eum qui te misit? An non alio missus es? Numquid ut me senem constitueres regem huc properasti? Tum Samuel ad Jesse: Quid me increpas, o Senex, an non alium habes filium? Si non habes, hallucinatus sum; sin habes, nequaquam arravi. Reponit Jesse ad Samuelem: Alius quidem mihi superest filius; sed parvus, despicabilis, neque aptus regno, quem producere pudeat. Tum Samuel ad illum: Vin tu immutare præceptum Creatoris? pudet te illum producere? Quid enim? An multam carnis molem ungit Deus? Addue itaque illum; effluet sane oleum, inclinabit se, ut probe novi, cornu. Lætetur domus tua. Quid enim? An quia parvus est, non est aptus regno? Tantillum exspecta, & videbis, quo pacto ille parvulus, gigantinam turrem, Goliath scilicet prosternet? Hanc ergo parentum contumeliā secū reputans David, & admirandā Domini benignitatem sacris litteris consignans, exclamabat: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsis me*.

4. Hanc itaque Prophetæ David vocem gratiarum actione plenam, opportune item cæcus ille a nativitate, visu recepto, magna & ipse voce dicet: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me*. Psal. 26. 10.
Probe nostis omnes, quod hic quoque & a parentibus rejectus fuerit, & a Deo non fuerit derelictus. Sed ut debitum persolvamus, paululumque recreemur, ut rursum nobis debita concredantur: Age, ad cæcum a nativitate opportune accedamus. Audisti, dilecte, (* Dominica) præcedente Joannem Euangelistam clamantem: *Et prætereiens, inquit, Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate sedentem. Et interrogaverunt eum Discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Quibus Dominus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejas, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Hæc cum dixisset Dominus, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputa, & linivit super oculos cæci*. Et misit eum ad Siloam: cumque abiisset, lavit: lotus vidit, visuque recepto credidit in eum qui misisset. Hæc prudenter audi. Interrogabant Dominum Discipuli dicentes: *Magister, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Æqua erat Apostolorum interrogatio, ut inde liquet, quod ad Dominum Jesum, velut Deum, accesserint. Quis novit enim secreta hominum, nisi scrutator cordium? Quocirca nec Dominus interrogationem abjecit; sed statim respondit, eadem opera & Apostolorum interrogationi faciens satis, & deitatis suæ fidem confirmans. Respondens enim Jesus dixit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed at manifestentur opera Dei in illa*; id

* Sic Holstenius.
Joan. 9. 1.

est:

est: isthæc ejus cæcitas, non est peccatorum pœna, sed naturæ defectus. Sicut enim planta, antequam e terra pullulet, in radice plerumque ex ambientis aeris adfectione damnum accipit; ita & hic a nativitate cæcus, vitium ejusmodi in utero contraxit; sive quod maternus sinus haud recte compositus esset, sive quod paternum semen emissum, vitiosum esset. Qui porro errantem naturam potest corrigere, nihil sane aliud quam naturarum creator deprehendetur. Quare hæc Domious pronuntiavit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo*. Hisque prolatis, confestim ipso opere, sese ostendit esse naturarum creatorem: ac de se ipso dixisse: *ut manifestentur opera Dei in illo*; id est, ut per illum exploratum sit me, non merum homioem, sed Deum fortem esse. Poterat enim Dominus solo verbo cæcum curare: qui verbo cælos firmaverat: juxta divinum illud dictum: *Verbo Domini cæli firmati sunt*: [Psal. 32. 6.] poterat itaque verbo hunc a nativitate cæcum curare. Id tamen minime facit, sed luto oculos ungit illius; ut palam faceret omnibus, esse se illum Adami figulum, qui simile simili resarciret. Non ionovat curationis seriem, ne miraculum dissiparet: lutum luto inungit: ac simile simili resarcit. Posset autem quis dicere, ideo Dominum cæci oculos inunxisse luto, ut palam omnibus faceret, se ipsum esse qui Adamum ex luto efformasset.

5. Quid porro causæ est quod eum miserit in Siloam? Ao etiam Adamum io Siloam demisit? Adteote audi. Quando Adamum Dominus ex luto formabat, repugnantium Judæorum aderat nemo: cum nemo itaque adesset qui contradiceret, minore adparatu rationabilem hanc statuam perfecit. Nunc vero cum multi contradicant, longa circuitione utitur, ut potestatem adfirmet suam; ut vel iovitos contradicentes ad miraculi assensum pertraheret. Hujus rei gratia luto inunctum illum misit in Siloam, ut sese ablueret: non quod Siloa egeret, Siloæ Dominus; sed ot currente cæco, qui viderent sequerentur, essetque qui non videbat, videntium dux: ipsi autem qui adcurrissent, testes forent miraculi. Nam cum illud Dominus faceret, mitteretque hominem in Siloam, accurrebant ingentes turbæ, miraculo testimonium perhibentes. Sed adhuc susurrabant Pharisæi, curiose rem investigaotes, ac phantasiam esse miraculum illud exclamabant. Quid facturi erant, nisi longiore circuitu miraculum designasset? Quod si alia ratione volueris Siloam in figuram accipere Piscinæ baptismatis, nequaquam a vero aberraveris: quandoquidem in illa universi ignorantiæ tenebris lavantur, lumenque piæ religionis accipiunt.

6. Quod autem post tantam miraculi moram Judæorum plerique miraculo contradixerint, id audisti ex Euangelistæ verbis: [Ibid.] *Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui mendicabat, cæcus a nativitate? Alii dicebant, quia hic est: alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero qui visum receperat, dicebat: Quia ego sum, quem dicitis*. Viden' cæcitatem restituti visus conciliatricem? Cæcus visum recepit, & qui videbant, malitia sua excæcati sunt. Semper enim cæca est malitia. Quare Judæi malitia ducti cæci nati auribus personabant his verbis: Dic nobis, o homo, quare jactitas nobis fabri filium illum, eumque ut Deum vis proclamare? Nequaquam tu es ille cæcus a nativitate. Novimus illum, ac sæpenumero ipsi necessaria suppeditavimus. Quare tu jactitas ac dicis: ipse aperuit meos oculos? Si pecunia eges, ejusque causa mentiris, quantam volueris accipe: solum ne a veritate recedas. Nihil itaque non agebant miraculum ut dissiparent. Qui autem visum receperat, contradicentibus Judæis reponit: Cur me calumniamini? Cur visum animæ meæ excæcare studetis? Visum recepi, non cæcutio. Frustra me blasphemiæ pulvere conspergitis. Alius me beneficio adfecit, & vos repugnatis? Non adoratis, sed probris infectamini. Probe autem fabri filium vocatis illum; nam oculorum meorum fenestras commutavit. Veniam mihi præbetote si nonnisi paulo post vobiscum colloquar. Sinite me primum considerare, cæli pulcritudinem, solis orbem, lunæ fulgorem, diei terminum, noctis mensuram, stellarum choream, nubium decursum, terræ planitiem, maris latitudinem, navium transitum nullo vestigio relicto, coovallium ambitum, montium rotunditatem, fluviorum alveos, fontium scaturigines, puteorum haustus, pecudum saltus, ferarum varietates, avium multifidas alas, piscium proprietates, arborum proceritatem, fructuum suavitatem. Sinite me hæc primum & his similia contemplari, atque exinde oarrabo, qua ratione visum recepi. Jam olim natus sum, sed quod visum spectat modo primum ingressus sum in mundum. Audivi Prophetam clamantem: [Sap. 13. 5.] *A magnitudine & specie creaturarum, quadam ratione creator eorum conspicitur*. Ex creaturis ego, vos ex meis oculis quadam proportione ac ratione creatorem contemplamini. Quid mihi pecuniarum vim pollicemini? Nequaquam donum vendo, visum oculis datum meis non cauponor. At præstat cum grato animo mendicare, quam sceleribus ditescere. Non ulterius mendicabo; nactus sum enim qui mihi ad laborem lucernam corporis accenderet. Non ulterius mendicabo, sed agros colam. Non amplius gratis petam, sed mercedem repetam. Non amplius baculo terram tentabo, sed vineam falcula putabo. Non ulterius nummulos cogam, sed manipulos colligam. Non ultra peram constringam, sed currum traham. Non ultra frusta paois accipiam, sed frumentum deferam. Non amplius cum gemitu exclamabo: Date ei qui lumine non fruitur; sed magna voce clamabo: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo?* [Psalm. 26.]

7. His auditis contradicentes Judæi, ut vident illum non modo sanatum esse, sed miraculum quoque defendere, accedunt iterum sciscitantes: Quomodo visum accepisti? Quid fecit tibi homo ille, quod tam firmiter eam rem asseris? Tum is qui visum receperat ad excæcatos illos: Quomodo visum accepi? Deo-ne dicitis, quomodo illud consequenter ad naturæ ordinē factum est? Si quæritis, quomodo; vicissim vos ego interrogabo: Quomodo in vinum aquam commutavit? An naturæ ordinem, aut miraculum ut exhiberet? Quomodo Lazarum ex sepulcro evocavit? naturali an divino modo? Quomodo leprosum morbo liberavit? circuitione quadam, an voluntate? Quomodo sanguinis fluxu laborantem mulierem, quæ sanguinis profluvio, quasi naufragium fecerat, ex ea tempestate eripuit? Perquirendone morbi rationem, an conspecta ejus fide? Tum contradicentes illi Judæi, ut viderunt eum in proposito perseverantem, acriter comprehensum vi pertrahunt ad Pharisaicum tribunal, dicebantque illi: Jam carnes lancinari tuas curabimus, ut servi non doctoris munus exsequare. Non taces, sed concionem habes, atque ut Deum illum vis proclamare filium Josephi? Casu quodam visum recepisti, effutisque nobis te a nativitate cæcum esse, atque adducis nobis istum fabri filium? Non taces: sed magna voce clamas? Qui porro visum receperat reponit ad contradicentes: Si me clamare non vultis, quid tam frequenter sciscitamini? Vosmetipsos diffamatis, & mihi culpam adscribitis. Si, ut dicitis casu quodam visum accepi, cur parentes meos accivistis? Frustra turbas datis: non potestis obtegere miraculum: Etsi siluerim ego, cla-

mant oculi mei. Homo quidam Jesus nomine, cujus nomeo est curatio, luto unxit oculos meos, & dixit mihi: *Vade, lava in piscina Siloam*. Abiensque lavi, lotus lutum deposui, sed visum recepi.

8. His auditis Pharisæi judices, ingentique coacta turba: sabbatum enim erat, cum hoc miraculum fecit Jesus; interrogabant eum eadem quæ Judæi dicentes: Nosti, o homo, quo adstes in loco, & indeprecabile hoc tribunal esse, neque fraudem hic umquam latere posse. Dic nobis omni accuratione: Quomodo visū accepisti? Quid tibi fecit homo ille quem dicis? Tum ille qui visum acceperat ad Pharisaicū tribunal respondit: Quomodo visum receperim, rursum curiose inquiritis? Rursus ut reum me examinatis, dicentes, quomodo visum recepisti? si dicam vobis, iterum tumultum excitabitis. Dicam vobis quomodo visum receperim. Causam quidem curationis dicam, sed potestatem edendi miracula dicere nequeo: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi & non retribuetur ei?* Si discere vultis curationis feriem, ea est quam modo dixi: *Lutum fecit, & unxit oculos meos: & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloam & lava: abii autem & lavi, & continuo visum recepi*, non aquæ vi, sed sputi miraculo. Hæc cum audissent Pharisaici judices, ut viderunt eum adhuc in dictis suis perseverantem, abjecto illo, parentes ejus cui visus redditus fuerat advocarunt, & percontabantur ex iis: *Dicite nobis: hiccine filius vester est, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?* Parentes porro ejus qui visum receperat, sciscitantibus respondentes, verbis usi sunt beatæ Susannæ: Angustiæ nobis undique; si dixerimus: filius noster est, non effugiemus manus vestras; id jam enim comminati estis; sin dixerimus, non est filius noster, pœnam luemus æternam, quæ veritatem occultantibus reposita est. Quare pœnam cum præoptemus æternam, tantum respondebimus, quantum satis erit ut impræsentiarum pœnam effugiamus. *Scimus*, o Principes, *quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est non ignoramus; quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus. Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquetur.*

Rom. 11. 34.

Joan. 9. 11.

Dan. 13. 22.

Joan. 9. 20.

9. His Pharisæi auditis, ac multum anxii; haud modicum enim illis pudorem adtulerat, quod vel confessi essent, ipsum filium esse suum, atq. cæcum natum fuisse. Cum viderent itaque Pharisaici judices, perseverare cæci parentes, ac dicere, filius noster est, ac cæcus natus: eo discruciati quod veritas in confesso esset, impostores quosdam clientes suos miserunt ad parentes cæci, qui eorum auribus insusurrarent, atque clam dicerent: Abnegate filium vestrum, nec fateamini cæcum esse natum, ut vobis principes fiont amici; atque multis donemini muneribus. Parentes autem ejus qui visum receperat, utpote parentes, cum lacrymis responderunt vanis illis consiliatoribus: Quid dicitis, o homines? Quid nos subornatis? proprium ne filium abnegabimus? Feris nos crudeliores esse vultis. Draco prolem suam complectitur, nosque proprium negabimus filium? Numquam parentibus immorigerus fuit; sed cæcus cum esset nos aluit; postquam visum recepit, multo magis senectutem fovebit nostram. Satis itaque sit vobis, quod vestrum gratia nolimus eum prædicare qui filium nostrum curavit, neque cum fiducia dicere, quisnā ille sit. Erit fortasse quispiam qui dicat: unde nobis liquet, metu Pharisæorum parentes ejus qui visum receperat, non ausos fuisse coram omnibus Dominum Christum prædicare? Unde hoc comprobetur, Euangelista ipse Joannes memoravit his verbis: *Hæc autem dixerunt parentes ejus qui visum receperat, quoniam timebant Judæos. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret*. Viden' Pharisaicam malitiam? Cum oportuisset eos Dominum confiteri, procidere coram ipso, atque adorare creatorem, ac morbis remedium quærere; non modo illi non confitebantur, sed eos qui confiterentur cædebant. Quamobrem sic eos condemnat Dominus: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia tollitis clavem regni cælorum, & nec ipsi intratis, nec volentes sinitis intrare*. Mat. 23. 13.

10. Quid ergo judices Pharisaici? Ut viderunt parentes ejus qui visum receperat, non ex sua respondere sententia, iis per aliam januam rejectis, atque iterum accito eorum filio qui visum receperat, non aderat enim filius, cum Pharisæi parentes ejus interrogarent; coloratis verbis iterum interrogant hominem qui visum receperat, dicentes: Vel modo vera confiteris, atque palam facis omnibus, te non esse illum a nativitate cæcum: modo præsens dicebas te iis esse parentibus, & ecce audivimus ab illis, te illorum non esse filium, nec habuisse se filium a nativitate cæcum. Quid tu ergo perseveras dicendo: Homo quidam nomine Jesus luto unxit oculos meos, & lavi, & video? His auditis ille qui visum receperat, compertaque eorum malitia, respondit illis. Mirum si vere hæc dicitis. Numquid parentes proprium filium abnegare potuerunt: præsertim mater, masculum, aut pater in nullo offensus? multum incredibile illud videtur, nec illud meæ possunt capere aures. Si tamen illud factum fuit, nihil mirum: id humanæ naturæ proprium est, quare veniam merebuntur, quod ex metu id egerint. Vos Scribæ Deum abnegatis: atque ita vos geritis quasi nihil mali admitteretis. Quod vos adversus Deum admittitis, id parentes adversum me fecisse insimulatis? Nonne a multis jam temporibus de vobis Dominus per Esaiam Prophetam exclamavit dicens: *Filios genui & exaltavi; ipsi autem spreverunt me?* Esai. 1. 2. Etsi vobis abnegatio sit familiaris, illud tamen facere non sustinerem. Eum confiteor qui me curavit, agnosco parentes meos: etiam si illi me abnegaverint, ne ita quidem angustior: novi, novi, Davidem diserte exclamare: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me*. Psal. 26. 10. Exasperati porro Pharisæi dicebant: Quid ais, homo vanissime, te-ne Davidi confers? Et fabri filium Dominum confiteris; qui non habet ubi caput reclinet? Concedatur te visum recepisse: Deum laudato. Quid huic gratias agis? Non est hic a Deo. Si esset a Deo non solveret Sabbatum: *Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est*. Joan. 9.

11. Qui autem visum receperat, audiens illos Dominum dicere peccatorem, animo æstuans, atque aures obturans, ad Pharisæos respondet dicens. Quid dicitis? Num peccator est qui meis oculis lucem impertivit? Cur acerbitati mei admiscetis? Eadem momento me & gloriam dare & blasphemare jubetis? Deo gloriam dare, probum; peccatorem autem dicere illum, obtenebratæ animæ facinus illud est: Si peccator, mihi peccatorum signa in eo commonstrate; atque doctrinæ vestræ credam. Aut peccatorum signa date: aut divinorum in eo miraculorum dabo argumenta. Ea prætermitto quæ me spectant, atque ex aliis interrogationes paro. An peccator est, ut vos dicitis? Nonne hic est qui filium viduæ delatum mortuum, verbo suscitavit? Hominisne peccatoris, an Dei Verbi opus illud erat? Nonne unum decem leprosorum morbo maculosam & pantherinam pellem verbo purgans, in humanam uniformemque transmutavit speciem? Peccatorisne hominis an Dei opus illud est? Nonne eum qui legione dæmonum agitabatur: qui neque tene-

teneri poterat, nec in domo permanere; sed in sepulcris morabatur, regio more a tyrannide liberavit? Hominis ne peccatoris, an Dei Verbi opus illud? Vultin' me dæmonibus ipsis ingratiorem esse? Dæmones quippe etiam flagellati ab ipso, filium Dei illum nuncupant: & ego ab ipso sanatus, peccatorem vocabo illum? Ut Deus operatur, & ut peccator proclamatur? *Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, nunc video.* Quod sane Dei, & non peccatoris est opus.

12. His Pharisæi auditis, cum se viderent summo pudore adfectos, responderunt ad eum qui visum receperat: Oportebat quidem te ut reum flagellari, ac secundum leges pœnas luere; sed ne a vanis hominibus ut invidi insimulemur, indulgemus hoc ingenio tuo: quare responde ad interrogationem. Quid fecit tibi ille homo? Qua ratione visum recepisti? Dic, tibi quid contigit? Tum ille confidenter, nam in fide profecerat, respondit hisce verbis: Rursum sciscitamini, quomodo visum receperim. Contra vosmetipsos ignari agitis. Quanto magis miraculum opprimere studetis, tanto magis ipsum inclarescit. Rursum percontamini, qua ratione visum receperim: jam ter indicavi, nec credidistis mihi. *Quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* An ideo studiose curationis seriem perquiritis? Si id optatis, jam accedite ad illum sine dubitatione, & illuminamini: agnoscite illum sine aliqua dubitatione: non aversatur quemvis hominem se cum fide adeuntem. Hæc cum audissent Pharisæi, maledixerunt eum cui visus fuerat restitutus, dicentes ipsi: *Tu discipulus illius es: nos enim Mosis discipuli sumus. Nos scimus quia Mosi loquutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit. Tu discipulus illius es.* (Joan. 9. 28.) Qui autem visum acceperat subridendo respondit: Ego discipulus illius sum? bonum mihi convitium fecistis. O gloriosam contumeliam! Magna me imprudentes gloria adfecistis. Vos Mosis estis discipuli? Ecquod potestatis vestræ opus edidistis? Vos quidem Mosis estis discipuli; sed Apostoli sunt, medici mei, discipuli. Ostendite, Mosis discipuli, aliquid contra discipulos medici mei. Si quid vobis insit potestatis, non dicam, mortuos, sed dormientes excitate, sicut Apostoli defunctos. Si Apostolis exæquari potestis, non dicam super undas, sed super terrã ambulate, sicuti Petrus super mare. Si quid inest virtutis, cum Apostolis concertate, non dicam Spiritus, sed aves abigite, sicut Apostoli dæmones. Dicite mihi: Vos-ne Mosis discipuli estis? Si Mosis discipuli essetis, crederetis Mosi dicenti de ipso: *Quoniam prophetam vobis excitabit Dominus Deus de fratribus vestris, tamquam me. Ipsum audietis juxta omnia quæcumque loquutus fuerit vobis. Erit autem omnis anima quæcumque non audierit Prophetam illum, exterminabitur.* (Deut. 18. 15. Act. 3. 22.) Cavete ne extermineminí, & in omnes nationes dispergamini, utpote qui illius a Propheta prænuntiati hominis virtutem non agnoveritis. An ignoratis qui sit oculorum meorum medicus? Ignoratis utique, quia occidendum quæritis. Nostis porro qui sit, & unde sit. Nam cum Herodes sciscitaretur a vobis, ubi Christus nasceretur, confestim & locum & modum indicastis, ajentes eum in Bethlehẽ nasciturũ. Cum ad cædem quæritur, nostis; cum miracula perpetrasse ostenditur, ignoratis.

13. Erit quis fortasse qui reponat, unde scimus cæcum illum qui visum receperat, tam probe cum Pharisaicis judicibus contendisse? Quid ais, o amice? ferrum igni admotum prorsus ignescit, ubi acuitur, scindit acutissime; & iste dominicis manibus contrectatus, ac divino inunctus sputo, nonne potuit absque syllogismorum apparatu, adversus improbos rhetores argumentari? Annon de illo ac illi similibus divina dicit Scriptura: *Dominus sapientes reddit cæcos?* (Psal. 145. 8.) Opportune hominem qui miro modo visum recepit, qui sincere Domino credidit, qui Judæis fortiter obstitit, rationabilem, morigeram, lacte exuberantem ovem vocare licet. Novit enim Pastorum principem Christum, Pharisaicos effugit lupos: Ingressus est per crucis portam in Ecclesiasticum ovile. Audisti modo dicentem Dominum: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* (Joan. 10. 1.) Ostium sese Dominus appellat; etenim ne fortasse quidam, ostium audientes, arbitrarentur eum de communi quodam ostio verba facere, interpretationem subjungit, ut doctrinam firmet suam: continuo enim adjicit: *Amen, amen dico vobis: Ego sum ostium ovium: per me si quis ingredietur, & egredietur, pascua inveniet.* (Ibid.) Pulcre Dominus ostium sese vocavit, utpote qui custodiat eos qui intus in fide sunt: qui & abigat eos qui foris circumspiciunt: qui inducat ad patrisfamilias consortium. Nemo quippe cognoscit Patrem, nisi per Filium, sicut ipse dicit: *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* (Mat. 13.28.) Ego sum ostium ovium. Probe sese Dominus ostium appellat, & non ostia: unus enim Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus: & non tres dii; sed unum cognitionis ostium. Ecquisnam hujusce rei testis? Paulus qui clamat: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* (Ephes. 4. 5.) Nusquam duo, non tres, non quatuor, non quinque; sed ubique unus, quandoquidem unum ostium: unus Dominus, indivisa substantia: una fides, gloria scilicet nullis distincta gradibus: unum baptisma, ac pura illuminatio. Qui hac instructus est cognitione, per ostium ingreditur, ac ostio, Christo scilicet circumdatur, neque ab ostio separatur.

14. Nos modo Christus citra adulationem proprias vocavit oves: proprias oves, utpote lanigeras beneficentia erga pauperes: ut plenas lacte exuberante nutricantis sermonis: ut pastas Domini corpore: ut obsequentes baculo Crucis: ut triplicata coactas fidei catena: ut ordinem minime deserentes, sed innixas angulari lapide Christo. Ostiũ sese Dominus appellavit: ac pulcre ostium, habet enim postes duos, vetus ac novum Testamentum, limen ac superliminare, circumcisionem ac præputium: Domum, Ecclesiam: Mensam, altare: Panem, agnum: Craterem, mysticum vinum: Aurum, sinceram fidem: Argentum, præclaram vitæ rationem: Margaritas, divina dogmata: Chlænam, Baptismatis stolam. Audisti modo ita loquentem illum: *Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus.* (Joan. 10.11.) Dominus semetipsum adumbrabat, quod enim erat facturus prænuntiabat. Nemo quippe mortem pro ovibus subiit, nisi solus Dominus. Ipse solus pro rationalibus ovibus mortem sustinuit, non invite sed sua sponte: mortem, non damnosam sed perutilem: mortem, non corruptionis capacem, sed incorruptionis conciliatricem: mortem, fide intelligendã, non curiosius examinandam: mortem non ad mortis consuetudinem contingentem, sed quæ ipsius mortis mors esse deprehendatur. Nisi enim Dominus voluntarie mortem suscepisset, nequaquam diabolus mortem pertulisset. Quamobrem exclamat Paulus hisce verbis: *Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors stimulus tuus? Ubi est, inferne, victoria tua?* (1.Cor.15.54.) Verum hic sermonem obsignantes nostrum, gratias Deo agamus: cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN DUAS SEQUENTES HOMILIAS ADMONITIO.

Duas sequentes Homilias ejusdem esse Scriptoris arguit, cum styli genus tum ordo atque series orationis: quare consequenter ponuntur in Regio Codice 205. Athanasii porro eas esse credidit vir eruditus Holsteinius, licet in iis Athanasianum nihil compareat. Frigidum quippe est orationis genus, quod nihil nervorum, nihil salis obtineat: nec magnum sese prodit in ejus structura hujusce Scriptoris judicium. Etiamsi porro aliunde non liqueret esse has Homilias Athanasio abjudicandas, coarguunt sane isthæc sub finem secundæ Homiliæ verba: τριῶν ὑποστάσεων κηρύττοντες, μίαν θεότητα ὁμολογοῦντες, *fuisse illas post Nestorianam vulgatam hæresin descriptas. Licet enim* ὑποστάσεων *quandoque meminerit Athanasius, numquam tamen ait tres hypostases in confesso apud omnes esse: imo in Synodali Epistola Alexandrina, nihil interesse inquit, si vel una solum vel tres hypostases esse dicantur, dum recta servetur sententia.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Matth. 21. 2. *In illud Euangelii secundum Matthæum:*

Ite in castellum quod contra vos est, & invenietis asinam alligatam & pullum cum ea: solventes, adducite mihi.

1. ITERATIS nos beneficiis donans Deus, suamque in nos gratiam effundens, simul doctrina sua animas nostras excitat. Iis enim qui hujus sæculi malis premuntur, ejusque negotiis distrahuntur, hoc Deus sæculum cordi imprimit, ut cognoscant homines, se non sæcula exspectare, sed hoc duntaxat sæculum in phantasia habere. Ut itaque de futuro sæculo prospiciant, innatam nobis per liberum arbitrium doctrinam largitus est. Omnes igitur homines, sapientes & insipientes, Principes & privati, divites & pauperes, compertum habent mortem omnes excepturam. Illud enim est, hoc sæculum in phantasia habere; hoc autem est, unumquemque finem suum ob oculos ponere. Plerique gnari obventuram sibi mortem, putant se post hoc sæculum fore quasi numquam exstitissent: quales erant qui ajebant: (Sap. 2. 2.) *Exigua & tristis est vita nostra, nec est regressus finis nostri. Venite ergo*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ sunt; vino pretioso & unguentis nos impleamus*. Hos & beatus Paulus sic loquentes exhibet: (1. Cor. 15. 32.) *Manducemus & bibamus: cras enim moriemur*. Si ergo miseri illi tantum cognoscere valuerunt, exiguam scilicet ac tristem esse vitam suam: cur bonorum auctorem citius non invenere? Solius itaque sapientis est nosse rerum causas: manifeste novit quippe, quo modo & quo fine res factæ sint: novit Deum, omnium esse factorem: audivit quippe dicentem Apostolum: (1. Cor. 10. 31.) *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*. Qui vero vita hujus sæculi vivunt, tamquam in juventute celeriter, & malitia propria a principio ad finem usque consumti, non norunt opificia Dei. Nam si mente sua accurate illa considerassent, citius plane eorum creatorem Deum agnovissent: (Sap. 13. 5.) *Ex magnitudine enim ac specie creaturarum, auctor earum perspicitur*. Viam ergo ad usum proposuit, quæ homines ducat a creaturis ad omnium creatorem & opificem.

2. Hæc orationi nostræ præfiximus, quia omnes quasi oves erraverunt, & quia (Sap. 2. 24. Rom. 5. 14.) *invidia diaboli mors intravit in mundum*, ac vinculis peccatorum suorum quisque constringitur. *Regnavit enim mors ab Adam usque ad Mosem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. Sed venit Dominus noster Jesus Christus, redemturus captivos, & mortuos vivificaturus. Hujus sane rei gnarus beatus Apostolus, hæc scripsit: (Ibid.) *Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis unius justificatione gratia in omnes homines ad justitiam vitæ*. Peregrinatum itaque ad nos est vivum & efficax Dei Verbum, atque imago invariabilis, filius unigenitus, (Hebr. 1. 3.) *per quem sæcula facta sunt, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens*. Idcirco mittit Discipulos duos in castellum e regione situm, dicens eis: (Matth. 21. 2.) *Ite in castellum quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; solvite & adducite mihi*. Matthæus quidem describens Ecclesiam, ejusque prolem, asinam & pullum nominavit, Lucas vero in unum ambo complexus, pullum nominat: ait enim ipse Lucas in Euangelio suo: (Luc. 19. 29.) *Misit duos Discipulos suos dicens: Ite in castellum quod contra vos est: in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit: solvite illum & adducite mihi*. Invenies itaque Matthæum duo ubique nominare; Lucam vero duo in unum complecti. Cujusmodi est illud de cæcis, quos Matthæus duos item memorat, dicens: (Matth. 9. 27.) *Et transeunte inde Jesu, sequuti sunt eum duo cæci, clamantes & dicentes: Miserere nostri, fili David*. Lucas vero duos in unum complexus, ait: (Luc. 18. 35.) *Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat, quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret, & clamavit dicens: Jesu, fili David, miserere mei*. Similiter deprehendes dæmoniacos duos nominare Matthæum; Lucam vero accuratiore mente, pie pro duobus unum dicere. Matthæus ergo de duobus sic loquitur: (Matth. 8. 28.) *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis*. Lucas vero unum pro duobus scripsit his verbis: (Luc. 8. 27.) *Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam ex urbe, qui habebat dæmonia jam a temporibus multis*. Ubique ergo Matthæum invenies semper de duobus loquentem, Lucam autem de uno. Non quod divina labantur Euangelia, absit: nec quod opposita loquantur, qui uno eodemque Spiritu sancto repleti sunt: unam

enim

enim eamdemque vim in sacris litteris sancti viri A
conservant.

3. Horum porro mentio a nobis facta est, non quod proposito nostro exciderimus. Lectum namque fuit nobis, ut audivistis, Evangelium secundum Mat-
Matth. 21. thæum. Scripturæ porro sententia hæc est: *Tunc misit Jesus duos Discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est: & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; solvite & adducite mihi.* Jam supra diximus, asinam istam, Ecclesiam esse ex Gentibus coactam: pullus autem, pater noster Adam est,
Levit. 11. quem Satanas versutiis suis alligavit. Ipsa quippe asina immundum erat animal, ut quæ cibum non ruminaret sursum ducendo ac demittendo: quæ est Gentium Ecclesia. Nam antehac illa idolis suis contaminabatur, immundoque polluebatur sanguine; ita ut
Jerem. 3. 1. per Jeremiam Prophetam ei dicatur: *Fornicata es cum pastoribus multis*; sed Dei Filius hominum amantissi-
Philipp. 2. 7. mus, ad nos peregrinatus est: & *habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Neque enim Angelorum erat, Dei creaturam salvam facere; sed Verbi, Dei & hominis. Ipsi quippe debebatur illud, utpote qui creator diceretur. Mittit itaque discipulos duos, C in castellum e regione situm, qui solverent asinam at-
Ephes. 5. 27. que pullum, *ut exhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem amplius maculam, aut aliquid eorum*, quæ superius dicta sunt de illa: sed ut sit sancta & immaculata Christo. Ita enim qui ex ea nascentur futuri
Tit. 2. 14. sunt, *populus acceptabilis sectator bonorum operum.*

4. Abeunt ergo Discipuli duo ad vicum ex adverso situm, solvuntque asinam & pullum, prout sibi a Magistro jussum fuerat. Revocavit enim nos ex vico contra posito, ad cælestem civitatem, supernam Jerusalem. Nos autem solvit ex vinculis diaboli; ut & Esaias Propheta jam D
Esai. 42. 6. olim exclamaret: *Dedi te in fœdus generis mei, in lucem gentium: ut aperias oculos cæcorum, & educas ex vinculis remissos, & ex domo carceris sedentes in tenebris.* Abeunt discipuli in castellum e regione positum. Castellum porro cum audis, terrenum hunc mundum intellige. Civitas enim cælestis est, uti supra diximus. Illum autem: *In castellum quod contra vos est*, Moses in Genesi olim significarat di-
Gen. 3. 24. cens: *Collocavit Deus Adam e regione Paradisi voluptatis: jussitque Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem custodire viam ligni vitæ.* Neque enim alterius cujusdam erat reducere nos ad locum unde E fueramus expulsi, nisi ipsius Domini, qui Cherubim posuerat ad custodiendam viam ligni vitæ. Nullius erat alterius revocare nos ex castello e regione sito ad cælestem civitatem, quam ejus qui in nos protulit sententiam. Ita ergo intelligetur, asinam illam memoratam atque pullum, esse totum humanum genus. Exemplis namque utitur divina Scriptura: nam licet Ecclesiam accipiam, hominem significo, & si Adamum memorem, una totum genus humanum declaro. Idcirco enim advenit Dominus ac Salvator noster Jesus Christus, ut quod erraverat reduceret, & quod perierat quærens inveniret. F Ipse namque est qui solvit compeditos, qui confractos erigit, qui lapsos revocat, qui captivos redimit. Quod indicans dicebat ille David in Psalmis ita
Psal. 125. 4. canit: *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro.* Hic est qui tenebras illustrat, de quo scriptum est: *Galilæa Gentium, populus qui*
Esai. 9. 2. *ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* Salvatoris quippe adventu cuncta illustrante, solvitur demum asina atque pullus ex vinculis. Ipse enim
Esai. 43. 25. peccata nostra tulit, ut per Prophetam ait: *Ego sum qui deleo peccata tua.*

5. Ostendamus ergo & nos bonum animæ nostræ: solvamus omne iniquitatis vinculum. Illud namque est proprie bonum; ut quoniam ipse Magister recte atque probe conversatus est, edificamus ipsum, non verbo tantum, sed re ipsa, nobis congruentia tradidisse. Audi enim illum Prophetæ voce dicentem: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit* Esai. 61. 1. *me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visus restitutionem.* Qui enim ante istum, domini erant, ligatis pedibus manibusque nos captivos tenebant, nec permittebant nos proficere in via veritatis. At Dei Filius erga homines benignus, ad genus humanum peregrinatus, nos liberavit. Proprios enim Discipulos misit, solvitque nos a vinculis diaboli. Mirabilia itaque illa signa a Jesu edita, licet secundum historiam sensibili modo facta fuerint: at spiritualium gratia gesta sunt. Quæ Historiam spectant impleta quidem sunt; atque divinæ res erant, quæ iis significabantur. Nisi enim divinæ res fuissent significatæ, nequaquam Prophetæ adventum ipsius prænuntiaturi fuissent. Esaias itaque clamat dicens: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subjugalis.* Zachariæ 9. 9. non vero Esaias. Hisce a Jesu mirabilibus perpetratis signis, nihil adjiciendum, nihil detrahendum. Omnia enim perfecte & absque ullo defectu effecit. Erat namque potens in opere & sermone. Hæc sane Psalmista declarat his verbis: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua & pulcritudine tua, intende, prospere procede, & regna.* Psalm. 44. 4. Magna itaque potentia sua, totum liberavit humanum genus.

6. Hæc porro Jesus signa fecit præsens ipse nobiscum, ut timeamus a facie ejus. Quod autem ea sint sensibilia spiritualium symbola, audi. Venit quippe Salvator in primis ut hominis animam beneficio donaret. At quandoquidem multis ignotum illud erat, per curationes sub adspectum cadentes, occultam salutem animæ indicabat. Enimvero ipsi, dum concederet peccatorum paralytico remissionem, fides non habebatur: dicebant quippe Judæi: *Quis potest* Marc. 2. 7. *peccata dimittere, nisi solus Deus?* Dehinc postquam quod occultum ac præcipuum erat latenter fecerat; secundo loco corpus curavit. Ait enim ipsi: *Surge, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Vides quam cito hic vinculis solvatur: nec solum exteriori curatione solvitur: sed tantis etiam peccatis liberatur: immo eum quoque curationis præconem exhibuit: ac demum quæ sensibili modo gesta sunt, spiritualium gratia agebantur. Ea quoque de causa mittuntur & discipuli in castellum ex adverso situm, ac solvunt asinam & pullum, sicuti a Magistro jussum ipsis fuerat. Hoc autem plane factum est, ut implerentur Jacobi prophetiæ. Cum benediceret enim duodecim Patriarchas, ubi ad Judam pervenit, prophetat, ac divina profert verba. Audi namque illum dicentem, *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem pullum asinæ suæ.* Gen. 49. 11. Demum quæcumque de Juda dicta sunt, comperies de adventu Salvatoris dicta fuisse. Potest quippe quisquis est studiosus, paulatim legendo, ea quæ de ipso dicta sunt intelligere. At ne totam enarremus historiam, audiamus Apostolum hæc loquentem: *Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster.* Hebr. 7. 14.

7. Ideo igitur ea gesta sunt, ut creatorem ministerio suo manifestum facerent. Quis enim navim conspiciens probe directam, non in gubernatoris cognitionem incidit? currum autem recte incedentem conspiciens, atque habenis arte factis rectum, non cogitat aurigam? Si autem obviis de rebus ita judicatur, quid dixerimus de miraculis Salvatoris? Videmus namque opera ejus quæ terribilia & admiranda sunt; cujusmodi sunt maris decumani fluctus, ventorum in eo illiden-

tium

tium motus, solis orbis, lunæ cursus, astrorum compositio. Quis non exterritus fuit, cum velum Templi scissum est a summo usque ad imum? cum sol tantum non ferens ausum, metu lucem contraxit? aut cum petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, ac qui in iis jacebant resurrexere, inimicique reformidarunt a facie ejus: quare vel inviti confitebantur, quod vere Filius [Matth. 27. 54.] Dei esset iste. Et vere multa opera ejus abscondita [Eccli. 43. 36.] sunt. Millia enim millium laudantium adstant ei; & decies millies dena millia ministrant ei. Cognoscamus itaque benefactorem: glorificemus Patrem cum Filio & sancto Spiritu: unam confiteamur Deitatem: peccandi finem faciamus, pauperum recordemur: amor fratrum in nobis maneat: hospitalitatis ne obliviscamini. Nam si ita vitam agamus, regnum cælorum hæreditate accipiemus, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

[Luc. 19. 36.] [Matth. 21. 8.] In illud: *Euute autem illo, substernebant vestimenta sua in via. Plurima autem turba gaudebat gaudio magno, & clamabat, Hosanna in excelsis.*

1. SI singula qnæ ab initio gesta sunt opera contemplari velimus, infinita illa sunt. Quod si ea quæ sub adspectum cadunt atque a Deo acta sunt, memoria tenere nemo possit, occulta ejus quomodo quis intelligere poterit? *Multa enim*, in-
[Eccli. 43. 36.] quit, *opera Dei abscondita sunt*. Sunt ergo invisibilia quædam Dei opera, quæ in occulto sunt; de quibus
[Rom. 1. 20.] divinus Apostolus testatur dicens: *Iuvisibilia euim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta*
[Rom. 11. 33.] *conspiciuutur*. Revera enim, *quam incomprehensibilia suut judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*
[Habac. 3. 2.] Et vero Propheta ejusdem cum esset sententiæ ait: *Consideravi opera tua & expavi*. Quæramus ergo nos primum regnum ejus, atque ita hæc omnia adjicientur nobis; ita enim Domious noster Jesus Christus in Euangeliis nos docet his verbis:
[Matth. 7. 7.] *Quærite & invenietis*. Quærimus porro, non margaritas, non byacinthos, quæ imprudentibus admirationi sunt; sed sapientiam Dei in mysterio absconditam:
[1. Cor. 2. 8.] *Quam nemo principum bujus sæculi cognovit*. Nam *si cognovissent*, inquit, *uumquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Hæc est autē sapientia, de qua & Salomon in Pro-
[Sap. 9. 4.] phetia dicebat: *Mitte mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*. Quod autem & Christus sapientia prædice-
[1. Cor. 1. 24.] [Matth. 6. 33.] tur, testis erit mihi Paulus dicens: *Christus Dei virtus & Dei sapientia. Quærite ergo primum regnum Dei & justitiam ejus, & bæc omnia adjicientur vobis*. Nam quæ futura sunt, prioribus (ac præcipuis illis) posteriora sunt. Etsi enim rationem quamdam habeat legis umbra, attamen futurorum bonorum arrhabo est.

2. Judæi ergo in bodiernum usque diem, litteræ magis quam Spiritui adhibentes animum, errant. Audi namque quid dicant. Hic homo legem & sabbata solutum venit. Verum si mendicus contra divitias loquatur, nequaquam illi fides habebitur: neque si intemperans homo adversus temperantiam verba faciat, verum est testimonium ejus. Non enim ex adfectu hæc adfirmant. Ille namque ideo divitias damnat quod eas minime possideat: qui vero continentiam non servat, neque cum labore temperantiam exercet, is homines irridet earum virtutum studiosos. Et vero Dominus &
[Matth. 5. 17.] Salvator noster Jesus Christus, eorum coarguens amentiam, ait: *Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed*
[Rom. 10. 4.] *adimplere*. Ideoque beatus Paulus hæc scribit: *Pleuitudo igitur legis Christus, ad justitiam omni credeuti*. Accuratius itaque, dilecti, illud de discipulis consideremus: consideremus, inquam, in illa quæ proprie, & sine additamento sapientia vocatur. Hæc quippe notitiam divinorum habet mysteriorum. Hæc in mente nostra ceu in domo habitat; si præsertim pura sit; ac
[Sap. 1. 4.] cogitationes observet: *Quoniam in malevolam animam non iutroibit sapientia, nec babitabit iu corpore subdito peccatis*. Purgemus itaque nos, dilecti, ab omni sorde animæ & corporis, auscultemusque clamantem Pro-
phetam: *Mundate manus, peccatores: purgate corda, duplices animo*. [Jacob. 4. 8.] Ita enim quis poterit, & sensibilia probare, & spiritualia tenere; atque hæc eligere: ab illis procul recedere. Quemadmodum probi trapezitæ, bonum eligamus, & ab omni mala specie abstineamus. Bona ergo velut necessaria adeamus; indifferentia, quantum postulat necessitas. Divitiæ namque ratione sui, nec bonæ nec malæ sunt; sed utentis animo in utramque partem æstimantur. Repente magnus ille Abraham dives fuit: nec ideo a virtute declinavit. Similiter mendicus Lazarus in paupertate cum viveret, ad fortitudinem & magnanimitatem sapientia & ratiocinio sese confirmabat. Itaque, ut dixi, nec paupertas malum est, nec divitiæ perniciosæ; sed usus atque utentis adfectus. Fidelis sane hominis sunt omnes mundi opes; infidelis ne obolus quidem. Fideli enim omnia subjecta sunt, omnia ipsi serviunt: quia ipse omnibus imperat & omnia spernit; infidelis autem omnium est servus, sub dominatu Mamonæ: nemini imperans; sed potius sub omnium imperio est. Et quidem omnia Dei opificia bona sunt; at inter utentium adfectus ingens est discrimen.

3. Profecto sapiens Ecclesiastes, mentem omnibus [Eccles. 1. 13.]
sapienter applicans, consideravit ac novit, qua ratione divitiis uteretur: quomodo pauperiem ferret, quomodo morbum sustineret, quomodo sanitatem adtemperaret. Hæ sunt virtutes quæ curam bumano generi adferunt. Opposito autem modo qui sapiens non est adfectus erit: hoc est autem illud: occupationem pessimam datam esse filiis hominum a Deo, ut ex ingenti labore, & magna in adspectabilibus rebus difficultate, ad Dei providentiam atque sapientiam confugiant. Idcirco occupationem *pessimam* dedit Deus filiis hominum, id est laboriosam. Quod autem illud, *pessimum*, idipsum sit quod laboriosum, audi illud in libro Job scriptum: Ceciderunt in Job ulcera pessima, id est, laboriosa: & Ægypti plagæ *pessimæ* vocatæ sunt, id est, laboriosæ; ut & mentem suam homines ad divina oracula concitent; in iisque semper prudentia proficiant, mentem suam vivifico Spiritu confirment. Nostis enim litteram quidem occidere, Spiritum autem vivificare. Labore itaque ac exercitatione nostra virtutis utilitatem amplectamur. Labore quippe bonum perficitur, quemadmodum
beatus Paulus scribit: *In tribulationibus, in uecessita-* [2. Cor. 6. 4.]
tibus, iu plagis, iu perturbationibus, &c. Rursumque [2. Cor. 7. 12.]
idem ait: *Omuia operio, omnia sustineo, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi*.

4. Hæc

4. Hæc autem orationi nostræ præfiximus, quia cum iis lectio communem quamdam habet rationem: ait enim: *Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via*: ut Jesum pullo imponentes procedere inciperent. Hoc autem Euangelica nos docet lectio. Quot ergo habebant Apostoli vestimenta, ut alia quidem injicerent in asinam, ut imponerent illi Jesum; alia substernerent in via: viri scilicet possessionibus vacui, qui omnia reliquerant, & qui tum alia omnia præcepta, tum hoc servabant, ut neque duas tunicas haberent? Quanta porro isthæc hilaritas, ut incedentem asinum, non humi, sed per vestimenta vellent incedere? Hoc autem luxuriosorum ac delicatorum. An Jesus ita deliciis operam dabat, ut nollet se vehentem asinam humi incedere? Dilecti, non delicatorum est hæc doctrina: nec quis umquam exstitit qui hoc egerit. Neque enim inter Gentiles Nabuchodonosor id umquam fecit: nec qui ei successit Baltasar: neque magnus Salomon, cum esset in regno suo. Supra diximus enim novisse eum quo pacto divitiis uteretur, quo pauperiem ferret, &c. Ipsum enim
Prov. 30. 8. sic loquentem audire licet: *Domine divitias & paupertatem ne dederis mihi; sed cum mensura da mihi quæ necessaria sunt & sufficiunt*. Sapientiam autem magis curabat: quare exclamat ac dicit:
Sap. 7. 10. *Elegi ipsam habere præ auro & argento, super salutem ac speciem dilexi illam*. Unde discipulis tot vestimenta, ut a Bethania donec Jerosolymam introiret, asinæ incedenti substernerentur.

5. Sed me oratio ipsa concitat ad sublimiorem accedere interpretationem, ac disquirere quæ sint Apostolica vestimenta. Nos itaque ipsos a terra paululum subducamus. Dico igitur substrata asinæ vestimenta, morales esse præceptiones ejus pedibus suppositas: hæ scilicet: Non mœchaberis, non occides, non furtum facies, non loqueris falsum testimonium: honora patrē tuum & matrem tuam, & his similia præcepta. Ne itaque humi ulterius incedamus: quando nobis enim Apostolica substrata sunt vestimenta, humi incedere non debemus; ut ne animæ nostræ pedes terræ pulvere inquinemus.
Cant. 5. 3. Quod si quis ad hoc nos provocet, dicamus ipsi: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Atque ideo fortasse lavat Jesus discipulorum pedes, ut eo qui ante hærebat excusso pulvere, non ultra humi ambularent, nec pedes suos terræ pulvere inquinarent:
Rom. 10. 15. Ephes. 6. 14. sed purgati per vestimenta incederent. *Quam speciosi*, enim inquit, *pedes euangelizantium pacem*. Accingamus itaque & nos, lumbos mentis nostræ, & calceis subligemus pedes in præparatione Euangelii pacis. Contigit enim nos aliquando in terra tentari, cum tempore captivitatis, captivi ducti sumus in terram Chaldæorum. Quapropter ingemens Propheta dice-
Baruc. 4. 26. bat: *Delicata mea ambulavit vias asperas*. Nam ante adventum Domini, experimentum fecit pes delicatæ animæ ambulandi in terram: ubi vero ad nos venit Dominus noster Jesus Christus, prædicaturus captivis
Joan. 13. 4. remissionem: *Tunc mittit aquam in pelvim, & ponit vestimenta sua, & linteo circumcingit se, & lavat pedes Discipulorum. Postquam vero lavit pedes eorum, induitur vestimentis suis*: atque indutus cœnavit cum illis. Ideo ergo Discipuli substraverunt vestimenta sua in via, ne in terra amplius incedamus, neve supra pectus aut ventrem gradiamur; sed potius quam supra terram pectus nostrum reclinemus, supra pectus Jesu, quemadmodum Joannes, reclinemus illud. Nam qui talis est, etiamsi in terra versetur, non habet tamen pedes in terra versantes; sed sicuti Paulus, dum in terra ambulat, conversationem suam in cælis habet.

Mat. 21. 9. 6. *Imposuerunt ergo*, inquit, *Jesum super pullum. Eunte autem illo sufternebant vestimenta sua in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*. Miraculum novum & stupendum, dilecti. Numquid Discipulorum multitudo cum Jesu erat? nonne duodecim soli erant? Ecquid ergo multitudinem hic indicat Euangelium? Sed fortassis Angeli quoque aderant illi, ac divinæ Virtutes pro Discipulis erant. Nam ante Petrum, Joannem ac reliquos, Gabriel ipsius est discipulus: ipse namque missus est ad Mariam virginem ex semine David, desponsatam viro. Ipse est qui ait:
Accipe puerum & fuge in Ægyptum. Ipse est qui dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Matth. 2. 13. Luc. 1. 35. Ipse est qui lapidem in monumento revolvebat. Ipse est qui mulieribus annuntiabat dicens: *Non est hic quem quæritis: surrexit a mortuis, sicut dixit. Venite*, inquit, *videte locum, ubi positus erat. Ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis*. Matth. 28. 6. Quare diu antea Propheta clamaverat: *Galilæa Gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. Esai. 9. 2. Ergo & Angeli ut Discipuli ei ministrant. *Et ecce*, ait, *Angeli accesserunt, & ministrabant ei*: Matth. 4. 11. Gaudentque omnes qui e Discipulorum ejus numero sunt. Nam, *cæperunt*, ait, *omnis turba Discipulorum, gaudere gaudio magno*. Luc. 19. 37.

7. Quæro itaque, quid causæ est quod Discipuli & divinæ virtutes gaudeant, immo gaudeant magna voce Deum laudantes? Num ideo gaudent Discipuli ac divinæ virtutes, quod Dominus vili asello vehatur? quæ tanta imperitia? An gaudio dignum est si quis asello vehatur? An ideo lætandum, & quidem Domini Discipulis? Non putarim ego ideo gaudere Discipulos Jesu, maxime præsentibus Angelis, ut memoravimus. Illi namque sciunt qua de causa gaudeant: semper enim nonnulla vident, quorum causa gaudere illos convenit. Adtende enim, quid dicat Euangelium: gavisos eos fuisse, *super omnibus quas viderant virtutibus*. Ibid. Quas autem virtutes videbant Discipuli, cum Dominus asinæ insideret? Non erat parvi res momenti, sed per rei illius seriem contemplabantur mysteria quædam divinasque virtutes. Audi enim Salvatorem dicentem: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pænitentia*. Luc. 15. 7. Quare alibi docet eos loquens in Parabolis: *Homo quidam habens centum oves, si erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem, quæ non erraverant, & vadit quærere eam quæ erravit? Et inveniens eam, gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt*. Matth. 18. 12. Quæ enim non erraverunt, non egent pœnitentia. Hic itaque pullus etiam ovis vocatur, & filius adolescentior: *Ovis enim*, inquit, *errans factus est, populus meus*: & alibi: *Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui*. Item: *Filius hic meus adolescentior perierat, & inventus est: mortuus erat, & revixit*.

8. Hæc itaque omnia in se suscipiens Dominus, hominem induit, & quasi ovis ad occisionem ductus est, ac sedit super asellum, & mortuus est atque sepultus secundum Scripturas. Et corpus quidem ejus jacebat in monumento, Deitas vero ejus infernum spoliabat; atque solvebat compeditos, captivos redimebat, mortuosque vivificabat. Ideo namque in crucem adscendit de inimico triumphans, atque factus pro nobis maledictum, spinisque coronatus; ut nos ex lata adversum nos sententia redimeret. Nam Adamo dictum fuit: *Spinas germinabit tibi terra*: Quare coro- Genes. 3. 18. nam spineam accipit, calamumque dexteræ ejus manui gestandum pararunt; ut eo serpentis facile cædem patraret. Item pro serpentis veneno, quod hausit Adam in Paradiso, ipse pro nobis felle & aceto potatur.

tatur. Et pro costa ex qua prodiit Eva, ipse latus suum præbuit perforandum. Mulier Eva, mulier Maria, ex qua natus est Christus. Homo Adam, homo etiam quem Christus gestabat. Paradisus erat ex quo Adam ejectus est; Paradisus item quem Latroni aperuit Christus. Hic itaque pullus peccator unus est, pœnitentiam agens, quem solvit Dominus ex diaboli vinculis, de quo gaudium est, non in terra modo, sed etiam in cælis. Cum igitur solutus pullus fuisset a Discipulis, adducunt eum ad Jesum, gaudentque gaudio magno: item Angeli & divinæ virtutes gaudent super eo qui perierat & inventus est. Qui igitur iis quæ diximus, accurate animum adplicuerit, & Euangelica verba mystice legerit, is sane perspiciet, hunc pullum esse peccatorem Adamum. Cum dico Adamum, universum genus humanum intellige. Hic ergo pullus ante Salvatoris adventum, feris erat subjectus, quemadmodum antehac diximus. Feras voco omnem adversam potestatem, ipsumque magnum dæmonem satanam.

9. Cur igitur ad nos Salvator venit, deditque nobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem inimici potestatem, tunc & nos fidenter dicimus cum Propheta: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*. Contrivit enim Dominus capita draconum. Quare Propheta clamat dicens: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Illi ergo pullo huic dominabantur. Arbitror enim Esaiam Prophetam ideo dicere: *Leo & catulus leonis, inde & aspides, & genimina aspidum volantia, qui ferebant super asinos & camelos divitias suas*. Propheta igitur volens nos edocere quid sint adversæ potestates, ferarum exemplo illas nobis repræsentavit. Quæ adversæ potestates perniciosas suas divitias imposuerant humano generi. Quænam sunt illæ diaboli divitiæ?

Psal. 73. 19. *Psal. 90. 13.* *Esai. 30. 6.*

A Improbitas, idololatria, voluptas, insipientia, & quodcumque peccatum. Has enim divitias asina & pullus ejus, magna vi coacti, portabant, ac constricti erant peccatorum vinculis. Nihil enim peccato gravius, quare a Propheta plumbo comparatur. Ab his itaque omnibus ad nos peregrinatus Dominus nos liberavit, atque abjecto illo divitiarum onere, solutoque pullo super eum sedit. Quamobrem discipuli injiciunt in eum quædam ex vestimentis, alia in via sternunt.

10. Hæc porro sunt moralia documenta, uti supra diximus. Gaudent discipuli gaudio magno: B nam revera beneficia illa omnia quibus Jesus adveniens adfecit humanum genus, magno sunt digna gaudio. Studiose itaque nos curemus mentis oculos, simulque sapientiæ discipuli, ut virtutes videamus quæ singulis horis Domino Jesu ministrant. Cum tantis itaque bonis donati simus, gaudeamus & nos. Gaudeamus, inquam, gaudio magno, quia Dominus & Salvator noster pro nobis pati dignatus est. Surrexit enim tertia die ex mortuis, exspoliatis inferis, hoste conculcato, diruptis peccati nos opprimentis vinculis. Quapropter nos *conresuscitavit & consedere fecit in cæle-* C *stibus* in dextera majestatis Patris. Quo Christus Præcursor pro nobis adscendit, æterna redemtione inventa. Dicamus itaque & nos alta voce: *Hosanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini*. Adoremus ergo Patrem cum Filio & sancto Spiritu, tres hypostases prædicantes, unam deitatem confitentes. Virtutem, dilecti, eligamus; labores ejus causa libenter suscipiamus, continentiam exerceamus, pauperum recordemur. Ita enim viventes, hæreditatem regni cælorum consequemur, in Christo D Jesu Domino nostro, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum, amen.

Ephes. 2. 6.

IN SEQUENTEM HOMILIAM ADMONITIO.

HANC putat Holsteinius Athanasii esse, in eaque se Athanasiani styli notas, scilicet, τὸ δριμὺ καὶ τὸ ἀπέριττον, a Photio observatas reperire arbitratur. At nobis, ita variant opiniones, præter nomen nihil hic videtur Athanasianum. Licet enim non inelegans sit hæc Homilia, at minime refert illam Athanasii gravitatem, & nativam eloquentiam. Immo vero fucatum est orationis genus, cui etiam nonnihil interdum salis ac judicii deesse deprehendet acutus Lector.

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Sermo, in sanctam quintam feriam & proditionem Judæ.

1. SALVATORIS nostri Passio, Judæorum luctus, Ecclesiæ lætitia est: illis quippe calamitatem, nobis gaudium peperit: illos morte damnavit, nobis dies festos paravit. Hodie Judaicæ improbitatis terminus compertus est, ac Dominicæ beneficentiæ lucernæ accensæ sunt. Hodie in angulo cœna paratur, & universo orbi mensa instruitur. Hæc dies cælestis cibi spicam pullulavit: Hodie lignum voluptatis citra periculum homo contrectat: hodie mysteriorum thesaurus referatur: hodie esca paratur Apostolis, beatitudinis nempe panis: hodie spiritualis convivii perceptio initium accepit:

E hodie dicitur illud: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*. Crucem præoccupo, portiones divido, venditionem tuam anteverto, o Juda, effusione sanguinis, quem tu vendere paras: te præoccupans gratis distribuo; meum quippe, o Juda, corpus est: tuum autem est osculo ipsum vendere: meum est opus salutem per sanguinem adferre; tuum est opus, sanguinis nundinatio. Lavi pedes tuos ad cursum contra me suscipiendum festinantes. Manus tuas miracula edere docui, F venditionis meæ pretio depressas. Accipite, comedite, antervertite proditoris celeritatem: esu vincite venditionem. Non differo donum passionem exspectans,

Matth. 26. 26.

ctans, non moror donum; prope namque est venditio. Impatibile corpus est: impatibilitatis comedentium do testimonium: prævenio dentibus Judæorum phalangam: dum erucem differo, comedite & vos, comedite. *Mat. 15. 26.* *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus* Judæis. Dum ille quærit quibuscum pacificatur, vos venditam rapite margaritam.

Mat. 26. 15. 2. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Cur panem vendis, o Juda, jam pro cibo distributum? *Mat. 26. 9.* Quorsum abiere verba illa amoris erga pauperes indicia: *Potuit istud venumdari multo, & dari pauperibus?* Cum mulierem unguentis Dominum perfundentem, atque unctione sepulturam prævenientem, vivoque honorem exhibentem, quod mortuo non poterat; eam, inquam, contumelia adficis, legemque prætendis studii erga pauperes. *Potuit*, ait, *istud venumdari*: hoc est, potuit & istud una cum ipso venumdari. Esto, occidis, an quoque sepeliri vetas? Esto, sanguinem vendis, cur & unguentum venumdas? O avaritiam quæ pauperum amoris larvam assumit! o inhumanam humanitatem! Potuit istud venumdari & dari pauperibus. Amorem pauperum vendit Judas, & ipsam misericordiæ erga pauperes speciem negotiatur. At Salvatoris æquanimitas nihil ideo remissa est, ut etiam cum parricida manum extenderet. Una cum proditore comedebat, ut illi propositi sui pudorem adserret. Panem porrigit, interfectoremque nutrit: ac novum Testamentum in mensa perscribens, proditorem nequaquam privat hæreditate: ac dum Testamentũ tradit, eum qui se mox traditurus est a sua parte non abigit. Sed fors illa nequaquam mores ejus, nec honor sententiam mutavit. Nam simul atque buccellam accepit, intravit Satanas in ipsum. Judæ propositũ erat diaboli invitatio. Non enim modo ingressus est, sed invenit animæ diversorium: invenit mentem sibi ad habitandum accommodam, invenit eam scopis mundatã: invenit desideratum sibi affectum, nec domum aversatus est: invenit telum, quo usus, aciem instrueret.

3. Quid vultis mihi dare? Diabolus cum Dominum *Math. 4. 9.* tentaret, ait: *Hæc omnia tibi dabo*. Nunc autem clamat Judas: Quid vultis mihi dare? O verborum morumque adfinitatem! o consensus cum diabolo, jam olim meditatus! Non ait quid potestis mihi dare? Dominum quasi vili pretio cedendũ proponit: quasi nullius pretii esset, paciscitur de eo qui nullo pretio æstimatur. Quidni tantumdem accipis quantum tradis, o Juda? In memoriã revoca miracula ejus quem venditurus es, atque tunc justo pretio miraculorũ auctorem nundinare. Leprosũ adi, atque ab illo edisce quanti sit curatio. Interroga cæcos, quanti curationem æstiment suam. Sciscitare a Lazaro, quanti æstimandum sit, quod mortem ille evaserit. Exquire a Paralytico, quẽ diu morbus in lecto vinctum detinuerat: perpende mihi subitas illas in eremo adpositas mensas. Æstima ambulationem supra fluctus, increpationes mari ac ventis factas: considera liberatos dæmoniacos. Horum immemor omnium, non tecum reputas quem vendas.

Mat. 26. 9. 4. *At illi constituerunt ei triginta argenteos*. O venditionem, quæ vendito in emtores imperium conciliat! Venditus quippe Dominus emtorum possessor effectus est. Merito igitur clamabat Christus: *Mat. 23. 32.* *Implete mensuram Patrum vestrorum*; si quid majorum vestrorum, o Judæi, deficit sceleribus. Illi Prophetas occiderunt, vos a Prophetis prænuntiatum occiditis. Viros illi ad se missos confoderunt, vos autem eum qui Prophetas mittit. Servos illi, vos Dominum interficitis. Sacerdotes illi trucidabant, vos Templum solvistis. Graviora prioribus hæc posteriora sunt. Trajecto mare ingratus deprehensus es: Manna nutritus, Ægypti vitulum adorasti: accepta lege, Legis latorem transgressionibus contumelia adficis. Cessit petra virgæ Mosis, at mores tui ad pietatem flecti nequeunt. In prœlio vicisti, nec cælestem nosti ducem. Sistebatur solis cursus, victoriæ prævium signum tibi factus, tu filiorum cædes in sacrificium pro actione gratiarum offerebas idolis. Semper Judæus sanguine enutritus, Prophetarum cædes suscipit: atque eorum sanguine paulatim irrigatus, ad iniquitatis fastigium hodie prorumpit? Quis igitur illis iniquitatis fructus? *Ecce relinquetur domus vestra deserta*. *Mat. 23. 38.* Dedita est ad supplicium illa natio: quamdiu enim spem curationis morbus subindicat, lenibus tamdiu remediis Medicus a morbo recreare studet: ubi vero nulla residua spes medelæ, membrum abscinditur.

5. Post paulum temporis, aderat Judas post venditionem lætus, quemadmodũ institor quidam, merciũ suarum onere deposito; aderat osculo armatus; aderat venditum a se virum indicaturus. Quid ergo ad Judam Dominus? Avaritia ceu ebrietate submersum expergefacit his verbis: *Osculo filium hominis tradis?* *Luc. 22. 48.* Itane osculari edoctus es? Dic mihi, hæccine lex charitatis a me tibi tradita? O sanguine plenum osculum! o bellum osculo coloratum! o osculum quod mortis morsus efficitur! o osculum venenum aspidũ eructans! Quod ad caritatem didicisti, eo ad fraudem usus es? Video clavos in ore tuo: quid celas opus tuum? Crucem exspecto. His Judas compellatus est. Petrus autem, amorem suum juramento adfirmabat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. *Mat. 26. 35.* Ebrius amore, contra mortem fit audacior: non ille naturæ infirmitate verba metitur sua: non cogitat loquentis veracitatem, sed contradicendo sese jactat. Quid ergo Dominus? Nulla mihi ad victoriam verborũ necessitas. Jactantiam tuam gallus coarguet: ipse Domini verborum assertor erit: ille cantando verborum tuorum venditationi obsistet. Verba ejusmodi res ipsa consequuta est. Loquitur puella, & Apostolorum coryphæus turbatur, Petrusque coarguitur. Puella loquitur, & petra tempestate movetur. Puella susurrat, & Petrus negat. Sperabat Petrus sibi juranti fidem habituram puellam; sed avis juramenta non admittit; voce sua juranti os obturat: Apostolicam non veretur dignitatem: veneratur quippe Domini prædictionem. *Priusquam gallus cantet, ter me negabis*. *Mat. 26. 34.* Accepi, o Petre, accusandi tempus condictum. Licet tacere nolim, clamare tamen non valeo. O verba quæ quasi fluctus Petro visa sunt! Quem fluctus veriti sunt, eum traduxit gallus. Nam ubi Dominus imperat, ibi mare conservis famulatur. Ubi Dominus repugnat, ibi armantur ipsi galli. Omnia quippe opificis nutum sequuntur. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: & post: *Non novi hominem*. *Mat. 26. 72.* Vide, timoris amorisque complicatas voces. Non noras, Petre, Dominum? An igitur & Dominus Petrum non novit? O metum qui vincit amorem! Considera mihi illam Petri formidinem, ut edifcas, quisnam sit qui dat fiduciam. Arguatur natura, ut appareat gratia: exhibeatur infirmitas, ut appareat virtutis auctor, cui gloria & imperium & nunc & in sæcula sæculorum. amen.

IN SERMONEM SEQUENTEM
MONITUM.

Sermo in Parasceven antiquum est opus: nam in Codicibus annorum plusquam octingentorum legitur. Minime tamen Athanasio adscribendus, stylus enim Athanasiano absimilis plane est. Nam licet hoc opusculum aliquam præferat elegantiæ speciem, at minime nativam: sed tropis, figuris, exclamationibus ad κακοζηλίαν usque redundantem. In nullis etiam Athanasii operum collectionibus manuscriptis locum habuit, quod sciamus. Quare inter spuria merito ablegatur.

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Sermo in Passionem Domini in Parasceve.

1. MAGNUM quidem opificium est cælum, ac primum omnium quæ sub adspectum cadunt creaturarum, a Deo vneatum ut esset. Magnum item quidpiam & admirandum est Angelorum natura, ornamentis invisibilibus coronata. Cum his quæ diximus sol contendit, qui diurnis lucis facibus cinctus, cælestem concitat cursum. Mentem obstupefacit terra, jussu Dei suspensa, ac grave hoc elementum aquis invectum. Quid de mari dixeris, ita explicato, arena cincto, ventis gubernato? Sed hæc omnia quidem pulcra, immo admodum pulcra sunt creatricis sapientiæ opificia; sed eorum pulcritudinem deturpavit homo, ac honoris allati exuberantia, honoratis pridem contumeliam irrogavit. Res enim creatas supra modum admiratione prosequutus, iis quæ ante in honore erant dedecus infudit. Sic invita creatura erroris mater fuit. Sed errabundam miseratus Dominus, crucē in medium adtulit, hominibus cognitionis Dei, ipsis creaturis validius, instrumentum. Inefficax itaque cælum fuit ad impietatem corrigendam. Adoratus sol pudore quidem adfectus est, nec valuit tamen adoratores prohibere. Terra corpori quidem medicamenta profert, sed ægrotanti animæ opem ferre nequit. Mare huic malo curando impar deprehendebatur. Cæcus homo circuibat creaturam, & in quod palpitando incidebat, illud adorabat: Deumque non poterat invenire, utpote quem tota creaturarum turba Deum prædicans, ad unius Dei doctrinam deducere non valeret. Sed quod cælum nequibat, hoc crux efficere potuit: quem sol non docuit, crux refulgens illuminavit: vile lignum plantatum, impietati deditum orbem ad pietatem excoluit. Lignum damnationis instrumentum, damnatis libertatem conciliavit. Invalida ad salutem hominum erat creatura: ingressa crux ut medicus apparuit. Quia enim mors ligno tamquam baculo olim usa, radicem humanam oppugnarat, viamque ad sese insinuandam invenerat, transgressionem scilicet illam per cibum vetitum; aperta tunc morti via, consequebatur eam genus humanum, & qui participes erant naturæ (humanæ) hæredes iidem fuere supplicii. At Deus plastes ille figmenti misertus sui, lignum naturæ, oppositum scilicet ligno medicamentum, largitus est: passionemque induxit, passioni medelam: & mortem quæ tunc obtinebat, per aliam mortem a se armis instructam debellavit. Ac rursum liber homo, quibus rebus ad mortem fuit alligatus, iis immortalitatē invenit: quibus enim damnatus iisdem liberatus est.

2. O divinam vere sapientiam, cælestemque machinam! Crux defixa fuit, & idolorum cultus eversus: Crux excitata, & diabolica potestas damnata fuit: Crux defixa fuit, & Judæorum superbia in ruinam versa est; ut ediscas non simpliciter lignum tot miraculorum esse causam, sed eum qui ligno ad victoriam est usus. Non enim per se passio est salutaris, sed ille salutaris est qui per passionem salutem voluit dispensare. Tibi quidem mors fit a morte redemtio; sed rerum naturam commutavit qui naturæ terminos defixit. Crux, passio, lancea, clavi, & mors; hæc, inquam, immortalis vitæ fiunt incunabula: his secundus homo ad vitam progenitus est. Quibus primus Adam condemnatus est, iisdem secundus Adam est liberatus: per quæ initium hominum decidit, per ea primitiæ hominum exaltatæ sunt. Hodie herus ac Dominus noster reus agitur, & ex tribunali ad tribunal ducitur: Caiphas profert sententiam, Pilatus judicii calculum excipit. Nec recusat judicium Christus, ut mundi condemnationem aboleat.

3. O stupenda miracula! mortis damnationem Christus accipit, & mox Barrabas solvitur. In ipso statim exordio Crux damnatis largitur libertatem. Ne mihi namque Judæorum malitiam respice: nec quod benefactorem condemnent, homicidamque illi anteponant; sed potius animadverte condemnationis initium, damnatorum liberationis initium fuisse. Quoniam qui reorum damnationem in se suscepit, jure vivorum simul & mortuorum judex declaratur: *Eo quod* (Act. 17. 31.) *statuit diem, in quo judicaturus est Deus orbem in justitia, in viro in quo statuit Deus, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Judæi porro omissis aliis mortis generibus, crucem elegerunt, una supplicii, ac dedecoris instrumento excogitato: & maledictum legis, morti per lignum illatæ conjungunt, rati se ita gravitatem mortis augere. Ignorabant porro se Crucem in gloriosum victorię symbolum adornare: neque his contenti, mortis ejus consortes etiam latrones esse compellunt, ut mortis consortium, exitui ejus dedecori esset. Ignorabant porro se cum Christo latronem crucifigentes, præconem regni illius qui crucifigebatur constituere: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* (Luc. 23. 42.) Tanquam latro cruci adfixus es, & Euangelistæ munus exhibes? Ut Regem honoras eum, quem ut inhonorares constitutus fueras? *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Quid ais, o Latro? Ignoras quæ tute pateris? Oblitus es clavorum & non sentis cruciatus? Itane supplicas, ac si in Templo orares, nec in ligno penderes? Vidi, inquit, verum Deum, & supplicare desideravi. Ex inscriptione dignitatem agnovi. Vidi condemnationem regnum ipsius annuntiantem. Vidi in accusatione diadematis gratiam refulgentem. Nam si dum crucifigitur regnat, quis erit cum

coro-

coronabitur? Regnum ejus, creaturæ manifestant. Sol videt crucifixum, nec lucere audet: lucem adimit crucifigentibus, ut pro Domino pugnet: inexpectata nocte Judæorum damnat iniquitatem. Concussa terra turbatur; ac motu suo præcipitat eos qui Dominum suspenderent. Quo pacto non crederem? Contumeliis adfectum illum esse Regem clamat ipse titulus. Creaturæ testificantur. Quæ in litteris lego, ea ipsa rebus comprobari video. *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.*

4. O Latro acerbe Judæorum accusator! O Latro justitiæ advocate! O Latro Regni mercator! O Latro Paradisi custos! O Latro Adamo circa creaturas longe firmior! O Latro proavo circa Paradisum constantior! Manu ille importune ad lignum extensa, mortem invexit in mundum: tu opportune explicatis in cruce manibus perditum recuperasti Paradisum. O Latro, qui amissam avitam hæreditatem, uno felici casu recuperasti! O Latro qui primus regni confessionem adeptus es! O Latro Regni confessor & hæres, Martyrum imitator! O Latro, qui pusillo verbo cælum aperuisti! O Latro qui mirum incantamentum ad mirum thesaurum comparandum adhibuisti! O Latro qui cælum velut Crucis appendix effecisti! O Latro legitimi latrocinii hominibus doctor! O Latro qui laudabile doces latrocinium! O Latro qui homines docuisti quo pacto Regnum furto abriperent! O Latro furti doctor, maxime grati illi a quo res aufertur! O Latro qui magnum furti mercedem conscripsisti! O Latro qui magnum confessionis fructum ostendisti! O Latro, qui tarde credidisti, & cito confessus es: postremus venisti & primus es coronatus! O Latro, qui celerrimam fidei efficaciam exhibuisti! O Latro, qui fidei partum edocuisti, qui tempore minime eget ad fœtum edendum! O Latro, acerbe Judæ accusator! O Latro, qui proditori ipso laqueo gravior visus es! O Latro, qui Judæ proditionem contra diabolum imitatus es! O Latro, qui mire ejus arte usus es contra illum! O Latro, qui juste Christum emisti, & testem possessionis crucem adduxisti! O Petri commilito & Apostolorum symmysta!

5. Crucem porro excepit sepulcrum, expers hactenus sepulturæ. O sepulcrum immortalitatis locus! O sepulcrum resurrectionis officina! O sepulcrum sepulcrorum destructio! O sepulcrum in quo mors, mors esse definit! O sepulcrum in quo oritur vita quæ termino caret! Probe, sepulcrum novum: nempe fuit hoc divinæ gratiæ consilium. Siquidem ne cadaverum multitudo dubium redderet resurgentem, neve Judæus hinc calumniæ occasionem arriperet, vacuum cadaveribus sepulcrum conspicitur, quod Judaicam linguam coerceat, ac tantum non Judæos ita compellat: Quid ais sycophanta? Mortuum alium non vides: resurgentem igitur adora: contemplare illum resuscitatum ejusque dominium agnosce: quem mihi mortuum tradideras, immortalem tibi reddo. Sed id minime Judæo satis fuit: addidit enim sepulcro signaculum. Miser, imo miserrime: qui mortis dolores solvit, annon solvet signacula? Qui infernum diripuit, an signacula reformidabit? Obsigna sepulcrum, signa lapidem, milites statue, sepulcrum obside. Præstitiorem a me gestam rem efficies: resurrectionis spectatores adornas, testes resurrectionis adfers miraculorum meorum præcones, ministros scilicet tuos, præparas.

6. Agite ergo, fratres, exspectemus sepulcri partus. Videamus Joseph dona ferentem, Nicodemumque ipsi concurrentem, sindone munda, pannis & sudario Dominum universi obvolventes, myrrham & aloen immortalitatis symbola adferentes. Adspiciamus resurrectionem quasi uterum gestantem. Videamus sepulcri uterum resurrectionis matrem. Exspectemus visuri Dominum cum tropæo ex sepulcro resurgentem, & victoriam de sepulcro & de tyranno reportantem. Itaque læti ad lætum Christum resurgentem accedamus. Illum enim decet omnis gloria, honor, adoratio cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

IN SEQUENTEM HOMILIAM
ADMONITIO.

HANC *publicam fecit Holsteinius, Athanasioque abjudicandam putavit, nec injuria: est enim ineptissimi hominis fœtus, ut primo adspectu æstimabit eruditus Lector: atque post Iconomachorum hæresim conscripta videtur ex iis quæ de Imaginibus sub finem habentur. Quæ etiamsi ut arbitratus est Combefisius p. 564. possent ante Iconoclastarum ætatem scripta fuisse, ægre tamen tempore Athanasii scripta concedantur.*

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

In sanctos Patres & Prophetas, & in admodum venerandam Ecclesiam, atque in Psalmum 34. Homilia.

1. FIDES quæ ducit ad viam cognitionis Dei, & ad probum * incomprehensibileque vitæ institutum, non recentis est initii, ut ajunt impii illi sceleratique Judæi: sed jam olim a sanctis piisque Patribus, Abel dico, Enoch, Noe, Abraham, aliisque omnibus justis viris orta est. Quod sane conspicuum est ex iis quæ loquitur Paulus, vas electionis, vas unguentarium, & columna veritatis, qui hæc ipsissima scribit verba: Fide Abelis plurimam hostiam quam a Caino, accepit Deus, unde etiam vivit in æternum. Fide Enoch, Deo acceptus translatus est in Paradisum, cum non vidisset communem naturæ mortem. Fide Noe construxit arcam in salutem domus suæ: typum gerentem inenarrabilis Ecclesiæ, habentem binas ternasque contignationes, invocationem scilicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Fide Abraham egressus e regione Chaldæorum, habitavit in terra promissionis, acceptarus cælestem civitatem, supernam Jerusalem, matrem primogenitorum, cujus artifex & conditor solus Deus. Fide Isaac cum offerretur ad altare,

* Holsteinius vertit, irreprehensibile.

Hebr. 11. sed non ad verbum.

IN SERMONEM SEQUENTEM
MONITUM.

Sermo in Parasceven antiquum est opus: nam in Codicibus annorum plusquam octingentorum legitur. Minime tamen Athanasio adscribendus, stylus enim Athanasiano absimilis plane est. Nam licet hoc opusculum aliquam præferat elegantiæ speciem, at minime nativam: sed tropis, figuris, exclamationibus ad κακοζηλίας usque redundantem. In nullis etiam Athanasii operum collectionibus manuscriptis locum habuit, quod sciamus. Quare inter spuria merito ablegatur.

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Sermo in Passionem Domini in Parasceve.

1. Magnum quidem opificium est cælum, ac primum omnium quæ sub adspectum cadunt creaturarum, a Deo vocatum ut esset. Magnum item quidpiam & admirandum est Angelorum natura, ornamentis invisibilibus coronata. Cum his quæ diximus sol contendit, qui diurnis lucis facibus cinctus, cælestem concitat cursum. Mentem obstupefacit terra, jussu Dei suspensa, ac grave hoc elementum aquis invectum. Quid de mari dixeris, ita explicato, arena cincto, ventis gubernato? Sed hæc omnia quidem pulcra, immo admodum pulcra sunt creatricis sapientiæ opificia; sed eorum pulcritudinem deturpavit homo, ac honoris allati exuberantia, honoratis pridem contumeliam irrogavit. Res enim creatas supra modum admiratione prosequutus, iis quæ ante in honore erant dedecus infudit. Sic invita creatura erroris mater fuit. Sed errabundam miseratus Dominus, crucē in medium adtulit, hominibus cognitionis Dei, ipsis creaturis validius, instrumentum. Inefficax itaque cælum fuit ad impietatem corrigendam. Adoratus sol pudore quidem adfectus est, nec valuit tamen adoratores prohibere. Terra corpori quidem medicamenta profert, sed ægrotanti animæ opem ferre nequit. Mare huic malo curando impar deprehendebatur. Cæcus homo circuibat creaturam, & in quod palpitando incidebat, illud adorabat: Deumque non poterat invenire, utpote quem tota creaturarum turba Deum prædicans, ad unius Dei doctrinam deducere non valeret. Sed quod cælum nequibat, hoc crux efficere potuit: quem sol non docuit, crux refulgens illuminavit: vile lignum plantatum, impietati deditum orbem ad pietatem excoluit. Lignum damnationis instrumentum, damnatis libertatem conciliavit. Invalida ad salutem hominum erat creatura: ingressa crux ut medicus apparuit. Quia enim mors ligno tamquam baculo olim usa, radicem humanam oppugnarat, viamque ad sese insinuandam invenerat, transgressionem scilicet illam per cibum vetitum; aperta tunc morti via, consequebatur eam genus humanum, & qui participes erant naturæ (humanæ) hæredes iidem fuere supplicii. At Deus plastes ille figmenti misertus sui, lignum naturæ, oppositum scilicet ligno medicamentum, largitus est: passionemque induxit, passioni medelam: & mortem quæ tunc obtinebat, per aliam mortem a se armis instructam debellavit. Ac rursum liber homo, quibus rebus ad mortem fuit alligatus, iis immortalitatē invenit: quibus enim damnatus iisdem liberatus est.

2. O divinam vere sapientiam, cælestemque machinam! Crux defixa fuit, & idolorum cultus eversus: Crux excitata, & diabolica potestas damnata fuit:
A Crux defixa fuit, & Judæorum superbia in ruinam versa est; ut ediscas non simpliciter lignum tot miraculorum esse causam, sed eum qui ligno ad victoriam est usus. Non enim per se passio est salutaris, sed ille salutaris est qui per passionem salutem voluit dispensare. Tibi quidem mors fit a morte redemtio; sed rerum naturam commutavit qui naturæ terminos defixit. Crux, passio, lancea, clavi, & mors; hæc, inquam, immortalis vitæ fiunt incunabula: his secundus homo ad vitam progenitus est. Quibus primus Adam condemnatus est, iisdem secundus Adam est liberatus: per quæ initium hominum decidit, per ea
B primitiæ hominum exaltatæ sunt. Hodie herus ac Dominus noster reus agitur, & ex tribunali ad tribunal ducitur: Caiphas profert sententiam, Pilatus judicii calculum excipit. Nec recusat judicium Christus, ut mundi condemnationem aboleat.

3. O stupenda miracula! mortis damnationem Christus accipit, & mox Barrabas solvitur. In ipso statim exordio Crux damnatis largitur libertatem. Ne mihi namque Judæorum malitiam respice: nec quod benefactorem condemnent, homicidamque illi anteponant; sed potius animadverte condemnationis initium, damnatorum liberationis initium fuisse. Quo-
C niam qui reorum damnationem in se suscepit, jure vivorum simul & mortuorum judex declaratur: *Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est Deus orbem in justitia, in viro in quo statuit Deus, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* (Act. 17. 31.) Judæi porro omissis aliis mortis generibus, crucem elegerunt, una supplicii, ac dedecoris instrumento excogitato: & maledictum legis, morti per lignum illatæ conjungunt, rati se ita gravitatem mortis augere. Ignorabant porro se Crucem in gloriosum victoriȩ symbolum adornare: neque his con-
D tenti, mortis ejus consortes etiam latrones esse compellunt, ut mortis consortium, exitui ejus dedecori esset. Ignorabant porro se cum Christo latronem crucifigentes, præconem regni illius qui crucifigebatur constituere: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* (Luc. 23. 42.) Tanquam latro cruci adfixus es, & Euangelistæ munus exhibes? Ut Regem honoras eum, quem ut inhonorares constitutus fueras? *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Quid ais, o Latro? I-
E gnoras quæ tute pateris? Oblitus es clavorum & nonlentis cruciatus? Itane supplicas, ac si in Templo orares, nec in ligno penderes? Vidi, inquit, verum Deum, & supplicare desideravi. Ex inscriptione dignitatem agnovi. Vidi condemnationem regnum ipsius annuntiantem. Vidi in accusatione diadematis gratiam refulgentem. Nam si dum crucifigitur regnat, quis erit cum

coronabitur? Regnum ejus, creaturæ manifestant. Sol videt crucifixum, nec lucere audet: lucem adimit crucifigentibus, ut pro Domino pugnet: inexpectata nocte Judæorum damnat iniquitatem. Concussa terra turbatur; ac motu suo præcipitat eos qui Dominum suspenderent. Quo pacto non crederem? Contumeliis adfectum illum esse Regem clamat ipse titulus. Creaturæ testificantur. Quæ in litteris lego, ea ipsa rebus comprobari video. *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.*

4. O Latro acerbe Judæorum accusator! O Latro justitiæ advocate! O Latro Regni mercator! O Latro Paradisi custos! O Latro Adamo circa creaturas longe firmior! O Latro proavo circa Paradisum constantior! Manu ille importune ad lignum extensa, mortem invexit in mundum: tu opportune explicatis in cruce maoibus perditum recuperasti Paradisum. O Latro, qui amissum avitam hæreditatem, uno felici casu recuperasti! O Latro qui primus regni confessionem adeptus es! O Latro Regni confessor & hæres, Martyrum imitator! O Latro, qui pusillo verbo cælum aperuisti! O Latro qui mirum iocantamentum ad mirum thesaurum comparandum adhibuisti! O Latro qui cælum velut Crucis appendix effecisti! O Latro legitimi latrocinii hominibus doctor! O Latro qui laudabile doces latrocinium! O Latro qui homines docuisti quo pacto Regnum furto abriperent! O Latro furti doctor, maxime grati illi a quo res aufertur! O Latro qui magnam furti mercedem conscripsisti! O Latro qui magnum confessionis fructum ostendisti! O Latro, qui tarde credidisti, & cito confessus es: postremus venisti & primus es coronatus! O Latro, qui celerrimam fidei efficaciam exhibuisti! O Latro, qui fidei partum edocuisti, qui tempore minime eget ad fœtum edendum! O Latro, acerbe Judæ accusator! O Latro, qui proditori ipso laqueo gravior visus es! O Latro, qui Judæ proditionem contra diabolum imitatus es! O Latro, qui mire ejus arte usus es contra illum! O Latro, qui juste

A Christum emisti, & testem possessionis crucem adduxisti! O Petri commilito & Apostolorum symmysta!

5. Crucem porro excepit sepulcrum, expers hactenus sepulturæ. O sepulcrum immortalitatis locus! O sepulcrum resurrectionis officina! O sepulcrum sepulcrorum destructio! O sepulcrum in quo mors, mors esse desinit! O sepulcrum io quo oritur vita quæ termino caret! Probe, sepulcrum novum: nempe fuit hoc divinæ gratiæ consilium. Siquidem ne cadaverum multitudo dubium redderet resurgentem, neve Judæus hinc calumniæ occasionem arriperet, vacuum cadaveribus sepulcrum conspicitur, quod Judaicam lin- B guam coerceat, ac tantum non Judæos ita compellat: Quid ais sycophanta? Mortuum alium non vides: resurgeotem igitur adora: contemplare illum resuscitatum ajusque dominium agnosce: quem mihi mortuum tradideras, immortalem tibi reddo. Sed id minime Judæo satis fuit: addidit enim sepulcro signaculum. Miser, imo miserrime: qui mortis dolores solvit, annoo solvet signacula? Qui infernum diripuit, an signacula reformidabit? Obsigna sepulcrum, signa lapidem, milites statue, sepulcrum obside. Præstantiorem a me gestam rem efficies: resurrectionis spectatores adornas, testes resurrectionis adfers: miraculorum C meorum præcones, ministros scilicet tuos, præparas.

6. Agite ergo, fratres, exspectemus sepulcri partus. Videamus Joseph dona ferentem, Nicodemumque ipsi concurrentem, sindone munda, pannis & sudario Dominum universi obvolventes, myrrham & aloen immortalitatis symbola adferentes. Adspiciamus resurrectionem quasi uterum gestantem. Videamus sepulcri uterum resurrectionis matrem. Exspectemus visuri Dominum cum tropæo ex sepulcro resurgentem, & victoriam de sepulcro & de D tyranno reportantem. Itaque læti ad lætum Christum resurgentem accedamus. Illum enim decet omnis gloria, honor, adoratio cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

IN SEQUENTEM HOMILIAM
ADMONITIO.

HANC *publicam fecit Holsteinius, Athanasioque abjudicandam putavit, nec injuria: est enim ineptissimi hominis fœtus, ut primo adspectu æstimabit eruditus Lector: atque post Iconomachorum hæresim conscripta videtur ex iis quæ de Imaginibus sub finem habentur. Quæ etiamsi ut arbitratus est Combefisius p. 564. possent ante Iconoclastarum ætatem scripta fuisse, ægre tamen tempore Athanasii scripta concedantur.*

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

In sanctos Patres & Prophetas, & in admodum venerandam Ecclesiam, atque in Psalmum 34. Homilia.

1. FIDES quæ ducit ad viam cognitionis Dei, & ad probum * incomprehensibileque vitæ institutum, non recentis est initii, ut ajunt impii illi sceleratique Judæi: sed jam olim a sanctis piisque Patribus, Abel dico, Enoch, Noe, Abraham, aliisque omnibus justis viris orta est. Quod sane conspicuum est ex iis quæ loquitur Paulus, vas electionis, vas unguentarium, & columna veritatis, qui hæc ipsissima scribit verba: Fide Abelis plurimam hostiam quam a Caino, accepit Deus, unde etiam vivit in æternum.

* Holsteinius vertit, *irreprehensibile.*

Hebr. 11. sed non ad verbum.

E Fide Enoch, Deo acceptus translatus est in Paradisum, cum non vidisset communem naturæ mortem. Fide Noe construxit arcam in salutem domus suæ: typum gerentem inenarrabilis Ecclesiæ, habentem binas ternasque contignationes, invocationem scilicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Fide Abraham egressus e regione Chaldæorum, habitavit in terra promissionis, accepturus cælestem civitatem, supernam Jerusalem, matrem primogenitorum, cujus artifex & conditor solus Deus. Fide Isaac cum offerretur ad altare,

re, non lacrymatus est, sciens se præfigurare agnum qui A
ablaturus eret peccatum mundi. Fide Jacob adoravit
summitatem virgæ suæ, manifestissime significans vi-
ctricem ac beatissimam crucem. Fide Joseph moriens,
mandavit filiis Israel de ossibus suis, ut ea ax Ægy-
pto auferrent, ne illa Ægyptii, quasi Deum, cole-
rent. Fide Rahab non periit una cum urbe Jericho,
susceptis cum pace exploratorlbus. Fide Moses cele-
bravit Pascha & effusionem sanguinis, ut & nos fide
Rom. 14. salutare Pascha celabremus, sine ulla hypocrisi, (*Omne
enim quod non est ex fide peccatum est*) ungentes san-
guine, non duos postes januarum, sed obsignantes a-
nimam & corpus; ut Pharao cum diabolo in maris ru- B
bri pelago submergatur. Nos autem novus Israel cum
Mose cantemus victoriæ canticum. Fide Prophetæ
vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, obtura-
verunt ora leonum, sapiens scilicet ille Daniel: ex-
stinxerunt impetum ignis, tres videlicet pueri, qui
flammam ignis rore mitiorem proculcarunt. Alii au-
tem distenti sunt, rotarum axibus membratim exagi-
tati, non admissa tyranni Antiochi adhortatione
illa, *Sacrificate & estote amici mei*, ut meliorem
invenirent resurrectionem. Lapidatus est ille re
atque nomine Stephanus, (id est, corona,) cu- C
jus capiti corona justitiæ imposita fuit. Serra sectus
fuit Esaias, verum celebratur in æternum. Gladio
cæsi mortui sunt Joannes & Jacobus: occisus fuit
Zacharias: circuierunt in melotis, Esaias & Elisæus,
in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti ab
insipientibus, manentes in speluncis & cavernis ter-
ræ, quibus dignus non erat universus mundus. Ipsi
enim digni erant, utpote religiosi ac pii viri.

2. Ait porro David lyra illa spiritualis, uti modo
Psalm. 34. audivimus ex Psalmo quem succinuere nobis: *Judica,
Domine, nocentes me: expugna impugnantes me.* Ve-
rum Deus id minime præstans ait illi: Vin' tu, o Da- D
vid, expugnari inimicos tuos? Cui David: Etiam,
Domine, & admodum cupio expugnari. Reponit U-
nigenitus: Si hæc inimici tui subeant, ubinam illa tua
injuriarum oblivio? Qui potes cum veritate psallere:
Psalm. 7. *Domine, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam
merito ab inimicis meis inanis?* Tum David: Immo,
Domine, hæc vere psallo. Sed secus si tu illos expugna-
veris; quia gesta tua universa ignota & incomprehen-
sibilia sunt; ita quippe mihi præcepisti: Ne temet ipse
vindicato: *Mihi vindicta, ego retribuam eis.* At Uni-
genitus: Ecqua ratione expugnatos oportet inimicos
tuos? causam dicito ac declarato. Tum David: Non E
est tibi opus, o Domine, interrogatione aut admoni-
tione, cum prævideas & cognoscas ea quę prævisionem
spectant, & quonam proposito futurus est qui nascitu-
rus est homo. Neque tu es ut aliquis ex principibus,
qui leges ignoret, & egeat consiliario aut assessore,
qui ad singula capita sententiam dicant. Tu namque
eumdem quem Pater thronum obtines, esque Legum
auctor, sapientium corrector, justitiæ largitor, affli-
ctorum defensor, & calumnia oppressorum vindex.
Susannam quippe a lascivis senibus insimulatam, a ca-
pitis sententia eruisti, misso ad defensionem sapiente
ac pecunia incorrupto oratore Daniele. Quoniam er- F
go omnium habes notitiam, & scis quoque qua ratio-
ne illos expugnandos oporteat; si tamen concedas, di-
cam: servus quippe clementiæ tuæ sum, & quidem
inutilis. Nec possum mandato repugnare tuo. Cui
Unigenitus: Concedo tibi, dic absque tremore ac li-
Psalm. 34. bere. Tum David: *Apprehende arma & scutum & ex-
surge in adjutorium mihi.* Ad hæc Unigenitus: Ecqua
arma vel quod scutum apprehendam? Quomodo ex-
surgam in adjutorium tibi? An arma illa, illudve scu-
tum apprehendam quod abstulisti ab alienigena Go-
liath quem in valle percussisti, me lapidem in ejus fa-

A ciem omni signo omnique illuminatione destitutam
dirigente? Sed tu probe nosti, nihil penitus mihi ejus-
modi armorum esse opus. Nam si vel spiritum cohi-
beam, moritur omnis caro quæ movetur super terram.
Cui David: Novi, Domine, tibi armorum ejusmodi
nihil esse opus, Rex cum sis fortis, omnipotens, qui-
cum pugnari nequeat, permanens in æternum. Sed ro-
go tuam incomparabilem bonitatem, ut apprehendas
arma & scutum, id est, humanam naturam atque pas-
sionem, & tertia die exsurgas in adjutorium mihi.
Respondit Unigenitus: Tu vero unde nosti hæc di-
vina & arcana mysteria, *in quæ desiderant Angeli pro-* 1. Petr. 1.
B *spicere?* Cui David: Eorum accepi notitiam a sancto
& Paracleto Spiritu. Cum hæc noris, dic num quid-
piam aliud habeas: Audiam enim te hac de re libenter
& æquo animo. David autem: *Dic animæ meæ, sa-* Psalm. 34. 3.
lus tua ego sum. Tum Unigenitus: Id tibi habes,
confide, salvam enim faciam animam tuam per in-
carnationem & passionem meam. Cui David: Ma-
gnam accepi fiduciam, & statim subdit: *Domine, quis
similis tibi?* Respondit Unigenitus: Pater. Quare
dico, *Qui vidit me, vidit & Patrem meum*: vade
in pace exspectans promissionum beatam spem.

C 3. His itaque absolutis, egressi Angeli Dei magna
voce clamarunt: Si quis alius eamdem quam Prophe-
tæ litem habeat, absque impedimento ingrediatur,
ac veritati patrocinetur. Ad quam jussionem intrat
Nabuthe Jesraelita: quem conspicatus Unigenitus, ait:
Quicum tibi lis est, aut cui dicam vis impingere? Quod
si tu ipse non potes causæ tuæ argumentum enarrare,
habesque advocatum, ingrediatur ille absque impedi-
mento, ac veritati tecum patrocinetur. Tum Nabu-
the: Etiam Domine, advocatum habeo æquissimum,
aurigam Heliam; dica autem mihi impingitur cum fal-
sis testibus. Quapropter orsus causam modo enarrabo
D meam: *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interro-* Psalm. 34. 10.
gabant me, adfirmantes me benedixisse Deum & Re-
gem. Quos percontatus Dominus ait: Dicite mihi rei
veritatem, quis vos coegit calumniam adversus servum
meum legisque cultorem conflare? Responderunt illi:
Achab & uxor ejus Jezabel. Tum Unigenitus: Esto
igitur Achab in bello veloci sagitta confossus in hepa-
te, aut potius in pulmone; qui injuste spiritum trahit ad
possessionis concupiscentiam. Jezabel autem projicia-
tur in aream domus, sitque illi canum sepulcrum.
Nabuthe vero pro ablata vinea, hæreditate accipiat
Paradisi voluptatem atque æternitatem.

E 4. Hac porro sententia in commentarios redacta,
ingreditur magna voce præditus ille Esaias excla-
mans: Domine, audi libenter & æquo animo. Tum
Unigenitus: Loquere adversus eum qui læsit te; cum
præsertim propheta sis tu, justus, spiritualis, aptusque
ad causæ tuæ argumentum proponendum. Cui Pro-
pheta: Dica est mihi cum Manasse, quia me divinum
a Deoque inspiratum verbum studiose atque impigre
prædicante, ille crudeliter & absque ulla misericor-
dia, me lignea serra occidit. Respondit Unigenitus:
Si id Manasses designavit, tradatur Chaldæis in ca-
ptivitatem, ludibrium & cædem: ut edisant Re-
F ges, Prophetas meos contumeliis non adficere aut
trucidare; sed honorare atque magni facere, consi-
derantes, quod per me omnis Rex regnet, & Po-
tentes scripto decernant justitiam. Tu quidem pro
terrena Jerusalem, cælestem primogenitorum ma-
trem habitato; ille vero locum, *ex quo fugit dolor* Esai. 35. 10.
& tristitia & gemitus.

5. Hac completa sententia, ingreditur admiran-
dus ille Jeremias, quem intuitus Unigenitus ait:
Quicum lis est tibi, aut quemnam vis in jus pro-
vocare? Jeremias autem: Lis est mihi cum Ju-
dæis, voloque judicio contendere coram te Domi-

ne,

ne, qui personam non accipis. Tum Unigenitus: Ecqua de re accusas contribules tuos? Cui Propheta: Accuso illos, quod retribuerint mihi pro bonis mala, pro beneficiis injurias. Me pro eorum sanitate atque salute deprecante, ipsi interea veneno me tollere moliebantur, occultantes illud magna fraude in pane meo. Tum Unigenitus: Quidnam illis fieri optas? Cui Propheta: Infer ipsis,
Prov. 17. 13. quod scriptum est in Proverbiis: *Qui reddit malum pro bono, non recedent mala de domo ejus.* Respondit Unigenitus: Absurdi nihil postulasti. Ecce non recedent mala de domo Judæorum, quæ est Jerusalem, donec a fundamentis desoletur. Tu porro in minime angusto Abrahæ sinu requiesce.

6. Hac autem absoluta sententia, ingreditur Zacharias Propheta exclamans: Domine, me quoque audias, quæso, libenter & æquo animo. Loquere, ait Unigenitus, adversus eos qui te injuria adfecere. Cui Zacharias: Qui me læserunt sunt Principes Sacerdotum, legisque Doctores. Quid illud est, ait Unigenitus, in quo te læserunt Principes Sacerdotum ac legis Doctores? Cui Zacharias: Occiderunt me inter Templum & Altare.
** Tertullianus Scorpiace.* * Sanguis porro meus in petra concretus est, in argumentum sanguinarii eorum consilii. Mactentur ergo
Hieronym. in Mat. c. 23. & ipsi, ait Unigenitus, sub Altari a Romanis: nam per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Et qua quisque mensura proximum suum mensus fuerit, eadem ipsa jure ipsi cælitus remetietur. Iis autem digna sceleribus suis patientibus, tu ad spiritualem sponsi thala-
Mat. 25. 23. mum intra, audiens a me optatissimā illā vocem: *Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

Matth. 2. 7. Absoluta ergo & hac sententia, ingrediuntur Infantes in Bethlehem cæsi, clamantes ac dicentes: Domine, nos etiam propter nomen tuum gladio occisi sumus ab impiissimo & scelesto Herode. Tum Unigenitus: Si propter me perutilem illam & sexcenties vita potiorem mortem sustinuistis, ne contristemini, probe scientes, eos qui mei causa moriuntur non morte detineri, vivunt enim in sæculum. Quapropter Herodem quidē jubeo novem insanabilibus subjici morbis, vos vero victoriosorum Martyrum choreis annumerari, cum ipsis victoriæ carmen modulaturos.

8. Omnium postrema ingreditur Ecclesia, quæ abnegari non potest; quam conspicatus Unigenitus ait: Tu vero quid habes, sponsa mea, immaculata filia, intemerata Virgo? Tum Ecclesia: Ærumnis premor,
Psal. 34. quare rogo, *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me.* Cui Unigenitus: Ecqua de causa impugnaris? Dicito mihi & declarato. Impugnor, inquit Ecclesia, Domine, ob exactam Euangelicorum dogmatum veritatem, atque celebrationem veri & immobilis Paschatis: & ob venerandam ac immaculatam tuam imaginem, quam deiferi mihi Apostoli tradiderunt, ut eam asservarem, veluti exemplum atque pignus tuæ in carne œconomiæ. Tum Unigenitus: Licet ea de causa impugneris, ne animum despondeas, nec mente aut animo defatigere. Illud enim manifestum est, scilicet, qui Pascha, aut immaculatam meam imaginem abnegaverit, & ego abnegabo eum coram cælesti Patre meo, & electis ejus Angelis. Qui vero contra *Exod. 25. 18.*
mecum una patitur ob Pascha, is conglorificabitur. Annon audisti quid præceperim Legislatori Mosi? Fac mihi duo Cherubim in Tabernaculo testimonii, ad *Matth. 22.*
præsignificandam imaginē meam. Et rursum cum me tentarent Judæi dicentes: *Magister, licetne censum dare Cæsari an non?* Dicebam autem ipsis: *Ostendite mihi numisma*, & dicam vobis. At illi obtulerunt mihi denarium, dixique illis: *Cujus est imago hæc & superscriptio?* Dicunt illi: *Cæsaris:* & respondi illis: *Reddite* *Matth. 17.*
ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et rursum ad Petrum: *Vade ad mare, & mitte hamum tuum, & eum piscem qui primus ascenderit, aperi os ejus, & invenies staterem; da illum pro me et pro te.* Hoc est da mundo meam & tuam imaginem. Nonne audisti monitorem tuum Paulum dicentem: *Si tamen compa-* *Rom. 8. 17.*
timur, ut & conglorificemur? Et ad Athenienses: *Per* *Act. 17. 22.*
omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim & videns simulacra vestra, inveni & aram inscriptam, Ignoto Deo: quem ergo vos ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis. Et ad Galatas: *O insensati Galatæ, quis* *Gal. 3.*
vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, atque crucifixus? Et ad Corinthios: *Si quis non adorat Dominum nostrum Jesum* *1. Cor. 16. 22.*
Christum, qui venit in carne, sit anathema, maran atha. Tu vero sponsa mea, hortare filios tuos ut in præceptis meis maneant, neque regum iras reformides, aut minas tyrannorum, fremitusve hæresiarcharum; aut ignem, gladium, feras, aut direptiones opum vel possessionum, domorumve aut similium. Quamcumque enim cladē decernent transgressores illi, eamdem sustinebunt: & quodcumque consilium inierint, ego dissipabo: habes enim a fundamentis firmam vivamque petram. Amen.

IN TRES SEQUENTES HOMILIAS ADMONITIO.

Tres sequentes Homiliæ tantam mutuo præferunt styli adfinitatem, ut ejusdem plane Scriptoris esse videantur. In codicibus porro quibusdam Athanasio adscribuntur, in nonnullis Basilio Seleuciensi. Et quidem tanta hic cum Athanasiano stylo occurrit discrepantia, ut quisquis eum vel primoribus labris adtigerit, basce illi Homilias abjudicare nihil cunctetur. Nam in Athanasio orationis genus plus habet nervorum, plus judicii, gravitatisque: hic autem stylus, elegans quidem, sed flosculis tropisque rhetoricis redundans: qui Basilio Seleuciensi adscribi verius possit quam Athanasio. Huc accedunt voces multæ apud Athanasium insuetæ, quales sunt illæ, αἰνδεία, & μεταμελεῖν pro, pœnitere, *& similes permultæ.*

Primam autem Homiliam de Paschate primum edidit P. Combefisius in Auctario suo. Secunda item de Paschate, in editione Parisiensi anni 1627. edita est, cura & studio Holsteinii cum interpretatione ejusdem. Postea vero emendatior prodiit in Auctario ejusdem Combefisii cum nova ejusdem interpretatione. Tertia de Ascensione Domini, primum publici juris facta est in Editione Commeliniana, interprete Joanne Lampadio, secundo cusa fuit in edit. Paris. ann. 1627. Tertium in Auctario Combefisii emendatior prodiit cum nova ejusdem Combefisii interpretatione.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Ejusdem Sermo in sanctum Pascha.

ETIAMSI linguis Angelorum inpræsentiarum uti A licet: etiamsi immortalibus mortalis natura vocibus instructa esset; vix auderet festi hujusce diei dona prædicare. Jam vero mortalis lingua, luteum instrumentum, quid dicat, quidve loquatur ea quæ ne tota quidem concors rerum netura, pro rei dignitate decantare valeat? Naturæ sane modum superant gratiæ dona. Pellitur mors ab homioibus: amittit infernus diuturnum illud imperium: genusque hominum peccati lege damnatum, gratiæ dono regnare docetur. Dominici itaque festi homo pręcipue ac primo ordine fructum percipit, ejusdemque gratiæ particeps est reliqua natura. B In hominis namque forma hodie tota rerum creatarum multitudo reformatur. Ita enim Paulus gratiæ Discipulus prædicavit: *Si qua in Christo nova creatura: vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.* (2. Cor. 5. 17.) Surrexit enim naturæ opifex; atque una voce omnia traxit ad novam creationem. Nam Salvatoris resurrectio, communis universorum est nova creatio. Quod ipse nobis Paulus annuntiat his verbis: *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei*, (Rom. 8. 21.) id est, corruptionem deponet, servitutem exuet, immortalitatem recipiet, ad meliorem transferetur sortem. C Homine siquidem ad immortalitatem renovato, omnis pariter creatura quæ ejus gratia producta fuit renovabitur.

2. Creavit enim Deus hanc magnam rerum universitatis urbem: solaque voce multa produxit: sola voce omnium substantiam extraxit, atque opificis sapientiæ suæ vim ostendit. Ac in creaturis velut in illustri templo suam imaginem, hominem scilicet quem creaverat erexit. Oportebat itaque ejus propria renovata imagine, ipsam imaginis domum una jam renovari. Horum nobis præsens solennitas sponsio est. D Ejus causa clamabat beatus Paulus: *Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* (1. Cor. 15. 53.) Respuet enim mortis legem corpus, immortalitatis floribus coronatum. Nec ullum reperiet locum corruptio, elucente incorruptione. O magnam rerum mutationem! o conversionem quæ præter spem accidit! o magnum luctum in magnam versum lætitiam! o gaudium calamitatem excipiens! Anget enim diei festi laudes, veteris novique Testamenti recordatio. Eramus quippe ante in Paradiso ex Dei erga homines benignitate, nullo labore partam possidentes voluptatem. E Accessit serpens effossor murorum, qui ejusmodi voluptatem abstulit, & quod genus expoliatum fuerat, reum egit, inventa ad mortem via, præcepti scilicet transgressione. Hinc infernus apertis foribus, hominum excepit genus: atque patiens natura, horrendam vidit prolis suæ mortem: ac partus labor, via effectus est ad sepulcrum. Eratque mors ex transgressione hæres facta, singulas ætates citra obicem abripiens; non embryoni parcens, non recentem partum respiciens, noo miserans ephebum, non relinquens juvenes, non reverita senes, non dans veniam peccatoribus; F nihil reverita justorum catalogum, non prophetis parcens, non prætermittens sacerdotem. Sed A adversum omnes explicabatur mortis sagena, quæ in quodcumque iocidebat abriperet.

3. Nullus erat tanti mali medicus; oullum allatum remedium, atque tot generationes quæ vitæ curriculum emensæ sunt, insatiabilem mortis ventrem non implevere. Ac tam gavis mali nulla lugentibus erat consolatio, sed desperatio medelæ, nisi Christus cruci adfixus, mortis tyrannidem, illa trium dierum totidemque noctium sepultura prostravisset, subversa diuturniore illa inferni regia: non jam primum ad benignitatem erga homines sese inclinans, neque ipse seipso propensior ad misericordiam factus, etiamsi nunc B revera resurrectionem exhibuit; sed jam olim mortem imperium obtinentem, resurrectionis umbris exterruit, regnumque inferni conturbavit, obscura quadam ratione generi humano spem tribuens incorruptionis; indicansque æquale fore tempus soluti inferni, tempori tyrannidis ejus. Ac mihi, quæso, perpende arcanam rerum œconomiam. Abel primus a morte detinetur. (Gen. 4. 8.) Qui morti dedit peccati occasionem, is naturæ dat adversus mortem vindictæ expetendæ argumentum. Nam si injuria detinetur, jure resurgit: mortuo namque peccatore, in jus vocata mors fortior C esset. Perniciosus autem inferno fuit ille adversus justos conatus: infirmum mortis vinculum, quod justum injuria obstrictum detineret. Si namque peccatum est regni mortis robur, qui necdum offendit, non illi obnoxius est. Quamobrem cum penes Deum esset Abelem neci subripere; id minime fecit, sed permisit cædem; ut justi sanguine plantata mors nullam haberet radicem. Quare Christus mundi causam agens, dicebat: *Nunc judicium est mundi hujus, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* (Joan. 12. 31.) Itaque jam olim per Christum prædicata est Abelis causa atque victoria. Paulum accipe mihi huic sententiæ patrocinan- D tem: *Et mortuus*, inquit, *Abel, adhuc loquitur: unde eum & in parabolam accipit*, (Hebr. 11. 4.) parabolam appellans similitudinem. Abelis quippe cædes judicii Christi typum gerit. Quare etiam post mortem loquitur, ac parricidam accusat. Nam vitæ adventus mortis vim superavit. Nequaquam cædes, ejus linguam clamantem cohibuit, neque sanguinis expostulationem præcidit; sed morte detenta lingua æternum clamat. Nequaquam naturæ in promtu fuisset sua defensio, si prior Adam raptus fuisset. Nam transgressionis pudor os illi obturaret. Abel prior decedens spem excitavit naturę.

4. Ad hæc occurrit Enoch, qui loci translatione (Gen. 5. 24.) E infernum effugit, ac probæ vitæ suæ gratia evasit mortem. Post hunc magnus ille Helias, neque ipse morti (3. Reg. 17. 22.) cedens, hospitæ mulieris mortuum filium morti abripuit, devicto per vim orationis mortis imperio, ac nova ex inferno ad vitam remigratione constituta. Post hæc Elisæus exortus est, qui duplicem pro simplici nactus gratiam, (4. Reg. 2. 10. 12. & 4. 34. & 13. 21.) Sunamitidis filium ex inferno ad vitam vi oratioois reduxit. Cum autem & ipse mortis retibus complicatus est, mortuus licet, infernũ tamen diripuit, fugato per solum corporis cootactũ mortuo, F ac tum per defunctum defunctus rapiebatur. Eratque mortuus Propheta morti noxius. Elisæo quippe mortuo, mortuorum numerus accessionem non habuit.

Nec

Nec inferno quidpiam lucri obvenit, quod justum A quasi prędam abripuisset. Hisce corruptione labentem naturam, resurrectionis typi muniebant: nec valebant Rom. 5. 14. tamen iis qui jam capti tenerentur opem ferre: *Sed regnavit mors ad Adam usque ad Mosem*, legis tempus habens in terminos imperii. At postquam Christus ex cælis apparuit, tum spes generis humani in opus processit: tum Dominica voce inferni claustra aperta sunt, ac mortuos colligatos reddebant sepulcra: tum vocatio facta, tum sepulcrum apertum est, ac Deo conjuncta humana natura, infernum perterruit. Hinc infernus adversus mortuorum raptorem inclamabat. Quid tu editum in Paradiso rescriptum evertis? quare chirographum adversus naturam conscriptum exscindis? Rescriptis jure editis adversus homines instructus sum. Gen. 3. 19. Habeo illud: *Terra es & in terram reverteris*; generis scilicet humani supplicium. Lugebat porro sigillatim abreptos mortuos. Ignorabat forte, Christum cum descenderet, mortuos universos libertate donaturum. Ne quis enim ultra in inferno vinctus remaneret, descendit ipse Christus in infernum: qui carne sua quam gestabat veluti esca usus contra infernum, deitatis autem virtute regiam ejus subvertens, brevi temporis spatio antiqua legis discidit chirographa, ut homines ad cælos adduceret; ad cælos, inquam, locum a morte liberum, incorruptionis diversorium, justitiæ officinam.

5. In hisce bonis tu, recens illuminate, baptizatus es: pignus tibi resurrectionis evasit, o recens illuminate, gratiæ initiatio: pignus tibi est baptisma futuræ in cælo vitę. Imitatus es per demersionem Domini sepulcrum. Sed inde rursum emersisti, visis resurrectionis operibus, ante opera alia. Quorum vidisti symbola, eorum rem ipsam accipe. Dicti testem sume tibi Paulum qui ait: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, etiam & resurrectionis erimus*. Rom. 6. 5. Pulcre illud, complantati: Baptisma quippe plantatio est ad immortalitatem, in piscina plantata, in cælo ferens fructum. Illic Spiritus gratia arcana ratione operatur: ac ne naturæ indole miraculum ignoraveris. Ad usum aqua ministrat, regenerationem autem operatur gratia, atque in piscina quasi in vulva, ei quod immittitur novam dat formam. In aqua quasi in fornace, B descendentem conflat. Immortalitatis mysteriis donat ipsum: resurrectionis tribuit signaculum. Horum tibi miraculorum, o recens illuminate, vestis ipsa fert symbola. Te ipse respice bonorum imagines ferentem. Splendida quidem ac fulgens illa vestis, incorruptionis tibi signa depingit. Candidum tibi linteum, instar diadematis adstringens caput, libertatem prædicat. Manus, victoriæ de diabolo reportatæ signa gerit. Nam te Christus suscitatum ostendit: nunc quidem symbolis, paulopost autem, rebus ipsis ostendet; si modo fidei tunicam peccatis non inquinemus: si gratiæ lampadem improbis C actionibus non extinxerimus: si spiritus servemus coronam. Tum clare Dominus de cęlo, terribili sed Mat. 25. 34. erga homines benigna voce clamabit: *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Ipsi gloria & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

In sanctum Pascha & in recens illuminatos, seu baptizatos, Sabbato in Albis, Sermo.

CHRISTUS resurgens ex mortuis, totam hominum vitam festum effecit unum. Translata quippe in cælum, hominum in terris degentium conversatione, festorum dierum occasiones dedit. Horum te- Philip. 3. 20. stis Paulus, cujus lingua Christi verborum organum fuit. *Nostra enim*, inquit, *conversatio in cælis est, unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum*. Quis enim dum exspectat, non spe festum celebrat? Quis Salvatoris adventum animo cogitans, non ipsum rerum experimentum cum gaudio antevertit? Quis futurum audiens mortalis Regis descensum, non sese mente erigit, animoque lætatur, adspectus illius tempus amore antevertens? Tum commoventur populi, exultant pueri, choreas agunt Virgines. Senes senectutem de medio tollere contendunt, ad juventutis florem spe reducti: regiique adventus celebritas omnia pervadit. Quid ergo quis dixerit, Christo immortali Rege adveniente, non ut urbes exornet, & turres erigat, neque ut dona tribuat, quæ temporis vitio adterantur; sed ut hominem immortalitate induat, & quem mors deprædata est, in securo loco, in cælo scilicet constituat?

2. Hodie iterum Christus post resurrectionem visus est discipulis, ac secunda illa apparitione, firmiorem effecit resurrectionis fidem. Visus autem est januis clausis; nam qui absque muro esse infernum ostenderat, januis ad ingressum non egebat. Ubi namque jubet Deus, ibi consuetudinis leges cessant. Supra mare prius ambulaverat, ac liquidum elementum carnis pedibus substernebatur, pedumque gressibus fluctus D metiebatur, pelagus ad usum ejus soli instar concreta est. Intravit Jesus januis clausis. Etiamsi cum resurrectio fuit, sepulcri lapis revolutus est, ac monumenti janua aperta fuit. Sed illic quidem declaratum est, quod visibili sepulcro accidit, idipsum inferno invisibiliter contigisse: atque aperto monumento, mortem esse multo magis januis expertem deprehensum fuit. Oportuit enim una cum inferno denudari sepulcrum, & cum visibilibus, inaspectabilia traduci. Hic autem clausis intrat januis; ut qui circa resurrectionem increduli essent, ad ingressum obstupescerent, ac miraculo ad miraculum velut manu ducerentur. Cum ergo E Christus resurrexisset, mulieribus antequam discipulis apparet. Ac mulieres Apostolis prædicarunt Christi resurrectionem, atque illud jure merito. Ita enim illatū a diabolo Evæ damnum in ipsū cedebat diabolū. Unde namque processit morbus, hinc medela progreditur. Unde orsa mors est, inde apparet resurrectio. Mulier namque transgressionis est causa, ac pręco resurrectionis; quæ primum Adamum ad lapsum induxit, secundum Adamum resurrexisse testatur.

3. Visus est itaque Christus Apostolis in ædicula occultis, atque ingressus est januis clausis. Thomas vero qui præsens non fuerat, incredulus & conspectū F desiderans, auditum non admittebat, aures claudebat, cupiens aperire oculos: desiderio vulneratus, cum voce feriretur: *Nisi mittam digitum meum in fixuram* Joan. 20. 25. *clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Insatiabilis adfectu Thomas fidem non adhibens, incredulitatem prætendit, ut fruatur conspectu.

ctu. Solvet, inquit, incredulitatem meam cum apparuerit: mittam digitum meum in fixuras clavorum: quem desidero Dominum complexabor. Redarguat incredulitatem, & conspectum largiatur. Ut incredulus videbo, sed ut fidelis complexabor, atque perfruar. Videam confossas manus, quibus Adæ manus prævaricatæ, sanitati sunt restitutæ. Videam latus, per quod mors de latere progressa sublata fuit. Spectator non auditor Domini esse volo. Narratione ad desiderium plus accendor: iis quæ annuntiatis, iisdem augetis dolorem. Medebor autem tristitiæ, ubi præ manibus fuerit medicina.

4. Sed iterum adest Dominus, atque una mœrorem Discipulo levat, & incredulitatem. At potius non levavit incredulitatem, sed desiderium explevit. Aderat januis clausis: incredibili conspectu non creditam resurrectionem confirmat: atque iterum miraculum geminat, ut Thomam certiorem faciat. Joan. 20. 27. *Infer*, inquit, *digitum tuum in fixuram clavorum*, quem absentem quærebas, eo nunc præsente fruere. Tui etiam tacentis novi desiderium ante verba prolata, sententiã novi tuam. Audivi verba tua, ac licet non apparerem, non credenti aderam: ac licet non viderer, dabam incredulitati tempus, ut desiderium mirarer tuum. *Infer*, inquit, *digitum tuum in fixuras clavorum, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis*. Thomas vero ubi contrectando incredulitatem depulisset, sincera fide divinoque incensus desiderio exclamavit: *Dominus meus & Deus meus*. Ait ad illum Dominus: *Quia vidisti me, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Resurrectionem, o Thoma, meam prædica iis qui non viderunt resurrectionem meam. Trahe terrarum orbem, non oculis, sed verbis credentem: circumeas Barbarorum gentes & civitates, doceas eos armorum loco, cruce ut lorica indui. Solummodo prædica, adorantesque illi credituri sunt, non mei conspectum a te postulabunt. Indica illis vocationem, ac vide fidem. *Beati*, enim revera, *qui non viderunt, & crediderunt*. Talis ille est recens delectus Domini exercitus; ita se habent spiritualis illius piscinæ partus, opera gratiæ, cultura Spiritus: non videntes obedierũt, sed desiderantes crediderunt. Christum cognoverunt, non corporis oculis, sed oculis fidei. Non miserunt digitos in fixuras clavorum, sed crucem complexi, passionem amplexati sunt: non fuerunt dominici lateris spectatores; sed per gratiam dominicis membris sunt conjuncti, confirmantes in semetipsis Domini vocem: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*: qui non viderunt, & Christo conjuncti sunt.

5. Hodie vestem quam gestatis exuitis; sed ne occultum sigillum deponatis: exuite externa symbola, sed ne militiæ tesseram deponite. Deponis amictum, o Christi miles, sed ne exuare fidei armis: jam tibi maxime omnis generis armatura opus est. Nunc enim multo magis quam ante hostis adversum te vigilat, atque ingravatum est bellum. Dum captivus eras, ac servus inimici, cum te sub imperio teneret, non curabat te oppugnare; at cum Christo nomen dedisti, atque ab hoste fugiens, ad Dominum adcurristi, & a lupo resiliens, ovili es aggregatus; te quasi antiquam prædam invadit, multis excogitatis dolis. Ad hæc nos castra beatus inungit & invitat Paulus, ducisque instar præcepta tradit: Ephes. 6. 12. *Non est nobis*, inquit, *colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus principatus & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum hujus seculi: contra spiritualia nequitiæ*. Viden' hostium agmen, ferventemque pugnam? Cujus ergo gratia bellum geritur? Quæ lucra pugnæ? Idem ipse dux subjungit: *in cælestibus*, id est, pro cælestibus possessionibus. Pro incorruptione armat, pro immutabilitate pugnat, ut cum Christo sit aciem instruit. Hæ siquidem sunt cælestes possessiones: has ille abripi exoptat. Non sinit te Paulus nudum dimicare, instruit te autem Patris armis. Et vide, quæso, armorum ejusmodi fulgur quam sit terribile inimicia; ait enim: Ephes. 6. 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis; super omnia assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere: & galeam salutis accipite; & gladium Spiritus, quod est verbum Dei*. Adversus invisibiles hostes, invisibilibus nos armis instruxit.

6. Talis quidem est armorum vis. Quod autem cum eo sit dimicandum, etiamsi id minime appareat, hac tu ratione perspice. Nam ipsum tentare Christum diabolus non dubitavit; sed extrema impudentia ipsum adortus est Dominum. Qui sua contra te molimina intermittet? Vidit Christum baptizatum (tu vero, o recens illuminate, observa hanc temporis occasionem) tumque tentandum illum aggreditur. Vidit in deserto esurientem, famemque ut instrumentum ad tentationem accepit, neque ipsam cibi necessitatem insidiis liberam reliquit; sed accedens his verbis tentat illum: Mat. 4. 3. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Tantum non ita loquens: Superbe agis quod Filius Dei voceris, nomine hallucinatus es. Nuda vacuaque appellatione gloriaris. Esurientem video, & filium Dei appellabo? Illa passione honor illegitimus evadit. Miraculo necessitati provide tuæ: jubenti lapides obsequantur, & nomini fidem habebo: revereantur illi jussionem, & miraculo consentiam, vocem illam admittam, & honorem approbabo: sed etiam ex Scriptura depromtis impetebatur verbis. Deuter. 8. 3. *Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Verum priore illa pugna pudore adfectus, secunda tentatione aggreditur: *Mitte te deorsum*, inquit, *scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Sed audivit iterum: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Nec secundo hoc lapsu obtnrpuit, sed spe victoriæ tertiam inducit machinam, qua in lapsum pelliciat. *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Viden' machinamentorum vim? Viden' fraudum apparatum?

7. Verũ fortasse autumas tria solum esse tentationũ genera, hujus numeri speciem sequutus Imoomne tentationum genus tribus hisce continetur; neque enim finem tentandi fecisset, nisi sagittis totam evacuasset pharetram. Omnia siquidem voluptatis machinamenta per cibi concupiscentiam obtulit, unoque impetu, appetituum omne genus concitavit. Cum dixit autem, *mitte te deorsum*, omnes arrogantiæ dolos admovit. Illud vero loquens: *Hæc omnia tibi dabo*; pessimam peccatorum proposuit radicem, avaritiam. Ex hac quippe una radice peccatorum omne genus emanat. Nullumque apud homines peccatum habet locum, quæ non inde procedat: aut enim voluptate vulnerat, vel gloriæ cupiditate ferit, aut pecuniarum amore ad scelera pertrahit. Telis ergo nudatus, jaculandi finem fecit: ac nudum machinamentis illum nobis Christus constituit, irritas ejus cuspides effecit: palamque factis ejus dolis, captu facilem nobis illum reddidit.

8. Dominicis ergo certaminibus victoriam reportemus. Pugnante Christo nostra nos tropæa erigamus. Ne inquinemus fidei tunicam, quam gratia contexuit: ne donũ contemnas quod a Deo accepisti: cogita quis dede-

dederit, datumque servato. Si margaritæ cujusdam aut regiæ purpuræ custos deputatus esses, nonne ad mortem usque ejus custodiæ curā exhiberes? At nunc non margaritæ tantum, neque purpuræ, vel pecuniarum solum regiarum cura tibi commissa; sed ipsum Domini corpus tibi concreditum est. Plus dico, ipse Dominicum corpus, membrumque Christi effectus es: Christum induisti secundum Pauli vocem: *Quicumque enim in Christo baptizati sunt Christum induerunt*. [Galat. 3. 27.] Ne sis membrorum Christi proditor. Factus es Spiritus sancti habitaculum, membrumque cælestis Regis. Donum ergo virtutibus honoremus: temperantiæ sectatores efficiamur, humanitatem exerceamus, eleemosynam largiamur: incredulitatis venenum excutiamus, dolum diabolo amicum aversemur: mendacium, inimici nostri organum, odio habeamus: Beatum imitemur Paulum, qui baptizatus illum prædicavit, quem ante baptismum persequebatur. Imitemur Æthiopiæ Eunuchum, qui accepto in via baptismate, via ipse credentibus Æthiopibus fuit. Multiplicemus gratiæ talentum, ut vocem illam desideratissimam audiamus Domini dicentis: *Euge serve bone & fidelis; super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*. [Mat. 25. 25.] Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Sermo in Assumtionem Domini nostri Jesu Christi.

1. RESURRECTIONIS memoria palma homines donat adversus mortem: at præsens solennitas hominem adducit ad cælum, commutatisque terræ mansionibus, cælum hominibus pervium efficit. Non decuit enim, humanum genus, quod mortem devicerat, terrena iterum incolere loca. Jam me revera subit magnus adversus diaboli tyrannidem animus, cum hodie video generis mei primitias in cælis regnare: nunc cecidit hostis robur, defecerunt diaboli machinationes. Non est hic ultra Paradisus, o diabole, non arboris voluptas quæ ad fraudem alliciat, ut rursum legis metu soluto, mortem stabilias. Non ulterius audio: *Terra es, & in terram reverteris;* sed, Etiam si terra es, ejus qui te sursum adducit clementia in cælum ascendes. Delictorum regionem defero, terram tibi concedo, in qua natus, in qua educatus sum, in cælum tua fraude liber transmigro. Satis olim tibi fuit arbor, qua Adamum expugnares, quando ligni fructu percussum primum parentem, paradisi voluptate eliminasti. Nunc autem etiamsi totam exhaurias pharetram, in temetipsum omnia jacis tela. Quorsum jam abiere tibi, o diabole, antiquæ fraudis machinamenta? Ubinam doli artifex ille serpens, qui Evam paradiso exigat, hæc dicendo: *Quacumque die comederitis, eritis sicut dii?* Bonorum mihi Propheta fuisti vel invitus. Quibus enim ad fraudem promissis usus es, eadem reipsa lucratus sum: promissionis phantasia, experimento mihi veritas fuit. O miracula incredibilia alienaque a natura! Quibus paradisus clausus fuit, iis cælum apertum est. Qui paulo ante coram Pilato Judice steterat, hodie in cælo Judex thronum occupat. Qui a Judæis irridebatur, ad dexteram Patris sedet super Cherubim & ab Angelorum turba hymnis celebratur. Cujus Judaicis spinis caput coronatum est, is divinæ dignitatis diademate redimitur. O quoties Davidis cithara sonans, hæc ex afflatu divino prædixit? [Psal. 109. 1.] *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Jam plane pulsationes ac soni illi res gestæ sunt: & quod olim in canticis videre concupivit, hodie completum vidit: fuitque cælum canticorum minister, cum eum qui apud cantorem memoratur, dorso suscepit suo: quamquam & ipso partus tempore, nascentem tum infantem per stellam cælum respexit: quasi ante tempus festinaret eum excipere qui in spelunca latebat. Sed oportebat œconomiæ tempora terminosque servari.

2. Et quidem mirari subit, quo pacto nostri generis infamiam in honorem converterit: quantam in nos Dei indignationem in quantam benevolentiam commutaverit. Nos manibus suis effinxit Deus, cibi sponte nascentis possessores constituit, voluptatis copiam, terræ ministerium dedit, aeris servitium, maris divitias præbuit, solis radios, lunæ fulgorem, astrorum influxus, animalium omnium obsequium. Per medium transiit hostis quidam, qui Deum invidiæ accusans, dolo persuasit. Ad illius partes deceptus ille transit, impietatis in Deum morbo laborat, pactum clam init contra Deum, contra Dei jussa manum extendit. Apparet Deus, iniquam spem confundit, fugit conspectum ejus generis nostri origo. depellit a se crimen, sub arbore absconditur, metuitque strepitum, quæ flagitiose de deitate cogitarat. Hominem itaque Deus sua dignitate spoliatum pellit ex Paradiso, tantumque non ita eum compellavit: Non ego ad hujusmodi spem te condidi; non ad eam spem te manibus meis effinxi, lutum transformans in hominis naturam. Tu vero quam a me accepisti manum, contra jussum meum extendisti, factusque es diaboli socius, una cum illo rebellis contra creatorem tuum. Proinde exi a dignitate tua: honorabili excede loco: terra es, & in terram reverteris: revertere ad illam, qui ea somniasti quæ te exsuperant; regrediatur natura, matrem disce terram, morte ad illam remittendus. Hæc sunt diabolicæ fraudis præmia, hæc principii generis nostri scientia, hoc miserabile drama, una cum natura nostra introivit. Sed non omnino sustinuit creator opificium suum ita attritum cernere; sed pudore & luctu afflictam naturam, necnon suam in creaturis errantem imaginem, miseratus est. Quid agit ergo? Fingit alterum Adam, exque natura, naturæ patronum excitavit; atque terram ex Virgine mutuatus, efformat in seipso ad veriorem imaginem novum fœtum. Effingit, atque manet, stolamque texens in utero, quasi in thalamo regio induit imaginem, ut imaginis nuditatem velaret. Eduxit enim illum fraude potentiorem & peccato superiorem, immortalem etiam post mortem, liberatorem ex sepulcris, qui in sepulcro fuit: atque immortalitate coronans ipsum, hodie in cælos transtulit, communem pulcritudinem creaturis tribuens, scilicet naturæ primitias.

3. An igitur, dixerit quispiam, qui tunc ira commotus erat creator, cum recens adhuc transgressio esset, imaginem exsecrabatur, & cum odisset sententiam, condemnavit naturam; nunc autem elapso tempore, deposita indignatione, animoque sedato, eum qui transgres-

gressus fuerat perhumaniter accipit? Nequaquam, neque enim illa prius gesta, ira; neque hæc, affectus pœnitentiæ largitus est; sed desuper respiciens, dat ordinem rebus. Videns enim damnatinne mortis prostratam naturam, & humanis doloribus paratum sepulcrum receptaculum, divitiasque inferni fore hominum prædam, ac quotidie mortem grassari; solvens comminationis aciem Deus, spem statim immortalitatis generi exhibet humano, raptoque ex mediis hominibus Enocho, mortem hominum superatam ostendit: docuitque mortalem naturam immortalitatis terminos accipere, atque tunc edidicit illa mortis cursum impedire: justique translatio, mortis cohibitin fuit. Id in medio luctu actum, naturam edocuit palinodiam canere, ac spem sumere meliorem. Ne autem iterum multi temporis decursus, memnriam miraculi illius nbliteraret, speique vestigia deleret, animi cnnsternationem augeret: neve mors hominibus horribilior appareret, miraculum repetit, dnnumque duplicat, adsuitque victor Helias adversus mortem vocatus; qui voce nubes percurrens, cælo interminatus est ne plueret, atque ligata verbo rerum natura, auriga elementorum factus est, contractis parva sua lingua creaturarum gubernaculis. Tum grande exhibetur miraculum, cælum reveretur hominem: nam ne hominis tenuitas sensum victnriæ de mnrte reportatæ suffuraretur, eum primo creaturis omnibus notum reddidit, ac tum ille ignitum conscendens currum, mirabili volatu & cursu, mortem infra relinquit: mutavitque naturæ legem dignitas gratiæ. Assumtus namque est Helias quasi in cælum, Scripturaque miraculum proclamavit, omnibus ipsum sæculis voce significans.

4. Jam tu mihi, dilecte, vncis accuratinnem attende, nec tibi lateant descriptæ syllabæ divitiæ atque virtus: neque dictionem prætercurrendo, Domino servum honnre parem existimes. Nnn enim in cælum Helias ascendit, neque firmamentum pervadens iis in locis habitat; sed audi quid dicat, qui sursum agit illum: *Cum autem elevaret Dominus Heliam, quasi in cælum:* & rursum hæc pauca: *Statuit Heliam in altum evectum.* Sufficit enim Prophetæ ut figura honoretur. Siquidem cælum non admittit servum ante Dominum: nam,
Joan. 3. 13. *nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit Filius hominis, qui est in cælo.* Reservabatur enim cælum hominum primitiis propter hominum conditnrem. Itaque Deus exemplo Enochi & Heliæ bona spe homines exhilaravit, quia homines cum essent, illis aeris cursum pervium reddidit. Neque tamen eo constitit, ut fidem daret iis quæ sunt supra naturam; sed quotidiano aspectu homines miraculo assuescere parat. Quid enim agit? Jubet scriptorem Mosem imaginem rerum creatarum depingere, & per tabernaculum imitari creatorem; ita ut terræ quidem ac terrenorum effigies sit, tabernaculi facies: interiora vero Tabernaculi, velis obducta (hominibus cæli quemdam ordinem occultum relinquens) parti cæli quæ non apparet adtribuit. Atque sic cæli terræque imaginem figuris adumbrari jubens, atque volens ut quæ in adyto erant, hnminibus inaccessa essent, snli Pnntifici secretnrum aperit ingressum: sicque efficit, ut ingressus Pontificis adscensus in cælum sit figura; ut tunc populi cælum videntes in figura apertum, & snlum Pontificem ad inaccessa penetrare audentem, spectaculn assuefierent, neque miraculis repugnarent. Hæc Judæis commemorans Paulus doctor orbis, scripto exclamat: *In priori quidem tabernaculo semper in-* Hebr. 9. 6.
troibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & pro populi ignorantia. Christus autem adveniens Ponti- vers. 11.
fex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis: neque per sanguinem taurorum & hircorum; sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta. Et rursum paucis interjectis: *Non enim in sancta* vers. 24.
manufacta introivit Christus, exemplaria verorum; sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

5. Ita novit Deus vel figuris confundere incredulos, & miraculis miracula cnnfirmare. Sic Christus adscendit in cælum: sic figuras ipsa veritate complevit. Oportebat igitur resurrectioni Salvatoris, adscensum adjungi, & victnrem inferni, cælum statim occupare. Sed ne celeritas sensum tolleret rerum gestarum, tempore quodam miracula vult imprimi in Apostnlorum mentibus per contemplationem; & assiduo oculorum adspectu animæ fidem insinuare. Convescitur cum discipulis, cibum sumit, licet eo minime indigeat: præbet corpus palpandum, atque veritatis testes non snlum nculos sed etiam digitos admittit. Diuturnitate igitur præsentiæ levat phantasiæ suspicinnem, ac quæ par erat de discessu suo cum Apostolis loquutus, discipulos adscensus sui testes admittit. Oportuit enim miraculnrum præcones, indubitatam ferre prædicatarum rerum notitiam. Elevabatur itaque Salvator, videbant inferius discipuli: nubes autem pedibus succurrens, vehiculum eo in cursu fuit. O inaudita miracula! Aer pervaditur, æther suscipit, Angeli accurrentes triumphalibus canticis concelebrant: spectaculo attonitos discipulos festum celebrare suadent: *Quid statis adspicientes in* Act. 1. 11.
cælum? Quid statis? miraculum prædicate per orbem, discessu adventum: *sic veniet, quemadmo-*
dum vidistis eum euntem in cælum. His auditis Ibid.
vocibus Paulus, vocis suæ tubas emittit, scriptis exclamans suis: *Nostra conversatio in cælis est,* Philip. 3. 20.
unde & Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum. His homines adjicit dicens: *Rapientur in nubibus in aera, in occursum Domini.* Etenim justi fulgebunt sicut splendor firmamenti. Ex dominica igitur Assumtione Salvatoris nostri & Domini & veri Dei Jesu Christi, simili spe lætificati dicamus illi: *Quam magnificata sunt opera* Psalm. 103. 24.
tua Domine! omnia in sapientia fecisti. Tibi gloria & imperium cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN ENCOMIUM IN SANCTUM ANDREAM.

HOC *Encomium nunc primo prodit in lucem ex schedis eruditissimi nobisque amicissimi viri Toinardi, quas ille sibi ab Hispania transmissas per Excellentissimum Domn. Gasparem de Mendoza & Segovia, Marchionem de Mondejar, nobiscum perhumaniter communicavit. Ad Athanasium porro minime pertinere judicabit quisquis Athanasianæ Orationis vel tantillum peritus fuerit. Non est enim ea dignitate, judicio, gravitate, quæ in veris elucent Athanasii operibus. Exstat hic Sermo in Codice Colbertino 847. tribuiturque Basilio Seleuciensi, cujus sane stylum magis refert quam Athanasianum. Codex autem est septingentorum circiter annorum.*

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Encomium in sanctum Andream Apostolum.

1. PRÆCLARUM videns Domini gregem, sa- A genamque Apostolicam, tranquillo ac nullis tempestatibus agitato pelago injectam, Dominicæ vocis recordor clamantis: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*. (Matth. 4.19.) O efficacem vocem! O verba rebus ipsis comprobata! O veracem promissionem in dies auctam! Cujusnam hæc tam copiosa hominum venatio? Quis illustrem hujusmodi coegit cœtum? Annon palam est inter Apostolos illustrem id præstitisse Andream? qui cum linguæ, tum memoriæ venabula explicavit; ut hac sacra impleta navicula, Apostolatus sui gubernaculis scapham dirigat B ad cælum. Ecquænam in venatione primas habent? Quænam laborum ejus primitiæ sunt? Qui sacerdotii ambitum virtutibus exornant. Qui primi Apostolicis hisce ulnis impositi sunt, & qui extra vagantes errantesque ad salutem venati sunt. Plane nobis præsentis celebritatis magnus ille Andreas occasiones dedit: sed totus Apostolorum chorus in partem honoris venit. Quos enim gratia conjunxit, non separat locus. Ac quemadmodum si quis coronam lapillis pretiosis coagmentatam laudare velit, quamcumque partem laudibus extollat, totum una cum parte illa miratur: C Aut quemadmodum si quis auream videns catenam, quacumque eam parte tangat, totam commovet; ita sermo de quovis Apostolorum factus, omnes plane spectat Apostolos, juxta divini Pauli vocem: *Si gaudet unum membrum, congaudent omnia membra*. (1. Cor. 12. 26.) Quam enim membrorum compagem ita natura colligavit, ut Apostolorum chorum Spiritus gratia copulavit? Nam una plane gratia est, quæ Apostolos ad militiam exercitumque Domini coegit.

2. Age ergo, omnes una, ac per omnes illos, singulos admiremur. Andreas qui ex Apostolica ἀνδρείᾳ, id est virtute, nomen sortitus est, qui primus Dominum sibi D magistrum adscripsit: Apostolici chori initium: qui ad adventum Domini perspiciendum acuta fuit oculorum acie: qui Joannis disciplinam, cum Christi doctrina commutavit: sigillum verborum Baptistæ. Erat enim discipulorum Joannis clarissimus; fulgore lucernę lucis veritatem perquirens, ac velut in subobscuris radiis, Christi splendoribus assuefactus. Sed hactenus Joannes Jordanis in fluentis stans, Judæorum greges baptizaverat, præceptis Moysis remedium levamenque in aquis præparans, scilicet pœnitentiam, Mosaicique gladii aciem fluctibus resecans. Quibus enim legis transgressio mortem pepererat, hos præreptos Ba- E ptista, pœnitentia pręmisit (ac pręparavit.) Quia enim nondum aderat qui mortem abrogaret, quadam ceu dilatione per baptismum obtenta, mors leniebatur, invitam erga homines clementiam per pœnitentiam edocta. Cum autem advenit Dominus œconomiæ sapientia absconditus, occultavit ipse quoque amictu mortali dignitatis splendorem. Cum id probe nosset Joannes se doctorem statim in satellitem convertit, contractaque manu, præsentis (Domini) præco factus est: *Ecce Agnus dei, qui tollit peccatum mundi*. (Joan. 1. 29.) Hic ait, est qui liberat a morte. Hic est qui tollit peccatum. Ego vero ut sponsi ductor, non ut sponsus missus sum. Satelles non Dominus veni.

3. Hisce verbis stimulatus Apostolorum clarissimus Andreas, magistro relicto, ad eum qui prædicabatur adcurrit: acceptoque verbi vexillo, Joannis lingua velocior efficitur: Dominumque adiens, ipso habitu desiderium exhibet, abducto secum cursus comite Joanne Euangelista: ambo lucerna relicta, ad solem properant. Andreas prima Apostolorum plantatio: hic disciplinæ Christi portas aperuit: primus propheticæ agriculturæ fructus decerpsit, omniumque spei præcurrens, prior eum quem omnes exspectabant complexus est. Primus B ostendit legis præcepta certo temporis spatio circumscripta esse. Primus Mosis linguam cohibuit, nec passus est ut post Christum ea loqueretur: non quod doctorem Judæorum contumelia adficeret, sed quod majore mittentem quam missum in honore haberet: imo prior visus est Mosem honorare, cum primus norit eum quem ille prædixerat: *Prophetam*, inquit, *suscitabit vobis Dominus Deus noster ex fratribus vestris sicut me: ipsum audite*. (Deut. 18. 15.) Legem recusat legi obsequens. Audivit Moysem dicentem: *Ipsum audite*: audivit Joannem clamantem: *Ecce Agnus Dei*; atque illo ostenso ad eum sponte accessit. C Cum cognosceret autem Prophetam illum prophetia prænuntiatum, fratrem secum adducit ut inquirat. Ignoranti Petro thesaurum ostendit: *Invenimus Messiam* quem desiderabamus. (Joan. 1. 41.) Cujus adventum speravimus, hujus conspectum occupemus. Invenimus eum quem Propheticæ clangentes tubæ exspectare jubebant. Tulit tempus, eum quem gratia prædicavit, quem amor se oculis visurum speravit. Nam invenit, inquit, fratrem suum Simonem, atque cum eo dividit hujus spectaculi thesaurum. Adducit Petrum ad Dominum. O stupendum miraculum! Nondum discipulus est Andreas, & hominum D ductor constituitur. A docendo discere incœpit: Apostolatus dignitatem rapit. Invenimus Messiam. O quot insomnibus ductis ad fluenta Jordanis noctibus, jam quem optabamus invenimus! Nequaquam fuit Petrus post eã vocem tardus: Andreę quippe frater erat, ac fervens proposito apertis auribus properabat.

4. Assumto Andreas Petro, Domino adducit naturæ & sanguinis consortem, ut disciplinæ participem efficeret. Hoc primum fuit præclarum Andreæ facinus. Auxit numerum Discipulorum, obtulit Petrum, ut inveniret Christus Discipulorum Coryphæum. Quare ubi deinceps Petrus præclare se gessit, ab An- E drea præclare gestorum semina nactus erat. Sed mutuo & æqualiter alterutrius laudes in alterum redundant. Propria enim utrique sunt alterius bona, ac alter alterius bonis gloriatur. Quantam porro omnibus lætitiam Petrus adtulit, cum sciscitanti Domino statim respondit, silentiumque discipulorum tum erubescentium ille solvit? *Quem me dicunt homines esse?* (Mat. 16. 13.) Tum quasi lingua ipse fuisset eorum qui interrogabantur, aut quasi omnes in ipso loquerentur, solus pro omnibus loquutus est: *Tu es Christus filius Dei vivi*, una voce & eum qui dispensabat, & dispensationem declarans. O verborum concentus! Quibus enim Andreas verbis in adducendo Petro est usus, iisdem Pater Petro inspiratis subscripsit. Dixit ille: *Invenimus*

Messiam. Pater ea exsuperans suggerit dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi*; tantum non isthæc Petro jubens: loquere Petre Andreæ voces, cum interrogaberis: appare magistro ad responsionem paratior. Non mentitus est tibi, cum dixit: *Invenimus Messiam*. Tu Hebraicam linguam, in Græcam vertens exclamato: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Viden' quantis Andreas sub ipsum disciplinæ exordium ornamentis decoretur?

5. Verum quando Salvator, relictis civitatibus, desertum circuibat, hominum turbæ una cum eo procedebant, ne ad breve quidem tempus ejus separationem ferentes. Desertus erat locus, cibi penuria, venterque non implebatur. At Salvator assumto antiquo illo deserti miraculo, idipsum renovavit: ac rursum miraculorum olim in deserto editorum, desertum testem effecit; convivatoresque protulit discipulos, & ad illas levis apparatus dapes turbas invitat. Apostolorum porro cœtum ejusmodi penuria turbabat, seseque mutuo respicientes, nec cogitantes id quod futurum erat, humanis ratiociniis fluctuabant. Alius discipulorum aliud proferebat, quo præsentem penuriam certam indicarent. Andreas vero eorum quæ suppeterent vilitatem paucitatemque commonstrans, miraculi occasiones, ignarus licet, Salvatori præbuit. Quid enim ait? Non sunt nisi quinque panes & pisciculi pauci. Quid igitur Salvator? Adferte mihi ipsa huc. Illaque paucitatis ciborũ confessio, magnæ bonorũ copiæ causa fuit.

6. Sed etiam ipse Dominus cum suam in terra commorationem perfecisset, atque sat temporis cum discipulis conversatus, in cælos ferebatur. Apostoli autem, diviso inter se terrarum orbe, ac corpore sejuncti, alius alium in locum gratiæ fluenta derivabat. Tum vero beatus iste Andreas cum Græciam simul & Barbarorum terras gratia implevisset, ac miraculis suis gentes in stuporem ac pudorem eductas ad fidem convertisset, ad pugnacissimam incredulitatis regionem, Achaiam dico, missus est. Ubi multis cælo per fidem adscriptis, unus cruci affigendus traditur: ac mortis ratione Dominum imitatur, ut passionis communione amoris vehementiam exhiberet. Crux itaque in media compingitur Græcia, suspenditur Andreas, cruce crucifixum prædicans, clavis clavorum veritatem confirmans, passione passionem testificans. Hoc autem invento mortalis vitæ suę termino, secundum immortalitatis initium, mortem scilicet invenit: atque per passionem suam efficaciorem doctrinæ suæ virtutem exhibuit. Nam quibus concionando veritatem non persuasit, hos occisus pudore adfectos convertit: quos sermone non traxit, passione quasi sagena cepit. Divisus enim in cælo & in terra inspicit hominum greges; corpore quidem in terra positus, anima vero cælum nactus: curationes autem ac miracula in terrenorum hominum gratiam edit. Ex ea porro agricultura præsentes spicę pullularunt: ex ejus doctrina, fidei floruere botri. Vosque pietatis doctores occurristis: qui Regni cælorum negotiatores estis, ad eũ qui in cælis admirationi est convenistis. Christi namque est illa beati Pauli vox: *Si sustineamus, & conregnabimus*. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

2. Tim. 2. 12.

Sermo sancti Athanasii Episcopi Alexandriæ.

Hunc Sermonem ex ms. Colbert. 5104 p. 302. transcripsimus: estque imperiti & inelegantis Scriptoris. Athanasii tamen præfert nomen in Colbertino, & in Anglic. quodam codice.

1. TRIA postulat Deus a Christiano, rectam fidem, veracitatem linguæ, & castitatem corporis. Ceteraque similiter observa. Primo nemini umquam obtrectes, nec obtrectantem audias. Sed si quando in obtrectantem incideris, fuge atque inde recede, sedeque domi ut ne illum auscultes, ibi peccata fleto tua: ut ne sis obtrectatori similis, atque ad æterna abeas supplicia, ad ignitos dracones,

A qui tuam corrodent linguam. Ait quippe Deus per Prophetam: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*; illud enim, *secreta*, id est, in abscondito, nec præsente homine. Quid porro est obtrectatio? Quod non potes coram illo dicere, sed a tergo maledicens profers, hoc est obtrectatio. Cave linguam cohibeas tuam ab obtrectatione, a malo quovis, ab omni juramento, & mendacio: neque umquam ausis per Deum, sive justa sive injusta de causa jurare. Nam qui jurat per Deum, is verbum Domini transgreditur dicentis: *Non jurabis omnino, neque per cælum neque per terram*: quia qui

Psal. 100. 5.

Mat. 5. 34.

B jurant, in æternum cum patre suo satana abeunt supplicium. Sed cavetote, fratres mei, linguam cohibeatis a juramento, a risu, a vana futilitate, ab intempestivo negotio, & ab omni mendacio: ac demũ sit vobis: Ita, ita; &, Non, non: si quid ulterius enim agatur, si juratur, id maligni est. Quod si accidat quempiam adversum te jurare, dic: *Veritatem dico & non mentior*, ac dimitte illum. Cum viris & mulieribus ne sedeas ut futilia loquare; ut in illa die inculpate Deo occurras, quando venturus est in throno gloriæ suæ. Tunc obtrectatorum dentes

Jacob. 5. 12.

1. Tim. 2. 7.

C ab immanibus Angelis conterentur. Tunc jurantium ora igne numquam exstinguendo obturabuntur. Tunc annuentium oculi ab immisericordibus & inclementibus Angelis exsculpentur. Tunc qui riserunt, amare flebunt. Tunc qui nugati sunt, miserabiliter congemiscent, ad igneum damnati fluvium, ad vermem numquam moriturum, ad atrocem infernum, ad tenebras exteriores, ad acerbum fletum, ad stridorem dentium, ad caminum non exstinguendum. Provide tibi ne ad illa supplicia damneris. Cave ne ob modicam voluptatem hujus mundi qui præterit, ad pœnas damneris æternas in sæculum sæculi duraturas,

D in illis tormentorum locis. Tu vero si vis salutem consequi, atque ingredi in regnum Dei, non autem ad æternum supplicium; serva quæ audis: vimque tibi infer eorum causa usque ad mortem, ut coroneris a Christo Deo, cum occulta omnia tum nocte tum die gesta perscrutabitur, quando futurum est ut nudi omnes & manifesti sistamur ante tribunal, quod horrendum sane est. Et alii quidem....

2. Audi demũ sive vir, sive mulier es, & observa quæ sancti tradiderunt Apostoli, ut una cum ipsis vespere fruamur; ad Ecclesiã concede, atque Deo confitere peccata tua quæ perpetrasti. Quod si res non bene processe-

E rit, neque propitius ille fuerit, ne ad opus accedas tuũ, quandoquidẽ non est benedictum; sin propitius fuerit, tunc opus adeas tuum, illud Deus benedicit, ne tibi malum accedat. Cum mane surrexeris, figuram venerandæ & vivificæ Crucis omnibus tuis facito membris, & dum ambulas, decumbis, surgis, semper dicito: Domine Jesu Christe, adjuva me. Quarta feria, & parasceve, seu feria sexta, jejuna. Aliis diebus, tui est arbitrii jejunare, vel non jejunare. Attamen par est ut mulieres semper jejunent. Illud vel sero tandem observato, diabolum scilicet iracundiam tibi immittere, ut succenseas & animã perdas tuam. Mansuetudinem Deus tibi

Locus intricatus.

F dederit, ut per mansuetudinem & eleemosynam salutem consequaris. Et observa quandonam a te diabolus fugiat, tum scilicet maxime cum viderit crucis typum in fronte, in ore & in corde tuo. Fuge quoque pugnas, jure an injuria suscitatas, ut ne perdas animam tuam. Scriptum est enim: *Vir iracundus & præceps suscitat pugnas*: Dominus autem Angelum immisericordem immittit illi. Ne injuriarum cujusquam hominis recordere: sed esto sine malitia ut infantes. Ait quippe Dominus in Euangeliis: *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Hinc ani-

Prov. 15. 18.

Mat. 18. 3.

animadverte, parvulos non pugnare, sed mutuo colloqui. Ab omni plane malitia excedamus. Demum, frater, imitator esto puerorum quoad malitiam, ut ab omni re mala libereris. Audi Apostolum sic loquentem: *Sol non occidat super iracundiam vestram*. (Ephes. 4. 26.) Loquacitatem nimiam odio habe, taciturnitatemque potius ama. In corde tuo orato, ac dicito: *Deus propitius esto mihi peccatori*. (Luc. 18. 13.) Odio item habe vini potationes, nimiumque cibum. Odio habe purificationes: saltationes & tragœdias fuge; hæc sunt quippe diaboli ludi. Vestimentorum cultum odio habeas, nec mollitiem dilexeris; sed potius humilitatem vilitatemque propter Deum; ut ideo te Christus & Deus noster induat stolam gloriæ, vestimentum incorruptionis, coronam pulcritudinis, diadema Regis; ut tum habeat anima tua fiduciam erga Deum, dicens: Domine ob sanctum A nomen tuum multis in hoc vano mundo egui, ut regnum acciperem tuum, eoque fruerer, mi Domine. Tum respondebit Dominus Christus: Si tu parum laborasti, multa præparavi tibi; sed intra in thalamum gloriæ meæ, atque ita fruere quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavi diligentibus me, atque amantibus nomen sanctum meum. (1. Cor. 2. 9.) Tum iis perfrueris cum choris sanctorum Angelorum, Archangelorum, Martyrum & omnium Sanctorum. Hæc dicet Dominus Christus iis qui propter nomeo B suum decertaverint, qui non juraverint, nec furati, fornicati, mentiti fuerint, qui non ad iracundiam vel tristitiam proximum provocarint, qui misericordiam erga pauperes exercuerint, qui non a proximis suis vultum averterint suum. Illi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN QUINQUE DIALOGOS SEQUENTES
ADMONITIO.

1. MULTUM *discrepant in horumce Dialogorum inscriptione codices: aliis Athanasio; Maximo autem aliis referentibus; aliis demum nemini adscribentibus. Sed prius quam quid nobis sit hac de re opinionis proferamus, audiendi sunt qui hosce Dialogos edidere. Hoc opus Græce & Latine publicum fecit Theodorus Beza, anno* 1570. *Typis & opera Henrici Stephani. Hinc Commeliniani ediderunt anno* 1600. *ac deinceps in omnibus Græco-Latinis editis cusum fuit. Demum Combefisius inter opera Maximi edidit, Maximoque pro facultate vindicavit. Qui prior vulgavit Theod. Beza hæc præfatur.*

Quinque istorum Dialogorum exemplar in vetustissimis membranis descriptum, divinitus potius quam casu a Græculo quodam hac transeunte redemtum, communicavit mihi amplissimus hujus civitatis Senatus: quod quibusdam locis mutilum, nonnullis etiam, sed paucissimis, depravatum inveni: eo excepto, quod γενητὸς & ἀγένητος sæpe scriptum est pro γεννητὸς & ἀγέννητος: in quibus permutandis voculis Eunomiani causæ suæ servientes ludebant: quas ego idcirco Græcas in duobus primis dialogis reliqui, donec videlicet hunc errorem plane animadvertissem. Quatuor ex istis priores, Athanasio illi (Magno videlicet) sunt inscripti: etiamsi aliena manu annotatum erat ad primi Dialogi marginem, τὸν παρόντα διάλογον οἱ μὲν Ἀθανασίου, οἱ δὲ Μαξίμου εἶναι λέγουσι. & habebat etiam liber ille Maximi nonnulla, ejus videlicet, qui multis post Athanasium annis Monophysitarum hæresim refutavit. Certe nihil habent, meo judicio, Athanasii vel nomine indignum, vel temporibus non congruens: quamvis postea magis grassati videantur Apollinaristæ, & Macedonii hæresis Œcumenico demum Concilio sub Theodosio magno fuerit proscripta. Quintus vero, non tam Dialogus est quam compendium quoddam, ut apparet, vel ab ipso Gregorio, puta Nazianzeno, acerrimo Apollinaristarum oppugnatore (ut ex ipsius ad Cledonium Epistola liquet) vel ex aliqua ipsius disputatione excerptum. Sunt autem certe in his Dialogis obscura quædam, & quæ aliunde illata luce indigeant. Quod & si nunc a me, sicut ab initio constitueram, præstari non potuit, brevi tamen, ut spero, & quidem non sine fœnore, præstabitur. In illis enim citantur nonnulla Scripturæ testimonia non satis apposite: quod omnibus illorum temporum scriptoribus, tum Græcis tum Latinis, sæpiuscule evenit, dum posteriores ipsis locis non inspectis, priorum vestigia sequuntur: ac partim etiam, quod Græca editio, quam septuaginta vocant, quamvis infinitis locis falsa, ac interdum etiam ridicula & inepta, in Ecclesiis tamen obtineret. Tanti est momenti ex fontibus ipsis veritatem haurire. Huc etiam accedit perpetua illorum temporum labes, studium videlicet allegoriarum nimium, quod passim apud veteres multis Scripturæ locis depravandis occasionem præbuisse constat. Sed hæc omnia facile veluti operiet ipsa doctrinæ orthodoxæ veritas, firmissimis ac solidissimis argumentis defensa.

Hactenus Beza, minus (uti solet) sobrie, de LXX. versione loquutus. Ad hæc Felckmannus in notis Edit. Comm. p. 84. Ad ea quæ Interpres in præf. sua monuit, addere visum est & hæc. Præter editionem Stephanæam & codicem illum vetustum quo ipse Interpres olim usus est, habuimus etiam codicem Palatinum, qui hos Dialogos integros habuit, imo pleniores, ut p. *169.* monitum est, & alium Palatin. & Augustan. qui fragmentum tantum Dialogi 2. continent, idque ut videtur solum γνήσιον Athanasii, ut ad p. *166.* amplius dicemus. (Hæ citationes in hac editione habentur infra.) Sane Palatin. codex præmissis, Μαξίμου μοναχοῦ ὅροι διάφοροι, posteaque subjectis, οὐσίας καὶ φύσεως, ἐνυποστάτου ἑνώσεως, ἀπὸ δὲ ἑνώσεως καὶ διαφορᾶς ὑποστάσεως ἐννοίαν, & similium aliquot terminorum Theologicorum definitionibus, statim hos Dialogos absque ullius alterius auctoris mentione submittit. Imo Gregorius πρωτοσύγγελος (de quo supra ad p. 180.) expresse hos Dialogos Maximo tribuit. Quod ipsum confirmare videtur & illud, quod pag. 180. A tacite innuitur additio ad Symbolum Nicænum, facta in Synodo II. Œcumenica Constantinop. sub Theodosio I. Imperatore, quo tempore jam obierat Athanasius. Porro in inscriptione ista τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας non sunt in vett. codd. sed ab operis æqualitatis causa cum reliquis operibus addita. Nam sicut Palatin. ut dixi, omni auctoris nomine caret, sic & vetustus ille Interpretis, quem litera G signabo (qui alius tamen est a Gobleriano, quod notandum) aliud nihil habet de auctore, quam quæ Interpres io præfatione posuit.

Combefisius secundo Tomo operum sancti Maximi p. 381. *hæc habet:* Maximo adscribunt Romani codd. & Veneti, ipseque Dufrenii. Sicque passim citant Græci qui τακτικὰ scripserunt a 400. & 500. annis; etsi iidem quandoque variant, citentque etiam Athanasii nomine; variante scilicet olim eis jam exemplarium inscriptione: cum notum sit non esse Athanasii opus, etsi Theodorus Beza ejus vulgavit nomine,

ne, &c. In notis porro p. 715. ait ipse: præstantiores esse qui Maximo tribuunt codices, quam qui Athanasio.

Hic nos adjicimus, codicem quo utimur Regium, neutrius, nec Athanasii scilicet nec Maximi, nomen præferre. In Vaticano porro codice Athanasii inscribuntur. Joannes item Cyparissiotes Decad. 3. c. 5. hoc opus Dialogum 2. vocat Athanasii cum Ario in Synodo Nicæna. Citant item passim recentiores Græci, Marcus Ephesinus, Georgius Metochita, Veccbus & alii: Athanasii modo, modo Maximi nomine. At fuisse Athanasio perperam adscripta, nemo jam eruditus non æstimat. Nihil enim hic Athanasio dignum comparet: nec usurpantur hic ea quæ sæpe sæpius adhibet Athanasius argumenta adversus Arianos & Anomœos. Maximo sane potius adscribenda, licet insignis illa codicum varietas, quorum plerique neminem præferunt auctorem, non modicum hac in re ingerat scrupulum: suadeatque, ne festinanter ac nullo dubio ipsi adjudicemus, donec major in dies lux vestigantibus effulgeat. Aliud est quod Maximo abjudicandum hoc opus fortasse suadeat: quia scilicet multis ille sæculis floruit post exortas hæreses quæ hic impugnantur.

Cum neutri ergo, nec Athanasio scilicet nec Maximo, sine dubitatione adscriberentur: tertium Garnerius protulit ad quem hæc pertinere pugnat, Theodoretum videlicet: cui hisce præcipue argumentis opus asserere nititur. Quia sese testatur Theodoretus scripsisse adversus Anomœos, Macedonianos, & Apollinaristas, qui in hisce Dialogis oppugnantur. 2°. Quod multa loca hic compareant, aliis Theodoreti locis multum adfinia. Mittimus alia minoris momenti a viro docto allata, ne ad alia properantes morentur. Reponimusque, nimis vagum illud esse argumentum, petitum scilicet a memoratis illis Theodoreti adversus hujusmodi hæreticos operibus. Cum enim in nullo codice Theodoreti nomen præferant, & a nullo scriptore Theodoreti nomine memorentur: nonnisi augurando adscribuntur Theodoreto. Quod illas spectat styli adfinitates: paucæ sane atque leves sunt similitudines, ut apud Garnerium inspicienti patebit: & si quæ sint, quid mirum si eadem de re scribentes aliqui eadem nonnumquam usurpent argumenta. Immo vero, nedum adfinitas aliqua nobis inter ista videatur, hi Dialogi Theodoreto indigni putantur. Fuisse autem editos hosce Dialogos post Constantinopolitanam primam Œcumenicam Synodum, liquet ex iis quæ Dialogo 3. aguntur de adjectione ibi ad Synodum facta.

Ceterum Keckermanni illa appendix ad Dialogum 2. quam Athanasii esse judicat Felckmannus, multo magis abhorret ab Athanasii stylo, quam reliqui Dialogi; quare incunctanter ei abjudicandam censemus.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Dialogus de sancta Trinitate, in quo colloquuntur Orthodoxus & Anomœus Arianista.

ANOMŒUS.

1. CHRISTIANUS es? ORTHODOXUS. Sane quidem. *Anom.* Quid est Christianismus? *Orth.* Illud quidē dicere necesse fuit: istud vero non ita tutū. *Anom.* Quamobrē? *Orth.* Quoniam dicere quidem necesse erat me esse Christi servum, dicere vero, quid sit Christianismus, tutum non fuerit, nisi cognovero quisnam ille sit qui hoc percontatur: ne forte comperiar canibus res sactas, & porcis margaritas projicere. Etenim si ex me quæras, Esne fidelis, aut Catechumenus, confestim dicam qui sim: quid sit autem fidelem esse, non dicam, ne
B forte Judæus sis, qui interrogas. *Anom.* At ego qui hoc ex te quæro, tibi dico me Christianum esse. *Orth.* Tibi non fuit satis, quod me Christianum dixerim: ita mihi quoque non satis est, quod te Christianum esse dicas: nisi mihi dixeris, quid sit Christianismus. Ac ne sic quidem plane es Christianus: neque enim scire quid sit Christianismus, hoc est Christianum esse; nam neque scire quid sit Judaismus, est esse Judæum, neque scire quid sit gentilismus, est gentilem esse. *Anom.* Nosti Deum? *Orth.* Etiam. *Anom.* Ut ipse seipsum novit? *Orth.*
C Minime. *Anom.* Eum igitur non nosti. *Orth.* Novi eum, ut fert humanæ facultas naturæ. *Anom.* Aliter igitur ipsum norunt homines, & aliter se ipse novit? *Orth.* Sane quidem. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quoniam nisi quis eadem atque Deus ipse cognoscendi facultate sit præditus, fieri non potest, ut eum norit, sicut se ipse novit. At fieri nequit, ut quis eadem atque Deus ipse cognoscendi facultate sit præditus, nisi sit ejusdem ac Deus naturæ. Non sumus autem ejusdem atque ipse naturæ.

A Non igitur eamdem atque ipse notitiam habemus. *Anom.* Quid, si filius velit cuipiam revelare, annon potest? *Orth.* Revelat quidem, sed non ita ipsi revelat, ut se ipse novit: verum prout is est ad cognoscendum idoneus, quem hac gratia donat. Quamobrem a lumbis ad verticem electri specie Ezechieli visus est: Danieli vero, antiquus dierum: & Esaiæ, a Seraphim obtectus.

2. *Anom.* Tu igitur qua ratione illum nosti; ut electri specie, an ut antiquum dierum? *Orth.* Ab ipsis didici Deum esse supra omnia illa ipsis manifestata. Nisi enim istis præcelleret, numquam diversis modis apparuisset: ideoque dicit Unigenitus: *Deum nemo vidit* *Joan. 1. 18.*
B *umquam*. *Anom.* Aliud est vidisse, aliud nosse. *Orth.* Quod ad Deum attinet, non est aliud & aliud, siquidē ipse aspectum pro cognitione usurpavit, dicens: *Tanto* *Joan. 14. 9.*
tempore vobiscum sum, & non cognovisti me? Philippe, qui me vidit, Patrem meum vidit. *Anom.* Si nosti eum esse supra omnia, quæ conspiciuntur, quid ipse sit nosti. *Orth.* Ridiculum quiddam narras: num enim quia animā novi supra omnia aspectabilia corpora esse, idcirco etiam novi, quid sit anima? *Anom.* At ego eum novi, ut ipse se novit. *Orth.* Quid est igitur Deus? *Anom.* Ipsum ingenitum. *Orth.* An nosse quod sit in-
C genitus, est Deum nosse? *Anom.* Sane quidem. *Orth.* Atqui hoc etiam norunt & Judæi & Græci. Eadem ergo notitia Dei præditus es qua Judæi & Græci, qui ipsum non norunt. Testantur enim Euangelia, eum qui non cognoscit Filium, nec Patrem nosse. *Anom.* Non igitur novit Deus se esse ingenitum? *Orth.* At hoc minime ipsius est essentia, quod comprehendimus. *Anom.* An unam dicis deitatem, & tres hypostases? *Orth.* Tua quidem illa notitia, quam prius afferebas, confutata est: tibi vero sic etiam respondebo: A-

liud

liud est hypostasis, & aliud Deitas: non ut alia & alia res; sed quod hypostasis quidem aliod, aliud vero Deitas significet. Nam hypostasis τὸ εἶναι, id est, *esse*, Deitas vero, τὸ τὶ εἶναι, id est, *quiddam esse*, sigoificat. *Anom.* Hoc vero cujusmodi est? *Orth.* Ut sunt Petri, & Pauli, & Timothei tres hypostases, & una humanitas. *Anom.* Ergo tres sunt Dii. *Orth.* Absit ut hoc dicam. *Anom.* Si ita sunt hypostases, ut Petri, & Pauli, & Timothei, tres sunt Dii: quandoquidem Petrus, & Paulus, & Timotheus, tres sunt homines. *Orth.* Ne hi quidem sunt
Galat. 3. 28. tres ex sacris literis. *Nam in Christo Jesu non est masculus, neque fœmina, non est Græcus & Judæus, non est servus & liber, sed omnes in Christo unum sumus.* *Anom.* Annon igitur tres sunt Petrus, Paulus, & Timotheus? *Orth.* Tres quidem sunt, at non tres homines. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quia tunc tres sunt homines, cum dissimile cor habuerint, ut Græcus & Judæus, & Christianus: sin vero idem dicant, nec sint inter eos dissidia, tres quidem sunt hypostases, sed unus io Domino, qoi unum animum & unum cor habeant: & tres quidem sunt numero, at non quod diversā ioter se naturam vel diversum cor habeant. *Anom.* Ego eos, qui tres sunt, tres esse dico. *Orth.* At ego tres esse dico, si inter se dissenserint: quod si secundum sacram Scripturam perfecti fueriot eadem mente & senteotia, unum esse novum hominem dico, manentibus tamen hypostasibus. *Anom.* Sed hæc de hominibus dicuntur: in Deo vero aliter se res habet. *Orth.* Si io iis, quæ corporaliter separata sunt, modo animi sententia noo dissideant, habet Scriptura UNUS, & UNUM, multo magis id dicendum est in iis, quæ materia & corpore carent. Aut igitur in istis ponito esse dissidia, ut tres Deos dicamus, quoniam unus istud, alius illud velit: aut si nulla est in iis dissensio, unus sit Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: quemadmodum qui io Christo suot perfecti, unus homo sunt, sicut scriptum est.

3. *Anom.* Nulla est igitur differentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti? *Orth.* Nulla sane neque io natura, neque in voluntate, sed in eo aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, inter se differant. *Anom.* Quid est gignere & gigni, emittere & procedere? *Orth.* Hæc ita dicuntur, quia Pater quidem gignit, id est, genuit: Filius vero gigoitur, id est, genitus est: & quia ipse Pater emittit Spiritum, id est emisit. Spiritus autem procedit, id est, processit. *Anom.* Procedit, inquit, num vero etiam pro-
Joan. 15. 26. cessit? *Orth.* Itidem de Filio dixit *Gignit me*: ait e-
Prov. 8. 25. nim: *Ante omnes colles gignit me*. Quemadmodum igitur de Filio per illud, gignit me, intelligis, Genuit me; ita etiam illud, procedit, accipe de Spiritu, ac si diceretur, processit. Hic enim est mos Scriptu-
Psal. 103. 4. ræ: ut illud, *Qui facit Angelos suos spiritus*, id est, Qui fecit: & illud, *Qui fundas terram supra stabilitatem suam*, id est, qui fundasti. *Anom.* Hæccine igitur est differeotia? *Orth.* Hæc est. *Anom.* Eamdem autem naturam ais? *Orth.* Eamdem. *Anom.* Et quomodo potest eadem esse natura, si unus quidem gignit, alter gignitur? *Orth.* Ponis nihilominus, unum gignere, alterum gigni? *Anom.* Etiam. *Orth.* Si unus gignit, alter gignitur: qui gignit ex sua ipsius natura gignit: & qui gignitur, ex gignentis natura gignitur. *Anom.* Absit, ut dicam, Deum ex natura genuisse. *Orth.* Non igitur genuit. *Anom.* Genuit, cum creasset. *Orth.* Ergone prius ipsum creavit, & deinde genuit, an aliquo quopiam modo? Loquere apertius: Nec eoim intelligo, quid sit, genuit cum creasset. *Anom.* Quod gignitur a Deo creatura est, quoniā ille simplex est, & compositionis expers: nec aliis gignit, aliis creat, sed quibus gignit, iisdem etiam creat. *Orth.* Si simplex est & compositionis expers, quorsum dicis, quibus & quibus? Ubi enim est illud, quibus & quibus, ibi quoque multa sunt. Si porro compositionis expers est Deus, non igitur io eo sunt multa.

4. *Anom.* Annon est igitur Deus simplex? *Orth.* Imo etiam amplius quam simplicē esse ajo. Nam & Angelus simplex est, & anima, & lux, cum ex partibus aut membris non componantur. *Anom.* Itaque si amplius quam simplex est, quibus gignit, iisdem etiam creat. *Orth.* Iterū moneo, ne dicito, quibus gignit, iisdē & creat: nā quod simplex est, nō habet quibus & quibus: multo autem etiam magis id, quod supra ipsā simplicitatē est, non admittit illud, quibus & quibus. *Anom.* Similiter ergo gignit Deus, & similiter creat. *Orth.* Nequaquam. *Anom.* Ergo est compositus. *Orth.* absit. *Anom.* Si aliis gignit & aliis creat, compositus est. *Orth.* Non dico aliis gignit, aliis creat: sed aliter gignit, aliter creat. *Anom.* Quomodo gignit & quomodo creat? *Orth.* Hypostasi gignit, & mandato creat. Mandatum enim, concurrēte potestate, presens sistit quod mandanti libet: is vero, qui gignit hypostasi, nō exspectat mandatum, ne quid medium intercedat inter gignētem Patrem, & Filium, qui gignitur. *Anom.* An igitur invitus genuit? *Orth.* Quī genitus est, viva est ejus, qui genuit, imago; & voluntatem transcendit imago hypostaseωs. Prius enim oportet animo concipere imaginem hypostaseωs, & postea Velle aut Nolle. Filius autem est soboles hypostaseωs, & imago prorsus invariata: ante voluntatem animo concipe imaginem hypostaseωs. *Anom.* Quid est illud: Transcendit imago voluntatem? *Orth.* Hoc dico, quoniam essentiam concipere mente potes, absque en etiam quod hoc velit: absque imagine vero, non potes. Nam voluntas & incipit & desinit: imago vero essentiæ nec incipit, nec desinit. Sed & aliter hoc accipe. Estne Deus volens aut nolens immortalis? *Anom.* Volens. *Orth.* An igitur immortalis erat antequam esse vellet? *Anom.* Ab æterno vult esse immortalis. *Orth.* Et ab æterno esse Pater. Sicut enim dicere non potes, quod invitus sit immortalis; ita, ne hoc quidem, quod invitus sit Pater: & ut nec immortalitati, ita nec Filio præit voluntas, sed ab æterno est Filius ex volente Patre genitus, hypostaseωs imago penitus invariata.

5. *Anom.* Ubi scriptum est, Filium esse imaginem hypostaseωs? *Orth.* Characterem hypostaseωs, seu, *figuram substantiæ*, nihil aliud esse intelligo, quam imaginem hypostaseωs esse. Hebr. 1. 3. *Anom.* Enimvero, annon vir quoque scribitur esse imago & gloria Dei? *Orth.* Sane: at non character hypostaseωs. Aliud est autem, imaginem Dei esse, quam esse characterem hypostaseωs ipsius. Nam opificium habet quidem imaginem artis sui artificis, a quo effectum est, hypostaseωs vero minime. *Anom.* Nescio quid dicas, planius loquere. *Orth.* Scamnum habet imaginem artis fabri: nam si scamoum videro, agnosco a fabro factum esse: & si naviculam conspexero, agnosco esse opus a fabricatore navium confectum, quod sit imago artificis & gloria artis illius: at non hypostaseωs character. Nec enim aut scamnum aut navicula habet characterem opificis sui: cum hic quidem sit homo hypostasi, scamnum autem vel navicula non item. Sic etiam homo est imago & gloria Dei, qui ipsum condidit. Etenim, ut ait sanctus Salomon: *Proportione quadam, illarum rerum auctor conspicitur & gloria afficitur, ex eo quod effectum est*: Sap. 13. 5. noo tamen est character hypostaseωs opificis, sed duntaxat virtutis ejus effectricis. At Filius est character hypostaticus. Inquit enim: *Qui vidit me, vidit Patrem meum*: Joan. 14. 9. nemo vero, quod viderit hominem, idcirco vidit Patrem. *Anom.* Ubi scriptum est, Filium esse characterem hypostaseωs? *Orth.* Apud Apostolum Paulum in Epistola ad Hebræos. *Anom.* Noo recipitur in Ecclesia. *Orth.* Ex quo annuntiatum est Euangelium Christi, cre-

creditum est hanc epistolam Pauli esse: & ea connumerata, omnes epistolæ Pauli sunt numero quatuordecim. *Anom.* Legistin' in ceteris omnibus proferri nomen ipsius, in hac vero non item? *Orth.* Cum Hebræis scriberet, qui fama acceperāt, ipsum homines docere defectionem a lege, ne ipsius nomen abhorrentes, aures occluderent, propterea a Patribus ita orsus est:
Quod epistola ad Hebræos sit Pauli. Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquutus patribus in Prophetis, ultimis hisce diebus loquutus est nobis in Filio.* Hanc autem esse ipsius epistolam, apparet etiam ex fine epistolæ. Meminit enim etiam Timothei his verbis: *Scitote fratrem nostrum Timotheum liberatum esse, cum quo, si cito venerit, vos videbo.*

6. *Anom.* Etiamsi hanc epistolam Pauli esse concedamus, attamen character hypostaseωs habet esse in hypostasi, non in propria vita. *Orth.* At Christus non tantum dicitur character hypostaseωs, verum etiam Filius, ut illud hypostaticum intelligamus. Dicitur enim splendor, quod una sit ex ipso ab æterno: character vero propter hypostaseωs similitudinem: Filius denique, quod sit in hypostasi. *Anom.* Dicimus & nos omnia esse ex Deo. *Orth.* Sed alia quidem sunt ex ipsius mandato per creationem; Filius vero C ex ipsius hypostasi, per generationem; Spiritus vero per processionem. *Anom.* Ergo Spiritum etiam dicis esse ex hypostasi? *Orth.* Alioqui unde esset? *Anom.* Ubi scriptum est alia esse ex mandato, alia ex hypostasi? *Orth.* Dicit David de iis, quæ ex Dei mandato
Psal. 148. 1. exsistunt: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus, laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt.* De generatione
Psal. 109. 3. vero Filii scriptum est: *Ex utero ante luciferum genui*
Joel. 2. 28. *te*: & de Spiritu sancto: *In novissimis diebus effundam* D *de Spiritu meo super omnem carnem.* Et alibi: *Spiritus*
Psal. 32. 7. *enim ex me procedit*: item alibi: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* *Anom.* Ex utero dixit, & ex ore, non autem ex hypostasi. *Orth.* Partes seu membra cum Deo tribuuntur, dicuntur quidem humano more, intelliguntur autem ut Deo convenit: sin minus, quem uterum in DEO corporeum possimus mente concipere? Itaque uterum audiens, generandi naturæ vim; & os audiens, docendi facultatem intelligo: quo loquendi more Scriptura interdum etiam utitur cum de hominibus
Es. 26. 18. agit, ut cum inquit: *A timore tui, Domine, concepi*- E *mus in utero & peperimus in terra spiritum salutis.* Nam hic quoque non significat corporeum uterum nostrum, sed illam naturæ vim gignendi.

7. *Anom.* Ubi de Deo scriptum est naturæ nomen?
Galat. 4. 8. *Orth.* Apud Apostolum: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii serviebatis: nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo*, &c. a Deo videlicet, qui natura Deus est.
2. Petr. 1. 4. Et in epistolis catholicis scriptum est: *Per quæ maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut efficiamini divinæ consortes naturæ.* Efficimur autem naturæ divinæ consortes ex participatione Spiritus F sancti. *Anom.* Ergo & Spiritus sanctus est divinæ naturæ? *Orth.* Si ex participatione sancti Spiritus divinæ consortes naturæ sumus, nonne multo magis est divinæ naturæ Spiritus ille, qui nos participes efficit? *Anom.* Ergo & Spiritum sanctum dicis esse divinæ naturæ? *Orth.* Non simpliciter divinæ esse
Joel. 2. 28. naturæ, sed essentiæ. Dixit enim ipse Pater: *In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem*
Mat. 10. 20. *carnem.* Item Filius: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris mei, qui loquitur in vobis.* Job quoque divinum dixit Spiritum, cum sic loquere-
A tur: *Vivit Dominus, qui ita de me judicavit, & Omnipotens, qui amaritudine affecit animam meam. Siquidem donec est adhuc halitus in me, & spiritus divinus superest mihi in naribus; os meum non loquetur injusta.* Job. 27. 2. Viden' quomodo Trinitatis meminerit; de Filio dicens, *Vivit Dominus*: de Patre, *Omnipotens, qui amaritudine affecit animam meam*: de Spiritu sancto, *Divinus Spiritus, qui superest mihi in naribus?* Nam Spiritus est suavis odor Christi: & quemadmodum ex odore suavi unguentum per nares percipitur: ita & Christus ex Spiritu. *Nemo enim potest dicere Christum* 1. Cor. 12. 3. *Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Et Apostoli fuerunt ac B sunt bonus Christi odor, quoniam Spiritus sancti templa sunt. Dicit enim Paulus: *An nescitis, quia* 1. Cor. 6. 17. *corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo; & non estis vestri? Deum igitur in corpore vestro glorificate.*

8. *Anom.* Si aliter creat Deus, & aliter gignit, compositus est. *Orth.* Compositus non est, (absit enim ut hoc dicam) sed hypostasi quidem gignit, mandato vero creat. Quod si ita gignit, ut creat, quod ab eo creatum est, ab ipso est genitum. *Anom.* Sane quidem. *Orth.* Canem autem creavit: aude igitur dicere, canem aut aliud quidpiam creatum, esse genitum C ex utero. Nam dico quidem ego, quod Deus canem & bruta omoia, cum ceteris omnibus rebus creaverit: dic & tu, quod etiam ex utero ea genuerit, si quidem similiter creat & gignit. *Anom.* Aliter igitur creat & aliter gignit? *Orth.* Sane. *Anom.* Nonne est compositionis expers? *Orth.* Minime, dixi non esse compositionis expertem, imo etiam est aliquid amplius, quam compositionis expers; sed aliter gignit & aliter creat. *Anom.* Quomodo id fieri potest? *Orth.* Mens nobis insita, quæ ad imaginem Dei facta est, nonne est compositionis expers? & tamen aliter gignit D sermonem, aliter autem condit, quæ condit. *Anomœus.* Qui aliter gignit & aliter coodit? certe quibus condit mens, etiam gignit. *Orth.* Falsum narras: gignit enim ex se sermonem, condit autem ex materia domum, navim, & quæcumque sunt ejusmodi. *Anom.* Num igitur etiam Deus condit ex materia? *Orth.* Quædam ex materia, quædam rursus, cum non essent, fecit ut exsisterent. *Anomœus.* Quomodo? *Orthod.* Materiem & cælos & Angelos fecit ut ex nihilo exsisterent. Voluntas autem concurrentem potestatem nacta, fecit ut exsisteret, quicquid libuit: mortalia vero animantia ex materia condidit. *Anom.* Hoc admit- E to. *Orth.* Filium vero nonne ais simplicem esse & compositionis expertem? *Anom.* Etiam. *Orth.* An igitur quod a Filio conditum est, ex eo quoque genitum ais? *Anom.* Minime. *Orth.* Si quoniam Pater est simplex, idcirco quod a Patre conditum est etiam genitum dicis, nempe quod genitum est, etiam creatum est. At filius quoque est simplex: ergo quod creavit, etiam genuit: & Pater comperietur esse Filii quidem Pater, rerum vero creatarum avus. *Anom.* Sed quod est genitum a Patre, etiam est creatum: quod autem creatum est a Filio, est creatura. *Orth.* Nonne quoniam simplex est Deus, idcirco quod ab eo creatum est, etiam genitum F esse: & quod ab eo genitum est, etiam creatum esse vis? Sin minus, quomodo sentis? *Anom.* Sane. *Orth.* Ergo & quod creatum est a Filio, est etiam geoitum, utpote qui sit compositionis expers: vel etiam si Pater est compositionis expers, non idcirco tamen quod ab eo genitum est, creatum est: nec quod ab eo creatum est, genitum est, etiamsi sit ipse compositionis expers. At Filius genitus est a Patre: non igitur creatus. *Anom.* Pater est auctor Filii, Filius auctor rerum conditarum. *Orth.* Annon Pater quoque est rerum conditarum auctor? *Anom.* Est sane, sed per Filium. *Orth.* Sed omnino ponis, eum quoque auctorem

rem esse rerum creatarum. *Anom.* Certe. Omnia e-
nim sunt ex Deo. *Orth.* Sunt igitur ab eo etiam
genita omnia, canes, corvi, vultures, quicquid
denique creatum est, sive rationis particeps, sive
rationis expers. *Anom.* Dixi hæc condita esse per
Filium: solus autem Filius, nullo intermedio ge-
nitus est, id est creatus.

9. *Orth.* Idcirco ne eum esse dicis & genitum &
creatum, quia solus est a solo? aut quomodo id ac-
cipis? *Anom.* Etiam. *Orth.* Cetera autem omnia,
quoniam per Filium facta sunt, creata quidem sunt,
genita vero non item? *Anom.* Ita est. *Orth.* Interven-
tio igitur Filii, imminuit Patris in agendo effica-
citatem. *Anom.* Quamobrem? *Orth.* Quia solus solum
gignens, itidem & gignit & creat. Filio vero inter-
veniente, quod creat, non sane gignit; &, ut vide-
tur, principatuum & potestatum, rerum denique o-
mnium creatarum damno, genitus fuerit Filius. *A-
nom.* Quamobrem? *Orth.* Quoniam nisi genitus fuis-
set Filius, quæcumque ab eo creata, essent etiam ge-
nita. *Anom.* Annon igitur per Filium creati sumus?
Orth. Sane vero. Sed nos quidem per Filium creati
sumus, Filius vero ex Deo genitus est, non autem
Prov. 8. 22. creatus. *Anom.* Ipse dicit: *Dominus creavit me, initi-*
Psal. 21. 18. *um viarum suarum.* *Orth.* Ipse quoque dicit: *Foderunt*
Mat. 27. 35. *manus meas & pedes meos, & partiti sunt vestimenta*
mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. *Anom.*
Quid simile inter se habent: *Creavit me; & foderunt*
manus meas & pedes? *Orth.* Quemadmodum id, quod
in cruce futurum erat, enuntiavit, ut si jam factum
fuisset: ita quod futurum erat in incarnatione, dixit,
ac si jam fuisset factum. Itaque non dixit, Dominus
creavit me ante initium viæ, sed quoniam aliorum
via perdita erat, futurus autem nobis erat qui via re-
Prov. 8. 22. cens & vivens esset, propterea dicit: *Dominus creavit*
Ibid. 23. *me initium viarum suarum ad opera sua.* *Anom.* *Ante*
sæculum fundavit me, inquit, *antequam terram fa-*
Jo. 8. 57. *ceret.* *Orth.* Dic tu quoque: *Quadraginta annos non-*
dum habes, & ante sæculum fundatus es? ut audias,
Amen, amen, dico tibi, antequam sæcula exsisterent,
Ibid. 58. *ego sum.* *Anom.* An erat ipsius incarnatio, antequam
exsisterent sæcula? *Orth.* Imo, quod ad Dei præscien-
tiam adtinet, passio ipsa: adeo ut dixerit: *Foderunt*
manus meas & pedes meos, & dederunt in escam
meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. *Anom.*
At istud non est dictum ante sæculum, verum Davi-
dis temporibus. *Orth.* Dictum quoque est a tempori-
bus filii Davidis, nempe Salomonis: *Dominus creavit*
me. *Anom.* Sed dictum est: *Ante sæculum fundavit*
me. *Orth.* Nempe quoniam, *ante sæculum erat abscon-*
ditum hoc mysterium, ut inquit Paulus, *quod nunc ma-*
nifestatum est filiis hominum. Quod autem ille sit illud
ipsum, quod ante sæcula fundatum est, audi ex eodem
Paulo, alibi dicente: *Fundamentum enim aliud nemo*
1. Cor. 3. 11. *potest ponere, præter id, quod positum est, quod est*
Christus Jesus: præter eum videlicet, qui dicit: *Ante*
sæculum fundavit me. Christus autem Jesus, Deus Ver-
bum tunc vocatus est, ex quo Verbum factum est caro,
Luc. 1. 31. & dictum fuit ab Angelo: *Vocabis nomen ejus Jesum.*
Itaque illud, *Dominus creavit me:* &, *Ante sæculum*
fundavit me, de ipsius incarnatione dictum est. my-
sterio scilicet illo vere ante sæcula abscondito.

10. *Anom.* Sed quomodo potest ita genuisse ex sua i-
psius hypostasi, ut nihil sit perpessus? *Orth.* Illud quomo-
do potest, ne investiga: illud vero, ex hypostasi, a nobis
ostensũ est. *Anom.* Quomodo ostensũ est? *Orth.* Ostensũ
est non esse quiddã creatum. Quod autem non est crea-
tum, aut est ingenitum aut genitum, aut procedens ut
ex auctore sive causa. Non est autem ingenitus, cum sit
Filius genitus: ergo est ex hypostasi. *Anom.* Et quomo-
do potest esse ex hypostasi? *Orth.* Nisi sit ex hypostasi,
A aut est creatum quidpiam, aut ingenitus: non est
autem ingenitus, cum sit filius: non est creatum quid-
piam: nec enim mandavit & factus est; sed ex utero
ipsum genuit: est igitur ex hypostasi, non autem ex
nihilo, sicut ea quæ per mandatum exstiterunt. *Anom.*
Rursum igitur uterum dicens, existimas Deum esse
compositum. *Orth.* Absit, ut Deum dicam esse com-
positum: sed, ut superius dixi, uteri nomine, quod
Scriptura Deo tribuit, generatricem vim hyposta-
seωs ipsius intelligo. Nam de nobis etiam agens
Scriptura, sicut prius demonstratum est, ita loqui
consuevit, ut cum inquit: *A timore tui, Domine,* Esai. 26. 18.
B *in utero concepimus & parturivimus, & peperimus Spi-*
ritum salutis. In utero dicens, non intelligit cor-
poreum uterum, sed in ipsa hypostasi. *Anom.* Parum
abest, quin mihi persuadeas ut fiam consubstantia-
lista. *Orth.* Utinam det tibi Deus, ut Christianus
evadas. Tunc enim Christianus fueris, cum con-
fessus fueris Filium esse Patri consubstantialem.

11. *Anom.* Quid est istud consubstantiale? volo e-
nim id quoque discere. Num idem est Filius, qui &
Pater? *Orth.* Absit ut hoc dicam. *Anom.* Quid est igi-
tur? vere enim id discere cupio. *Orth.* Consubstantiale
est, quod eamdem substantiæ rationem recipit, ut homo
C ab homine nihil differt, quatenus homo est: & Angelus
ab Angelo, quatenus Angelus est: ita & Deus a Deo ni-
hil differt, quatenus Deus. *Anom.* Nihil igitur differt
Pater a Filio? *Orth.* Nequaquam sane differt in eo quod
Deus & Pater sit, sed in eo quod sit Pater & Filius: quo-
niam ille quidem genuit, hic vero genitus est: hoc est i-
gitur quod vocamus consubstantiale. *Anom.* Nulla igi-
tur alia re differt Pater a Filio? Atqui scriptum est:
Quid me dicis bonum esse? Nemo bonus nisi unus Deus. Marc. 10. 18.
Orth. Filius igitur non est bonus? *Anom.* Ipse dixit: *Quid*
me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. *Orth.*
D Viden' ut recte dixerim, tunc fore te Christianum, cum
fassus fueris Filium esse Patri consubstantialem? *Anom.*
Credo me Christianum esse. *Orth.* Si Christianus esses,
non negares Filium esse bonum. *Anom.* Bonum non
esse non dixi, sed eum dixisse: *Nemo bonus, nisi unus*
Deus. *Orth.* Bonitate igitur dicis differre Patrem a Fi-
lio? *Anom.* Ipse dixit: *Quid me dicis bonum? nemo bonus,*
nisi unus Deus. *Orth.* Non dixit, Ne me bonum dicito;
sed, *Quid me dicis bonum?* *Anom.* Quænam vero diffe-
rentia est inter illud, Ne me bonum dicito, & illud,
Quid me dicis bonum? *Orth.* Magna. *Anom.* Quænam?
Orth. Illud, Ne me dicito bonum, bonitatem tollit:
E istud vero, *Quid me dicis bonum?* perinde est atque,
Quorsum me dicis bonum, nec me confiteris Deum
esse? ut & illud: *Quid me vocatis, Domine, Domine, nec*
facitis quæ dico? Quoniam igitur ille ut nudum homi-
nem adiit ipsum, Magistrum simpliciter vocans, pro-
pterea inquit: *Quid me bonum dicis*; non credens, quod
sim Deus? *Nemo enim bonus, nisi unus Deus.* *Anom.*
Dicimus & nos ipsum bonum esse, sed non ita bonum,
ut bonus est Pater. *Orth.* Atqui non dixit, Nemo bo-
nus, nisi unus Pater, sed, *Nemo bonus est, nisi unus Deus.*
Tu vero cur dicis, differre bonitatem Patris a bonita-
te Filii? Num igitur existimas quidpiam mali immix-
F tum esse bonitati Filii, eoque a bonitate Patris differ-
re? *Anom.* Absit: non dico malitiæ quippiam immix-
tum esse bonitati Filii, verum Patris bonitatem
differre a Filii bonitate. *Orth.* Sed bonitas a bo-
nitate nihil differt, quatenus est bonitas.

12. *Anom.* Annon vero Dei bonitas differt ab ea bo-
nitate, quæ in nobis est? *Orth.* Nẽpe alia quædam est in
nobis bonitas, quam Deus ipse. *Anom.* Judæi igitur &
Græci habentne Deũ in sese? *Orth.* Imo ne is quidẽ Deũ
habet in sese, qui simpliciter dicitur Christianus: sed is
demum habet, qui corpus suum adflixit & in servitutẽ
redegit, ut possit dicere: *An experimentum quæritis e-* 2. Cor. 13. 3.
jus,

jus, qui in me loquitur, Christi. Qui enim talis est, audit a Christo: Matth. 12. 35. *Bonus homo de bono thesauro cordis profert bona*. *Anom.* Si bonus est homo, qui ex suo corde bona profert, quomodo nemo bonus est, nisi unus Deus? *Orth.* Quoniam Deus non est bonus participatione bonitatis, sed est ipsa bonitas: homo vero bonitatis participatione bonus est. *Anom.* Annon Angeli sunt natura boni? *Orth.* Natura, nequaquam: participatione plane. Nam quod natura bonum est, non mutatur, quantum ad id, quod est natura. *Anom.* Exempli causa? *Orth.* Homo natura non mutatur: (neque enim fit aliud natura) sed studio & moribus mutatur: siquidem eumdem modo bonum, modo malum videbis: ut Paulum, modo quidem persequutorem, modo vero Euangelii præconem; & eumdem, modo Christi discipulum, modo proditorē, ut Judam: & Angelos, modo quidem malos, modo vero bonos. *Anom.* Num vero Angeli, 2. Pet. 2. 4. modo mali, modo boni? *Orth.* Scriptura inquit: *Etenim si Angelis, qui peccarunt, non pepercit*. At si peccarunt, certe exciderunt bonitate. In universum denique condita res omnis Deo digna, & est & dicitur bona ob participationem bonitatis: Deus vero, qui bonus est natura, est ipsa bonitas; quamobrem etiam nemo bonus, nisi unus Deus. *Anom.* Ergo Filius bonus est, ut Pater? *Orth.* Sane quidem. *Anom.* Ecqui dici potest: *Nemo bonus, nisi unus Deus*; si Filius & Pater, boni? *Orth.* Pater & Filius sunt unus Deus, non hypostasi, sed eadem substantiæ ratione: ut omnes homines sunt unus in Christo, non hypostasi, sed ratione substantiæ, & ob concordiam. *Anom.* Enimvero annon aliud est substantia, aliud hypostasis? *Orth.* Aliud & aliud, non tamen ut res. *Anom.* Ergo compositio invenietur. *Orth.* Aliud & aliud dixi, non tamen ut rem aliam & aliam: sed quod hypostasis quidem aliud quiddam significet, aliud vero essentia: ut granum frumenti dicitur, & est tum semen, tum fructus, non ut res alia atque alia: aliud autem significat semen, aliud fructus: quoniam semen quidem futuræ culturæ semen, fructus vero est præteritæ culturæ fructus.

13. *Anom.* Quid significat substantia, quid hypostasis? *Orth.* Substantia significat communitatem. Et si quid est substantiæ proprium, id quoque commune est hypostasibus, quæ substantiæ subsunt: hypostasis autem, proprietatem habet minime communem hypostasibus ejusdem substantiæ, ac præterea numerum admittit. *Anom.* Annon vero essentia proprietatem habet? *Orth.* Neque proprietatem habet non communem hypostasibus substantiæ: neque numeri multiplicationem admittit, cum sit una. Quidquid vero numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet: & quod proprietatem habet, numerum admittit. Ipsa enim proprietas numerum inducit. *Anom.* Non intelligo, quod dicis: planius loquere. *Orth.* Patris substantiam dicis esse immortalem, & incorruptibilem, & invisibilem, & creatricem, & Deum? *Anom.* Etiam. *Orth.* Et Filium similiter dicis immortalem, incorruptibilem, invisibilem, creatorem & Deum? *Anom.* Sane. *Orth.* Sicut ergo Patris substantiam dicis immortalem, incorruptibilem, invisibilem, creatricē, nonne ita & Filii eamdem substantiam dicis? *Anom.* Sane. *Orth.* Filium autem num vocas Patrem? *Anom.* Nequaquam. *Orth.* Pater ergo non est proprium quiddam substantiæ, sed hypostaseως. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quoniam quæ propria sunt substantiæ, similiter sunt communia Patri, Filio, & Spiritui sancto. Pater autem non est commune quiddam; non est igitur Pater quid proprium substantiæ, sed hypostaseως. Quod si aliud est proprium hypostaseως, & aliæ sunt proprietates substantiæ, non idem significant substantia & hypostasis. *Anom.* At nonne non-genitum esse, est Patris proprium? *Orth.* Non est. *Anom.* Est ne in rerum natura aliquid

A aliud ingenitum? *Orth.* Etiam. *Anom.* Quidnam? *Orth.* Nonne id genitum est, quod patrem habet: ingenitum id, quod patrem non habet? *Anom.* Etiam. *Orth.* Spiritus habetne patrem? *Anom.* Non. *Orth.* Ergo & ipse est ingenitus: itaque ingenitum esse, non est proprium Patris. *Anom.* Sed Pater est & non-genitus & non-factus. *Orth.* Ne istud quidem non-factum esse, Patris proprium est, sed commune est Patri, Filio, & Spiritui sancto. *Anom.* Quomodo? *Orth.* An non-factum est illud, quod non habet opificem: aut quomodo intelligis? *Anom.* Etiam. *Orth.* Illud autem est factum, quod habet opificem. At neque Filius neque Spiritus B sanctus habent opificem: (ostensum enim est, Filium esse ex utero, & Spiritum sanctum ex ore.) Itaque factum non esse, non est proprium Patris.

14. *Anom.* Quidnam igitur aliud est Patris proprium, si neque non-genitum esse, neque non-factum, est ipsius proprium? *Orth.* Esse Patrem, est proprium Patris: esse Filium, est proprium Filii: & esse Spiritum sanctum Dei, proprium est Spiritus sancti. *Anom.* Annon vero Pater est Spiritus sanctus? *Orth.* Pater quoque est Spiritus sanctus, sed non est Spiritus Dei. Itaque hypostaseως Patris proprium est, Pater; nec enim Pater Filius est: & hypostaseως Filii proprium est, Fi- C lius; nec enim Filius, Pater est: & hypostaseως Spiritus sancti proprium est, Spiritum Dei sanctum esse; neque Spiritus Dei sanctus, Pater est aut Filius. Substantia vero est communis Patri, Filio, & Spiritui sancto: est enim similiter immortalis, similiter incorruptibilis, similiter sancte, similiter bona. Et propterea dicimus unam substantiam, tres hypostases. *Anom.* Ubi scriptum est Spiritum sanctum dici Spiritum Dei? *Orth.* Paulus Apostolus dicit: 1. Cor. 2. 11. *Nemo enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. *Anom.* Spiritū Dei dicit ipsum Deū. *Orth.* Lege Apostolū, ut ipsum hęc di- D centē audias: Ibid. 9. 16. *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se: nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis? ita & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

15. *Anom.* Cur non tres quoque substantias dicimus? *Orth.* Quia dato numero, necesse est proprietatem dari: proprietas vero est alterum quiddam: altera autem substantia constituit ἑτεροούσιον. Quod autem est ἑτεροούσιον, non est similiter immortale, nec similiter in- E corruptibile, nec similiter sanctum, nec similiter immutabile. At Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt quiddam similiter immortale, sanctum, immutabile. Una est ergo Patris, Filii, & Spiritus sancti substantia. Quando vero tres hypostases dicimus Patris, Filii, & Spiritus sancti, vere esse dicimus proprietatum differentiam in hypostasi; non autem in substantia. *Anom.* Dicis autem omnino differentiam esse inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? *Orth.* Hanc differentiam dico, quod qui Pater est, nō sit Filius: nec qui Filius est, sit Pater: nec qui Spiritus sanctus est, sit Pater vel Filius: ne cū audis Patrē, & Filium, & Spiritū sanctum, F nomina quædā nuda intelligas; sed hypostases, quæ vere sunt & subsistunt. Et rursus, cum unam substantiam dicimus, intelligas, id quod nos Patris substantiam esse sentimus ipsum esse Filium, & hoc ipsum esse quoque ipsius Patris Spiritum, de quo Filius ipse dixit: Matt. 10. 18. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Propterea quoque dictum est: *Nemo bonus, nisi unus Deus*; nimirum quod bonus sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus; non participatione bonitatis, sed substantiæ ταυτότητι, quasi dicas, identitate. *Anom.* Ergo bonum dicis etiam Spiritum sanctum? *Orth.* David Propheta dicit: Psal. 142. 11. *Spiritus*

tuus

tuus bonus deducet me in terram rectam. *Anom.* Dicuntur etiam homines boni. *Orth.* Sane, sed participatione bonitatis. *Anom.* Spiritum quoque similiter bonum dico. *Orth.* Potest igitur bonitatem abjicere, ut Judas, ut diabolus? *Anom.* Sane, si quidem velit. *Orth.* Absit, ut coram Deo sic blasphemem, ut hoc mihi vel in mentem veniat.

16. *Anom.* Sic ergo dicis Spiritum sanctum bonum, ut Patrem & Filium? *Orth.* Sane quidem: nam & ipse bonus est non participatione bonitatis, sed quod sit ipsum bonum, sive ipsa bonitas. Dicit enim Matthæ-
Cap. 7. 11. us Euangelista Dominum dixisse: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus*
Cap. 11. 3. *se?* Et Lucas: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum sanctum petentibus se?* Audis, si aures habes, Euangelistas probe scire, idem esse Spiritum sanctum atque bonitatem, & bonitatem atque Spiritum sanctum: & illum quidem *bona* Spiritum sanctum dicere, alium vero Spiritum sanctum, *bona*. *Anom.* Nonne est igitur etiam Spiritus sanctus Deus? *Orth.* Non sane nppositus. *Anom.* Quid sibi vult istud, oppositus? *Orth.* Qui voluntati Patris sit adversarius. At Spiritus non est adversarius, sed est ex Deitate, & propterea dicimus unam esse Deitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Anom.* Ergo una est hypostasis. *Orth.* Nequaquam. *Anom.* Si una est Deitas, una etiam hypostasis. *Orth.* Si nosses donum Dei, nosses Deitatem significare quoddam *esse* commune hypostasibus, hypostasin autem *esse*, substantiam vero significare ταυτότητα, id est, *identitatem*. Ut humanitas est quoddam esse commune, hypostasis autem esse, substantia vero identitas. Nec enim omnis hypostasis est Deitas, neque omnis hypostasis est humanitas. Quod si non omnis hypostasis est Deitas, nec omnis hypostasis est humanitas, non idem significat hypostasis quod Deitas vel humanitas. *Anom.* Humanitas nonne subsistit? *Orth.* Maxime, si quidem in individuis spectetur. *Anom.* Ergo est quoque hypostasis. *Orth.* Dixi subsistere, si in individuis spectetur. *Anom.* Quid est individuum, & quid est humanitas? *Orth.* Individuum est nostrum singulorũ hypostasis: humanitas vero est ipsa substantiæ communitas. *Anom.* Communitatis autem & hypostaseos quænam est differentia? *Orth.* Eo differunt, quod hypostasis tua non est omniũ hominum: sed humanitas est omnium hominum communis. *Anom.* An mea hypostasis non est aliud, quam humanitas? *Orth.* Nequaquam. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quoniam humanitas quidem est omnium hominum communis, hypostasis vero est uniuscujusque proprietas.

17. *Anom.* Hypostasis Patris nonne est Deitas? *Orth.* Maxime. Sed Deitas significat quiddã esse, hypostasis vero esse. *Anom.* Item hypostasis Filii, annon est Deitas? *Orth.* Etiam. *Anom.* Duæ sunt igitur Deitates. *Orth.* Nequaquam. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quoniã non est alia & alia Deitas. *Anom.* Atqui alia & alia est hypostasis. *Orth.* Sed nonne dixi Deitatis & hypostaseos nominibus idem non significari? Nam hypostasis declarat esse, Deitas vero quiddam esse. Sicut enim non sunt duæ humanitates Petri & Pauli, ita nec Patris & Filii duæ sunt deitates. *Anom.* Atqui nonne hypostasis Patris, est etiam deitas? *Orth.* Hypostasis quidem Patris est etiam deitas, & Filii hypostasis etiam deitas: at non consequitur, quia duæ sunt hypostases, duas esse deitates. *Anom.* Quomodo non consequitur? *Orth.* Quoniã immortalitas quoque est hypostasis Patris, & immortalitas hypostasis Filii, nec tamen sunt duæ immortalitates. *Anom.* Non sunt duę immortalitates? *Orth.* Non. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quoniam non est diversa immortalitas: immortalitas enim ab immortalitate non differt, qua immortalitas est. *Anom.* Si quidẽ vere est alia & alia hypostasis Patris & Filii, quomodo non est alia & alia immortalitas? *Orth.* Alia & alia est hypostasis Patris & Filii, sed non est alia & alia immortalitas. Nam & nos aliam & aliam hypostasin habemus, at non aliam & aliam humanitatem. Et Petri hypostasis, est homo; & Pauli hypostasis, est homo: & sunt duæ hypostases, at non duæ humanitates. Itidem aliam atque aliam hypostasin habemus, non tamen aliam & aliam immortalitatem, quam per unũ baptisma recepimus. Nam si alia & alia est immortalitas, alius & alius baptismus, alia & alia fides, non est etiam unus Dominus, una fides, unum baptisma.

18. *Anom.* Sed nostra hypostasis aliud quiddam est, quam immortalitas & baptisma: ergo etiam hypostasis Dei alia est, quam immortalitas. *Orth.* Nequaquam. Sed ipsa hypostasis est etiam immortalitas: neque immortalitas duntaxat, verum etiam incorruptibilitas, & justitia, & sanctificatio & redemtio, & dominatio, & potestas. Neque Deus hæc esse dicitur per compositionem: sed ex diversis considerationibus dictus, immortalitas, quod desinere: incorruptibilitas, quod dissolvi non possit: justitia propter æquitatem: sanctificatio, quod a peccato custodiat: redemtio, quod vitam nostram liberet a corruptione: dominatio, quod omnium sit Dominus: potestas, quod nihil ei resistat. Hæc autem omnia, ut in Patris, ita etiam in Filii hypostasi considerantur, idque minime ex participatione. Idcirco duas quidem hypostases dicimus Patris & Filii, unam autem deitatem, potestatem, dominationem, immortalitatem, incorruptibilitatem, & ejusmodi alia. *Anom.* Unam igitur etiam dicis, ἀγεννησίαν, id est generationis carentiam. *Orth.* ἀγένητον, id est, *non-factum*, quidem dico etiam Filium: ἀγέννητον autem, id est, *non-genitum*, nequaquam. *Anom.* Estne igitur aliud, non-factum, aliud, non-genitum? *Orth.* Sane quidem. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quoniã τὸ γεννητὸν, illud est, quod ex hypostasi gignitur, ideoque ex ventre vel utero dicitur: γενητὸν vero illud est, quod est a potestate opificis. *Nam omnia quæcumque* Psal. 134. 6.
voluit, fecit. Quomodo autem fecit? *Dixit, & facta* Psal. 148. 5.
sunt: mandavit, & creata sunt. *Anom.* Non quæsivi, quid sit genitum & quid factum, sed an non-factum sit aliud, quam non-genitum. *Orth.* Si genitum illud est, quod est ex hypostasi & utero, sane illud est non-genitum, quod non ex utero vel hypostasi: & si factum illud est, quod est ex potestate secundum mandatum, utique non-factum, illud est, quod non exsistit ex mandato; sed vel causam non habet, vel est ex hypostasi non-geniti.

19. *Anom.* Duo igitur dicis, non-facta? *Orth.* Ego & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dico esse non-facta, nequaquam vero tria sunt, Patre vel causa carentia: sed Patrem quidem, absque Patre, & absque causa, & non-factum. Neque enim Pater habet Patrem, neque opificem, ad quem ortum referat, neque quemquam auctorem, a quo sit ut ex hypostasi. At Filius Patrem quidem habet, sed ab opifice ortum non habet: neque enim factus est, sed genitus: Spiritus sanctus autem patrem non habet, quia non est genitus, nec ab opifice ortum habet, quia non est factus: sed auctorem & causam habet Deum, cujus spiritus est, & a quo procedit. *Anom.* Alii vero spiritus annon ab eo procedunt? *Orth.* Et nos quoque ab eo geniti sumus: *Quotquot enim* Jo. 1. 12.
receperunt eum, ut scriptum est, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. Sed sicut nos, qui ex Deo nati sumus, non sumus ex utero hypostaseos geniti; ita & spiritus qui ex Deo procedunt ex ore hypostaseos ejus non sunt. At spiritus sanctus

Psal. 32.6. est spiritus ex ore hypostaseos ipsius: *Nam verbo* A *Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus o-* Esai. 42.1. *mnis virtus eorum*. Et Pater dicit: *Ecce, Filius meus, dilectus meus, in quo complacuit anima mea, ponam Spiritum meum super ipsum*. *Anom.* Si & Filius est ex hypostasi, & Spiritus ex hypostasi, fratres sunt igitur? *Orth.* Absit, nullus hoc dicit. Quomodo enim Filius est unigenitus, si duo sunt fratres? *Anom.* Quomodo igitur & Filius est ex hypostasi & Spiritus, neque tamen sunt duo fratres? *Orth.* Propterea Filius dictus est esse non tantum ex hypostasi, verum etiam ex utero; & Spiritus sanctus non tantum ex hypostasi, sed etiam spiritus oris, B ut differentia sit non habita ejus ratione, quod sint ex hypostasi, sed quorum unus quidem ex utero sit, alter ex ore.

20. *Anom.* Aliud ergo est os, aliud est uterus, aliud hypostasis? *Orth.* Non aliud & aliud, ut res aut tritonymum quippiam. *Anom.* Ut quid ergo? *Orth.* Ut aliud quidem significante hypostasi, aliud utero, & aliud ore. *Anom.* Quid significat hypostasis, quid os, quid uterus? *Orth.* Hypostasis declarat, τὸ εἶναι, id est, *Esse*: uterus generandi vim: os, ipsam docendi facultatem. Quomodo vero gignat Filium Deus, & quomodo Spiritum emittat, curiose non pervestigo: sed credo Filium geni- C tum inexplicabili modo & absque passione ulla, & similiter Spiritum sanctum procedere inexplicabili modo & absque passione ulla. *Anom.* Ubi est os, & uterus, & hypostasis, quid aliud, quam compositionem dicas? *Orth.* Compositionem non efficiunt hæc nomina. Omnino enim ista non dicuntur, ut de membris solent. *Anom.* Os, nonne est os? & uterus annon est uterus? *Orth.* Non omne os est idem os, neque omnis uterus est idem uterus: nam neque omne os est membrum, neque omnis uterus prorsus membrum est. *Anom.* Qui vero fiat ut os non sit os; & uterus non sit u- D terus? *Orth.* Scriptura multis locis os gladii nominavit, nec quispiam ita insanit, ut dicat gladium eo membro præditum esse, quod os vocatur; sed Scriptura os vocavit illud, quo gladius absumit: & cum dicit, ex quo utero proveniat glacies, uterum corporeum non requirit: & cum faciem ignis dicit, non dicit ignem esse humana forma præditum, cujus membrum unum sit facies, alterum vero ignis; neque faciem terræ dicens, terram dicit humanam formam referre.

21. *Anom.* At ubinam dictum est terram esse facie præditam? *Orth.* Scriptum est apud Prophetam: *Qui fugit, erit, ut qui fugit a facie ignis*. Et in Genesi, E Genes. 4.14. Caio inquit: *Si ejicis me hodie a facie terræ, etiam a facie tua abscondar*. *Anom.* Sed cum de animantibus ista nomina dicuntur, membra declarant: in iis vero, quæ sensus sunt expertia, abusione quadam usurpantur. *Orth.* Annon tibi videtur anima esse animal? *Anom.* Sane. Nam & Angelus animal est, & omnes spiritus: propterea enim etiam omnes Seraphim animalia Habac. 3.2. dicuntur: & scriptum est: *Deus in medio duorum anima-* Psal. 80.11. *lium cognosceris*. *Orth.* Dicens igitur Deus: *Aperi os tuum & implebo illud*, quodnam os dicit? Et David Ps. 118.131. Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi Spiritum, quoniam mandata tua elegi*, quodnam os dicit? Et Job in- F Job. 8. 21. quiens: *Os verax implebit risus*, quodnam os inquit? Quonam autem ore clamabat Moses, cum audiret: Exod. 14.15. *Cur clamas ad me*? Quis vero ignorat, tacentes quoque a Deo exaudiri gemitibus inenarrabilibus clamantes? Quem autem uterum intelligit Propheta, scribens: *A* Esai 26.18. *timore tui, Domine, in utero concepimus & parturivimus, & peperimus spiritum salutis in terra*? Quemadmodum igitur anima dicitur uterum habere, & os, & oculos, & aures, & cetera omnia corporis membra, nec tamen ex membris composita est: ita cum de Deo vere incorporeo audies os, vel uterum, nihil composi- A tum intellige; sed uteri nomine, gignendi vim: oris, docendi vim: oculorum, intelligendi vim: aurium, exaudiendi vim. Idcirco igitur dictus est Filius ex utero, quod sit genitus: & propterea Spiritus est oris Spiritus, quoniam is est, qui docet. Et sicut non dicis, Spiritum esse genitum, ne duos filios dicas; ita ne dicito, ipsum esse factum, ut ne illum unum eorum, quæ facta sunt dicas, ac proinde eum dicere etiam servum cogaris, propter Prophetam, qui dixit: *Omnia tibi serviunt*. Ps. 118. 91.

22. *Anom.* Quod initio dixi, parum abest, quin mihi persuadeas, ut fiam Homousiastes; *id est, Con-* B *substantialista*. *Orth.* Utinam dixeris, ut Christianus fiam. Factus enim Christianus, didiceris oportere consubstantialem Filium dicere, a divinis scripturis edoctus. Quæcumque enim sunt Dei propria, ea sunt communia Patri, Filio, & Spiritui sancto. *Anom.* Quomodo dixit sanctus Apostolus: *Deo soli* Hebr. 6. 18. *impossibile est mentiri*? *Orth.* Hoc & de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dicetur: quod enim naturæ proprium, commune est hypostasibus. *Anom.* An possunt mentiri Seraphim? *Orth.* Nisi possint mentiri, non jam est solus Deus is, qui mentiri non possit. *Anom.* Non dixit Apostolus, solum DEUM non C posse mentiri, sed impossibile Deo esse mentiri. *Orthod.* Quicquid factum est, mentiri potest: ideoque etiam diabolus, cum esset in medio Cherubim, potuit mentiri. Et hoc ipsum mentiri, est mutatio illa, cui virtutes rationales sunt obnoxiæ. Deus autem, cum sit immutabilis, mentiri nullatenus potest: ac sicut solus est immutabilis, & solus immortalis, & solus invisibilis, & solus incorruptibilis, ita etiam solus mentiri non potest, & hoc commune est Patri, Filio, & Spiritui sancto. *Anom.* Quomodo ergo de Spiritu dicitur, quod, *non loquetur ex semetipso, sed quæcumque audiet, loque-* Joan. 16.13. *tur*: siquidem ejusdem est naturæ? *Orth.* Imo hoc ipsū D ostendit, eum quoque mentiri non posse, & ejusdem esse naturæ. *Anom.* Quomodo? *Orth.* Quoniam quicquid factum est, siquidem sit rationis particeps, ubi vult, etiam ex se loquitur, quandoquidem etiam sua propria præditum est voluntate, cui silentium imponit, ut Dei voluntatem dicat. At Spiritus non ita est, sed ut Dei Spiritus eamdem quam Deus habet ipse voluntatem: & hoc est, *Non loquetur a semetipso*. Nam & Filius de se dixit: *Ex meipso nihil facio, sed ut docuit me Pater, ista* Jo. 8. 28. *loquor*. An igitur Verbum illud Dei & illa Dei sapientia nesciebat, quid loquutura esset? Absit, ut quisquam Christianus hoc existimet: sed ista nos docemur, ut & E naturam utriusque eamdem esse sciamus, & voluntatem, quæ divisionem nullam patitur: sin minus Paulus quidem dicit: *De virginibus præceptum Domini non* 1. Cor. 7.25. *habeo, consilium autem do tamquam misericordiam consequutus*. At Filius præceptum accipit de eo, quod dicturus & loquuturus est, & Spiritus ex semetipso non loquitur.

23. *Anom.* Non habet ergo Spiritus propriam voluntatem? *Orth.* Absit, quæ quidem Deo ex adverso respondeat: nec enim modo vult, quæ Dei sunt; modo vero, quæ sui ipsius: sed si quid vult Spiritus sanctus, hæc est Dei voluntas: & si quid vult Deus, hæc est Spi- F ritus voluntas. *Anom.* Enimvero, annon quod Deus vult, volunt etiam Prophetæ? *Orth.* Non semper; interdum enim etiam ex seipsis loquebantur. Cum diceret enim primum Moses: *Impeditioris & tardioris lin-* Exod. 4.10. *guæ sum, neque audiet me Pharao*: & illud, *Obsecro te, elige alium*; quid aliud significat, quam sibi aliam voluntatem inesse, quam postea coercuit, ut Dei voluntati obsequeretur? Aaron quoque & Maria a seipsis commoti murmurarunt adversus Mosem, quo tempore etiam lepra laboravit Maria, indignatusque est Dominus. Jeremias propheticum munus deprecans dicebat:

Jerem. 1. 6. bat: *Junior sum, neque possum prophetare*. Et Jonas eo
usque in hoc recusando progressus est, ut etiam decre-
verit fugere a facie Domini. Et David cum suę volun-
tati obsequutus, populum recensuisset, castigatur.
Mitto illa de Uria Chettæo. Nam omnes quoque ra-
tione præditæ creaturæ, interdum quæ sua, interdum
quę Dei sunt, loquuntur. At non ita Spiritus: nec enim
modo quæ Dei sunt, modo sua loquitur, cum ei non
insit alia quæpiam voluntas: ut ne in Filio quidem, sed
una sit Patris, Filii, & Spiritus sancti voluntas. Idcirco
Jo. 8. 28. dictum est de Spiritu: *Non loquetur a semetipso*. Et de
Filio: *Nihil a me ipso facio, sed sicut docuit me Pater,*
hæc loquor: non quod nesciat quicquam loqui, sed
quis non aliud vult Pater, aliud vult Filius & aliud
Spiritus sanctus.

24. *Anom.* Etiamsi non semper quę Dei sunt, loquu-
ti sint Prophetæ, ut tu dicendo comprobasti; at certe
Apostoli nihil ex seipsis, sed quæ sunt Dei, semper lo-
quuti sunt. *Orth.* Docet nos Scriptura, Apostolos in-
terdum a seipsis esse loquutos. *Anom.* Quomodo? *Orth.*
Galat. 2. 14. Cum audis Paulum dicentem de Apostolis: *Sed cum*
viderem eos non recto pede incedere secundum veritatem
Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: (quæ sequuntur
autem nosti, siquidem es sacrorum sermonum studio-
sus) quid aliud existimas, quam eos aliud loquutos es-
se aut fecisse, quod ex divina inspiratione non profici-
1. Cor. 4. 4. scebatur? Idem de seipso dicit: *Nihil mihi conscius sum,*
sed non in hoc justificatus sum. At non ita Spiritus: id-
eo dictum est: *Non loquetur a semetipso*. *Anom.* Omnes
igitur homines modo quidem sua, modo vero quæ Dei
sunt, loquuntur: at Angeli, quæ Dei sunt semper lo-
quuntur. *Orth.* Ne hoc quidem verum est. Nam si
semper, quæ Dei sunt, loquerentur, non peccassent,
2. Petr. 2. 4. adeo ut scriptum sit: *Nam si Angelis, qui peccaverant,*
non pepercit, &c. *Anom.* Sed etiamsi nonnulli Angelo-
rum olim peccarunt, sunt tamen Angeli quidam pec-
cati expertes. *Orth.* Non quærimus, an sint Angeli
absque peccato, sed an possint peccare. Etenim nos
quoque usque nunc mortui non sumus, & sumus mor-
tales, eo quod possimus mori, non quod jam mortui
sumus: siquidem fieri potest, ut aliqui nostrum non
moriantur, Heliæ exemplo. Etiamsi vero quispiam
nostrum non moriatur, at ipsa certe natura est mor-
talis. Itaque quamvis myriades Angelorum non men-
titæ sint, sed Dei sermonem custodierint, reipsa ta-
men apparuit, mutabilem esse ipsorum naturam, ac
loqui eam ex semetipsa, quandoquidem eorum ali-
qui mutati sunt, ac loquuti a semetipsis. At Spiritus
sanctus non loquitur a semetipso. Nec enim est ea na-
tura præditus, quæ facta sit, ac proinde mutari possit.

25. *An.* Enimvero, unde illud habet Spiritus, ut mu-
tari non possit? *Or.* Quod aliis præbet immutabilitatē,
necesse est natura esse immutabile. *Anom.* Sunt igitur
alia quoque immutabilia. Nam si aliis præstat Spiritus
illam immutabilitatem, nempe illa, quibus immuta-
bilitatem illam præbet Spiritus, etiam sunt immuta-
bilia. *Orth.* Sed quædam sunt immutabilia participa-
tione, quædam natura, ut ignis natura quidem est u-
rens, aqua vero apposito igne fit urens. Ita Spiritus est
natura immutabilis: qui vero facti sunt ejus partici-
pes, hac participatione fiunt immutabiles. *Anom.* An
vis dicere, illum ipsum Spiritum Patrem esse? *Orth.*
Absit. *Anom.* Atqui si quæcumque sunt Patri propria,
sunt quoque Filio & Spiritui communia, oportet ut
Pater sit ipse Spiritus & Filius. *Orth.* Non dixi, quæ
propria sunt Patris, esse quoque Filio & Spiritui com-
munia: sed dixi, ea, quæ propria sunt substantiæ Dei,
esse & Filio & Spiritui sancto communia, ut incorru-
ptibilem, immortalem, immutabilem esse, mentiri
non posse, & quæcumque sunt hujusmodi. *Anom.* Er-
gone alius Deus est, alius Pater? *Orth.* Absit: sed Dei

A nomen naturam indicat, nomen autem Patris eam ra-
tionem, quam ad Filium habet. Quæcumque igitur
propria sunt naturæ, communia sunt ejusdem substan-
tiæ hypostasibus. Siquidem quod dixit Propheta,
magnitudinis Dei non est finis; dixerit etiam aliquis
& de Filio & de Spiritu: quia neque magnitudinis
Filii, neque magnitudinis Spiritus, ullus est termi-
nus. Nam *quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua* Psal. 138. 7
fugiam? Rerum autem omnium conditarum & ter-
minus est aliquis & quantitas. Possum enim animo
concipere Gabrielem, ubi non sit Raphael: Patrem
autem & Filium & Spiritum sanctum ubique in
B omnibus & per omnia mente considero.

26. *Anom.* Dico etiam ego, ubique, & in o-
mnibus, & per omnia esse Patrem, Filium, & Spiri-
tum sanctum. *Orth.* Nonne id est consubstantiale,
quod eamdem sustantiæ rationem recipit? *Anom.*
Non dicis igitur, majorem esse Patrem Filio?
Orth. Ut Deum Deo majorem, nequaquam: sed ut
Patrem Filii humana carne induti: siquidem non
dixit: Deus major me est, sed *Pater major me est*. Jo. 14. 28.
Anom. Filium ergo dicis deitate æqualem esse Pa-
tri? *Orth.* Maxime: dicit enim Apostolus: *Hoc sen-* Philip. 2. 5.
tite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum in for-
C *ma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqua-*
lem Deo. *Anom.* Quod igitur ipse non rapuit, cur
illi adtribuis? *Orth.* Quoniam ipse non rapuit, sed
habet natura: & hoc habens, *exinanivit seipsum,* Ibid. 7.
forma servi accepta. Quæ enim laus debeatur ei,
qui, quam non habet æqualitatem, eam non ra-
puit? Nam si hoc laudabile est, similiter etiam cœ-
lum laudabitur, & Gabriel, & Raphael, & An-
gelorum singuli, & Archangelus quilibet, quod
æqualitatem cum Deo non rapuerint.

27. *Anom.* Nos dicimus Patrem, & Filium, & Spi-
ritum sanctum esse instar Episcopi, & Presbyteri, &
D Diaconi. *Orth.* Sed sicut quispiam qui Episcopus non
sit, & tamen homo sit, eamdem habet naturam atque
Episcopus: ita & Diaconus, qui neque Presbyter sit,
neque Episcopus, ejusdem tamen est naturæ. Ita
igitur tu quoque fateris, Filium quidem non
esse Patrem, sed ejusdem esse naturæ atque Pa-
trem: itidemque Spiritum Dei non esse quidem
Filium, neque Patrem, sed ejusdem esse atque
Patrem naturæ: cur igitur auditores fallis, cum ne-
scias quid dicas? ac non dicis tres naturas dissimi-
les, ut Angelum, & hominem, & equum? *Anom.*
Ita dico: alioqui fuerim consubstantialista. *Orth.* Di-
E dicisti igitur eum, qui dicat Patrem esse ut Episco-
pum, & Filium ut Presbyterum, & Spiritum ut Dia-
conum, consubstantialitatem dicere. Atque ita dicen-
do te Christianum esse hactenus existimasti. Quod si
judicas eum, qui hoc dicat, non esse Christianum,
teipsum nimirum condemnasti: & ex tuo ipsius ore
convinceris Christianus non esse. *Anom.* Non est igi-
tur Christianus, qui consubstantialitatem dicit? *Orth.*
Qui consubstantialitatem dicit, Christianus est: qui
vero existimat, eum non esse Christianum, qui con-
substantialitatem dicit, & tamen ipse hoc dicit, com-
perietur seipsum condemnare, ut servus ille malus ex
suo ipsius ore damnatus. *Anom.* Quomodo vero sum
compertus id dicere? *Orth.* Nos, dixisti, dicimus Pa-
F trem, Filium, & Spiritum sanctum esse instar Episco-
pi, Presbyteri, & Diaconi. *Anom.* Fateor me dixisse
instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. *Orth.* Atqui
Episcopus, Presbyter, & Diaconus sunt consubstantia-
les; ergo confessus es consubstantiales esse Patrem, Fi-
lium, & Spiritum sanctum. *Anom.* Visne igitur dice-
re conditi vini instar esse Patrem, Filium, & Spiritum
sanctum? *Orth.* Et non vides te hoc ipsum dicere?
Anom. Quomodo? *Orth.* Quoniam aliam esse dicis na-

turam

turam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti, ut vini, mellis & piperis. Nos vero dicimus, si Pater est vinum exhilarans cor, Filius itidem est vinum cor exhilarans, Spiritus sanctus itidem est vinum cor exhilarans, qua ratione Pater est super mel & favum. Non nos igitur, sed vos ii estis, qui Patrem, & Filium & Spiritum sanctum cum vino condito comparatis, cum dissimiles naturas introducitis.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

DIALOGUS II.

De sancta Trinitate, in quo itidem disputant Orthodoxus & Anomœus Arianista.

ANOMŒUS.

1. OMNIBUS sana mente præditis in confesso est, id quod est ex alio, ortu posterius eo esse, ex quo est, ut ex causa. ORTHODOXUS. Non omnino. *Anom.* Annon tu es ex patre tuo, & patre tuo posterior? *Orth.* Ego quidem sum ex patre meo, & patre meo posterior, & extra patrem meum: lux vero ex sole est, neque tamen posterior est sole, neque extra solem, sed simul atque sol, & in sole, & cum sole: fragrantia quoque ex unguento est, nec tamen post unguentum, neque extra unguentum, sed simul atque unguentum, & in unguento, & cum unguento: & intelligere, ex mente est, at neque post mentem, neque extra mentem, sed simul atque mens, & in mente, & cum mente: & velle ex volente est, & neque extra volentem, neque post volentem, sed simul atque volens, & in volente, & cum volente: & sapientia ex sapiente est, & neque post sapientem, neque extra sapientem, sed simul atque sapiens, & in sapiente, & cum sapiente: & potentia ex potente est, at neque post potentem, neque extra potentem, sed in potente, & simul atque potens, & cum potente. Sic igitur Filium quoque Dei ex Deo esse intelligimus, at non post Deum, neque extra Deum, sed simul atque Deus, & in Deo, & cum Deo.

2. *Anom.* At splendor, & intelligere, & velle, & sapientia, & potentia, non sunt substantia in sese subsistens. Filius Dei vero est substantia, in sua propria hypostasi. *Orth.* In hoc quoque conferri cum ipso nequeunt corporei filii, quod filius quidem sum ego Patris mei, sed non sum ejus sapientia, neque sum ejus potentia, neque sum ejus voluntas, neque sum ejus verbum, neque sum ejus splendor, neque sum in ipso Patre meo. Pater ipse non est in me, nec sicut operatur Pater, ego operor: Filius Dei vero non tantum est Filius, sed etiam potentia, & sapientia, & Verbum, & voluntas, & splendor, ut ex eo, quod sit Filius, intelligatur, quod sit quiddam in sese subsistens: & ex eo, quod est sapientia, & potentia, & Verbum, & voluntas, & splendor, intelligatur illud, quod simul atque Pater, & in Patre, & cum Patre sit, neque secundus, id est, neque post Patrem, neque extra Patrem. Propterea enim clamat Propheta, dicens: *Domine, Deus noster, da nobis pacem: omnia enim dedisti nobis. Domine, Deus noster, alium extra te non novimus.* (Esai. 26.12.) Nec enim extra Patrem Filius cognoscitur, sed in Patre, & cum Patre, & simul atque Pater, ut splendor gloriæ, ut character hypostaseos, ut sapientia sapientis, & potentia potentis, ut Verbum mentis. *Anom.* Sed splendor, lucis non est Filius; character, hypostaseos non est Filius: sapientia, sapientis non est Filius; potentia, potentis non est Filius. *Orth.* Potentis quidem potentia, non est ejus Filius; nec sapientis sapientia, est ejus Filius; neque Verbum mentis, est ejus Filius; neque splendor gloriæ, est ejus Filius: sed Dei Filius, & Filius est Dei & ejus Verbum, & Filius est sapientis & ejus sapientia, & Filius est potentis & ejus potentia. Ideoque cũ Filium audimus, eũ in sese subsistere intelligimus: cum autem potentiam, Verbum, sapientiam audimus; sic docemur inseparabilem esse & coæternum.

3. *Anom.* Simul igitur dicis esse Patrem & Filium? *Orth.* Simul esse dico. *Anom.* Duo igitur non-facta dicis? *Orth.* Ego Patrem & Filium dico: quid sit autem non-factus, sacræ literæ me non docent. *Anom.* An vero non est in confesso Patrem Christi non esse factum? *Orth.* Hoc & ego fateor. *Anom.* Itaque qui non est factus, & est, ita est, ut sit non-factus. Est igitur non-factus. *Orth.* Eum quidem novi non fuisse factum: ipsum autem vocare non-factum non docent me sacræ literæ, sed Patrem. *Anom.* Si non est factus qui ante sæcula est, est non-factus: qui vero sic est, ut non sit factus, est non-factus. *Orth.* Verum Scriptura non vocat eum non-factum, sed eum esse Patrem dicit. Quod autem dicit Scriptura, hoc & ego dico, non autem id, quod in hominum cogitationem cadit. Nam & alia multa in nostram cogitationem cadunt, quæ tamen repudiamus, ut quæ convenienter de Deo dici non possint, quandoquidem in Scripturis ei non tribuuntur. *Anom.* Cedo exemplum: ut quid, obsecro? *Orth.* Constat nos optare, ut in melius proficiamus: at Deus non proficit, quoniam nihil ei deest. *Anom.* Nihil prorsus ipsi deest. *Orth.* Illi ergo nihil opus est, ut proficiat. *Anom.* Nihil. *Orth.* Nemo tamen nostrum est, qui quod non proficiat, dicat eum, ἀπρόκοπτον, seu, non proficientem; quin potius hanc vocem, ut quæ Deum non deceat, repudiamus. Ita etiam illud ἀγένητον, seu, non-factum negamus DEO dignum esse, nam si dignum esset, id dicerent sacræ literæ.

4. *Anom.* Dic igitur, Factusne est Deus? &, a quo factus est? *Orth.* Si propterea oportet ipsum dici non-factum, quoniam a nullo est factus, dic etiam eum non credentem, quoniam in nullum credit: & impium, quoniam nullum colit. Quod si cogitatio quidem nostra nobis talia suggerit, religio vero dicere nos non patitur: ita etiam illud non-factum, etiamsi nobis cogitatio nostra id suggerat, non sinit tamen religio nos dicere. Id enim alioqui Scriptura utique usurpasset. *Anom.* An non vero Deum, qui supra omnia est, dicis non-factum? *Orth.* Dixerim, si scriptum esset, quod si scriptum non est, non cogor dicere. Sed & alioqui intelligere licet, non esse dicendum, quidquid in cogitationem nostram cadit. Fatemur omnes Deum esse invisibilem, cum dicat Paulus: *Incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo.* (1.Tim. 1.17.) Ceterum qui incorruptibilis est, non est sibi quidem corruptibilis, aliis vero incorruptibilis: sed & omnibus & sibi est incorruptibilis. *Anom.* Ita est prorsus. *Orth.* Igitur, quoniam incorruptibilitati copulatur invisibilitas, dicamus

Deum

Deum sibi ipsi quoque invisibilem, & ita mentitum erit (vestro quidem judicio) Euangelium, cum *Joan. 6. 46.* inquit, *Qui est a Patre, is vidit Patrem*. Quod si is, qui a Patre est, videt Patrem, sane ipse Pater seipsum videt: quod est & dicitur & creditur esse invisibilis, referendum est, non ad illum ipsum, neque ad Filium, qui ex ipso est, neque ad Spiritum sanctum, qui ab ipso est; sed ad omnes creaturas.

5. *Anom.* Nunc disco, vos id non credere, quod omnibus in confesso est. *Orth.* Quidnam? *Anom.* Deum esse non-factum omnes sana mente præditi confitentur, vos autem non admittitis. *Orth.* Non dico non posse a nobis admitti, ut Deum fateamur non-factum: sed quamvis id cadat in nostram cogitationem, tamen necessarium non esse, ut voce utamur, quæ in sacris literis nusquam invenitur. Nam si hoc foret necessarium, non retienisset sacra Scriptura. *Anom.* Igitur factum ipsum dicamus. *Orth.* Qui factum eum dicit, impie facit. Tradidit anim nobis Scriptura, quænam sunt facta, & quis sis eorum opifex. Qui vero dicit eum non-factum (quod Scriptura non tradit) supervacaneum quiddam loquitur. *Anom.* Si non est factus, est non-factus. *Orth.* Etiam si humana cogitatio nobis hoc suggerit, non ita nos tamen sancta Scriptura docuit: sed audis ipsam dicentem: *Esai. 55. 8.* *Quantum abest oriens ab occidente, tantum absunt cogitationes vestræ a cogitationibus meis*. Quod si existimat Eunomius se comperisse, quid sit Deus, ex eo quod non sit factus, nec habeat suum esse ex aliquo factore, dicat eum etiam *ἄθεον, id est, absque Deo*, ut qui Deum non habeat. Quod si non licet ita loqui, quamvis cogitationem nostram subeat, ne dicatur etiam non-factus, quamvis hoc in cogitationem nostram cadat. *Anom.* Factus est igitur Deus? *Orth.* Non factus est. *Anom.* Ergo est non-factus? *Orth.* Habet ne Deus Deum? *Anom.* Minime quidem is, qui est non-factus. *Orth.* Est igitur *ἄθεος, id est, absque Deo*. Viden' ergo, quam puerilia & illiberalia sint vestra cogitata? Quamobrem vestigiis sanctæ Scripturæ insistentes, dicamus potius Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Deum: neque timebimus, ne circa fidem naufragium faciamus. Nam illud non-factum, est inventum aquilæ volantis, quærentis escam, cujus firmum vestigium inveniri nequit: nec enim habet in Scriptura, ubi pedes ponat. *Anom.* Acceptam epistolam Aetii lege, & loquere adversus illam. *Orth.* Tu ipse lege. *Anom.* Sunt una cum ea Eunomii quoque scholia. *Orth.* Ergo & illa recita.

6. Scholia Eunomii, & responsio Orthodoxi ad illa.

Voluntas non idem est atque substantia Dei: nam voluntas incipit & desinit; substantia vero nec incipit, nec desinit. Id autem, quod incipit & desinit, non potest idem esse atque id, quod nec incipit nec desinit. Præterea, Si voluntas idem esset atque substantia Dei, oporteret cum una sit substantia, unam esse voluntatem: ac juxta sacrarum literarum doctrinam, non unica, sed multæ voluntates inveniuntur: cum dicant, *Psal. 113. 3.* *Omnia quæcumque voluit, fecit*: multa igitur voluit, non autem unum quiddam. Quod etiam magis perspicue videre licet in mundi creatione. Voluit enim esse mundum, & is exstitit prout voluit, atque factus permanet. Aliud est autem illa perseverantia, quam voluntas cōdendi illius: denunciavit vero fore etiam, ut mundum transformet. Ergo quia voluit transformat. Neque vero multæ duntaxat, verum etiam diversæ sunt voluntates. Voluit enim cælum, voluit & solem, voluit & terram. Cum autem ista, quæ vult, diversa sint, necesse est differre quoque voluntates illorum creandorum: quod etiam oportet de rebus, quæ mente concipiuntur, accipere. *Orth.* Ergo, si, ut tu quoque sentis, voluntas non idem est quod substantia, & quæcumque facta sunt, opera sunt voluntatis ejus, fatere Filium esse ex ejus substantia; sic enim eum etiam unigenitum esse fateare, quod solus ex substantia genitus sit. Nam si & ipse voluntatis Filius est, non est unigenitus, cum multi sint geniti voluntate. Scriptum est enim: *Volens genuit nos verbo veritatis*. *Jacob. 1. 18.* Non sunt autem multæ Dei voluntates, ut tu existimas. Non enim quia diversa sunt opificia, diversæ quoque sunt voluntates: sed sicut Deus hominem unica voluntate ex diversis membris & partibus condens, fecit oculos, aures, nares, comam, intestina, & varie intestina disposuit, splenem, hepar, renes, & quæcumque in nobis sunt: sic etiam universum mundum unica voluntate creat.

7. *Anom.* Nū major est Pater Filio? & si major, in quo major est; utrum mole corporis major, aut natura *ἀγεννησίας*, sive quod sit nativitatis expers? & utrum non-genitum esse est substantia, an vero nihil est? *Orth.* Scribitur Pater major esse Filio: at neque mole, neque tempore, neque natura, sed quatenus Pater est Filii, qui humanitatem assūsit. Propter hanc autem hominis assūtionē dicit Apostolus eū inferiorē factum fuisse etiā Angelis, sic scribens: *Eum autem qui paulo minor factus Angelis est, cernimus Jesum per mortis passionem*. *Hebr. 2. 9.* Propter hanc quoque hominis assūtionē subjectus fuit Mariæ & Josepho: *Erat enim subditus illis*, ut in Euangelio scriptum est. *Luc. 2. 51.* *An.* Sed natura major, idcirco quod sit *ἀγέννητος*, sive non-genitus, est ne aliquid, an vero nihil est, sicut prius dicebamus? *Orth.* Nihil est natura: nec enim substantia est. Itaque si major est Pater, eo quod sit non-genitus, & non-genitum esse nihil est, consequitur, nihilo esse majorem. Qui vero nihilo major est, in omnibus est æqualis. Nec enim sane Pater est Filio inferior. *Anom.* Æquale igitur esse dicis non-genitum, ei quod genitum est: & quomodo verax fuerit, qui dicit: *Pater, qui misit me, major me est?* *Orth.* Non-genitum esse, non est substantia in Deo & Patre, sed nullum esse Dei Patrem ostendit. Nullus autem ideo major est quopiam, quod Patrem non habeat. Nam neque Adam Patrem habuit, neque Eva, & tamen sunt nobis consubstantiales. Sed quomodo inter philosophandum de non-genito & genito, veluti tui ipsius oblitus subjecisti: *Pater, qui misit me, major me est?* *Joan. 14. 28.* Oportebat enim te potius, ut tecum ipse consentires, dicere, Non-genitus, qui misit me, major me est. Sed hoc scriptum non est, ideoque recte non dicis. *Noli multum argutare, nequando consterneris*. *Eccles. 7. 17.* Neque enim es sapientior Daniele, nedum ipso Spiritu, qui Patrem quidem nos docuit, non-genitum vero nequaquam.

Dubium an sit legendum γεννητὸς & ἀγέννητος.

8. *Anomæus.* At si mole Pater est major, compositus fuerit ipse non-genitus, quamvis simplex sit ac figuræ expers: siquidem moles est compositum & dividuum quiddam: quoniam omnis moles ex partibus constat, & partium compositionem habet: quod de Deo dicere absurdum est. *Orth.* Deo compositionem & molem tribuere absurdum est, vere inquam absurdum. Est autem Filius quoque, vel te invito, Deus non compositus, sed simplex & expers figuræ: ut absurdum sit compositionem aut molem ipsi attribuere. Quod si ita est, majus sane in his non comperietur. Ipse vero, quem in confesso est simplicitate & eo quod neque compositus est, neque figuram habet, deitate denique Patri æqualem esse; majorem dicit Patrem, eo quod servi formam assumserit, & Patrem honorat. Itaque audis eum dicentem: *Honorifico Patrem, & vos inhonorastis me*: *Joan. 8. 49.* & Pater honorat Filium, quem ad dexteram suam collocavit, & ad quem omnes trahit. Dicit enim

Ibid. 6. 44. Filius: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum ad me.*

9. *Anom.* Præterea, Si non-genitum est aliquid, hoc vel est totum vel pars: si pars est, Deus erit sibi ipsi dissimilis; siquidem una ejus pars est non-genita, altera vero genita. At si tota ejus natura est non-genita, & Pater omnino major, statim eo recidit res, ut alterius ac diversæ sit substantiæ. Nam si tota Patris substantia est non-genita, nec ulla ejus pars genita est, Filius vero est ipsi in eo dissimilis, quod ille non sit genitus, consequitur eum totius essentiæ ratione esse Patri dissimilem. Quid ais igitur, præterquam quod non sit genitus, & in eo quod sit non-genitus, Filio præcellere? At non-genitum ni- B hilo Filio majus erit, quod extra Patris essentiam dicatur. Quod si ipsa excellentia extra Patris substantiam est, æqualitas in ipsa substantia est. Sed majus est Filio, quod genitum non est. Et æqualitas in Filio erit illud quidem non-genitum, cum hæc sint genita. *Orth.* Arripere non decet, quæ scripta non sunt, sed regnum cælorum. Quorsum igitur arripis, quod neque Scriptura, neque nos damus? Nullus enim nostrum tibi concedit Patrem esse majorem, ideo quod sit ingenitus. Nec enim Filius dieit, Qui est ingenitus, major me est; sed, Pater, ad quem erat profecturus. Nam sic loquitur: *Si diligeretis me, gauderetis, quia* C *dixi, vado ad Patrem: Pater enim meus major me est.* Vadit autem, quatenus formam servi accepit: quatenus vero est Deus, habet Patrem in semetipso, dicens: *Ego in Patre, & Pater in me*, &, *Ego & Pater unum sumus: qui vidit me, vidit Patrem: Pater in me manens ipse facit opera.* Ne igitur insperge agro divinæ Scripturæ ista zinania, non-genitum & dissimile: sed si vis in ipsis vocabulis philosophari, philosophare demum in nominibus incorruptibilis & immortalis. Hæc enim sunt agri Scripturæ semina: ut, Si immortale est, aut totum est, aut pars; si pars est, Pater fuerit sibi ipsi dissimilis, siquidem pars ejus una fuerit immortalis, D altera non item. At si tota ejus natura est incorruptibilis, & immortalis, & Pater est omnino immortalis & incorruptibilis, protinus quoque Filius ipsa substantia idem esse comperietnr. Nam si tota substantia est incorruptibilis & immortalis, nec ulla est ejus pars repugnans, nempe in tota essentia est identitas. Quomodo igitur audet aliquis dicere dissimilem? Dicitis esse energiæ sive efficacitatis imaginem. Quod si efficacitas eadem est atque substantia, erit nimirum Filius substantiæ imago.

Cur ἀγέννητον modo ingenitum, modo non-genitum vertamus vide in Præfat.

Joan. 14. 28.

Joan. 10. 30.

Joan. 14. 10.

Quæro igitur, Genuit Pater, an non? Genuit, in- E quit. Num ex substantia, an vero ex voluntate? Non ex substantia, inquit, sed ex voluntate. Nam bonitatem & voluntatem vel aliud esse dicis quam substantiam, vel eamdem atque substantiam. Si eamdem dicis, & Pater ex voluntate & bonitate genuit, sic quoque consubstantialem Patri Filium dicis: quod tu minime vis. Dicis autem & illud, Omnia facta sunt per Filium ex Dei voluntate. Jam vero si voluntas eadem est quæ substantia: omnia igitur & reptilia, & natatilia, ceteraque item omnia, fuerint Deo consubstantialia, siquidem *omnia, quæcumque voluit fecit in cælo & in terra.* Ita si, ex iis quæ dicis, Filius F est efficacitatis imago, nonne etiam est substantia nullo modo diversus? Itaque si tuæ sententiæ fautores evertere conaris, ipsos confutasti: sin autem veram ipsam doctrinam, illum ne audivisse quidem umquam videris, Filium enim esse ipsius substantiæ imaginem dixit Apostolus: *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ, seu character hypostaseos.* Nam character hypostaseos nihil aliud est, quam substantiæ imago. Ceterum non idem esse voluntatem atque essentiam, nos quoque dicimus. Ideo enim Filium quidem ex A substantia genitum, nos vero ex voluntate prodiisse dicimus. Ex tua porro sententia idem non est voluntas quod substantia, & substantia neque cœpit, neque desinit. Hæc igitur imago neque cœpit, neque desiit. Voluntas autem & initium & finem habet. Illos igitur tibi habeto, qui idem esse dicunt voluntatem atque essentiam. Nos enim & volumus, & fatemur, & credimus Filium esse Patri consubstantialem. Nam propterea etiam unigenitum esse credimus, quia ipse solus ut antea dictum est, ex substantia genitus est, reliqui vero omnes ex voluntate sunt. Cum autem dicimus Filium esse consubstantialem Patri, minime dicimus eum esse sibi ipsi consubstantialem, cum sibi ipsi B nemo sit consubstantialis. At tu si revera fateris omnia ex Patris voluntate per Filium esse facta, & una cum aliis Filium quoque factum esse dicis, concedas etiam oportet a seipso factum esse: quod si absurdum id est, sane non est voluntatis Filius. Nam si *Quæcumque facit Pater, hæc & Filius similiter facit*, faciet etiam Filius alium filium, ut omnia similiter faciat quæ Pater. Quod si alium filium non fecit neque facit, ipse quoque non est opificium. Veraciter enim loquutus est cum diceret: *Quæcumque facit Pater, hæc & Filius similiter facit.* Non facit autem seipsum Filius: non est igitur factum quidpiam. At dices, non dixisse Chri- C stum, Omnia quæ fecit, sed quæ facit: scito morem esse Scripturæ de rebus præteritis loquentis præsens tempus usurpare: cujusmodi illud est: *Qui facit Angelos suos spiritus.* Et alibi: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam:* &, *Qui facit Pleiada, & Vesperum, & Arcturum, & penetralia Noti.*

Hunc locum referens Joannes Cyparissiotes Decad. 2. c. 5. hunc dialogum vocat Athanasii cum Ario in Synod. Nicæna.

Hebr. 1. 3.

Joan. 5. 19.

Psalm. 103. 4.

10. *Anom.* Ante omnia vero & in primis quærere ex ipsis oportet, quid significet non-genitum. Nam si substantiam declarat, quod verum est, tanta erit discrepantia. *Orth.* At nos quoque ante omnia quærimus, quid significet genitum. Nam si substantiam declarat, quod falsum est, omnia genita erunt consubstantialia. At si D non sunt consubstantialia omnia genita, quod verum est, genitum igitur non est substantia. Ac si genitum non est substantia, non-genitum quoque non fuerit substantia. Quod si non-genitum est substantia, genitum vero substantia non est, quidquid genitum est, erit substantiæ expers. Quorsum igitur Filium dicis dissimilem? Quod enim non est, ei quod est, neque simile est, neque dissimile. Nos vero Filium dicimus quidem Genitum, non autem Factum. Genitum enim est, quod Patrem habet, factum vero, quod opificem habet.

E

Ex Epistola Aetii, Magistri Eunomii.

Quandoquidem in tempore persequutionis nobis a Chronitis illatæ, quidam eorum aliena intervertentes, inter alias nostras lucubrationes, quoddam nostrum opusculum peculiariter a nobis elaboratum de Deo genito & de non-genito Deo, insertis & exemtis nonnullis intervertentes depravatum ediderunt, adeo ut ordinem & seriem eorum, de quibus agitur, perverterint, quod ad nos postea opera boni cujusdam viri perlatum est; coactus sum ego, utpote illius operis parens, scriptum illud rursus expurgatum ad vos omnes mittere, F qui & quæ pro pietate certatis: ut intelligere possitis ex sententia Scripturarum habitum a me fuisse sermonem istum, ex quo possitis quemvis super γεννητῷ & ἀγεννήτῳ vobis contradicere aggredientem, ac illos quidem Chronitas in primis brevibus confutationibus compescere: quæstionibus a quæstionibus, & solutionibus a solutionibus versuum specie quadam distinctis, ut captu facilia, utque etiam magis perspicua essent argumenta, initio facto ab ἀγεννήτῳ Deo & γεννητῷ.

11. *Orth.* Ne gloriare ob persequutionem; siquidem persequutionem passus es. Nam & ipse Filius eos perse-

sequutus est, qui domum Patris sui converterant io domum negotiationis: quod cum ita sit, non est prorsus laudabile si quis persequutionem patiatur. Nec ideo nos Aetius Chronitas, seu temporarios appellat, quod a tempore quodam initium fidei habeamus. Minime gentium. Sed quia dicimus Filium ex Patre gigni. Gigni autem Arianis est temporaneum. Verum, quosnam vocas Chronitas? eosne qui jam inde a sanctis Apostolis usque ad hodiernum diem collaudaot Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; an tuos qui ab uno & altero die apparuerunt, & hæresi laborant, qui sanctum Patris & Filii nomen abjeceruot? qui sese extollunt supra eum ipsum qui docuit baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sese existimant eo sapientiores, qui Patrem esse Patrem, & sese esse Filium docuit? Demus autem nonoullos aliquid aut inseruisse aut adjecisse tuo isti perscripto sceleri, quid nunc dicis? quam majorem blasphemiam excogitas, qui Filium dicas substantia dissimilem? an aliquid amplius potes dicere? Nonne & Judæi & Græci ipsum esse dicunt, qui tamen noo credunt ipsum esse Deum, & idcirco ea ipsa dicunt, quæ tu dicis objecto nobis non-geniti & geniti vocabulo, desertoque Patre & Filio, quod est Judæis offendiculum, & gentibus stultitia? & vis eorum Patrem esse qui pro Deo genito & non-genito pugnant? Quod si etiam tibi concedatur in nomine non-geniti & geniti baptizare, quid facies cum nominandus erit Spiritus? num ipsum neque genitum, neque non-genitum, an vero genitum etiam vocabis? Quomodo vero ex tua sententia id quod est genitum a genito differet substantia, siquidem geoitum est substantia?

12. *Anom.* Si Deus efficere non potest, ut quod genitum est, oon sit genitum, ne illud quidam affecerit ut quod non-genitum est, sit genitum. *Orth.* Etiam si efficere non possit ut quod genitum est, sit non-geoitum, ut & meotiri non potest, non tamen ei adimitur gignendi, ut neque verum dicendi facultas. Gignens autem non gignit non-genitum, sed Deum; Deus enim Deum genuit: & neque ex genito non-genitum, neque ex noo-genito genitum fecit. *Anom.* Deus non-genitus omni causa præstantior est: quod si omni causa præstantior, ergo & generatione, ut qui neque ab alia natura acceperit suum esse, neque ipse sibi esse præstiterit, non ob naturæ imbecillitatem, sed quod omnem causam transcendat. *Orth.* Vere sane illud: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*, io vos dictum est, qui Filium Dei oppugnatis. Rom. 1. 22. Nam si non-genitus Deus, qui omni causa præstantior est, etiam generatione præstantior est. generatio non est substantia, sed causa: at si generatin non est substantia, sed causa: age tu ipse substantiam dicito. Quin etiam quam tandem Filii causam esse vis? generationem, an ipsum Patrem? Est autem Pater, ut tu censes ἀγεννησία, seu ionascibilitas. Hæc igitur erit Filii causa: sin vero non ipse Pater est Filii auctor, sed generatio; nempe fuerit generationis Filius, & generatio Pater ipsius. Itaque baptizatus in Patrem, fueris baptizatus in generationem, & in ejus filium. Nam fortassis ne audivisti quidem an sit Spiritus sanctus. *Anom.* Quomodo quis admittat eam naturam, quæ subsistentiam accepit, nihil substantia differre ab ea, quæ subsistentiam dederit, si ejusmodi hypostasis noo admittit generationem? *Orth.* Siquidem ea natura quæ subsistentiam accepit, extrinsecus accessisset, noo esset invariata: sin vero ex eo genita est, ut gloriæ splendor, & hypostaseos character, invariata est. Dixit enim, *Qui vidit me, vidit & Patrem*, non quod se Patrem esse diceret, sed talem qualis Pater est.

13. *Anom.* Si in perpetuum permanet Deus in natura non-genita, & quod genitum est, perpetuo est genitum, perversa consubstantialis & similis esseotiæ doctrina statim abolebitur. Statuitur autem substantia esse comparationis omnis expers, si utraque natura in sua naturali proprietate indesinenter permanet. *Orth.* Fateris quod genitum est, vere esse genitum: erit ergo consubstantiale, non tamen non-genitum. Ostendimus eoim non-geoitum non esse substantiam. Nam si non-geoitum esset quædam natura, genitum quoque natura esset. Quod si genitum esset natura, omnia genita essent ejusdem naturæ. Ergo cum omnia geoita non sint ejusdem naturæ, genitum non est natura. quod si genitum non est natura, non-genitum item non est natura. Unigenitum autem esse Patri suo consubstantialem, audimus ipsum his verbis dicentem: *Omnia quæcumque facit Pater, hæc & Filius similiter facit*. Joan. 5. 19. Quorum enim eadem operatio, eadem quoque est substantia. *Anom.* Si Deus est substantia non-geoitus, id quod genitum est, non fuerit genitum substantiæ remotione, sed potestate ei subsistentiam tribuente. Eamdem enim substantiam dicere & genitam esse & non-genitam oulla pia ratio patitur. *Orth.* Genitum illud, non est genitum substantiæ remotione: hoc eoim esset corpoream substantiam dicere, sed ex incorporea substantia, ita nt Dei naturæ convenit, genitum est, ut gloriæ splendor. Quod si ipse quoque est ex potestate, ut & qui eum receperunt; scriptum est enim: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Joan. 1. Quomodo ipsum dicis unigenitum & natura Deum, cum ex Dei potestate multi sint dii & filii? Eamdem vero naturam esse genitam & non-genitam nemo dicit: siquidem ostensum est, neque non-genitum, neque genitum, esse substantiam. *Anom.* Si id quod est non-genitum, genitum est, quid prohibet, quo minus, quod genitum est, fuerit non-genitum? Omnis enim natura potius ad id, quod ipsi proprium est impellitur, quam ad id quod est ab ipsa alienum. *Orth.* Non genitum neque genuit, neque genitum est, cum non sit substantia: sed Deus, etiamsi Judæi tecum id nolint, genuit: sin minus, supervacanea foret Patris appellatio. Cum autem dixisti naturam potius ad id urgeri, quod est ipsi proprium, simul docuisti non-genitum non esse naturam. Cum enim quidpiam urgetur, alterum ad alterum urgetur. Quod si neque rei propriæ neque naturæ Filius est, hoc dicito Judæis; afferes enim eis felicem nuncium: quod videlicet eum, qui neque rei propriæ neque naturæ filius erat, crucifixeruot, quoniā Deū Patrem esse suum dicebat.

14. *Anom.* Siquidem non totus Deus est non-geoitus, nihil impedit quominus genuerit substantialiter. At si totus est non-genitus, non divisus est substantialiter ad generandum. sed potestate tribuit subsistentiam genito. *Orth.* Si totus Deus est genitus, nihil prohibet, quo mious genuerit substantialiter. At Filius, ot tu ipse sentis, totus est genitus. Dic igitur, quem genuerit substantialiter. Quod si nullum genuit substantialiter, & genitus est; non igitur consequitur, quia genitus est, eum generare substantialiter. At si Filius; eo quod sit genitus, non gignit; ne Pater quidem, quia non-genitus est, gignit; sed quoniam Deus est, ipsaque gloria, splendorem habet, eum videlicet quem geouit Deum io sese subsistentem. Nisi enim ex substantia genuerit, non est Pater secundum substantiam. Et quorsum baptizas in nomine Patris, qui non sit secundum substantiam Pater? Ceterum gignens ex sua substantia Pater, non divisus est ut sentis, quoniam ea substantia non est corpus. *Anom.* Si Deus non-genitus est totus generandi vl præditus, id quod genitum est non est substantialiter genitum, cum tota illius substantia eam vim habeat, qua gignat, non autem

tem qua gignatur. *Orth.* Ex tua sapientia, si gignendi vi prædita est lux universe, non gignit splendorem ex sua essentia, sed extrinsecus ipsum recipit, quoniam tota vim habet qua gignat, non autem qua gignatur: sin vero lux non recipit extrinsecus splendorem, sed ex sua substantia illum gignit; Deus quoque non aliunde acquisivit Filium, sed eo ex sua substantia genito, individuus manet, quoniam est incorporeus.

15. *Anom.* Si vero substantiam Dei transformatam dicamus esse id quod genitum est, substantie Dei non est immutabilis, cum mutatio proprie Filium formaverit. *Orth.* Si lux transformatione fit splendor, lux non erit mutationis expers, quia ipsius mutatio splendorem efficiet: sin vero nulla lucis mutatione fit splendor, sed lux manet lux, & est splendoris causa; Deus quoque manet Deus, & est sui splendoris Pater, non quod eum extrinsecus acceperit, sed quoniam ex sua substantia eum genuit: quamobrem etiam vere est Pater. *Anom.* Si substantia Dei esset immutabilis & generatione superior, fateri oporteret nomine tenus esse Filium. *Orth.* Si nosses generationem non esse substantiam, nosses & illud, Filium & quamvis aliem substantiem, esse quiddam generatione præstantius. Nam si generatio est substantie, genita omnia sunt consubstantialie. Generatio igitur non est substantia, ec proinde non est præstantior substantie, alioqui ipso etiam Filio, si tuam sapientiam sequamur, præstantior esset: et hoc si absurdum est; substantia igitur est præstantior generatione, nec megni quidquam de Patre sentis, cum dicis ejus substantiam esse generatione præstentiorem. Ceterum si in nudum nomen baptizatus es, eur tuum baptismum ut satis firmum habes? Nonne illud nudo nomine tenus obtinueris? Nam si Filius & Pater nuda sunt nomina, baptizatus in Patris, & Filii nomen, in nudam eppelletionem es baptizatus.

Hac Felic;

Hæc quæ sequitur appendix in MSS. Codd. Illustris Biblioth. Palat. continua scriptura cum præcedentibus cohæret.

16. *Anom.* Si genitum, seminis more in non-genito exsistens, post generationem extrinsecus eliquid essumit; vir factus, ut ita dicam, & perfectus est Filius, non unde genitus est, sed ex iis quæ assumsit: quæ enim pro naturæ ratione assumunt, utpote quæ ex essumtis constent, perfecti nomen diverso modo admittere solent. *Orth.* Si seminis modo splendor est in luce, dicito Filium in Patre esse; sin vero stultum fuerit id affirmare, stultum quoque fuerit dicere Filium, seminis more esse in Patre. Perfectus autem est Filius, non profectu & incremento, sed ex perfecto perfectus genitus: unde & dicitur non tantum splendor, sed & character hypostaseos, non operationis. Character vero hypostaseos non perficitur quodam profectu *aut incremento*, sed in ipsa essentia obtinet perfectionem, haud secus quam homo, hominis hypostaseos character est, non ex profectu, sed ex ipsa identitate. *Anom.* Si perfectum genitum in non-genito, necesse est ex iis genitum esse, ex quibus exsistebat in non-genito, & non ex iis, ex quibus ingenitus genuit: neque enim possibile est naturam genitam esse in non-genito, hoc enim foret esse & non esse: quie quod genitum est, id genitum non esset: cum partium dissimilitudo de Deo cogitata blasphemiæ injuriam contineat. *Orth.* Si scires donum Dei, & quis sit, qui præcepit baptizari omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non utique Patris, & Filii nomen repudieres, arbitratu tuo falsa religione temere inflatus adversus eum, qui rectam nos docuit *fidei* confessionē: quando vero existimans te sapientem esse, Petrem non finis esse Patrem, age ne tibi prudens esse videare, a nobis audi: perfectus fuit, est, & erit Filius in Patre. Nam *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum*, etiamsi nolis, Aeti. Et non prius erat, & tunc genitus est, neque etiam cum non esset, genitus est, sed coæternum est hoc genimen, tamquam scilicet splendor æternæ lucis: differt eutem natura genita & non-genita, non quatenus natura est, sed eo ipso tantum quod genite & non-genita est. Nam nec Adamus natus est ex muliere, nos vero nati sumus: nec tamen natura ab Adamo differimus, sed eo tantum quod nos nati simus, ille natus non sit ex muliere. — Joan. 1.

17. *Anom.* Cum naturæ non-genitæ omnipotens ille exsistens Deus, seipsum non norit *esse* naturæ genitæ, Filius vero genitæ naturæ exsistens, norit se hoc *esse* quod est, quomodo erunt consubstantiales, cum ille se non-genitum, iste autem se genitum esse norit? *Orth.* Si non-genitum & genitum existimas ipsas esse naturas: norit vero Gabriel se genitæ esse naturæ, qui fit quod non etiam Gabriel sit consubstantialis Filio? Si vero naturæ genitæ cum sit Gabriel non novit seipsum, liquet quod genitum esse non sit ipsa natura? Si eutem non idem est natura quod genitum esse, nec idem erunt non-genitum esse & natura. Sed cave factum dicas Filium, rerum omnium opificem: at genitum appelles prout scriptum est. Genitum enim esse est habere Patrem; et factum esse, est habere opificem. Nostri quidem opifex est Deus Pater per Filium; at Filii sui neutiquam opifex, sed Pater: neque enim quisquam sui Filii opifex est: quoniam non amplius esset Pater, sed opifex. opifex namque est, qui opus extra se in ortum adducit; et Pater is est, qui ex seipso gignit. Dum autem opificem Deum audis appellari, nequaquam tibi imagineris defatigationem aut laboris molestiam: sicut & eum Patrem eudis dici, ne quem *seminis* essluxum requiras: sed ita res cogita, ut Deo dignum & conveniens est, ut Deus efficiaris, & non sicut homo moriaris. *Anom.* Si vox non-geniti non declarat Dei substantiam, sed commētum humanum, et incomparabile illud nomen, gratiam utique debebit Deus iis, qui non-genitum illud commenti sunt, ipse nominis excellentiam in substantia non ferens. *Orth.* Si non-genitum esse Dei hypostasin repræsentat, & in eo consistit incomparabile illud Dei nomen, quomodo id nos non docuerunt divinæ litteræ? Quin & Paulus illud electionis vas lapsus est, cum docuit competere ipsi soli esse incorruptibilem & invisibilem, non vero non-genitum. Sed quando tu vis sapientior esse divinis litteris, dic quæso mihi, an non incorruptibilem, invisibilem & mendacii expertem esse denotet ipsam Dei hypostasin: si enim non denotant, lapsus est cum diceret: *Soli incorruptibili, invisibili & sapienti Deo*. Nisi enim hisce comprehendatur incomparabilis illa præstantia, non erit soli ille incorruptibilis atque invisibilis: sin vero soli ei competit incorruptibilitas & invisibilitas, comprehendetur etiam in his illa incomparabilis præstantia, & non in tuo commento. — Psal. 81. 6. — 1.Tim.1.17.

18. *Anom.* Si extrinsecus in Deo consideratur nomen non-geniti, qui cogitarunt potiores erunt eo cui attributum est, utpote qui nomen natura præstantius ei attribuerint. *Orth.* Noli insolenter exsultare quasi excogitaveris Dei nomen, ne forte audias: *Et tu Capernaum, quæ usque ad cælum exaltata es, usque ad inferos deprimeris*. Quod autem eltius ea sapias *urbe*, inde apparet, quod divinitus inspirata scriptura pronuntiet dixisse Deum: *Apparui Abrahamo*, — Matth. 11. — Exod. 6.

Isaac

Isaac & Jacob, cum Deus sim eorum, & nomen meum non manifestavi illis. Tu vero illud te invenisse dicis. Quod autem non-genitum esse non sit Dei nomen, inde liquet, quod Dominus dicat: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Quod enim nomen Patris esse dixeris, hoc ipsum etiam Filii, & Spiritus sancti esse concedas necesse est: si enim aliud est *nomen* Patris, & aliud Filii, & item aliud Spiritus sancti: tu vero nomen Patris, ut quidem putas, invenisti, dic etiam, quodnam sit nomen Filii: ubi vero nomen Filii dixeris, dic etiam nomen Spiritus sancti, ut tunc audias quod cum te sapientem dictites, stultus factus sis. Quæ anim scriptura non dicit, tu numquam inveneris. Purro si existimas Patri competere non-genitum, & Filio genitum esse, dic quæso, quodnam ex his attribues Spiritui sanctn? *Anom.* Si etiam genitum est immutabile secundum naturam, sed propter eum, qui genuit: non-genitum vero substantia est, immutabile igitur propter voluntatem erit, non ex substantiæ dignitate. *Orth.* Quod si Filius Dei non est immutabilis substantiæ dignitate, in quo ergo differt ab aliis rationalibus facultatibus, utpote quæ & ipsæ immutabilitatem obtineant voluntate ejus, qui creavit? & quomodo tu fidem habes dicenti: *omnia, quæ Pater habet mea sunt:* siquidem non habet immutabilitatem ex substantiæ dignitate.

Matth. 2. 8.

19. *Anom.* Si non-genitum substantiam significat, rationi consequens fuerit, quod a genito substantia distinguatur: si vero non-genitum nihil significat, multn magis etiam nihil significabit genitum: jam ergo nihil a nihilo quomodo distingues? Si vero prolatio non-geniti opponitur prolationi geniti, certe silentio pronunciationem excipiente fiet, ut modo sit, modo evanescat spes Christianorum, utpote in quadam prolationis varietate sita, non vero in naturis ita se habentibus, ut nominum significatio postulat. *Orth.* Etiam si tibi concederetur dicere de Deo, quod sit non-genitus; nos tamen dicimus non-genitum tum significare, non esse genitum quoad substantiam, quemadmodum mendacii expertem esse non mentiri, quoad substantiam. At vero, mendacii expertem essa, non est ipsa substantia: nec non-genitum essa. Si enim non-genitum est ipsa substantia, etiam mendacii expers est ipsa substantia: est vero & Filius mendacii expers; igitur & non-genitus. Jam vero non-genitus non est, igitur secundum te mendax. Quare non est idem substantia, quod mendacii expertem esse. Quemadmodum igitur mentiri non posse non est substantia, ita quoque non-genitum esse non est ipsa substantia: si enim non-genitum esse est substantia, etiam genitũ esse substantia erit: quod si genitum esse substantia est, omnia genita erunt consubstantialia. Porro quod non-genitum & genitum ipsam significet essentiam, tuæ pronuntiationis commentum est, non minus increpandæ, quam mare fluctuans & æstuosum. Spiritus siquidem ille veritatis Patrem nobis & Filium prædicavit, quæ nomina relationes nobis indicant. Nec vero objicias; quod Deus quidem natura & veritate Deus sit: Pater vero secundum quid, utpote qni non genuerit natura & veritate: quamobrem spes illa tua, qui comminisceris non-genitũ & genitum significare substantiam, in die illa judicii, silentio prolationẽ intercipiente, nusquam comparebit: illa quippe solum tum rata comperientur, quæ sanctus Spiritus enuntiavit.

20. *Anom.* Si non-genitũ esse respectu rei genitæ ad eminentiã essentiæ *connotandum* nihil amplius infert, prolatione solũ superior Filius potiores agnoscet eos, qui hoc ei nomen tribuunt, non autem eum qui Deus & Pater ejus dicitur. *Orth.* Tu nimirum is es, qui Patrem non-geniti nomine nuncupasti, & hoc ipsam Dei substantiam esse, Judæis tanquam lege sanxisti: nusquã enim hoc divinus ille Spiritus docuit: unde in confesso est te non quidem Filio præstantiorem, sed ipsn, qui te talia docuit, diabolo pejorem compertum iri. *Anom.* Si non-genita substantia præstantior est ipso ortu a seipsa obtinens eam eminentiam, atiam ea quæ a se est substantia, non-genita erit: neque enim vnlens quia vult præstantior est nrtu, sed quia ipsa substantia ipse ingenitus Deus; id nulla ratione permittit, ut aliquam adversum se generationem quis comminiscatur, ac in aum qui ganitus est rejicit nmne ejusmodi mentis examen & ratiocinium. *Orth.* Omnis substantia præstantior est ortu: non enim est idam substantia & ortus. Quod autem ortus non sit substantia, ex eo liquet, quod quæ ortum habent non omnia sint consubstantialia. Quod si quæ genita sunt non sunt ejusdem substantiæ, non igitur idem est ortus & substantia: si vero ortus non est ipsa substantia, nec ortus privatio substantia erit. Si vero privatio ortus est substantia, ortus autem substantia non est, cur tu dissimile dicis? cum ens non enti nec dissimile sit nec simile.

21. *Anom.* Si non-genitum in Deo denotat privationem, & non-genitum esse nihil est, quænam cogitatio discernet illud quod speciem nullam significat, ab eo quod non est? quisve separabit ab ente ens, hoc est, idem a saipso? *Orth.* Si incorruptibile & immortale connotant privationem, connotet sane eam & non-genitum. Iisdem igitur & nos rationibus & vocibus utamur: Si privationem in Deo quamdam significat incorruptibile, & hoc ipsum incorruptibile nihil est, quæ ratio distinguet id quod nullam speciam significat, ab eo quod nihil est? quisve secernet a nihilo nihil, aut ab exsistente exsistens, quæ privationem denotant, nempe incorruptibile, immortale & non-genitum? Quod si idem significant incorruptibile immortale & non-genitum, & ipse Filius incorruptibilis & immortalis est, erit & ipse non-genitus: sin vero non est non-genitus, cum sit incorruptibilis & immortalis, non profecto idem significat non-genitum & incorruptibile siva immortale. Sin vero id non denotat, & tamen adhuc confirmas non-genitũ esse ipsam substantiã, erit omnino substantia secundũ te, & sapientiæ tuæ ratiocinationes, non-genita quidẽ substantia, non vero immortalis & incorruptibilis. *Anom.* Si privatio ast habituum remotio, illud quod Deo tribuitur, non-genitũ esse, aut privatin erit ipsius habitus, aut erit habitus privationis: quod si est privatio ipsius habitus, quomodo id quod Deo non inest, Deo connumerabitur: Sin vero non-genitum est habitus, necesse fuerit præsupponi substantiam genitam, ut sic assumto habitu denominetur non-genita: si vero genita non-genitæ substantiæ particeps fuit, & habitus jacturam passa ortum exuit, fuerit utique substantia quidem genita, non-genitum vero habitus. Sin vero genimen nonnihil significat, manifestum est, quod etiam significet habitum, sive jam transformatum sit ex substantia, sive illum ipsum, quod dicitur genitus ab aliquo. *Orth.* Paribus iterum utamur rationibus; illud ipsum enim asseruerit quispiam etiam de istis, nimirum mendacii expers, immortalis, & incorruptibilis: siquidem hæc eodem modo usurpantur quo non-genitum: quod quidem etiam tibi concedemus, quamvis Spiritus veritatis loquutus ita non sit. Dicemus ergo & nos: Si privatio est habitus remotio, etiam quod da Deo prædicatur, mendacii expertem esse, aut est privatio habitus, aut habitus privatinnis. At si est privatio habitus, qnomodo id Deo connumerabitur, quod ei non inest? sin vero illud, mendacii expertem esse, est habitus, necessario præsupponitur & mendaciũ, & mendax substantia, ut ita habitu assumto, mendacii expers dici possit. Sin vero mendacio nbnoxia substantia par-

ticeps facta est ejus, quæ mendacii expers sit, & habitus jacturã passa mendacio sit privata: fuerit utique substãtia mendax: & τὸ expers mendacii, habitus, & tua illa arrogans sapientia tantæ impietatis materiã repererit.

22. *Anom.* Si genitum æque ac non-genitum habitus est, substantiæ quidem habitibus priores erunt: habitus vero licet substantiis posteriores sint, tamen iisdem digniores. Non-genitum vero geniti causa est, quatenus ipsum esse denotatur. Sin vero genitum infert substantiæ suæ causam, significabit sane vox genitum substantiam, non habitum: cum vero natura non-genita nihil ipsa in se introducat, quomodo ergo non substantia, sed habitus fuerit illa non- B genita natura? *Orth.* Substantia quidem nihil est dignius, vir sapientissime, nec tamen vel habitum vel substantiam vocamus in Deo τὸ non-genitum. Non esse autem eum genitum per eum didicimus, idque non tantum ex Scriptura divina, sed etiam ex communi hominum natura & notione: igitur non-genitum causa non est geniti: nec quia Deus non-genitus est, ideo causa Filii est, sed substantia substantiæ, non secus ac lux splendoris. Nec tamen genimen suam ipsius essentiam infert: si enim hoc foret, jam omnia quæ genita sunt eamdem inferrent essentiam, nimirum & angelus, & C equus, & canis, & homo. Sed hæc omnia quidem licet genita sint, non tamen ejusdem sunt essentiæ. Quod si ita sit, sane non idem est genitum esse, quod essentia: & quamquam nihil infert non-genitum, est tamen aliud ipsa substantia: nam & mendacii expertem esse, nihil addit Deo, nec tamen idem est quod substantia: si enim τὸ mendacii expertem esse, & τὸ non-genitum esse idem sunt quod essentia, etiam idem erunt mendacii expers & non-genitum. Filius vero, qui ipsa est veritas, mendacii expers est; ergo etiã non-genitus erit: non est autem secundum te non-genitus, & est tamen mendacii expers; igitur mendacii expers D non idem significat quod non-genitum. Si vero non idem significat, sane essentia non est ingenitum, quoniam nec ipsum mendacii expers esse ipsa essentia est.

23. *Anom.* Si omnis substantia est non-genita, qualis & Dei omnipotentis, quomodo hanc dices esse patibilem, illam vero impatibilem? Si naturæ non-genitæ attributione, quantitas quidem & qualitas perseverat, omninoque si erit, omni mutatione superiorem oportet esse. Si vero passioni obnoxia est, ita ut immutabilitatem essentiæ obtineat, casui permittere cogemur ea quæ circa res prædictas: aut, (quod sane inde consequitur) eam quæ efficit, dicere non-genitam: E eam vero quæ mutatur genitam. *Orth.* Equidem ad tuas male cohærentes propositiones atque inductiones, nihil nos oportebat respondere: attamen ne tibi videaris sapiens, disce a blasphemiis abstinere. Tu qui passioni obnoxiam Filii substantiam dicis, ab eo passione ut careas ne exspectes: si enim participes ejus facti sumus, absque passionibus manebimus: passioni ergo obnoxia est, quæ aliis hoc præstat, ut passione vacent. Quisquis igitur tecum dixerit, omnem substantiam non-genitam esse, Christianus non est: non enim opificia eamdem quam opifex exsistendi rationem habemus. Nam ideo Filium splendorem esse di- F cimus, ne eamdem exsistendi rationem ipsum habere existimemus, quam & nos, qui ex non exsistentibus Dei mandato exsistimus. *Anom.* Si conditæ naturæ non-genita natura causa est, non-genitum autem nihil est, quomodo ejus quod factum est, causa esse potest quod non est? *Orth.* Dei natura, Filii, & Spiritus sancti & universæ creaturæ causa est: at Filii ut Verbi: Spiritus vero sancti, ut flatus; flatus enim omnipotentis est qui me docuit: creaturarum autem, ut operis. Ex magnitudine enim & ornatu creaturarum, quadam proportione opifex illarum

A conspicitur. Neque vero Verbum prolatitium est per vocalia organa emissum, neque etiam flatus ille diffusus quidem & per organa Spiritus vehicula emissus: quin potius Verbum illud vivens est & efficax: *omnia enim per illud facta sunt*, & Spiritus quoque ille vivus est & operans: *Omnia enim hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Id vero quod non-genitum est, non est causa geniti: neque enim quia Deus factus non est, ideo causa est substantiarum; sed substantia, substantiarum causa est, ut dictum est. Etenim si quod non-genitum est causa est; causa vero creaturarum etiam Filius est; ergo & non- B genitus: non est autem non-genitus secundum te, & tamen causa, igitur non-genitum non est causa.

Joan. 1. 13.

1. Cor. 12.

24. *Anom.* Si non-genitum esse privatio est: privatio autem, habitus amissio: amissum autem penitus amittitur, aut transfertur ad aliud; qui fit, quod ex habitu aut translato aut amisso Dei naturam non-geniti appellatione cognominamus? *Orth.* Si mendacii expers cum sit Deus, propter privationem mendacii est mendacii expers, & incorruptibilis propter privationem corruptionis est incorruptibilis; dicas licet etiam non-genitum propter privationem ortus, esse non-genitum: Qui vero Dei essentiam ita cognominare ausus est, tu C scilicet es, qui Deo ipsi bellum moves. Nam cum ipse dicat, ut ante dictum est: *Apparui Abraham, Isaac & Jacob Patribus vestris, Deus ipsorum exsistens, ac nomen meum non manifestavi eis:* tu tibi sumis majora. Aut enim iis superior ex revelatione habes nominis hujus notitiam: aut Deo etiam nolente comprehendisti nomen substantiæ ipsius. *Anom.* Si non-genitum denotat privationem, quæ Deo non inest, cur non-genitum dicimus *Deum*, genitum vero non dicimus? *Orth.* Si incorruptibile denotat privationem quæ Deo non inest, cur incorruptibilem quidem dicimus, corrupti- D bilem vero non dicimus? Si vero incorruptibile non significat privationem, neque non-genitum est significativum privationis: sicut nec essentiæ. Si enim non-genitum significat substantiam, etiam incorruptibile substantiam significat: quod si non-genitum & incorruptibile significant essentiam, & mendacii expers esse & incorruptibile idem sunt quod non-genitum: filius autem mendacii expers & incorruptibilis est, igitur & non-genitus. Jam vero secundum te non est non-genitus: non igitur idem significabit mendacio vacare & incorruptibilem esse: sed non-genitum dicimus significare idem, ac Deum non esse genitum, E incorruptibile vero idem, ac non corrumpi, & mendacii expertem esse, idem quod non mentiri.

Exod. 6.

25. *Anom.* Si nudum nomen est illud non-genitum de Deo dictum: nuda autem vox hypostasin extollit supra omnia genita: honoratior ergo est hominum prolatio, quam omnipotentis natura, utpote quæ Deum omnipotentem incomparabili eminentia condecoravit. *Orth.* Nec nudam vocem esse dicimus non-genitum, nec etiam substantiam. Si enim non-genitum substantia esset, etiam genitum substantia foret. Si vero genitum substantia est, omnia genita erunt consubstantialia: si vero genitum substantia non est, F etiam non-genitum essentia non est. Non est autem nuda vox non-genitum; significat enim Deum genitum non esse, sicut τὸ expers mendacii significat non mentiri, & incorruptibile significat non corrumpi. *Anom.* Si omne genitum causam sortitum est, & natura non-genita sine causa est, non utique causam denotat non-genitum, sed significat substantiam. *Orth.* Si substantiam significat non-genitum, & substantiam quoque genitum, substantia vero a substantia nihil differt, quatenus substantia est, sane nihil differt non-genitum a genito. *Anom.* In genito quidem substantia se habet instar causæ: sed hypostasis non-geniti contra

omnem

omnem causam obtinens immutabilitatem, ipsa-es-
sentia est incomparabilis, non extrinsecus repræsen-
tans incomparabilitatem:, sed propter hoc ipsum exsi-
stens incomparabilis atque inaccessa, quia non-genita
est. *Orth.* Si propter non-geniti denominationem in-
comparabilem & inaccessam dicis substantiam Dei,
tum Filius, qui secundum te non est non-genitus,
etiam non erit incomparabilis nec inaccessus, non
est ergo incomparabilis quod sit non-genitus. Quo-
modo autem incomparabilis est Pater ei qui di-
Joan. 5. 21. cit: *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, ita*
etiam Filius, quos vult, vivificat? quomodo por-
Joan. 5. 19. ro incomparabilis ei, qui dicit: *Omnia enim, quæ-*
cumque facit Pater, hæc etiam Filius similiter facit?
Joan. 16. 15. quomodo etiam incomparabilis est ei, qui dicit:
omnia, quæ habet Pater, mea sunt: & alibi: *mea*
tua sunt, & tua mea sunt? denique quomodo in-
Joan. 17. 10. comparabilis ei, qui dicit: *Ut honorent Filium, sicut*
honorant Patrem?

26. *Anom.* Si omnem excedit naturam omnipo-
tens ille Deus, excedit sane eo quod est non-genitus:
quod est causa ejus, quam genita habent, perduratio-
nis. Si vero non-genitum non denotat causam, unde-
nam ergo natura rerum genitarum sui conservationem
habebit? *Orth.* Si omnipotens ille superat omnem na-
turam propter non-genitum, Filius, qui secundum
te non est non-genitus, non excedet omnem naturam.
Unde non eo quod non-genitus est, excedit Pater o-
mnem naturam, sed qua ratione Pater excedit omnem
naturam, eadem ratione etiam Filius excedit omnem
naturam. Excedit autem Pater natura suæ deitatis: ea-
dem & Filius excedit omnem naturam. *Anom.* Si nulla
res invisibilis ipsa ante seipsam in semine exsistit, sed
in ea natura permanet, quam sortita est, quomodo non-
genitus ille Deus, qui a sortitione liber est, nunc qui-
dem suam essentiam posteriorem intuetur in genito,
nunc priorem in non-genito, ordioe quodam prioris &
posterioris? *Orth.* Ex invisibilibus quidem nihil ante
seipsum in semine prçexsistit, sed in potentia Creatoris,
secundum divinas Scripturas, non entia velut entia
sunt: Filius vero in essentia Patris exsistens, & est, &
erit, ceu splendor gloriæ & character hypostaseωs, si-
mul consideratus cum eo, qui genuit sine passione &
tempore ab æterno, substantiæ, voluntatis, & gloriæ
invariabilis imago, omni æternitate prior exsistens.
Deus vero non-genitus novit suam ipsius substantiam
non-genitam ut & mendacii expertem, incorpoream &
immortalem: nec videt suam ipsius substantiam modo
non-genitam, modo genitam, sed ipsum, quod sese es-
se videt, videt etiam esse imaginem sui. Quis antem
sit quoad substantiam, nec nobis revelavit, nec iis, qui
Exod. 6. 3. ante nos fuerunt. Dicit enim, ut ante dictum est: *Ap-*
parui Abraham, Isaac, & Jacob Patribus vestris, tam-
quam Deus eorum, & nomen meum non revelavi eis.

27. *Anom.* Si Deus permanet in natura non-genita,
auferatur ab eo quod se noscat secundum generationē
vel generationis exclusionē. Ubi autem concessū fue-
rit, eū sui ipsius substantiam in non-genito & in genito
extendere, ipse suam ignorat substantiam, circumactus
a generatione & a generationis exclusione. Quod si eti-
am id, quod genitum est, non-genitæ substantię parti-
ceps factū est, in natura autē geniti indesinenter per-
manet, in qua constitutum est naturaliter, seipsum esse
cognoscit, ignorans videlicet non-genitam substantiā.
Neque enim fieri potest, ut idem sibi ipsi non genitæ
simul & genitę substantię conscium sit. Si vespicabilis
est res non-genita propter propensionē ad mutationē:
naturæ dignitas erit illa substantia immutabilis, cū in
confesso sit, non-genitā substantiā omni substantia prę-
stantiorē esse. *Orth.* Et si Deus permanet non-genitus,
sed hoc non est ejus natura. Novimus quidem non esse

A genitum: at quæ sit ejus natura, nondum novimus: nam
etiam incorporeus permanet, nec tamen hæc ejus natu-
ra est: sed id novimus, quod corpus non habeat; sic &
mendacii expers permanet, nec hoc ipsum est ejus na-
tura: novimus tamen, quod non mentiatur: quis e-
oim sit secundum naturam, non revelavit. Si enim ea,
de quibus modo dictum est, sunt ipsa natura, sane men-
titus est cum dixit: *Apparui Abraham, Isaac, & Jacob* Exod. 6. 3.
Patribus vestris, tamquam Deus eorum, & nomen meum
non revelavi eis: videntur enim ii scivisse ea, quæ ante
dicta sunt. Sed mendacii expers est, nec mentiri potest:
non igitur suæ ipsius naturæ nomen revelavit. Quomo-
B do ergo tu dicis, non-genitum? Si autem nomen suum
non revelavit, multo magis naturam non revelavit.

28. *Anom.* Si non-genitum ab omni causa exem-
tum est, fuerint autem multa non-genita, naturam sa-
ne habebunt in nullo dissimilem: non enim naturæ cu-
jusdam communis & propriæ participatio facta est, ita
ut altera quidem faciat, altera vero fiat. *Orth.* Univer-
salis illa propositio secundum quid falsa est; non enim
omne non-genitum, o Aeti, ab omni causa exemtum
est. Non-genitum enim est, quod auctorem non habet:
non omne autem, quod auctore caret, ab omni eximi-
tur causa: potest namque aliquid auctorem quidem non
C habere, causam autem habere, Patrem videlicet vel
subministratorem. Idcirco etiamsi concedatur tibi non-
genitum esse Deum, quod ortus sui auctorem non ha-
beat: eadem tamen ratione, & nos dicemus Filium esse
non-factum, quia nimirum ortus auctorem non habet.
Non tamen propterea dicimus carere causa: Patrem
enim habet non ut auctorem, sed ut Patrem. Nam &
Spiritum dicimus non-genitum, cum non habeat effe-
ctorem: sed non dicimus carere causa: habet enim pro
causa Deum, non ut effectorem, sed ut sui fontem.
Quemadmodum enim fons eam, quam emittit, aquam
D extra se non efficit, sed ex sese scaturit: sic etiam
Deus, ut ante dictum fuit, fons est Spiritus sancti &
auctor ejusdem, non extrinsecus eum recipiens, sed
ex seipso scaturiens. Scriptum est enim: *Duo mala fecit* Jer. 2. 13.
populus meus, me reliquerunt, fontem aquæ vivæ, &
effoderunt sibi cisternas contritas, quæ aquas continere
non poterunt. Et Apostolus dicit: *Qui tribuit nobis*
Spiritum, & operatur in nobis virtutes. Quod autem
aqua illa viva sit Spiritus, Christus docuit inquiens:
Qui bibit ex aqua, quam ego dabo ipsi, ut dixit Scri- Joan. 7. 38.
ptura, flumina e ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et ad-
dit Euangelista, dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu,*
E *quem accepturi erant credentes in eum.* Unde ergo hæc
aqua sit manifestum est, ex fonte nimirum illo, qui
dixit: *Me reliquerunt fontem aquæ vivæ.* Jerem. 2. 13.

29. *Anom.* Si omnis substantia non-genita est, nul-
la distinguetur ab alia, quia nulla alius dominium ha-
bet: & ita quodammodo quis recte dixerit, hanc quidē
transmutari, alterā vero transmutare? cum eæ non per-
mittant Deum subsistere ex non subjecta substantia.
Orth. Quando tibi hæc libet tam obscure, indocte, &
perplexe scribere, nos quoque iterum dicemus nostra.
Qui omnem substantiā dicit esse non-genitam, insanit
simul cum iis, qui Filium dissimilē ajunt Patri. Quo-
F modo enim Deus auctor fuerit substantiarum, si eæ nō
sunt? Pater enim & Filius, & Spiritus sāctus non-genita
sunt substantia, ut dictum est: & dicitur etiam ex vestra
ratiocinatione. Quod vero non-genitum non sit substā-
tia, etiā ex iis compertum est, quę scribis. Si enim cum
omnis essentia sit non-genita, nulla differat ab alia, ne-
cesse est omnino etiā genitas substantias inter sese nō
differre. Si vero inter sese differunt genitę substantię, nō
igitur ortus ipse substantia est. Si vero ortus non est
substantia: nec etiam ortus privatio, substantia erit.
Anom. Si omnis substantia est non-genita, etiam o-
mnis alteri in nullo dissimilis. Cum autem substan-
tia

tia in nullo ſit diſſimilis, ipſũ agere & pati caſui adtribuendum erit. Cum autem multa ſint non-genita & in nullo diſſimilia, numero tantum a ſe mutuo diſtinguentur. Non enim fuerint aliud & aliud, nec etiam disjuncta erunt, vel omnino, vel ſecundum quid, cum omnis differentia oſtendat participationem cauſæ. *Orth.* Vel te invito Filius non eſt diſſimilis Patri. Nec vero propterea in nulln diſſimilis quia non-genitus eſt, ſed propter operationis identitatem, ut ex eo demonſtratur, quod Filius nmnia nperetur, quæ Pater: *Omnia enim, quæcumque facit Pater, Filius ſimiliter facit*, & Spiritus item ſine ulla diſſimilitudine. Omnia enim quæ operatur Pater, etiam ipſe operatur, ut vult. Jam quorum eadem eſt operatin, eorũdem in nullo diſſimi-

Joan. 5. 19.

A lis natura eſt. Si vero exiſtimas propterea in nullo diſſimile aliquid eſſe, quia non-genitum eſt: neceſſe eſt, omne genitum eſſe in nullo diſſimile. Nnn igitur propterea, quod genitum aliquid non eſt, ideo etiã in nullo diſſimile eſt: ſed ut modo in præfatione ſermocinati ſumus, hoc dicere eſt: *Aquilæ volantis & quærentis eſcam, nec habentis veſtigium*. Neque enim habet, ubi pedes ponat, ut etiam ipſe audiat cum Moſe: *Tu autem ibi ſta mecum*. Neque enim cum Filio Dei ſteterit, qui dicit genitum & non-genitum Deum: ſed qui baptizat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Hæc enim noſtra creditur ſtatio: at B Aetius, (*aquilinus nempe*) vnlitat quærens adhuc prædam & ſtationem.

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

D I A L O G U S III.

De ſancta Trinitate, in quo exſtat hæretici ſentientis cum Macedonio Pneumatomacho diſputatio adverſus Orthodoxum.

MACEDONIUS.

1. UBI ſcriptum eſt, Spiritum eſſe Deum? ORTHODOXUS. Si recte in Filium Dei crederes, noſſes etiam, quomodo ſit in Spiritum credendum. *Mac.* Nns ita credimus, ut beatus Lucianus. *Orth.* Velim ſcire, an ſaltem ut beatus Lucianus credas. *Mac.* An quod vos quoque ſic credatis? *Orth.* Nos quidem ita credimus, ut omnes ſancti Martyres. Nam & ii ita crediderunt, ut ſancti Apoſtoli. *Mac.* Credis igitur, ut beatus Lucianus? *Orth.* Jam dixi me credere, non tantum ut credidit beatus Lucianus, verum etiam ut omnes ſancti Martyres, & Apoſtoli. *Mac.* Subſcribis igitur confeſſioni fidei a Luciano editæ? *Orth.* Quid damnas in ea, quæ a trecentis octodecim Patribus Niceæ Bithyniæ edita eſt, ut & aliam requiras? *Maced.* At tu quid in illa Luciani damnas? *Orth.* Condemno veſtrum illud additamentum, idque poſſum demonſtrare a vobis adjectum eſſe contra ejus ſententiam. *Maced.* Annon & vns aliquid Nicenæ adjeciſtis? *Orth.* Sane, at non repugnantia ipſi. *Mac.* Aliqua omnino adjeciſtis. *Orth.* Ea videlicet, de quibus tunc non quærebatur, & quæ nunc ſunt Patres pie interpretati: at vos adjeciſtis appendicem, quæ ad impietatem vergit, & ne ſic quidem eam ſequimini. *Maced.* Nos ſic credimus, ut Lucianus. *Orth.* Quid ſi te oſtendam ne ſic quidem credere? *Maced.* Quomodo id nſtenderis? *Orth.* Eſtne in ea ſcriptum, Filius eſt Dei ſubſtantiæ, conſilii, potentiæ & gloriæ imago, ſine diſſimilitudine, annon ſcriptum? *Mac.* Eſt. *Orth.* Subſtantia vero a ſubſtantia nihil prorſus varians, annon eadem eſt? *Mac.* Similis eſt. *Orth.* At vero ſimilis aliud quiddam eſt, quam eadem? *Mac.* Nos ejuſdem modi & ſimilem dicimus, eamdem vero non item. *Orth.* Ita dicis Patri ſimilem Filium, ut Angelum Angelo? *Mac.* Etiam. *Orth.* Angelorum vero eademne eſt ſubſtantia? *Maced.* Nos ejuſdem modi & ſimilem dicimus, non autem eamdem: ideoque ſimilis eſſentiæ non autem conſubſtantialem vocamus.

2. *Orth.* Dicis Deum ex Deo? *Maced.* Etiam. *Orth.* Et lumen de lumine? *Mac.* Etiam. *Orth.* Hiccine Deus & Filius ex hoc Deo eſt & Patre? *Mac.* Etiam. *Orth.* C Hoc lumen, quod eſt Filius, eſtne ex hoc lumine, quod eſt Pater? *Mac.* Etiam. *Orth.* Hæccine ſubſtantia eſt ex hac ſubſtantia? *Mac.* Nnn. *Orth.* Quomodo igitur ab iſta nnn eſt diverſa? *Mac.* Quoniam alia quidem eſt, ſed ſimilis. *Orth.* Quæ non eſt ex eadem ſubſtantia, Filius eſſe non poteſt, & quæ nullo modo diverſa eſt ab iſta, non poteſt alia eſſe & una ſimilis. *Maced.* Ubi ſcriptum eſt, Spiritum eſſe Deum? *Orth.* Ubi te coarguero ne ſic quidem ſentire, ut habet ea fidei expoſitio, quam objeciſti, tunc ubi adſcriptum ſit, dicam. Dic igitur tandem, an fatearis, Filium Dei eſſe ſubſtantiæ, & conſilii, & potentiæ, & gloriæ Patris imaginem non diverſam. *Mac.* Etiam, etiam, etiD am: tertium jam dixi. *Orth.* Annon igitur eamdem eſſe dicis Filii & Patris porentiam, & gloriam, & conſilium? *Mac.* Nnn dicn: nec enim expoſitio fidei Luciani idem eſſe dicit conſilium, eandemve potentiam & gloriam. *Orth.* Non vere profecto, quod juſtum eſt, loqueris. Conſilium enim a conſilio non diverſum, eſt idem conſilium: & poteſtas a poteſtate non diverſa, eſt eadem poteſtas: & gloria a gloria non diverſa, eſt eadem gloria. *Mac.* Invariatam eſſe fateor, eandem non eſſe dico. *Orthod.* Immn voce fateris iſtud non diverſum, quemadmndum qui Chriſtum eum vocabant, nec credebant Chriſtum eſſe. Nam ſi E credidiſſent, non dixiſſent, cum eum cæderent: *Prophetiza nobis, Chriſte, quis eſt qui te percuſſit.* *Mac.* Dixi me fateri Filium eſſe imaginem, ſubſtantia, conſilin, potentia, & gloria nnn diverſam a Patre. *Orth.* Aliam ſimilem ſubſtantiam dicis, & aliud ſimile conſilium, & aliam ſimilem potentiam, & aliam ſimilem glnriam? *Mac.* Etiam. *Orth.* Dun ſunt igitur Dii. *Mac.* Unus & unus. *Orth.* Iſte unus ſimilis, eſtne ex iſto uno? *Mac.* Ita eſt. *Orth.* An ergo ex ſubſtantia? *Mac.* Non. *Orth.* Ergo ex non exſiſtentibus fecit ut exſiſteret? *Mac.* Eſt ſane quiddam ex iis quæ non erant. *Orth.* Angelos & res omnes creatas fateris eſſe ex Deo? *Mac.* Etiam. Scriptum enim eſt: *Omnia ex Deo*. *Orth.* F Ex ſubſtantia ejus? *Mac.* Nequaquam. Abſit. *Orth.* Sic igitur Filium ut res ceteras eſſe ſentis? *Mac.* Unigenitum ipſum dico, non tamen ex ipſius ſubſtantia. *Orth.* Qui non eſt ex ſubſtantia, non poteſt eſſe Filius ſecundũ ſubſtantiam in nullo diverſus. *Maced.* Angeli nonne ſunt inter ſe non diverſi ſubſtantia? *Orth.* Ita.

Mat. 26. 68.

Ma-

Maced. Num Angelus, quod ad substantiam attinet, ex alio est Angelo? *Orth.* Sed nullus Angelorum est Angeli pater vel filius. Beatus autem Lucianus cum diceret, Filium esse imaginem Patris substantiæ, & consilii, & potestatis, & gloriæ in nullo diversam, per Filiũ, quod ex ipsa substantia esset: per illud, Non diversum, identitatem ostendit. *Maced.* Ego in nullo diversum dico; sed neque ex substaotia, neque eamdem substantiam, neque eamdem potentiam, neque eamdem gloriam.

3. *Orth.* Aliam igitur potentiam habet Filius, & aliam gloriam, quam Pater? *Maced.* Aliam similem.
1. Cor. 1. 24. *Orth.* Quomodo igitur scriptum est: *Christus Dei vir-*
Mat. 25. 31. *tus, & Dei sapientia?* & quomodo dicit Filius: *Cum autem venerit Filius hominis in gloria Patris sui? Maced.* Habetne etiam Pater propriam gloriam, & proprium consilium, & propriam poteotiam, annon? *Orth.* Habet. *Maced.* Et Filius itidem propriam, an non? *Orth.* Ipsa Patris gloria & ejusdem consilium, & poteotia,
Joan. 16. 15. est Filii. Propterea dicit Filius: *Quæcumque habet Pater, mea sunt. Maced.* Filius ergo noo habet gloriam, non habet coosilium, non habet potentiam, non habet deitatem, nisi a Patre accipiat. *Orth.* Ista gloria, istud consilium, ista potentia, ista deitas est Patris & Filii. *Maced.* Absit, ut hoc dicam. *Orth.* Quomodo
Joan. 17. 10. igitur dicit Filius: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt? Maced.* De Apostolis loquitur. *Orth.* Novi & ego Christum hæc dixisse de Discipulis differentem: sed Discipulis adjunxit omnia, ut qui non dixerit, mei sunt tui, sed *omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Alioqui, an Pater oihil eorum, quæ diximus, habebat aotequam mundum crearet. *Maced.* Habebat certe deitatem, gloriam, potentiam, eonsilium, incorruptibilitátem. Sed de iis Christus non loquitur. *Orth.* Audi ipsius Domini voces, quæ quidem ita se habent: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis. Maced.* Nempe in Discipulis suis glorificatus est. *Orth.* Annon igitur gloriam habebat, antequam mundus exsisteret? *Maced.* Habebat profecto.
Joan. 17. 5. Scriptum est enim: *Pater, glorifica me, gloria quam habui antequam mundus exsisteret apud te. Orth.* Venturusne est in ea gloria, judicaturus vivos & mortuos, an in alia? *Maced.* In ea ipsa. *Orth.* Dicit autem in Euangeliis: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui.* Hæc igitur gloria est Patris & Filii. Unicam præterea esse gloriam dicit alio Euangelii loco:
Mat. 25. 31. *Cum venerit autem Filius hominis in gloria sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriæ suæ.* Audis eum dicentem, si modo aures habes, eamdem esse suam & Patris gloriam.

4. *Maced.* Potes mihi ostendere, ubi scriptum sit, Spiritum esse Deum? quorsum me tamdiu circumagis? *Orth.* Si quidem Apostoli primum cognoverunt Spiritum, ac ita demum Filium, recte & tu investigas Spiritus sancti notitiam ante Patris cognitionem. Quod si prius illis Filius innotuit; ac deinceps Spiritus sanctus: tu quoque primum Filii nosce deitatem, ac tum Spiritus notitiam assequere. *Maced.* Novi, & credo, Filium esse Deum ex Deo Patre genitum, totum ex toto. *Orth.* Igitur ex Patris substantia? *Maced.* Non. *Orth.* Ita igitur eum dicis esse totum ex toto, ut quemlibet Angelorum, & ceteras res creatas? *Maced.* Sed Filius unigenitus est Deus. *Orth.* An eum propterea unigenitum vocas, quoniam alius similis non est, an vero quoniam solus ex substantia geoitus est? *Maced.* Quoniam alius similis non est. *Orth.* Dic igitur etiam Spiritum sanctum esse Filium unigenitum. Nec enim alius est Spiritus similis. *Maced.* Absit. *Orth.* Non ergo dicitur unigenitus, eo quod solus sit talis, sed quoniam solus ex substantia genitus est. *Maced.* An non vero Spi-

A ritus est ex Dei substantia? *Orthod.* Sane quidem. *Maced.* Ergo & Spiritus est Filius. *Orthod.* Imo Filius quidem ex substantia genitus est, ideoque est unigenitus Filius: Spiritus autem ex substantia procedit. Scriptum namque est, Spiritus ex me procedit, sed non ex me genitus est: & Filius dicit: *Spi-* Jo. 15. 26.
ritus veritatis, qui a Patre procedit: Non autem genitus est. *Maced.* Sed quodnam discrimen est generationis & processionis? *Orthod.* Qui hoc discrimen noverit, modum quoque generationis & processionis novit. Neminem vero nosse generationis modum vociferatur Propheta, cum inquit: *Generationem e-* Esai. 53. 8.
B *jus quis enarrabit? Maced.* Quare igitur dicis, Filius quidem ex substantia genitus est, Spiritus autem procedit? *Orth.* Dico, quæ scripta sunt. Ita igitur & tu loquere, & extra periculum es. *Maced.* Ubinam scriptum est, Filium esse ex substaotia? *Orth.* Nonne & tu scriptum esse fateris omnia esse ex Deo? *Maced.* Sane fateor, sed num omnia sunt ex Dei substantia? *Orth.* Nequaquam. Absit. Sed ex eo, quod cum omnia sint ex Deo, iste est unigenitus Filius, quamvis multi sint Filii, liquet certe, eum esse ex substantia.

5. *Maced.* An vero Spiritus quoque est unige-
C nitus Filius? *Orth.* Absit, inquam, ut hoc dicam. Sed sicut, cum multi sint Filii, novimus hunc esse ex substaotia, quoniam dixit Pater: *Hic est Filius* Mat. 3. 17.
meus dilectus: Ita etiam esse ex substantia Spiritum inde novimus, quod cum sint multi spiritus, dixerit Pater: *Effundam de Spiritu meo super* Joel. 2. 28.
omnem carnem. Nam aliter separari a sanctis reliquis spiritibus noo potest, & Patri conjungi, nisi substantiæ ratione. *Maced.* Num vero Pater is est, qui dicit: *Effundam de Spiritu meo? Orth.* Sane quidem. *Maced.* Unde hoc colligis? *Orth.* Paulus Apo-
D stolus ioquit, *Cum enim apparuit gratia Dei Salva-* Tit. 3. 4. 5.
toris nostri, non ex operibus, quæ fecimus nos super terram, sed secundum misericordiam suam regeneravit nos lavacro regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum. Quis effudit per Jesum Christum? is nimirum, qui dixerat: *In novissimis diebus effundam ex Spiritu meo. Maced.* Annon ergo Filius dat Spiritum? *Orth.* Audisti quod Pater per Filium det Spritum. Certe cum Pater dixerit: *In novissimis diebus ef-* Joel. 2. 28.
fundam de Spiritu meo. Filius postquam a mortuis resurrexisset, dixit: *Accipite Spiritum san-* Joan. 20. 22.
E *ctum. Maced.* Ne me, (quod jam pridem dixi) istis ambagibus distineto: sed ostende si potes, ubi scriptum sit, Spiritum esse Deum. *Orth.* Fatere unam esse Patris & Filii deitatem sive substantiam, unumque consilium, unam potentiam, & gloriam, & tunc intelliges illud de Spiritu sancto. *Maced.* Ubi scriptum est, unicam esse deitatem? *Orth.* Fateris nec-ne inhabitare in Filio omnem plenitudinem deitatis? *Maced.* Ita scriptum est. *Orth.* Aliamne esse dicis Patris deitatem, aliam itidem Filii deitatem? *Maced.* Etiam. *Orth.* Deitas ergo Patris est in deitate Filii? *Maced.* Etiam. *Orth.* Duæ sunt igitur
F deitates? *Maced.* Deus & Pater, & deitas ipsius est unus Deus. Item Deus & Filius, & deitas ejus est unus Deus: estque (ut pridem dixi) unus & unus Deus.

6. *Orth.* Cum ergo Deus dicit per Prophetam E-
saiam: *Ego sum Deus, nec alius est præter me, qui sal-* Esai. 43. 11. 12.
vum faciat, annuntiavi, & servavi, & exprobravi, nec erat inter vos alienus: utrum istorum esse vis, quos unum & unum dicis? *Maced.* Pater servat per Filium. *Orth.* Unus ergo Deus servans Pater atque Filius. *Maced.* Idem igitur est & Pater & Filius. *Orth.* Absit, ut hoc dicam. Sed quemadmodũ in Christo perfecti unus sumus, non confusis hypostasibus, sed ratione habita

consensionis & naturæ sive substantiæ: ita Patrem & A Filium dico unum Deum, habita ratione substantiæ & consensionis. *Maced.* Nos quoque unam consensionem fatemur. *Orth.* Dic etiam deitatem, & salvus esto. *Maced.* Unicam deitatem non dico. *Orth.* Cum ipsum Deum rursum audis dicentem epud eumdem
Esa. 45. 22. 23. Prophetam: *Egu sum Deus, nec est alius Deus. Per memetipsum juro, ex ore meo egredietur justitia, sermones mei non delebuntur, quia mihi curvabitur omne genu:* utrius istorum qui unus & unus sunt hæc verba
Philipp. 2. 10. esse dices? *Maced.* Filii: dicit enim Apostolus: *In nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, B & infernorum: & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus ad gloriam Dei Patris. Amen.* *Orth.* Una est igitur deitas Patris & Filii. *Maced.* Quomodo? *Orth.* Dicit enim: *Ego sum Deus, & non est alius.* Aut enim demens factus negabis Patrem esse Deum, aut confitens Patrem esse Deum, itidemque Filium esse Deum, & eum audiens dicentem: *Ego sum Deus, & præter me non est alius;* unicam deitatam fateberis, & non periclitaberis. *Maced.* Ego unicam deitatem non dico. *Orth.* Si igitur audias Prophetam dicentem omnium Sanctorum nnmine: *A sæculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum, præter te.* C Quid eis responderis? *Maced.* Filium dicit. Nec enim alium Deum vidimus, quam Filium,
Joan. 14. 9. qui homo factus est. *Orth.* At enim *Qui vidit Filium, vidit Patrem.* Una igitur deitas est Petris & Filii. *Maced.* Unam deitetum non dico.

7. *Orth.* Cum dicit Deus apud eumdem Prophe-
Esai. 44. 6. tam: *Ego Deus primus, & ego postremus,* utrum illorum, quos unum & unum esse arbitraris, hoc dixisse censebis? *Maced.* Patrem. *Orth.* Filium ergo non dicis Deum? *Maced.* Dixi Deum ex Deo. *Orth.* Itaque si Pater est Deus, & Filius Deus, dicit autem Deus: *Egu Deus primus, & ego postremus,* ergo unica est dei- D tas. *Maced.* Etiamsi plura dixeris, non persuaseris mihi, ut unicam deitatem dicam. *Orth.* Nisi una sit deitas Patris & Filii, alia est Patris, alia est Filii deitas. *Maced.* Sane quidem. *Orth.* Alia autem & alia deitas, non sunt unus Deus. *Maced.* Nec enim dico, Patrem & Filium esse unum Deum. *Orth.* Si audias
Esai. 45. 14. igitur Prophetam dicentem: *Sic dicit Dominus exercituum: Laboravit Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabaim viri proceri, ad te transibunt, & te sequentur manicis vincti, & te adorabunt. Tu enim es Deus, & ignoravimus: Deus Israelis:* quem hæc dixisse existimas? *Maced.* Filium. *Orth.* Quod si qui eum se- E quentur, ipsum adorabunt in ejus nomine precantes, nonne verus est Deus? *Maced.* Etiam. *Orth.* Cum autem eum adoramus, alienum Deum non adoramus, neque duos deos. Scriptum est enim: *Dominum Deum*
Matth. 4. 10. *tuum adorabis, & illi soli servies.* Quod si eum adorantes, etiam Patrem Dominum Deum adoramus, & ei soli servimus, sene una est Patris, & Filii deitas. Sic enim etiam dicimus: *Tu es Deus, & in te Deus est, & non est Deus præter te.* *Maced.* Si in ipso est Deus, quomodo una est deitas? *Orth.* Quoniam subjunxit: *Et non est Deus præter te.*
Baruc. 3. 37. Et Jeremias, inquit: *Hic est Deus noster, non æstimabi-* F *tur alius cum eo. Invenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Quod si iste, qui visus est in terra, est Deus noster, nec alius cum eo æstimabitur, unica ergo est Patris & Filii deitas.

8. *Maced.* Si unica est deitas, & Patris quidem deitas est non-genita, Filii vero genita, efficitur deitatem esse ἀγεννητογέννητον, id est, non-genito-genitam. *Orth.* Ridiculem cogitationem commemoras. An enim quia vir & uxor non sunt duo, sed una caro, ut dicit Dominus, caro hæc est masculino-fœminina? *Maced.* Sed caro viri & uxoris, sunt ex una substrata materia, ex humo videlicet. *Orth.* Quoniam ergo dicit Scriptura de iis, qui crediderunt, *Erat eis cor unum & anima una,* Act. 4. 32.
constabat autem credentium multitudo ex viris & mulieribus, an idcirco hæc anima erat masculino-fœminina? Et cum dicit Paulus: *Unum corpus & unus* Ephes. 4. 4.
spiritus estis, sicut etiam vocati estis ad eamdem spem vocationis vestræ: en spem istam vocas masculino-fœmininam, quod eamdem spem tum viri tum fœminæ habemus? *Maced.* Rursum, inquam, unam deitatem non dicimus. *Orth.* Cum ergo dicit Deus per Davidem: *Audi, popule meus, & loquar, Israel, & testifi-* Psalm. 80. 7. 8.
cabor tibi. Si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, quemnam dicis loquutum fuisse, Patrem an Filium? *Maced.* Disputas mecum, ut Judæus ex veteri Testamento. *Orth.* Christus dixit: *Scrutamini Scripturas, quoniam eæ te-* Joan. 5. 39.
stificantur de me. *Maced.* An non licet ex Novo Testamento Christum invenire? *Orth.* Sane quidem. Vereor autem, ne Manichæi instar, vetus Testamentum expungas, ut qui non credas, tam illud, quam hoc fuisse a Deo dictetum. *Maced.* Deum novi tum vetus tum novum Testamentum pepigisse; sed ex novo erudiri velim, quoniam manifestius tres illas hypostases docuit.

9. *Orth.* Cum igitur eudis Peulum dicentem, *Quo-* Rom. 11. 36.
niam ex ipso & per ipsum, & in ipsum sunt omnia, utrum ex illis, quos unum & unum esse dixisti, significari existimas? *Maced.* Patrem. *Orth.* An noo sunt per Filium omnia? *Maced.* Per Filium quoque sunt omnia. *Orth.* Qui fit igitur, ut non ex ipso & per ipsum, & in ipsum sint omnia? *Maced.* Peter habet illud, *ex quo,* & illud *per quem,* & illud, *in ipsum.* Filius autem habet quidem illud, *per quem,* at non illud, *ex quo.* *Orth.* Lege verba ipsa, ut discas, senctum Apostolum illud, *ex ipso,* & *per ipsum,* & *in ipsum, sunt omnia,* tum de Patre, tum de Filio dixisse. Nam si dictum illud in una tantum persona valere velis, comperietur Filius ignorare quæ Patrem spectant, neque consiliorum ipsius esse particeps: vel Pater ignorare quæ ad Filium attinent, nec consiliorum ejus esse particeps. *Maced* Dic, ubi scriptum sit, Spiritus est Deus. *Orth.* Prius disce illas hypostases manifeste docuisse vetus etiam Testamentum. *Maced.* Ubinam id scriptum est? *Orth.* In Genesi, *Apparuit Deus Abra-* Genes. 18. 1.
bam sedenti apud quercum Mambre, & ecce tres viri steterunt super eum. *Mac.* Tres igitur illos viros dicis esse Patrem, Filinm, & Spiritum sanctum? *Orth.* Ne perturbare, sed ista cum Dei timore legamus. Dicit Scriptura: *Apparuit Deus Abraham, & ecce tres viri steterunt supra eum.* Tres illi viri erant Deus. *Maced.* Deus erat unus illorum, is nimirum quem alloquitur: alii vero duo erant Angeli. *Orthod.* Sic dicit Scriptura: *Apparuit ei Deus ad quercum Mambre, cum sederet in ostio tabernaculi sui, meridie, & sublatis oculis respexit, & ecce tres viri supra ipsum steterunt: quibus visis, occurrit ipsis obviam ab ostio tabernaculi sui, & adoravit humi prostratus.* Quem adoravit humi prostratus? num viros? *Maced.* Dixi, duos Angelos fuisse cum Deo. Adoravit igitur proculdubio Deum, non Angelos. Cum enim surrexisset, dixit: *Domine, si inveni gratiam in conspectu tuo, ne prætereas servum tuum.* *Orth.* Enimvero illud ipsum est, quod dicimus, tres hypostases ab eo vocari Dominum. *Macedon.* Absit.

10. *Orth.* Audi igitur, quæ sequuntur: *Sumatur* Genes. 18. 4.
autem aqua, & lavent pedes vestros: & refrigeramini sub arbore: deinde accipiam panem, & comedetis, & postea prosequemini iter vestrum, quandoquidem declina-

clinaſtis ad ſervum veſtrum. Et dixerunt ei, ita facito, A *ut dixiſti*. Hoccine ſcriptum eſt, an non? *Maced.* Omnia hæc ſcripta ſunt. *Orth.* Servus autem Domini, cum ſe diceret eorum ſervum, eumdem trium dominatum profeſſus eſt. Neque enim dixit: Quandoquidem declinaſti ad ſervum tuum, *ſed declinaſtis ad ſervum veſtrum*, quorum etiam pedes lavare ſtuduit. *Maced.* Quid vero abſurdi eſt in eo, quod Angelorum pedes lavit? Nec enim adhuc noverat Deum ſibi apparuiſſe, ſed putabat, ſe extraneos aliquos viros hoſpitio excipere. *Orth.* Demus, Abraham ita exiſtimaſſe, ut tu dicis: annon ei dixiſſent Angeli, ne nos pari ac iſtum honore afficias? Et quomodo Abraham B exiſtimavit, extraneos homines a ſe hoſpitio excipi, qui proſtratus in terram adoravit, & eos ſupra ſe vi- Genes. 18.2. dit? Sic enim ſcriptum eſt: *Sublatis oculis reſpexit, & ecce tres viri ſuper ipſum ſteterunt*, nnn autem, coram ipſo. *Maced.* Nondum erat ei patefactum, iſtos quidem Angelos, illum vero Deum eſſe. *Orth.* Tunc Genes. 18.6. igitur eos pari honore excepit: *Feſtinavit enim Abraham in tabernaculum ad Saram, & dixit ai: Feſtina & pinſito tres ſimilæ menſuras, & fac ſubcinericios panes. Deinde ad armentum cucurrit Abraham, acceptumque vitulum tenerum & opimum dedit ſervo ſuo, qui properavit ut faceret: acceptumque butyrum & lac, & quem præparaverat vitulum ipſis appoſuit, qui comederunt: ipſe vero adſtabat eis ſub arbore*. Hæccine ſcripta ſunt, an non? *Macedon.* Etiam. *Orth.* Et Angeli una cum Deo comederunt? *Maced.* Viſio erat: Angelos autem fuiſſe, lege, quæ ſequuntur, & invenies.

11. *Orth.* Et nos quoque novimus, illos duos poſtea Angelos dici, ſed rurſum eos poſtea Scriptura Dominum appellat. Filio vero & Spiritui conſtxt Angeli nomen tribui, non hoc loco duntaxat, verum etiam alibi. Sed Angelus improprie vocatur: veluti D Luc. 20. 9. cum in Euangelio dicit: *Homo quidam plantavit vineam, & locavit eam agricolis*; & poſtea inquit: *Miſit ſervos ſuos, & poſt ſervos filium, quem unicum habebat*, liquet Patrem ab eo dici hominem. Et cum inquit: *Homo quidam fecit nuptias filia ſuo*, ibi quoque hominem eum vocat; ſed uſus Scripturæ hunc eſſe Deum demonſtrat. Scriptura vero manifeſtiſſime docet, unum ex his duobus Angelis fuiſſe Filium. *Maced.* Quomodo? *Orth.* Nam poſtquam comediſſent, & benedictus fuiſſet Abraham, accepta Iſaac promiſſione, ita ſcriptum eſt, & di- Gen. 18.17. cam, ſi modo ſuſtineas. *Maced.* Dic. *Orth. Et Do-* E *minus dixit: Non celabo Abraham ſervum meum, quæ ego ſum facturus. Abraham autem fiet in gentem magnam & copioſam, & in eo benedicentur o-* Gen. 18.20. *mnes terræ nationes:* & paulopoſt: *Dixit autem Dominus: clamor Sodomorum & Gamorrhæ increbuit ad me, et ipſarum peccata ſunt magna valde. Deſcendens igitur videbo, num ſecundum clamorem ipſorum qui ad me venit compleant: ſin ſecus eſt, ut ſciam. Et digreſſi inde viri venerunt Sodoma: Abraham vero ſtabat coram Domino, & appropinquans dixit: Num perdes juſtum una cum impio, & erit juſtus, ut impius? Si fuerint in urbe quinquaginta juſti, an eos* F *perdes, neque toti loco remittes propter quinquaginta juſtos, ſi in urbe fuerint? Abſit ut hoc agas, ut juſtum cum impio interficias, & juſtus erit ut impius: abſit. An qui judex eſt totius terræ, non judicabit? Dixit autem Dominus: Si in Sodomis invenero in urbe quinquaginta juſtos, toti loco remittam in eorum gratiam.* Et ita Abraham ſubductis quinque, & rurſum quinque, Gen. 18.32. pervenit uſque ad decem: *Dixitque Deus, non perdam in gratiam decem iſtorum: & abiit Dominus, poſtquam deſiiſſet loqui ad Abraham: Abraham quoque rediit domum ſuam.*

A 12. *Maced.* Dic, quæ mox ſequuntur. *Orth. Venerunt autem duo illi Angeli Sodoma. Maced.* Audis duos illos fuiſſe Angelos? *Orth.* Antea dixi, ſicut Scriptura duos illos vocavit viros, qui tamen viri natura non erant, ſic etiam illos ipſos vocare Angelos, qui Angeli natura non erant, idque improprie, eo quod Dei conſilium nuntiarent. Audiximus autem quæ ſequuntur. Magis enim a ruina civitatis erudimur. *Mac.* Dic. *Orth. Venerunt autem duo illi* Gen. 19. 1. *Angeli Sodoma veſpere, Loth autem ad portam Sodomorum ſedebat, qui eos conſpicatus, occurrit ipſis obviam, et facie in terram proſtrata adoravit, dixitque:* B *Ecce Domini, diverſamini in domum ſervi veſtri, et pernoctate, & abluite pedes veſtros, & diluculo experrecti pergetis veſtro itinere*. Audis, quod eos adoraverit, & dominos appellet, & eorum ſervum ſeſe profiteatur? *Maced.* Putabat eos eſſe homines, &, cum hoſpitalis eſſet, adoravit eos, & dominos vocavit. *Orth.* Sed ſi fuiſſent Angeli, dixiſſent ei: *Dominum Deum tuum adora. Nos enim ut tu conſervi ſumus. Maced.* Enimvero qua in re peccabat adorans Angelos? *Orth.* Sæpe audivi vos, cum diceretis, non eſſe adorandum Spiritum ſanctum. *Maced.* Neque enim fas eſt. *Orth.* Cur igitur nunc dicis, qua in re C ſanctus Loth peccabat, adorans Angelos? *Maced.* Num enim eos, ut Dominum Deum adoravit? *Orth.* Lege quæ ordine ſequuntur. *Maced.* Lege tu ipſe. *Orth.* Iis, quæ recitavimus ſubjecit quod exceperit Gen. 19. 3. eos hoſpitio, & venerunt viri loci illius animn flagitii adverſus illos committendi. Loth vero filias, potius quam viros illos, offerebat ipſorum contumeliæ. Cumque permanerent in impia illa ſententia Sodomitæ, retraxerunt Lothum Angeli domum, illos vero cæcitate percuſſerunt: annon ita ſcriptum eſt? *Maced.* Ita. *Orth.* Deinde ſcriptum eſt: *Dixerunt* Gen. 19. 12. D *autem ad Loth viri illi: Eſtne tibi gener, vel filii, vel filiæ? aut ſi quis alius tibi eſt in urbe, educ eum ex hoc loco. Sumus enim hunc locum deſtructuri, quoniam clamor eorum ſublatus eſt coram Domino, & miſit nos Dominus, ut hanc urbem deleamus.*

13. *Maced.* Audis ipſos fateri, ſe miſſos eſſe a Dominò? num igitur ipſi ſunt Domini? *Orth.* Cum igitur dicat in Euangeliis Salvator: *Non ſum* Mat. 15.24. *miſſus, niſi ad oves quæ perierunt Domus Iſrael:* & alibi: *Sicut miſit me vivens Pater; & qui mi-* Joan. 12.49. *ſit me, mandatum dedit mihi:* Quid dicam, aut E quid loquar? An amplius non agnoſcitur eſſe Dominus, quia miſſus eſt? *Maced.* Filius quoque ſine controverſia Dominus eſt: num vero etiam Spiritus? *Orth.* Prorſus hic ſimul adoratur, & ſimul Dominus compellatur cum Filin. *Mac.* Jam vero demonſtraſti, Filium fuiſſe eum, qui Loth alloquebatur? *Orth.* Animum cobibe, & fateberis. *Mac.* Hoc quidem ſcio, quod me circumagas, cum non poſſis dicere, ubi ſcriptum ſit, Spiritus eſt Deus. *Orth.* Primum ſciamus, quinam homines fuerint, qui apparuerunt, & tunc ipſe Spiritus ſanctus dabit, ut, quidquid quærimus, inveniamus. *Mac.* Ego, ut habet Scriptura, Angelos di- F co. *Orth.* Ego vero & Angelos & viros dico: ſed ut antea inter nos conſenſimus, unum iſtorum trium fuiſſe Dominum Deum, ita etiam exacta perveſtigatione invenietur, quinam etiam iſti duo fuerint. *Mac.* Dic quod volueris. *Orth.* Legam quæ conſequuntur? *Maced.* Lege. *Orth. Orto vero diluculo urgebant Loth Angeli,* Gen. 19. 15. *dicentes: Surge & accipe uxorem tuam, & duas filias, quas habes, & egredere, ne una cum urbis ſceleribus pereas. Ipſi vero turbati ſunt, apprehenderuntque Angeli manum ejus, & manum uxoris ejus, & manus duarum filiarum ejus, quod Dominus ei parceret. Et factum eſt cum eduxiſſent eos foris, dixerunt: Serva tuam ipſius animam,*

ne-

neque respice a tergo, neque consiste in circumjacente regione: salvus esto in monte, ne simul involvaris. *Lothus vero dixit ei: Obsecro, Domine, quandoquidem invenie servus tuus misericordiam apud te, & magnificasti justitiam tuam, quā facis in me, ut vivat anima mea. Ego autem non possū in monte servari, ne comprehendāt me mala* Gen. 19. 20. *& pereā. Ecce hæc urbs prope, ut illuc confugiā parva est. Illic servabor. Numquid non parva est? & vivet anima mea.* Audis, si aures habes, Loth, cum nosset eorum communionem & unitatem, accidisse ad eorum pedes, & dixisse: *Obsecro, Domine,* non Domini. Sciebat enim neminem posse duobus Dominis servire. Duo sunt autem, cum unus quidem hoc, alter istud vult. Dic igitur & tu Filio ac Spiritui, Obsecro, Domine, quandoquidem misericordiam nactus est servus tuus apud te, non apud vos, ne dominium dividas. Nā si qui adhæret Deo, unus est spiritus, quomodo separari possit spiritus ab eo, qui ipsum suppeditat? *Maced.* Scilicet jam probatum est, Angelos illos fuisse Filium & Spiritum. *Orthod.* Dixit ergo sanctus Loth iis qui Angeli natura Ibid. 28. erant: *Obsecro, Domine, quandoquidem servus tuus invenit misericordiam apud te, & magnificasti justitiam tuam, quam facis erga me, ut vivat anima mea.* *Maced.* Sane quidem. *Orthod.* Audi igitur præterea, quæ sequuntur. *Et dixit ei,* (non amplius dicit, Angeli, Gen. 19. 21. sed is videlicet, quem Dominum professus erat) *Ecce admiratus sum faciem tuam ut non subvertam urbem, de qua loquutus es. Propera igitur, ut illuc serveris. Nec enim potero quicquam agere, donec eo sis ingressus.* Neque dixit, Non poterimus, quamvis initio dixissent, Quia delebimus hanc urbem, cum eos adhuc putabat esse viros, & Angelos. Ubi vero eorum dominium agnovit, neque amplius eos vocat Dominos, sed Dominum, dicens: *Obsecro Domine:* tunc & ipsi jam cum eo tamquam unus loquuntur. Neque enim dicunt, Admirati sumus, sed, *admiratus sum.*

14. *Maced.* Num igitur Pater una cum iis apparuerat? *Orth.* Omnino. *Maced.* Quomodo igitur di- Joan. 1. 18. cit: *Deum nemo vidit unquam? Orth.* Propterea enim apparuerunt tamquam viri, quoniam id quod natura Deus est, nemo vidit umquam, neque videre possit. *Maced.* At ego Filium eum esse dico, qui ab Abrahamo visus fuit. *Orth.* Redeo igitur ad id, quod legere cœperam. *Maced.* Lo- Gen. 19. 23. ge. *Orthod. Sol exortus est super terram, & Loth introiit in urbem Segor. Dominus pluit supra Sodoma ignem & sulphur a Domino e cælo, & omnes illas urbes subvertit. Quis Dominus?* is Gen. 19. 21. *nimirum qui dixerat ad Loth: Etiam in hac re admiratus sum faciem tuam, ne urbem illam, de qua loquutus es, subvertam. Propera igitur, ut illic serveris. Nec enim potero quicquam agere, donec eo sis ingressus.* *Mac.* Unus illorum erat Dominus: num enim ipsi duo? *Orth.* Dixi Lothum cum duobus illis, tanquam cum uno fuisse colloquutum. Dicunt enim duo Ibid. 12. illi: *Si quis hic est tibi gener, aut filii, aut filiæ, educ eos tecum. Nos enim perdemus hanc civitatem.* Modo igitur dicit, *Nos*, propter hypostases, modo vero dicit, *Ego*, propter naturam: *Intelligite ergo*, ut scriptū est, *insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* Nam & Abraham, agnitis tribus hypostasibus, Dominum dicit: & Loth duabus animadversis Dominū itidem dicit: neque dividite ea, quæ dividi non possunt, neque partimini quæ partitionem non admittunt. *Mac.* Potes mihi dicere, ubi scriptum sit Spiritus est Deus? *Orth.* Hactenus didicisti, veteri quoque Testamento cognitas fuisse tres hypostases, quod etiam Testamentum prædictorum tamen non immemor, di- Deut. 6. 4. Job. 9. 8. cit: *Dominus Deus tuus, Dominus unus est*, ut deitatē ad unum redigeret. Audi igitur Jobum dicentem: *Qui solus cœlum extendit, & super mare quasi in solo* A *inambulat.* Palam est eum de Filio prophetice loqui. Is enim est, qui super mare ambulavit.

15. *Mac.* Rursum igitur vide, solus Filius super mare ambulavit. *Orth.* At ego dixi istud, solus, cum deitati tribuitur, plerumque Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum declarare. Sunt autem quædam solius Filii propria. Solus enim factus est homo, solus baptizatus est, solus ex Patre genitus est, solus fuit crucifixus, & quæcumque sunt hujusmodi: idque non separatus a Patris hypostasi, sed ut qui in ipso esset, & eum in sese haberet, Incarnationem sibi propriam habet, ut rite distinguantur hypostases. Ac ne existimes solum vetus B Testamentum unum & solum Deum annuntiare, audi Salvatorem ipsum dicentem: *Scriptum est, Dominum* Matt. 4. 10 *Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et alibi, rogatus, quodnam esset maximum in Lege præceptum, inquit: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua,* Deut. 6. 5. *& ex toto corde tuo, & ex totis viribus tuis: & proximum tuum sicut teipsum.* Num vero quoniam non dixit, Dominum Deum tuum & Filium ejus, non oportet nos diligere, ac non potius una cum Patre diligi tum Filium, tum Spiritum sanctum? *Mac.* Sane. Sed dicito, ubi Spiritus sanctus dictus sit Deus. *Orth.* Primum C disce Spiritum non separare a Patris & Filii communione, seu una cum Patre & Filio Spiritum quoque sanctum diligere totis viribus tuis, totaque anima tua, & tunc notitiam Dei assequeris. *Mac.* Diligimus eum toto corde, totaque anima & mente, neque tamen eum dicimus Deum esse. *Orth.* Enimvero, qui possis Spiritum dicere Deum, qui nolis eamdem substantiam & gloriam, idem consilium, eamdemque potestatem Patris, & Filii fateri, & compertus sis ipsi beati Luciani confessioni, quam opponebas, contraria sentire? *Mac.* Ego ita credo, ut beatus Lucianus, & fateor imaginem substantiæ & consilii, & potestatis, & gloriæ invariatam: eamdem tamen substantiam non D dico, neque Deitatem, neque idem consilium, neque eamdem potestatem, neque gloriam. *Orth.* Itaque & tibi ipsi & beato Luciano contradicis: & quemadmodum Manichæi & Phryges, omnesque adeo hæreses dictitant, credimus, ut sancti Apostoli crediderunt: ubi autem examinantur, contraria dicere comperiuntur, ita & tu facis. Immo etiam ex Judæis audire licet: Ita credimus, ut beatus Moses & Prophetæ, quos tamen si interroges, reperientur eum ipsū, de quo vaticinati sunt Prophetæ, crucifixisse.

16. *Mac.* Nos dicimus Filium esse invariatam imaginem substantiæ & potestatis, & gloriæ Patris, E non dicimus tamen esse ex Patris substantia, neque eamdem substantiam, & idem consilium, eamdem potestatem & gloriam. Superest ut dicas, si potes, ubī scriptum sit, Spiritum esse Deum. Dic. Quid me paulatim enecas? *Orth.* Cum te tibi ipsi repugnare ostenderem, ut auditores norunt, & ii cognoscent, qui hæc sunt postea lecturi, tunc etiam ostendi Paracletum, Spiritum illum veritatis, esse Deum, & opificem, & vivificum. *Mac.* Si vel unum istorum ostenderis, fiam consubstantialista. *Orth.* Cuinam dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Gen. 1. 26. *Mac.* Deus Pater hoc dicit Filio Deo. F *Orth.* Ex eo ipso, quod effectum est, possumus intelligere, cuinam id dixerit, quod postea effectum fuit, Estne homo ad imaginem Dei factus, annon? *Mac.* Est sane. *Orth.* Dic igitur: Num potest homo esse Dei imago, cum non sit perfectus: & num potest perfectus esse, quem Spiritus sanctus non sanctificarit? *Mac.* Omnes igitur homines habent Spiritum sanctum? *Orth.* Si omnes sunt secundum imaginem perfecti, omnes quoque Spiritum sanctum habent. *Mac.* Omnes habent illum secundum imaginem. *Orth.* Quomodo igitur Paulus inquit: *Ut sitis secundum imagi-* 1. Cor. 15. 49.

nem

nem ejus, qui condidit vos? & alibi: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemur imaginem cælestis.* *Mac.* Annon igitur omnes sumus secundum imaginem? *Orth.* Peccatores nequaquam: qui vero carnis actiones mortificant, & induunt novum illum hominem ad imaginem Dei conditum, iis demum illud, secundum imaginem, competit. Talis enim erat Adam ante transgressionem. Hnmo igitur ille secundum imaginem Dei creatus, a Patre, & Filio, & Spiritu sancto creatus est. Dixit enim, *Faciamus*, ut cooperationem declararet, non autem, Facite, ne tu rursus subordinatum operarium & ministrum dicas.

17. *Mac.* Spiritum sanctum dicis Patris & Filii adjutorem & operis socium? Atqui scriptura sanctos etiã Apostolos vocat adjutores. *Orth. Nempe ad salutem eorum, qui servantur*, non autem ad creationem rerum. Apostoli igitur cooperarii quidem dicuntur ad hominum salutem, quoniam fuerunt & sunt templũ Spiritus sancti, at ipse Spiritus cooperatus est ad creandũ. *Mac.* An vero mihi demõstrare possis, Spiritum cooperatum esse ad hominum creationem. *Orth.* Jam demonstratum est. *Mac.* Quomodo? *Orth.* Quoniam videmua hominem creatum ad imaginem, Spiritus cooperatione esse. *Mac.* Ego omnem bominem dico esse secundum imaginẽ Dei. *Orth.* Potestate dicis, an operatione? *Mac.* Et quidnam est potestate, quidnam operatione? *Orth.* Potestate illud est, quod fieri potest: operatione vero est, quod imaginis pulchritudinem operatur. Quemadmodum igitur puer est animal potestate rationabile & mortale: ubi autem excrevit, operatione fit illud, quod erat antea potestate, ita etiam unusquisque est potestate secundum imaginem Dei. Quod si exuerit mortalitatẽ, qua amictus fuit Adã propter mandati transgressionẽ, & novum illum hominem incorruptionis induerit, quo exutus Adam nudus compertus est: tunc fit reipsa secũdum imaginem conditoris, quales Apostoli fuerunt, quorum umbra virtutes edebat. *Mac.* Antea igitur non erãt Apostoli secundum imaginem? *Orth.* Num exteriorem illum hominem, quẽ inquit Apostolus corrumpi, dicis secundum imaginem esse, ac non potius interiorẽ illum, qui renovatur? *Mac.* Interiorem illum dico, qui renovatur. Nec enim Deo humanam formam tribuo. *Orth.* Deus, cujus imago est homo, nonne est invisibilis? *Mac.* Maxime. *Orth.* Oportet igitur invisibilis Dei invisibilem quoque esse imaginem: & cum invisibilis sit imago, invisibilem esse hominem, qui secundum imaginem sit. *Mac.* Si admisero hominem, qui secundum imaginem sit factus, esse occultum illum & latentem, at non tamen dico factum esse a Spiritu sancto. *Orth.* Annon vero prorsus concedis, Adamũ in Paradiso fuisse sanctum? *Mac.* Etiam. *Orth.* An quoniam talis creatus, an quod sua virtute talis evaserit? *Mac.* Quod talis esset creatus.

18. *Orth.* Itaque Spiritus sanctua, una cum Patre, & Filio hominem creavit. *Mac.* Enimvero annon poterat Filius ipse senctum hominem creare? *Orth.* Sane vero. *Mac.* Quorsum igitur dicis, creatum fuisse e Spiritu sancto? *Orth.* Quemadmodum Pater, cum posset hominem creare, cum Filio creavit, ut naturæ identitas ostenderetur: ita & Filius, cum posset hominem sanctum creare, cum Spiritu creavit, ut quod factum est, constaret esse Petris, & Filii, & sancti Spiritus opus. Sic igitur hominem etiam lapsum, & jumentis rationis expertibus similem factum, non renovet absque Spiritu: sed, ut inquit Propheta: [Ps. 103. 31.] *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terra.* *Mac.* Dicimus & nos, renovationem nostri per Spiritum effici. Est enim Spiritus sanctificationis. [Tit. 1. 15.] *Orth. Omnia quidem munda mundis.* Quoniam eutem illud, per Spiritum sanctum, non fincere protulisti, necessario cogor interea non silere. Dic igitur mihi: Renovatio nostri nonne fit per lavacrum regenerationis? *Mac.* Etiam. *Orth.* Quomodo ergo baptizamur? in Patris & Filii, an vero etiam in Spiritus sancti nomine? *Mac.* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Orth.* Quorsum ergo dicis, nostri renovationem per Spiritum sanctum fieri, non autem ex Patre, & Filio, & Spiritu sancto? *Mac.* Nonne scriptum est: [Tit. 3. 5.] *Qui ex multa sua misericordia regeneravit nos, per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus sancti?* *Orth.* Prius dixi, *omnia munda mundis*. Enimvero apud nos juxta Scripturæ scopum, *Per quem*, idem est atque, *ex quo*. [2. Cor. 1. 9. 1.] Sane dicit sanctus Paulus: *Fidelis Deus, per quem vocati estis, in communionem Filii ipsius*, nempe bic quoque, *per quem*, ponitur pro, *ex quo*. Fatere igitur creationem nostram fuisse a Patre, Filio, & Spiritu sancto. Nec enim alius creavit, & aliua renovavit: sed Deus is est, qui creavit cum Filio, & Spiritu sancto. Ideo initio dixit: [Genes. 1. 26.] *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ut ex cooperatione indicaretur naturæ identitas.

19. *Mac.* Demonstra mihi apertius, Spiritum sanctum creare. *Orth.* Sufficiunt quidem sanæ mentis homini quæ modo diximus, ed apertam demonstrationem: quoniam tamen testimoniorum quoque multitudine fidem tibi fieri vis, audi Job dicentem: [Job. 33. 4.] *Spiritus divinus is est, qui me fecit, & flatus omnipotentis docuit me.* *Mac.* Eliud hæc dicit, neque simpliciter eit: *Qui fecit me*, sed ita dicit: *Purum est verbis cor meum, & labiorum meorum intelligentia pura est cogitatione: Spiritus divinus is est, qui me fecit pura cogitare. Itaque Spiritus sanctus fecit me* (inquit) nempe fecit me pura cogitare. *Orth.* At tu certe omnino fateris, divinum esse Spiritum. *Mac.* Imo Job hoc non dixit, sed Eliud, quem Deus reprehendit. *Orth.* At non ipsum in eo reprehendit, quod Spiritum divinum dixisset? *Mac.* Deus tamen eum reprehendit. *Orth.* Quid si igitur ipsum etiam Job eudias dicentem: [Job. 27. 2. 3.] *Vivit Dominus, qui sic me judicavit, & Omnipotens, qui amaritudine affecit animam meam. Certe donec halitus mihi inest, & Spiritus divinus superest mihi in naribus?* Quid habes quod adversus ipsum etiam Job dicas? *Mac.* Voco etiem ego Spiritum divinum, non Deum. *Orth.* At Spiritus divinus quid aliud est, quam Deus? *Maced.* Absit. *Orth.* Dic igitur, ecquam divinarum potestatum Scriptura divinam dixerit: perlege vetus & novum Testamentum universum, si quis sanctorum Angelorum repertus est, qui divinus Spiritus sit dictus. *Maced.* Nullus enim alius Spiritus est istiusmodi. Est enim unicus. *Orth.* Ergo & tu fateris, nullum esse talem Spiritum, inter res creatas. *Mac.* Feteor. *Orth.* Restat igitur, ut videamus, annon natura communem habeat cum Patre & Filio. *Maced.* Hnc si fuerit demonstretum, Deus etiam esse demonstratus fuerit. *Orth.* Antea demonstratum est, esse divinum. *Maced.* Sed non est Deus. *Orth.* Si ex Paulo Apostolo audierimus, Deum nihil aliud esse, quam divinum, necesse fuerit concedere, id, quod divinum est, Deum esse. *Maced.* Non prorsus. Neque enim etiamsi Deus est Spiritus, idcirco divinus quoque Spiritus, est Deus. Ubinam vero scriptum est, Deum esse divinum? *Orth.* In Actis Apostolorum sic loquitur Paulus: [Act. 17. 29.] *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro aut argento, sculpturæ artis & cogitationis hominum, divinum esse simile.*

20. *Maced.* Jam prius dixeram, etiamsi posuero Deum esse Spiritum, non protinus sequi, divinum etiam Spiritum esse Deum. *Orth.* Si rerum creatarum nul-

nulla est Spiritus divinus, nulla est Spiritus sanctificationis, hæc autem communia sunt Patri, Filio, & Spiritui sancto, nempe ejusdem naturæ fuerint Pater, Filius, & Spiritus sanctus. *Maced.* Ostende igitur, sicut Pater excitat mortuos, & vivificat, & Filius quoque, ita etiam Spiritum sanctum vivificare. *Orth.* Rom. 8. 9. Dicit Paulus: *Vos autem jam non estis in carne, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, is non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vita est propter justitiam. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat* B *in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit quoque mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Maced.* Non ita scriptum est, per inhabitantem, sed propter inhabitantem. *Orth.* Si ostendero scriptum esse, *per inhabitantem*, num tibi persuasum fuerit, ejusdem esse naturæ, Spiritum atque Patrem & Filium? *Maced.* An vero, si unum & alterum mendosum exemplar apud vos inveniatur, inde illud mihi persuaseris? *Orth.* Possumus ostendere ita in cunctis vetustis exemplaribus scriptum esse. Quoniam tamen de hoc controverti existimas, aliis petitis ex Scriptura demonstrationibus certior fias. *Maced.* Has C igitur profer, nam illud in controversia est. *Orth.* Idem 2. Cor 3. 5. Paulus dicit: *Non quod ex nobis ipsis idonei simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed quod idonei sumus, id ex Deo est: qui etiam fecit ut idonei ministri essemus novi Testamenti, non litteræ, sed Spiritus. Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Maced.* Vivificare dicitur a peccato ad justitiam traducere. At non excitat mortuos, sicut Christus excitavit. *Orth.* Paulus Apostolus Eutychum mortuum excitavit, annon? *Maced.* At non is est Paulus, qui illum excitavit, sed qui loquutus est in Paulo Christus. *Orth.* Atqui, inquit Paulus: Rom. 15. 18. *Christus in virtute Spiritus sancti fecit in me signa*, Sic D enim ait: *Non enim audeo quicquam loqui quod non effecerit Christus per me, verbo & facto ad obedientiam gentium, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti. Maced.* An vero non poterat Christus absque Spiritu sancto edere signa & prodigia? *Orth.* Nonne itidem poterat Pater absque Filio condere omnia? *Maced.* Etiam; sed (*ideo per Filium condidit*) ut Filium quoque appareret esse conditorē. *Orth.* Eadem ratione, Filius cum posset edere signa & prodigia, edidit ea in Spiritu, ut ostenderet Spiritum sanctum eadem facere quæ Pater & Filius.

21. *Maced.* Nos Spiritum sanctum non possumus E Deum dicere. *Orth.* Ais divinas Scripturas a Spiritu sancto enuntiatas per Prophetas & Apostolos, annon? *Maced.* Ajo: *Orth.* Ergo Spiritus qui eos afflavit, Deus est. *Maced.* Absit ut hoc dicam. *Orth.* Si Scripturæ ab ipso inspiratæ, sunt a Deo inspiratæ, quid aliud Spiritus ille fuerit quam Deus? *Maced.* Spiritus ille nobis subministravit Dei doctrinam, quæ idcirco dicitur a Deo inspirata. *Orth.* An vero, quoniam sanctificatio qua nos Spiritus etiam sanctificat, est Dei sanctificatio, idcirco non est ab ipso Spiritus sanctificatio? *Maced.* Sane est etiam ab ipso Spiritu sanctificatio. *Orth.* Sicut ergo sanctificatio est a Patre, Filio, & Spi- F ritu sancto; ita & sacra Scriptura. Doctrina igitur est Patris, Filii, & Spiritus sancti. At Scripturam profitetur sanctus Paulus esse a Deo inspiratam: Deus est igitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quamobrem Esai. 54. 13. etiam dictum est apud Prophetas, *Et erunt omnes docti a Deo. Maced.* Quisquis dicitur a Patre, vocatur doctus a Deo. *Orth.* Sicut qui sanctificatur a Patre & Filio, sanctificatur quoque similiter a Spiritu sancto: ita qui didicit a Patre, a Filio quoque discit, & a Spiritu Mat. 10. 20. sancto: siquidem cum dixerit Christus: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur* A *in vobis*. Sanctus Paulus dicit: *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Christi?* 2. Cor. 13. 3. Audis Christi doctrinam esse ea quæ loquitur Spiritus: & Patris doctrinam esse, ea quæ Christus & Spiritus loquuntur. Quod si ita est, quæ loquitur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sunt Scriptura a Deo inspirata.

22. *Maced.* Cum ergo dicit Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* Mat. 3. 17. Hoc dicit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. *Orth.* Quædam sunt voces propriæ Patris, & quædam propriæ voces Filii, & quædam voces Spiritus propriæ: sunt & quædam Patri, & Filio, & Spiritui sancto communes. Cum igi- B tur, ut tu prius dixisti, Pater inquit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matth. 3. 17. hæc est ipsius Patris vox. Item cum inquit: *Ecce Puer meus dilectus, in quo complacuit anima mea: ponam Spiritum meum super ipsum:* Esai. 42. 1. & similes aliæ voces, ipsius Patris sunt propriæ. At cum dicit Filius: *Foderunt manus meas & pedes meos*, Psal. 21. 17. & si quæ sunt aliæ similes, Christi sunt voces. Ita etiam quædam sunt Spiritus propriæ voces, ut cum dicit Agabus: *Hæc dicit Spiritus sanctus, Hunc virum, cujus est hæc zona, sic alligabunt.* Act. 21. 11. Omnes autem istæ voces dicuntur a Deo inspiratæ, quoniam & quæ Patris sunt, Dei sunt voces: & quæ Filii sunt, Dei C sunt voces: & quæ Spiritus sunt, Dei sunt voces. *Maced.* Absit. *Orth.* Dic igitur quasdam Scripturas esse a Deo inspiratas, quasdam vero non item: & Paulum incusa, qui Scripturas universas a Deo inspiratas esse scripserit. *Maced.* Num igitur quoniam in Scripturis sunt quædam Sanctorum verba, quædam etiam impiorum & sceleratorum hominum, impios quoque & sceleratos idcirco dixeris esse deos? *Orth.* Sed & Patris, & Filii, & Sanctorum, itidemque impiorum & sceleratorum voces descripsit Spiritus per Prophetas & Apostolos. Non enim loquuti sunt D ipsi, sed Spiritus Patris. *Maced.* Ostende mihi, ubi Spiritus sanctus manifeste dicatur Deus.

23. *Orth.* Fateris te esse Dei templū, annon? *Maced.* Sane. Dictum est enim a sancto Paulo: *An nescitis corpora vestra esse templum Spiritus sancti: qui in vobis est, & quem a Deo habetis?* 1. Cor. 6. 19. *Orth.* Atqui omne templum est Dei templum, ergo Spiritus sanctus est Deus. *Maced.* Nego, Spiritum esse Deum. *Orth.* Ergo, ne tu quidem es templum? *Maced.* Sum Dei templum. *Orth.* Annon vero Spiritus templum? *Maced.* Sum certe Spiritus etiam templum. *Orth.* Ergo & Spiritus est Deus. *Maced.* Num vero quoniam Angeli etiam habitarunt in Sanctis, sicut inquit Propheta: *Hæc dicit Angelus, qui in me loquitur*, Zach. 1. 9. idcirco Angelos quoque dixerim esse deos? *Orth.* Non possis ostendere Angelum loquentem in Propheta fuisse unum ex illis conditis. Jam enim antea demonstratum est Filium quoque & Spiritum esse Angelum. Et ut tibi concedatur, unum fuisse ex conditis Angelis eum qui loquebatur in Propheta, non erat tamen Propheta templum Angeli. Omne templum enim est Dei templum: alioqui dicito ubi tandem in Scriptura dicatur Propheta, vel Apostolus, vel homo quispiam, templum Angeli vel rei ullius creatæ. *Maced.* Spiritus igitur Deus est? *Orth.* F Est, nolis, velis. *Maced.* Tres vero Dii sunt. *Orth.* Pater estne Deus? *Maced.* Etiam. *Orth.* Et Filius quoque Deus? *Maced.* Etiam. *Orth.* Num igitur duo sunt dii? *Maced.* Non. *Orth.* Ita igitur ne tres quidem sunt. *Mac.* Sed unus est & unus. *Orth.* Si unus & unus non sunt duo, ergo nec unus & unus & unus tres sunt. *Mac.* An non igitur unus est Deus, ex quo omnia, & unus Dominus per quem omnia? *Orth.* Dic, & unus Spiritus in quo omnia. *Mac.* Ubi hoc scriptum est? *Orth.* Apud Davidem: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Psal. 32. 6. *Mac.* Sed Spiritus oris ipsius non est Spiritus sanctus. *Orth.* Ergo ne

Ver-

Verbum quidem est Filius. *Mac.* Non significat eo loco Verbum subsistens, nec Spiritum subsistentem. *Orth.* Ut tibi illud quoque concedatur, quod Deus habeat Verbum prolatitium, dic nobis, Verbumne subsistens, est quod cælos firmavit, an prolatitium? *Mac.* Psal. 148.5. Verbum proletitium appello, mandatum ipsius. *Dixit enim & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Dixit autem & mandavit Filio, Verbo videlicet subsistenti: Filius vero accepto mendato creavit.

24. *Orth.* Non fuerint igitur cæli firmati verbo ipsius, sed Filii operatione. Adeoque falsum illud erit: *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Cum hoc Verbum non B habuerit eam virtutem quæ concurreret, sed Filii actionem exspectarit: neque intelligis in quam ebsurditatem tua hæc oratio delabatur? Dic enim nobis, multiscie, utrum Filius postquam audivit a Patre, sua ipsius substantia, arte quadam & methodo commota, cælum firmavit; an vero sermone, fecit ut exsisteret? *Mac.* Verbi quidem Verbum concurrentem habuit virtutem: Patris autem Verbum, Christi verbum exspectavit. Annon enim Pater ei præcepit ut omnia faceret? *Orth.* Hoc scriptum non est, sed Verbi Patrem omnie condidisse. *Mac.* Si Pater fecit, quomodo per Filium fecit? *Orth.* Sicut lux per splendorem illu- C strat, ita Pater per Filium creet: & veluti mens per sermonem docet, ita etiam Pater per Filium creat. *Mac.* Annon per Spiritum? *Orth.* Per Verbum creat, & per Spiritum sanctificat. *Mac.* Hoc admitto. Psal. 32. 6. *Orth.* Hoc illud est igitur, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* *Mac.* Sed Filius quidem creat, Spiritus vero sanctificat, sed non creat. *Orth.* Quivis prudens auditor novit sanctificationis nomine creationem Ps. 50. 12. quoque intelligi. Cum eudimus: *Cor mundum crea in me Deus*, quid aliud mente concipimus, quam cor purum in me sanctifica Deus? Quandoquidem autem D vis sanctificetionem simul cum cælis existere cœpisse, dic quid majus sit creare en sanctificare. *Maced.* Creare est Dei opus. *Orth.* Dei quidem opus est creare, at non majus quam sanctificare. Nam & ipsa Joan 17.17. sanctificetio, est Dei opus. Scriptum est enim: *Pater sancte, sanctifica eos in veritate tua.* Sanctificare vero majus quiddam esse quam creare, cognosce ex ipso eventu, cum quis sanctificationem amiserit. Audit Mat. 26.24. enim infelix ille Judas, *Bonum esset homini illi, si natus non fuisset.* *Maced.* Bonum igitur illi fuisset, si natus non fuisset: sed Deus solus is est qui creat & efficit quæ non sunt temquam si essent.

Gen. 1. 26. 25. *Orth.* Ostensum quidem est illud: *Faciamus hominem*, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dictum Gen. 2. 18. esse: & illud: *Faciamus ei adjutorium ipsi conveniens*, itidem de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dictum esse. Jam vero ne longius protrahatur oratio, eudi Euangelium dicens, templum corporis Christi fuisse a Matth 1.18. Spiritu sencto conditum. *Macd.* Ubinam? *Orth.* *Jesu ortus sic fuit: cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenireat, inventa est habens in utero ex Spiritu sancto.* *Maced.* Jesus ergo est Spiritus sancti Filius. *Orth.* *γένεσις, id est*, ortus dixit. Non *γέννησις*, seu generatio: unum dicit non duo. *Maced.* Sed F Matth.1.20. Angelus dixit: *Quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est.* *Orth.* Primum audi ortum templi, & postea demum generationem. Nam & nos homines primum efficimur ut ab opifice & conditore, deinde sic gigni- Esai. 1.2. mur improprie. Illud enim, *Filios genui, & exaltavi*, certe scriptum est, non neturaliter, sed improprie. Prov. 9. 1. *Maced.* Quomodo dixit Salomon: *Sapientia ædificavit sibi domum?* *Orth.* Enimvero hoc illud est quod dico, omnia videlicet opera esse Patris, Filii, & Spiritus sancti, ideoque modo Patris dici, modo Filii, modo Spiritus sancti. Siquidem Paulus ille sanctus Aposto-

A lus, inquit: *Cum autem placuit Deo, qui me segregavit ex utero matris meæ, ut revelaret Filium suum in me:* Gal. 1. 15. & ipse rursum dicit: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus* Rom. 1. *Apostolus, segregatus in Euangelium Dei.* *Maced.* Quid ex hoc efficitur? *Orth.* Volo tibi demonstrare, Paulum dicere se quiddam esse segregatum modo a Patre, modo a Filio. *Maced.* Num etiam a Spiritu sancto? *Orth.* Disce igitur quod etiem Spiritus senctus ipsum segregarit, ut jam entee dictum est. Sic enim scriptum est in Actis Apostolorum: *Dixit autem eis Spiri-* Act. 13. 2. *tus: Segregate mihi Barnabam & Saulum ad opus, ad quod ipsos advocavi.* *Maced.* Dico etiam ego, quos B vocat Pater, eos vocat Filius, & Spiritus sanctus: & quos sanctificat Pater, eos sanctificat etiam Spiritus, sed non creat Spiritus. *Orth.* Demonstratum est, Spiritum quoque creare. Inventa est enim Meria habens in utero de Spiritu sancto. *Maced.* Non dixit, in utero hebens, creante Spiritu sancto: sed simpliciter dictum est, *Inventa est habens in utero de Spiritu* Matth.1.18. *sancto.* *Orth.* Istud ergo, *De Spiritu sancto*, quid aliud esse putas, quam ipsum condidisse? *Maced.* Dico Spiritus sancti œconomiam his significari. *Orth.* Non vis igitur fateri Domini corpus esse creetum? *Maced.* C Fateor quidem corpus esse creatum, non tamen a Spiritu sancto creatum esse dico, sed a Christo. *Orth.* Atqui scriptura inquit, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

26. *Mac.* Dic mihi ubi scriptum sit, quidpiam a Spiritu sancto fuisse conditum. *Orth.* Sufficiunt quidē ea quæ diximus auditoribus omnibus, qui sincere rei cognoscendæ studium ettulerint: quoniam eutem nobis propositum est secus etiem affectis prodesse: audi et- Amos 4. 13. iam Spiritum sic loquentem: *Paratus esto Israel ad invocandum Deum tuum. Ecce enim ego, qui firmo tonitru, & creo Spiritum, & hominibus annuntio Christum ejus,* D *Maced.* Pater is est, qui loquitur. *Orth.* Si Pater loqueretur, dicendum ei fuisset, qui annuntio hominibus Christum meum, neque dixisset, Christum ejus. Dic enim mihi an eb elio Deo quā Patre sit Christus. *Mac.* Alius quidem neque fuit, nec est, nec erit Deus præter Christi Patrem: sed Propheta is est, qui dicit: *Paratus esto Israel, ad invocandum Deum tuum*: neque scriptum est: *Ecce ego*, sed *Ecce, qui firmat tonitru, & creat* Ibid. 13. *Spiritum, & annuntiat hominibus Christum ejus*: ipse videlicet Deus. *Orth.* Omnia quidem vobis licent, sed non omnia expediunt. Vos enim ii estis qui sancti Pauli ad Hebræos epistolam rejicitis, & epistolæ ad E Romanos contextum depravastis, cum dicitis scriptum non esse: *Per Spiritum ejus inhabitantem in vo-* Rom. 8. 9. *bis*; sed, *propter Spiritum ejus inhabitantem.* Quin etiam ecce Prophetæ quoque verba conaris depravare. Sed hoc nemo tibi concedet. Itaque si propheticum illud protulerimus, & ostenderimus scriptum esse, *Ecce ego*, an tibi persuaderi sines creatorem esse Spiritum? *Maced.* Scio in nonnullis exemplaribus scriptum esse, *Ecce ego*. Sed in exemplaribus illis erratum esse dico. Nec enim consentaneum & congruens est dicere, Spiritum eum esse qui dicat, *Ecce ego qui firmo tonitru & creo spiritum.* *Orth.* Imo hæc maxima F est horum verborum congruentia, utpote quæ aliter quam hoc modo congruenter construi non possint. Spiritus enim is est, qui dicit: *Paratus esto Israel, ad* Amos 4. 12. *invocandum Deum tuum. Ecce enim ego* (Spiritus videlicet) *qui firmo tonitru, & creo spiritum, & annuntio hominibus Christum ejus*, videlicet Dei. *Maced.* Quem Spiritum creat? *Orth.* Si litteram quidem & verba ipsa spectes, spiritum seu ventum, qui tonitru consequitur: sin vero sententiam ipsam consideres, eum Spiritum, quem ait senctus Paulus: *Custodiri inculpatam cum anima & corpore, ad Domini nostri Jesu* 1. Thess. 5. 23. *Christi adventum.* Nam per *obfirmatum tonitru* intelli-

ligendus est baptismus ille prior apud Judæos usurpatus, vacuus & aqueus: adeo ut dixerit sanctus Joannes: (Matt. 3. 7.) *Ego quidem baptizo vos aqua ad pœnitentiam: venit autem, qui fortior me est, qui vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*. Quoniam igitur ipse baptismus firmatur Spiritus præsentia, recte dictum est, *Ecce ego*, (Spiritus videlicet) *qui firmo tonitru, & creo spiritum*, illum videlicet qui singulis nobis inest, (Psal. 50. 12.) quem etiam cor appellat David, inquiens: *Cor mundum crea in me Deus*.

27. *Maced.* Ergo baptismum vocas tonitru. *Orth.* Sane quidem symbolice. Quemadmodum enim cum (Psal. 79. 9.) illud audio: *Vineam de Ægypte transtulisti*, non considero vitem ullam corpoream, sed templum intelligo: ita etiam per tonitru intelligo baptismum. Nam suos etiam discipulos Christus vocavit Filios tonitrui, id est baptismi. Quoniam enim tonitru constat ex aqua & spiritu, seu vento, id autem est mystica quædam sancti baptismi adumbratio, baptismum symbolice vocat tonitru firmatum a Spiritu sancto. Siquidem Apostolus (ut in Actis dicitur) cum veniens invenisset nonnullos baptizatos interrogavit eos (Act. 19. 2.) dicens: *An accepistis Spiritum sanctum credentes?* Cum autem illi dixissent: *Sed, neque si Spiritus sanctus est audivimus*, ait, *In quo ergo baptizati estis?* Quasi absente Spiritu, nulla sit in baptismo firmitas. Firmat igitur tonitru, id est baptismum, & creat spiritum, hoc est corda nostra, ipse Spiritus sanctus qui dicit per Prophetam: (Amos 4. 12.) *Paratus esto, Israel, ad invocandum Deum tuum. Ecce enim ego qui firmo tonitru, & creo spiritum, & annuntio hominibus Christum ejus*. *Maced.* Interpretare etiam quod consequitur, & ista inter se ut congruentia connecte. *Orth.* *Qui efficio diluculum & nebulam, & incedo super excelsa terræ*. *Maced.* Quid igitur vocas diluculum, & nebulam & excelsa terræ? *Orth.* Ex interpretatione & sententia ipsius dicti, diluculum dico resurrectionem. Nam solis justitiæ ortus, intelligitur esse resurrectio. Nebula autem ea fuit, quæ non sivit ut omnes eum perspicue cernerent. Inventa est enim in utero habens de Spiritu sancto. Excelsa terræ vero sunt qui ambulant quidem in terris, conversationem autem habent in cælis. Istiusmodi enim homines inscendit Spiritus gratia.

28. *Maced.* Num igitur Spiritus sanctus excitavit Christum a mortuis? *Orth.* Ego quidem hoc dicere non dubitem, vos autem tuto dixeritis. Quemadmodum enim dicitur Pater fecisse corpus Domini (scriptum est enim *Antequam te formarem in utero novi te: & antequam ex utero egrederetis, sanctificavi te*: & hoc ipsum corpus sapientiam ædificasse, ait Salomon: (Prov. 9. 1.) Nam *Ædificavit*, inquit, *domum sibi sapientia*; & Euangelium dicit ipsum esse a Spiritu sancto) ita etiam de corporis resurrectione ipse quidem Filius dicit: (Joan. 2. 19.) *Solvite templum hoc, & ego tribus diebus excitabo illud*: Apostolus vero: (Act. 2. 24.) *Deus excitavit eum, solutis doloribus mortis*: hic autem dicitur Spiritus ipsum excitasse. Cum audio enim, *Qui efficit diluculum*, Resurrectionem mente concipio. Nam quæ facit Pater, ea ipsa facit etiam Filius, & quæ facit Pater & Filius, ea ipsa facit Spiritus, ut supra quoque demonstravimus. *Maced.* An vero tu mihi ostenderis, Christum excitatum fuisse a Spiritu sancto? *Orth.* Non dico ipsum Christum a Spiritu tamquam potentiore fuisse excitatum, sed quod templum corporis excitaverit Pater, Filius & Spiritus sanctus. *Maced.* Id autem quomodo mihi persuaseris? an auxilio egebat Filius, a quo templum ipsius excitaretur? *Orth.* Enimvero num quod auxilio egeret impletus est ipso Spiritu? *Maced.* Ubi scriptum est impletum fuisse Spiritu? *Orth.* Lege Euangelium secundum Lucam, ut audias, (Luc. 4. 1.) *Jesus igitur plenus Spiritu sancto, reversus est in desertum*. Imo quod mirum est, scriptum est non modo impletum, sed etiam ductum fuisse a Spiritu. Ceterum sicut impletus est, & ductus, ita etiam resurrexit. Et ut noris nihil obstare, quominus Patre ipsum excitante, Spiritus etiam eum excitarit, audi, Patre etiam in ipso manente, sicut in Euangeliis dicit ipse Filius: *Pater in me manens ipse facit opera*, (Joan. 14. 10.) manere etiam in eo Spiritum. *Descendit enim Spiritus corporali specie sicut columba; & mansit super eum*. Sicut ergo nihil vetat quin manente Patre, maneat etiam Spiritus: ita nihil probibet, quominus Patre ipsum excitante, Spiritus quoque excitarit, & hoc illud est quod dicitur: *Efficiens diluculum*, id est resurrectionem, *& nebulam*, id est corpus. *Mac.* Enimvero annon ipse potuit sese excitare? *Orth.* Imo ex istis demonstratur naturæ identitas; siquidem quæ facit Pater, facit etiam Filius, & quæ facit Filius, similiter facit Spiritus. *Mac.* Quomodo id fieri potest? *Orth.* Ita ut ostensum est. *Mac.* Ubi vero ostensum est? *Orth.* Quia ut Pater sanctificat, ita & Filius, sicut etiam scriptum est apud Apostolum: (1. Cor. 6.) *Sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*.

29. *Maced.* Imbecillus ego sum: inveniam autem qui ad hæc habeat quod dicat. Hæc persuade doctoribus meis, & persuasus fuero. *Orth.* Si tuæ sententiæ fuisset beatus ille & sanctus Apostolus, cum visus est ei Christus, dixisset: Adduc prius in tuam sententiam Pontifices & Scribas, & tunc demum tibi obsequar. *Maced.* Novis & insolentibus istis vocibus deterreor. Patres nostri numquam apud nos istis interpretationibus usi sunt. Necesse est ut nos hæc consideremus, ac præsertim novum illud dictum quod audivi, Baptismum videlicet esse tonitru. *Orth.* Fateris Apostolos vocatos fuisse filios tonitru a Salvatore, annon? *Maced.* Sic vocati sunt soli illi duo fratres. *Orth.* Nos quod vel uni dictum est, omnibus competere dicimus eodem Spiritu præditis. Dixit enim sanctus Paulus: (2. Tim. 4.) *In reliquo seposita est mihi corona justitiæ, non solum autem mihi, sed etiam omnibus qui diligunt adventum Domini nostri Jesu Christi*. An igitur tibi persuasum est Christum vocasse Apostolos filios tonitru? num vero tonitru ipsos genuit, an potius homines? *Maced.* Ipsos, credo, vocavit Filios tonitrui, ob sublimem illam fidei prædicationem. *Orth.* Ecquid autem baptismo sublimius? Perpende cum Dei timore, annon ubique in Scriptura divinitus inspirata tonitru baptismum innuat? Dicit enim David: (Psal. 75. 19.) *Vox tonitrui tui in rota: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Vidit & commota est terra*. Quid aliud vocat tonitru quam Baptismum? Rotam, hujus vitæ circulum? Fulgura vero, sanctos Apostolos, qui lucem tonitrui orbi terrarum patefecerunt? Hi sunt enim qui audierunt: (Matth. 5. 14.) *Vos estis lux mundi*. Commota est autem ab hoc tonitru terra ad culturam, & gentes collustratione siderum ab ignorantia ad Dei cognitionem traductæ. *Maced.* Dixi nova hæc & peregrina mihi incidere. Ampliore consideratione mihi opus est. *Orth.* Quoniam te cupio modis omnibus ad hoc credendum perducere, disce in alio etiam Psalmo Baptismum a Davide vocari tonitru, cum inquit: (Psal. 28. 3.) *Vox Domini super aquas*. Et mox: *Deus majestatis tonuit, Dominus super aquas multas*. *Maced.* Novi quid deinceps efficere & colligere institueris. Sed quod antea dixi, exiguo sum ingenio: concede ut de istis amplius dispiciam. *Orth.* Utinam det tibi Dominus intelligentiam, ut quæ audivisti agnoscas.

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

De Sancta Trinitate.

DIALOGUS IV.

In quo Orthodoxi cum Apollinarii sectatore Dialogus.

ORTHODOXUS.

1. HABUIT humanum corpus Christus, annon? APOLLINARISTA. Non habuit. *Orth.* Cujusmodi ergo aliud? *Apollin.* Divinum. *Orth.* Natura, an œconomiæ unione? *Apoll.* Œconomiæ unione. *Orth.* Ergo natura humanum, œconomia vero divinum. *Apoll.* Etiem. *Orth.* Et nobis consubstãtiale. *Apoll.* Caro quam ex Maria sumsit, consubstantialis est nobis. *Orth.* In istis igitur sentitis nobiscum? *Apoll.* Etiam, si quidem ite sentitis. *Orth.* Dispiciemus igitur etiam de anima. *Apoll.* Dispiciamus. *Orth.* Corpus illud eratne animatum, an exanime? *Apoll.* Animatum. *Orth.* Nempe quod anima præditum esset? *Apoll.* Nequaquã. *Orth.* Quomodo vero fuerit animatum, quod non fuerit anima præditum? *Apoll.* Divina animatione fuit animatum. *Orth.* Enimvero an tu es, Deo non interveniente, animatus? *Apoll.* Naturaliter sum animatus. *Orth.* Num ebsque Dei potentia? *Ap.* At non ita Dominus. Hic enim anima rationis particeps, corpori ex Dei mandato unita, hominem constituit. In Domino vero non ita est, sed Deus Verbũ carni unitum hominẽ constituit Deum. *Orth.* Hoccine est quod divinam animationem vocas? *Ap.* Sane quidem. *Orth.* Verbum igitur fuerit animæ vice. *Ap.* Etiam. *Orth.* Quisnam igitur dixit: *Nemo tollit animam meam a me, cum volo pono eam, & cum vole sumo*: caro an Verbum? *Ap.* Verbũ. *Orth.* Quam dixit animam? quem haberet, vel quam non haberet? *Apoll.* Vitam humanam significavit. *Orth.* At fierine potest ut quædam sit humana vita, si non adfuerit anima? *Apoll.* Mexime. *Deus enim in terra visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Joan. 10.18.

Baruc. 3.38.

2. *Orth.* Quomodo vero visus est in natura, inaspectabilis cum sit? *Apoll.* Carne. *Orth.* Sicut ergo carnis est conspicuum esse; ita & animæ est converseri. Fieri vero non potest ut qui natura est inaspectabili, cernatur, nisi corpori uniatur quod videri possit: & fieri non potest, ut qui natura passionis expers est, patiatur & une cum hominibus conversetur, nisi sit corpori animato unitus, quod sponte pati & una cum hominibus verseri possit. Animatum eutem corpus eo ipsn quod enima sit præditum, animetum est, velis, nolis. *Ap.* Homo igitur nudus, passus est pro nobis. *Orth.* Absit. Sed Deus cum vellet conspici, univit sibi corpus quod cnnspici posset: & pati vnlens, univit sibi corpus enimatum quod sponte pati posset, neque quod quidem prius exstiterit, postea vero virtute unitum fuerit: neque simpliciter ex homine Maria, sed ipsa prius sanctificata, ut Deus Verbum desumtam ex ee humanitetem, tũ demum participans, & sibi ipsi per œconomiam uniens corpus animatum, unus & idem esset Deus & homo. *Apoll.* Nonne enimetum corpus homn est? *Orth.* Nnn quodvis enimatum corpus est homn, sed humanum corpus enimatum est homo. *Ap.* Hnmo iste annon est Jesus? *Orth.* Unitus Verbo. *Apoll.* Jesus igitur annon est homn? *Orth.* Ne hominem quidem ipsum ebsque Verbo substitisse agnosco. Ipsius enim exsistentiam in ipsa unitione Verbi designo. *Apoll.* Non fuit igitur Verbum vice partis rationalis? *Orth.* Non, sed in parte rationali fuit Verbum, sibi ipsi per illam uniens spontaneam patiendi facultatem. *Apoll.* Habuit igitur mentem hominis Christus? *Orth.* Cave sic dicas Christum habuisse mentem, ut eum dividas. Utrumque enim simul & conjunctim consideratum, Mens videlicet & Verbum, dicitur Christus. Sic autem mentem cui inesset Verbum, humanam dico, ut initio sermonis diximus corpus natura humanum, Dei vero corpus fuisse, si œconomiam spectes. Sic etiam animam dico natura humanam, Dei vero enimam quod ed œconomiam ettinet: & mentem natura humanam, Dei vero mentem per œconomiam. Item sicut caro ejus non vidit corruptionem, ita quoque mens ipsius non commisit peccatum. Et sicut necesse est corpus, quod humanum sit, & ex Adamn profectum, ex carne & sanguine constitui, ita necesse est animam humanam, esse rationabilem. Rursum igitur dico, Sicut corpus natura quidem est humanum, unione vero œconomiæ divinum: ita & mens natura quidem est humana, uninne vero œconomiæ, Mens Dei.

3. *Ap.* Duo sunt igitur perfecta. *Orth.* Imo duarum perfectarum substantiarum unitio. *Ap.* Ex duobus perfectis unũ perfectũ non efficitur. *Orth.* Apud homines fortassis id fieri non potest, sed apud Deum fieri potest. *Apoll.* Quomodo? *Orth.* Ut quod Virgo genuerit, ut quod januis clausis corpus solidum, & ex carnibus & nssibus compactum, introierit, ut quod supra mare ambularit. Nam ut hæc possibilia apud Deum, ita & illud. *Apoll.* Hominem igitur genuit Maria? *Orth.* Nudum & dumtaxat hominem, nequaquam, sed Deum, hominem factum. Primum enim Dominus fuit cum ea divine, & tum demum infentulus ex ea œconomice: quamobrem etiem Deipara est Maria. *Apoll.* Homo igitur crucifixus est pro nobis? *Orth.* Nudus dumtaxat homn, nequaquem: sed Dei Filius cum Deus esset, velletque crucifigi pro nobis, univit sibi ipsi corpus animatum rationis particeps, quod posset crucifigi cum vnluntarie passione. *Apoll.* Cur dicis crucifixum fuisse cum passione? Nem eliud est crucifixin, quem passin? *Orth.* Sane vero si vnluntarie sit. *Apoll.* Quomodo? *Orth.* Quoniam corpus animatum potest crucifigi, voluntarie autem pati nnn potest corpus, quod non fuerit animatum simul & rationis particeps. Et hæc illa est impietas eorum, qui Christum negent enima præditum fuisse. Cum enim corpus ebsque enimæ non potuerit voluntariam passionem sentire; necesse est Verbum, quod animæ loco fuerit, passum esse aut nullum prorsus fuisse volunteriæ passionis sensum.

4. *Apoll.* Ergo non passum fuerit Verbum? *Orth.* Absit, ut naturaliter passum fuerit. *Apoll.* Omnino tamen passum est. *Orth.* Nempe unito sibi corpore quod pati posset: ut passio sit œconomiæ, non autẽ

ipsius naturæ Verbi. Sicut enim lassus fuit de via, non in ipsa deitatis natura, sed unitionis œconomia: ita passus est, non in ipsa deitatis natura, sed unitionis œconomia. Alioqui, quomodo qui absque labore fecit cælum & terram, & ambulat super pennas ventorum, defessus fuisset, nisi sibi ipsi univisset quod fatigari posset? Ceterum corpus non animatum neque laborat, neque ret. Sicut autem corpus illud animatum, quod Verbum sibi univit, est ipsius corpus non natura, sed œconomia; ita labor, est ipsius labor, non natura, sed unitionis œconomia: & passio, est ipsius passio, non natura; natura enim Verbi passionis expers, sed unitionis œconomia. Nam & ut pateretur unitus est, & ut nos servaret, passus est. Volens enim servare, passus est: & volens pati, univit sibi, quod

Act. 1. 11. semel unitum numquam dimisit: *Sic enim veniet,*

Joan. 19. 37. *quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*: Et, *videbunt eum in quem transfixerunt*. *Apoll.* Enimvero annon aliter poterat nos salvos facere? *Orth.* Sed ita servare voluit per stultitiam prædicationis. *Apoll.* Si mentem hominis habuit, potuit etiam peccare. *Orth.* Sane, nisi hæc mens fuisset deitati unita. *Apoll.* Mutabilis ergo fuit Christus. *Orth.* Absit. *Ap.* Si potuit peccare, mutabilis erat. *Orth.* Memineris eorum, quæ diximus. Dixi enim: Nisi fuisset deitati unitus. Jesus Christus autem non intelligitur sine unitione Jesus Christus, sed Deus Verbum, Filius Dei, subsistens. Si corpus animatum potes absque unitione invenire, mutationem cogita: sin autem simul fuit corpus, & Dei Verbi corpus, & simul fuit animatum rationis particeps, simul Dei Verbi corpus animatum, ac rationis particeps, quærisne mutationem? *Apoll.* Si mentem hominis habuit Christus, fuit quoque oblivioni & ignorantiæ obnoxius, & peccare potuit. *Orth.* Sane, nisi deitati fuisset unitus. Ne vero dicito, si mentem hominis; nullius enim alterius mentem habere potuit; sed dicito, Si mentis humanæ particeps factum fuit Verbum, sicut humanæ carnis.

5. *Apoll.* Quomodo potest mens humana non mutari? *Orth.* Quomodo mortale istud immortalitate indutum non moritur, & corruptibile hoc, incorruptibilitate indutum, non amplius corrumpitur: ita & mens per unitionem cum Deo Verbo, deificata non mutatur. *Apoll.* Ergo & Sancti mentem habuerunt immutabilem? *Orth.* Non. *Apoll.* Quamobrem, nonne in illis quoque fuit Verbum? *Orth.* Sed fuit in Sanctis non unitione, sed pro gratia Spiritus, diverse in ipsis operantis: hic vero, *id est in Deo Verbo*, fuit omnis plenitudo deitatis. Deinde Sancti quidem fuerunt participes Verbi, hic vero Verbum participavit humanam naturam. *Apoll.* Dic, carnem & sanguinem, ut scriptum est. *Orth.* Scripturę mos est totum hominem vo-

Gal. 1. 16. care Carnem & Sanguinem, ut cum dicit: *Non ultra*

Joel. 2. 28. *acquievi carni & sanguini*. Et, *In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem*. Et rur-

Gen. 6. 3. sum: *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*. Et quæcumque sunt hujusmodi. *Apoll.* Quid illud est, Sancti participarunt, & Deus Verbum participavit? quodnam est hoc discrimen? *Orth.* Quod Sancti prius exstiterunt, & tū demū participarunt Dei Verbum: hic vero non ita est, sed Deus Verbum, quod erat ante secula, cum vellet fieri homo, sanctificavit Virginem, & corpus ex ea sibi univit, non quod prius exstiterit, & tum demum univerit, sed in ipsa exsistentia uniens. *Apollinarista*. Duo igitur in illo corpore fuerunt principatum habentia, nempe Deus Verbum, & humana mens. *Orth.* Nequaquam. Sed ipsum Verbum imperat menti. *Orth.* Qui fieri potest, ut hęc non sint duo? *Orth.* Sicut lanæ albedo colore purpuræ tincta, non est bicolor, sed unicolor: ita mens coruscans & deificata est unū quiddā, neque sunt duo principatū habentia. Neque enim aliud quidem vult mens, aliud vero Verbum: sed sicut musicus & instrumentum non sunt duo musici, ita Deus Verbum & mens humana non sunt duo principatum habentia. Utitur enim Verbum humana mente tamquam instrumento. *Apoll.* Sed musici instrumentū est mentis expers. *Orth.* Sed & musicus est mortalis. Hic vero Verbum, quod immortale est, mente utitur, ut instrumento: & sicut mens in nobis utitur corpore ut instrumento ad ea, quæ corporis opera efficiuntur: ita illic Verbum utitur mente, ut instrumento, ad ea, quæ mente efficiuntur.

6. *Apoll.* Corporis vero quis est usus? *Orth.* In multis. Voluit Verbum conspici, & quoniam, quod perierat, utrumque complexum erat, placuit simile per simile servare, nempe per crucem & passionem voluntariam. Itaque in passione voluntaria usum est mente, sicut ante dixi, ut instrumento: in rebus autem corporeis, corpore: & ita quæsitum & inventum id quod perierat, servavit. *Apoll.* Quænam corporea dicis? *Orth.* Crucem, sepulturam, ambulationem, tactum, cibum, potum, & quæcumque sunt hujusmodi. *Apoll.* At nonne Deus erat Verbum qui genitus est ex Maria? *Orth.* Qui genitus est ex Maria, quantum ad id attinet, quod ex eadem est substantia atque Maria, non erat Deus substantialiter, sed œconomia unitionis. *Ap.* Quomodo igitur dicitur: *Benedictus fructus ventris tui*? *Orth.* *Luc. 1. 42.* Quoniam Deus Verbum quod est ex Patris substantia, formam servi accepit, & habitu inventum ut homo, fructus etiam esse ventris ipsius compertum est. *Apoll.* Conjunctumne est igitur Verbum unito corpori ex Maria desumto, sicut animal? *Orth.* Non scriptum est, sicut animal, sed, ut in templo vivo. *Apoll.* Atqui in quovis Sanctorum est, ut in templo vivo. *Orth.* Non ita. Nam Sanctorum unusquisque eatenus fuit templum, quatenus potuit ex virtute & vivendi usu recte se gerere: hic vero *omnis plenitudo deitatis inhabitat*. *Coloss. 2. 9.* Et Sancti quidem formam Dei acceperunt quatenus vitam ex virtute recte transegerunt, hic vero Verbum formam servi accepit. *Apoll.* Itaque quod ex animo & corpore constat, homo est. *Orth.* Sane, si consideraretur seorsim a Verbo. Quod si numquam ut a Verbo sejunctum consideratur, nempe non est homo nudus, sed Deus ob Verbi unitionem. *Apoll.* Templum ex Maria genitum, est Jesus, per quem omnia. *Orth.* Qui genitus est ex Maria, non est genitus vacuus seu scopis mundatus, sed una cum templo, ideoque est Jesus, per quem omnia. Neque vero templum voco Jesum absque Verbo, neque Verbum voco Jesum absque templo: sed ex eo tempore Verbum accepit nomen Jesu, ex quo sanavit contritiones populi sui. Tunc autem sanavit, quando dignatus est servi formam accipere. Hoc igitur Verbum, quod nunc propter œconomiam dictum est Jesus, is est, per quem omnia: & quemadmodum cauterium animadverto ignem simul & ferrum esse; ita etiam Jesum intelligo esse Deum Verbum, hominem factum. *Apoll.* Ipsumne templum, an qui in templo est, is est, per quem omnia? *Orth.* Ne separa templum ab eo, qui in templo habitat. Nam si *quicumque agglutinatus est* *1. Cor. 6. 17* *Domino, unus cum eo Spiritus est*, multo magis cum dicitur & creditur Dominus unitus esse formæ servi, unus est ipse Deus & homo.

6. *Apoll.* Homo igitur non est, qui ex Maria genitus est? *Orth.* Solummodo quidem homo, nequaquam. *Apoll.* Sed quidnam præterea? *Orth.* Sed etiam Deus. Sicut enim Isaac genitus ex Abrahamo, nec alius quisquam hominum, est caro duntaxat, sed unusquisque nostrum genitus est homo ex homine, non quod anima rationalis alteram animam rationalem genuerit; quamvis homo sit ex anima rationali & corpore compositus; ita illum, qui ex Maria geni-

tus

tus est, appello Deum, animæ videlicet & corpori u-*A*nitum. Quemadmodum enim si anima corpori unita fuerit, gignitur homo per mulierem, ita Deus Verbum, ubi unitum est animæ & corpori, genitus ast *Galat. 4. 4.* Deus & homo per mulierem. *Apoll.* Atqui *ex muliere* scriptum est. *Orth.* Ex muliere, secundum carnem: Per mulierem, secundum Spiritum. *Apoll.* Proprius ille Dei Filius, quem pro nobis tradidit, quisnam est, Verbum, an homo? *Orth.* Proprius Dei Filius *Philipp. 2. 8.* ille est, qui *humiliavit semetipsum, formam servi accipiens*, & in illa servili forma traditus est. *Apoll.* Non igitur Jesus ex Maria genitus, sed per eam genitum *B* Verbum, is est, qui sametipsum humiliavit usque ad mortem. *Orth.* Ne separa unionem semel unitam. Dixi enim, eum esse proprium Filium, qui ex ea sit secundum carnem, & per eam secundum Spiritum. *Apoll.* Ergo Verbum per eam genitum humiliavit semetipsum usque ad mortem. *Orth.* Deus Verbum igitur per ipsam genitum, cum non posset in ipsa deitatis natura humiliare sa usque ad mortem, corpus ex ea sibi assumsit animatum, quod ad mortem usque humiliari posset, id est formam servi.

7. *Apoll.* Deus ergo passus est pro nobis. *Orth.* Deus, unito sibi corpore anima prædito, quod mori posset. *C* Neque enim in ipsa deitatis natura pro nobis mortuus est, sed unitionis œconomia. *Apoll.* Si animam rationis participem habuit corpus, non Deus, sed homo mortuus est. *Orth.* Diciturne mors separatio animæ a corpore, annon? *Apoll.* Etiam. *Orth.* Sicut ergo non potuit Deus in monumēto & sepultura versari, nisi depositū eo corpus habuisset: ita etiā non diceretur separatus fuisse a corpore, qui sit ubique & omnia complectatur, nisi habuisset separatā animā, cum qua etiā iis, qui apud inferos erant, Euangeliū prædicavit. Propter hāc enim & discessisse ex corpore, & apud inferos fuisse perhibetur. Hoc illud est igitur, pro nobis fuisse apud *D* inferos propter animam, & in monumento fuisse, propter corpus. *Apoll.* Credo ego Deum Verbum sua præsentia corpus illud animasse, nec opus illi fuisse anima. *Orth.* Sicut ad hoc ut caperetur, & crucifigeretur, & sepeliretur, nec opinione tantum, sed ut revera crux esset; ita quoque ad hoc ut moreretur, & ad inferos veniret, opus illi fuit anima. De quo enim di-*Mat. 26. 37.* ctum est: *Cœpit contristari, & in angore esse usque ad mortem?* De corpore sensus experte, an de Deo Varbo? *Apoll.* Nos quoque dicimus, corpus illud fuisse sensu præditum, quo etiam passionem senserit. *Orth.* Atqui corpus santiens est animatum. Quod enim est *E* inanimatum, id quoque nihil sentit. Itaque Deus est, qui se se humiliavit usqua ad mortem & mortuus est, non tamen mortuus, quod ad naturam deitatis attinet, sed secundum unitionia œconomiam. Humanitatis enim passiones, suas esse duxit. Et sicut fieri non potuit, ut cruci affigeretur, & sindone involutus sepeliretur, ac in monumento collocaretur absque corpore; ita fieri non potuit, ut absque anima rationali in angore versaretur. Nam anima rationis expers, non angitur morte prævisa; sed ut bos, aut aliud quodvis brutum ad mactationem ducitur.

8. *Apoll.* Ergo Filius Dei non factus est homo, *F* sed io homine. Fieri vero non potest, ut sit homo, qui sit in homine. *Orth.* Ais Verbum factum fuisse *Joan. 1.* carnem, annon? *Apoll.* Scriptum est: *Verbum caro factum est.* *Orth.* Quod sit mutatum in carnem, an quod in carne fuerit? *Apoll.* Quod in carne fuerit. *Orth.* Si fieri non potuit, ut cum fieret in homine, fieret homo; ita fieri non potuit, ut cum fieret in carne, fieret caro. At si eo quod factum est in carne, dicitur factum homo, non dicitur *Mat. 27. 46.* in carnem conversum. *Apoll.* Quis ergo dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Deus Verbum an homo? *Orth.* Sicut corporis sepulturam ac indumenta dico fuisse ipsius Verbi, non ipsa deitatis natura, sed unitionis œconomia: ita etiam voces animæ convenientes, & animæ passiones angore affici, & quæcumque hujusmodi in Euangeliis de eo dicuntur, tribuo Deo Verbo, non natura deitatis, sed œconomia unitionis. Sicut ergo proprium sibi corpus illud vindicat, cum inquit, *Nisi comederitis corpus meum*: *Joan. 6. 54.* ita quoque propriam animam sibi vindicat, cum inquit; *Animam meam nemo tollit a me.* *Joan. 10. 17.* Itidem etiā utriusque simul conjuncti passiones sibi proprias efficit. Sicut enim ipsius Verbi est corpus œconomice, ita corporis sepultura, est ipsius Verbi sepultura. Et ut ipsius est anima œconomice, ita & vox ipsius vox animæ est: ut & ipsius corporis sepultura, sit ipsius Verbi sepultura œconomice: & vox animæ ejus, Verbi vox sit œconomice. Verbum enim ipsum erat, quod loquebatur, quæ animæ proprie conveniunt.

9. *Apoll.* Nos dicimus Dei Verbum amans hominis dignatum esse hominem fieri, acepta carne ex sancta Virgine Maria, & fuisse Deum incarnatum, eo quod inventum sit, ut homo. *Orth.* Ne dicito Dei Verbum amans homiois, sed dic potius amans carnis. Nam si non dignatum est homini uniri, quomodo hominis est amans? *Apoll.* Amore hominis unitum est humanæ carni, ut idem esset Deus & homo. *Orth.* Non est Deus & homo: neque caro est humana, quæ non sit anima rationis participe prædita. Quomodo enim caro possit esse humana, quam anima rationis particeps non animaverit? Nam caro est caro, & anima ast anima. Tunc vero dicitur homo, cum anima rationalis incorporatur, & corpus animatur. Ea igitur caro non ast humana, quæ particeps non est animæ rationalis. *Apoll.* Cum terrenum aliquod corpus accipit animam rationalem, homo dicitur: sin vero assumat animam rationis expertem, fit aliud animal, quam homo. Ceterum Dominus corpore sibi ex hac materia effecto, illudque sua substantia vivificans, (quod quidem sua natura cum habet animam, commune complet animal) atque huic suas proprias agendi facultates impertitus, fecit ut Deus esset animal, Deus quidem forma, homo vero materia. *Orth.* Istud, forma, non intelligo: nom vis dicere, deitate? *Apoll.* Corpus informatum intelligo, divinis agendi facultatibus coruscans. *Orth.* Formam igitur dicis divinas agendi facultates? *Apoll.* Etiam. *Orth.* Si terrenum corpus quodpiam tunc sit homo, cum animam rationalem accipit, & corpus humanum vocatur & est: ne humanum quidem corpus est, quod animam rationalem non accipit. Quomodo igitur corpus, quod humanum non est, hominem secundum materiam vocas, cum tunc demum hæc materia fit humana, cum animam rationis participem accipit? Legi autem ego vestri quoque magistri Apolinaris confessionem, in qua corpus Domini nostri dicit consubstantiale Mariæ. At Maria nobis consubstantialis. Nobis est igitur consubstantiale corpus Domini, quoniam & ipsum humanum est.

10. *Apoll.* Quomodo corpus Domini dicis, cum hominis corpus asse probes? *Orth.* Ego & corpus Domini cum voco, & animam Dominicam, & sanguinem Dominicum, & sepulturam Dominicam, & in universum dico hominem Dominicum, ob Dei Verbi unitionem: ita ut unus & idem sit Deus & homo, & modo quidem ipse totus Deus & Dominus, interdum vero ipse totus appelletur homo. Dicit enim ipse de se, *Quid me quæritis interficere, hominem qui vera loquutus sum vobis?* *Joan. 8. 40.* Et Paulus: *Homo Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula.* *Hebr. 13. 8.* Et hunc ipsum hominem cum Thomas contrectasset, inquit: *Dominus meus, & De-*

us

Rom. 9. 5. *us meus*. Similiter Paulus: *Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Totus ergo propter voluntariam illam unitionem dicitur & Deus, & homo. Nam si 1. Cor. 6. 16. *qui adhæret Domino, unus spiritus est*, multo magis si A Dominus dicitur & creditur factus fuisse homo, non amittens quod Deus sit, idem est Deus & homo: Deus quidem natura, homo vero, quod naturam humanam, quoniam ei sic placuit, participaverit.

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

DIALOGUS V.

In quo Compendium disceptationis ejusdem Apollinaristæ & Gregorii Episcopi.

APOLLINARISTES.

1. AGENTE Deo in homine, fit quispiam Propheta vel Apostolus, at non Salvator mundi. Christus autem est Salvator mundi: non igitur Deo agente in homine, factus est Christus. ORTHODOXUS. Non simpliciter, ut tu existimas, agente Deo, sed Prophetiã efficiente, fit quispiam Propheta vel Apostolus, at non Salvator mundi. Deus autem, accepta servi forma, factus est idem & Propheta, & Apostolus, & Pontifex, & Mediator Dei & hominum, Salvator mundi, Deus permanens, neque in quidquam istorum, quæ diximus, mutatus.

2. *Apoll.* Omnis homo est pars mundi, & nulla mundi pars tollit peccatum mundi, cui peccato & ipsa subest. At Christus tollit: non est igitur homo Christus. *Orth.* Enimvero quod nulla mundi pars tollat mundi peccatum, idcirco mundi opifex formam accepit partis mundi, ut quatenus pars erat mundi, occisus tamquam pars mundi, tolleret mundi peccatum, ut opifex mundi.

3. *Apoll.* Omnis homo subest morti: & nullus, qui morti subsit, abolet mortem. At Christus abolet: non est igitur homo Christus. *Orth.* Quoniam nullus hominum, ut qui morti subsit, mortem abolet; idcirco immortalis Filius Dei, Verbum simul & Deus, Hebr. 2. 14. sibi ipsi univit id quod morti subest, *ut in morte aboleret eum, qui mortis imperium habet*. Sicut enim invisibilis cum sit, videri non potuit, nisi eo assumto, quod videri posset: ita cum sit immortalis, non potuit mori, nisi eo assumto, quod esset mortale.

4. *Apoll.* Omnis homo est terrenus. At Christus non est terrenus, sed cælestis. Non est igitur homo Christus: nisi homo sit hoc ipsum nominis communione tantum. *Orth.* Erratis: nec enim omnis homo est terrenus, cum doceat nos Scriptura, homines etiam aliquos, etsi non natura, at certe moribus cælestes esse: in- 1. Cor. 15. 48. quiens: *Qualis ille cælestis, tales & cælestes*. Nos vero Christum univoce hominem dicimus humanæ naturæ respectu. Item quemadmodum cum homini tribuimus animalis nomen, eadem utimur voce, atque si de equo vel quopiam alio animali sermo esset, nec tamen protinus quodvis animal est etiam rationale: ita etiam Christum univoce appellamus hominem, non tamen protinus quivis homo est Christus. Item sicut rationale cum animali conjunctum homo exsistit, nec tollitur, quod sit animal: ita Deus conjunctus & una creditus cum animali rationali agnoscitur & creditur esse Christus, neque tollitur, quod sit homo, sed idem est Deus & homo.

5. *Apoll.* Qui dat potestatem, ut quis fiat Filius Dei, nequaquam & ipse factus est Filius. At Christus dat. Non est igitur factus Filius, sed natura Filius est. *Orth.* B Non est sane factus, sed natura erat Filius Dei. Factus est autem Filius hominis. Nec enim id erat, & factus est quod non erat, ut per eum id efficeremur moribus, quod ipse est natura: estque idem Deus & homo.

6. *Apoll.* Nullus homo exsistit ante eos, qui ætate ipsum præcedunt: Christus autem exstitit ante eos, qui secundum carnem ipsum ætate præcesserunt. Non est igitur homo, nisi secundum carnem. *Orth.* Christus, si humanam naturam spectes, non exsistit ante eos, qui secundum humanam naturam fuerunt ipso seniores: sed quod ad deitatem attinet, exstitit non modo ante eos, qui secundum carnem fuerunt ipso seniores, verumet- C iam ante omnia sæcula, ut qui sit eorum Deus. Ergo non fuit Christus ante Mariam, quod ad carnem attinet. Quomodo enim ante ipsam exstiterit, quod ex ipsa est? Sed quatenus Deus est, exstitit ante ipsam, cum sit ipsius Deus: estque idem ante ipsam ut Deus, & ex ipsa, ut homo.

7. *Apoll.* Nullus homo habet gloriam ante sæcula: habet autem Christus. Non est igitur homo Christus. *Orth.* Nullus enim homo fuit ante sæcula. Christus vero, quod ad deitatem attinet, cum sit ante omnia sæcula Filius, & Deus, & Dominus, merito gloriam habuit an- D te sæcula: Dominus gloriæ nimirum natura, Christus autem vocatus, eo quod servi formam acceperit. Itaque qui nũc vocatur Christus & lapis, & pastor, & granũ, & flos virgæ, & Emmanuel, & Jesus, & homo, & duodecim annorum puer, & triginta annorum illa quæ homines respicit œconomia factus, est & Deus ante sæcula: & nunc postquam illa omnia factus est, permanens id quod erat, habet gloriam ante sæcula, utpote Deus ex Deo.

8. *Apoll.* Si Deus est in Jesu, non sunt per ipsum omnia, sed per eum, qui in ipso est. At omnia sunt per ipsum: non est igitur Deus in Jesu, sed est ipse E Deus. *Orth.* Deus Verbum reipsa subsistens Deus, particeps humanæ naturæ factum, vocatus est Jesus. Ne igitur dicito, Deus erat in Jesu, sed ipse Deus vocatus est Jesus, ideoque ipse est Jesus per quem omnia. Nam qui nunc Jesus propter humanam naturam vocatur, est autem Deus Verbum & ante & post istud cognomentum, est ipse Jesus per quem omnia; ut qui sit & secundum Spiritum Deus, & propter servi formam homo; quamobrem etiam ipse est Jesus, per quem omnia.

9. *Apoll.* Qui servat a peccato, superior est peccato. Servat autem Christus, & nullus homo superior F est peccato. Non est igitur Christus homo. *Orth.* Non est sane Christus nudus & duntaxat homo. Neque enim si duntaxat homo fuisset, sustulisset peccatum mundi. Per hoc autem Christus sustulit mundi peccatum, quod Deus Verbum accepta servi forma factus sit Christus homo. Iden dicit Propheta: *Etiam*

homo

homo est, & quis cognoscet ipsum? Christus ipse: *Quid me quæritis interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum?* (Joan. 7. 19.) ut Christum noverimus hominem propter humanam naturam, & Deum propter deitatem: sicut hominem novimus rationalem propter animam ratiocinantem, & animal propter animalitatem.

10. *Apoll.* In omni homine dissidet mens a carne: In Christo vero non dissidet. Non est igitur homo Christus. *Orth.* Si in omni homine dissidet mens a carne, unus autem hominum est Helias ille sursum abreptus, qui a nobis creditur in carne hactenus essa, dissidebit etiam in eo mens a catne. Quod si in illo mens a carne non dissidet: certe non in omni homine mens a carne dissidet. Multo magis igitur qui est ipsius Heliæ Dominus, non habet mentis & carnis dissidium, sed nobis in omnibus, quod ad naturam humanam ettinet, excepto peccato, similis, & misericors ac fidelis Pontifex factus, est idem vere Deus & homo.

11. *Apoll.* Omnis homo ut virtute perficiatur carnem mortificat. At Christus non mortificat. Non est igitur homo Christus. *Orth.* Qua mortificatione Joannes carnem suam mortificavit subsiliens in utero, & exsultare visus? Quod si etiam concederetur omnem hominem, ut virtute perficiatur, carnem suam mortificare, at certe jam perfectus, & in cælis versans, ipsi vivificationem parat per inhabitantem in ipso Spiritum, ut postquam virtute perfectus fuerit, dicat: *Cursum consummavi*. (2. Tim. 4. 7.) Ceterum Christus perfectus non evasit ulla exercitatione, sed in ipso conceptu ex ipsa unitione, natus Emmanuel, Deus & homo est; quamobrem etiam Deipara est Maria.

12. *Apoll.* Nullius hominis caro dicta ast e cælo: Christi vero caro dicta est e cælo assa. Itaque non ast Christus homo secundum deitatem, quæ carnem assumserit. Sic ergo etiam a cælo esse dicitur, quod unita sit ei, qui est e cælo. *Orth.* Nihil potuit magis ridiculum dici. Nam si caro propterea dicitur e cælo essa, quod unita sit ei, qui est a cælo, non ast ipsa e cælo. Sicut ergo carnem, quæ a cælo noo est, dicis esse a cælo, ita etiam Scriptura homines cælestes dicit e cælo esse, quod cælestia sapiant. Audi, & soluta fuerit tua propositio, sive compendiaria tuorum argumentorum subductio, quo nomine tractationem istam inscripsisti. Ceterum Christus dictus homo e cælo, non dictus est, ut omnes homines, cælestis, quod cælestia saperet, sed ob divinam & adorandam unitionem Dei cum servi forma, ut idem sit & Deus & homo.

13. *Apoll.* Nullus homo vivificat: nec enim ullus homo est Christus: At Christus vivificat. Noo ast igitur homo Christus. *Orth.* At Christus idcirco vivificat, quia Deus Verbum accepta servi forma, vocatus est Christus.

14. *Apoll.* Nulli hominum convenit nomen, quod est supra omne nomeo, & gloria, quæ solius est Dei. At Christo convenit: non est igitur homo Christus. *Orth.* Hoc quoque dixeris de Virgine Maria. Nulli hominum convenit, ut Virgo sit & pariat. Maria vero, Virgo cum esset, peperit: Maria igitur non est homo. Sed & tuum sophisma sic prorsus redarguetur. Nulli quippe homini vere convenit nomen, quod est super omne nomen, & gloria, quæ solius ast Dei: quoniam nullus hominum est Christus, ex unitione Dei Verbi & servili forma.

15. *Apoll.* Si Deus habitavit in homine, non fuit exinanitus. At exinanitus est, qui in forma Dei accepit servi formam. Non igitur habitavit in homine. *Orth.* Nempe Deus Verbum non simpliciter habitavit in homine, sed etiam factus est homo, particeps sanguinis & carnis, idest humanæ naturæ: ideoque Christus, non est duntaxat homo, sed idem Deus & homo.

16. *Apoll.* Deus habitans in homine, non est homo: sed Spiritus unitus carni, est homo. At Christus est homo æquivoce, sicut dictum est. Divinus ergo Spiritus est carni unitus. *Orth.* Nugaris. Nec enim si Spiritus carni uniatur, est protinus homo, sed potest etiam esse bos & asinus, & quodvis aliud carneum animal. Ut vero tibi concedatur divinum quoque Spiritum unitum fuisse carni, omnino tamen necesse fuit Deum Verbum, cum sit factus homo ex muliere, Spiritui carni unito uniri, ut homo fieret. Quomodo enim fieri homo potuisset non unitus homini? Christum autem nequaquam dixerimus hominem esse æquivoce, ne specie & communi nomine tenus homo censeatur.

17. *Apoll.* Hominis est resurgere a mortuis, Dei varo excitare a mortuis. Utrumque convenit Christo. Idem argo est Deus & homo. *Orth.* *Gloria in excelsis* (Luc. 2. 14.) *Deo, & in terra pax*, quod etiam invitus veritatem professus fueris. Oportuit anim Christum asse utrumque, id est, & eum qui resurgeret, & eum qui axcitaret. Et quemadmodum non esset Deus & caro, nisi unitus esset carni: ita non esset Deus & homo, nisi unitus esset homini.

18. *Apoll.* Si Christus esset tantum homo, vel tantum Deus, non esset medius inter Deum & homines. *Orth.* Benedictus sit Dominus in bis omnibus, quod etiam sis confessus Christum, nec tantum esse Deum, nec tantum esse hominem. Deus enim est Deus, neque homo communis est: & homo commuois, est homo, at non Deus. Unitus Deus homini est Christus, mediator Dei & homioum ipse & Deus & homo.

19. *Apoll.* Si tantum homo fuisset Christus, noo servasset mundum. At si tantum fuisset Deus, non servasset per passionem. Utrumque convenit Christo. Est igitur & Deus & homo. *Orth.* Et hoc quoque probe. Fuit enim necesse humanam naturam substerni passioni, & deitatem ducem esse ad vitam. Itaque nisi Deus essat, non vivificaret, & nisi fuisset homo, non passus fuisset volens. Utrumque vero Christo convenit, nam passus est & vivificavit: Est igitur & Deus & homo.

20. *Apoll.* Si Christus homo tantum fuisset, non vivificasset mortuos: & si tantum Deus fuisset, nullos mortuos seorsim a Patre vivificasset. Utrumque vero fecit Christus. Idem igitur est Deus & homo. *Orth.* Christus quidem non tantum fuit homo. Nam ne Christus quidem fuisset, si tantum fuisset homo. Vivificans tamen mortuos, minima ipsos vivificavit seorsim a Patre. Quomodo enim dixisset: *Pater in me manens, ipse facit opera*; (Joan. 14. 10.) si seorsim a Patre vivificasset; itaque etiamsi dicat: *Sicut Pater excitat mortuos & vivificat, ita & Filius, quos vult vivificat*, (Joan. 5. 21.) non dicit se hoc facere quapiam efficacia separatim a Patre, sed ita loquitur, ut nos doceat suæ hypostaseos perfectionem in sese absolutam. Nec enim alios quidem mortuos axcitat & vivificat Pater, alios vero Filius.

21. *Apoll.* Homo actus a Deo non est Deus, sed corpus Deo conjunctum est Deus. At Christus est Deus. Non est igitur homo actus a Deo, sed corpus cum Deo compositum. *Orth.* Non est quidem Christus homo actus a Deo, sed Deus homini, ut tu ipse nominasti, conjunctus. Nam si potest corpus Deo conjungi, potest etiam totus homo Deo conjungi, & idem essa Deus & homo, sicut caro & Deus ipse est. Quid porro dicere voluisti cum diceres, corpus Deo conjunctum, Deus, ignoro. Corpus anim vocas Deum, ideoque corpus non est: vel Deum corpus vocas Deum propter illud, quod est ei conjunctum sive compositum. Quomodo vero Deus sit natura, qui alicujus causa Deus sit? Nos vero Christum non dicimus esse Deum ob illam cum corpore sive homine conjunctionem: sed Deum propter naturam, quam ex Patre habet:

ber: Christum vero propter servi formam, unionem, sive compositionem, ut tu ipse appellasti.

22. *Ap.* Si Dei templum natum est ex Maria, supervacanea est nova illa nativitas ex Virgine, cum absque ejusmodi nativitate homines quoque sint Dei templa. Act. 9. 5. *Orth.* Oppugna sacra Euãgelia, ut audias: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*: Audi enim Dominum dicẽtem: Matt. 26. 61. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Etiamsi vero nonnulli homines sint templa, non tamen ita sunt templa, tamquam etiam Christi: nec quisquã eorum est Christus conjunctus cum Deo Verbo; nolo enim discedere a tuo vocabulo, ut te ex tuo ipsius ore in sententiam meam adducam. Hic autem templum conjunctum cum Deo Verbo, Christus videlicet, natum est ex Virgine eo modo, qui Deum decebat.

23. *Apoll.* Si talis est natura Christi, qualis & nostra est: vetus homo est anima vivens, & non spiritus vivificans, nec qui talis est, vivificabit. At Christus vivificat, estque Spiritus vivificus. Non est igitur nostræ naturæ. *Orth.* Adhuc, quid sit Christus ignoras. Nescis enim duarum naturarum esse unionem, & neque solum Deum, neque solum hominem dici Christum. Nam si hoc scires, nosses eum, quatenus quidem homo est, eadem atque nos natura: quatenus autem Deus est, eadem atque Deum Patrem natura præditum esse: & post factam unitionem Deus declaratur & glorificatur, ideoque vivificare, & Spiritum esse vivificantem, habita deitatis ratione: neque nobis similem esse utriusque naturæ simul consideratæ respectu.

24. *Apoll.* Aut ex sua ipsius natura vivit Christus, aut ex Dei gratia. Si quidem ex sua ipsius natura, Deus est: sin vero ex Dei gratia, neq. supra nos eminet, neque nos vivificabit. *Orth.* Christus est unica persona, composita ex Deo & humana natura, sicut quivis homo communis constat ex animali & rationali. Itaq. propter eã, quã a Patre habet, naturam, vivificabit nos, quoniã est vita in sese subsistens, quæ forma servi seipsam informavit.

25. *Apoll.* Si quidem is excellit, qui animi proposito & delectu justus est, quinam id potuit homo? Hominis etenim propositum veram justitiam perfecte non præstat. Sin vero natura justus est, Deus est: sin autem justificatus est aliqua Dei in ipso agentis efficacitate, ipse interim nihil agens, qui ipsimet agunt, sunt eo præstantiores. *Orth.* Imo qui justitiam veram Matt. 19. 28. ii non impleverunt, qui audierunt: *Sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel?* & *vos estis lux mundi?* Etiamsi tamen isti veram justitiam impleverunt, non sunt tamen ipsa justitia. Deus autem Verbum, qui ipsa est justitia, 1. Cor. 1. 30. accepta servi forma: *Factus est nobis justitia, sanctificatio & redemtio.* Is, inquam, qui justitia est, factus est, si humanam naturam respicias, justitia, ut nos qui justitia non eramus, sua gratia justificaret. Estque idem Deus & homo, ita ut quatenus quidem est Deus, sit justitia, quatenus vero est homo, Hebr. 2. 17. sit factus justitia, ut impleretur quod dictum est: *Unde per omnia similis fratribus fieri debuit.*

26. *Apoll.* Si in Christo copulatus erat homo cum Deo, leges ipse vel ex sese ferebat vel non ferebat. Quod si ex sese ferebat, Deus erat. Sin vero non ex sese, quomodo non ajabat, *Hæc dicit Dominus*, sed *Ego dico vobis*, & quomodo qui hæc non dicebat, non erat ab eo, qui dicebat sejunctus? *Orth.* Siquidem Christus alia est persona, non copulatur cum Deo, hoc inepte quæsivisti. Sin autem ipse Christus est Deus & homo, quorsum supervacaneus iste interrogationis labor? Unde vero istud, copulatus est, usurpasti interrogando, cum Scriptura minime sic loquatur? Sive autem istud, copulatus est, usurpare placet, sive, ut Scriptura inquit, dicere malis, Assumsit, aut, Factum est, Deus Verbum ia est qui servi formam assumsit, qui Christus nuncupatur, est, & creditur: unctus quidem Spiritu sancto, quatenus homo est: quatenus autem Deus est, eumdem iis qui digni sunt præbet. Ita etiam Deus leges ponit: & quatenus homo est, fit legi obnoxius. Ideoque nõ dicit, Hæc dicit Dominus, quoniam ipse non est homo particeps deitatis, sed Deus particeps carnis & sãguinis, id est humanæ naturæ. Nam Scriptura hominem vocat carnem & sanguinem, ut cum dicit Paulus: *Non contulit cum carne & sanguine.* Et sicut homo ex animali & rationali compositus, una est persona: ita etiam una persona ex Deo & forma servi exsistit: ideoque non dicit: *Hæc dicit Dominus*, sed *Ego dico vobis*: Joan. 14. 6. & *Ego sum vita & veritas*. Itaque veluti si pars rationalis in nobis dicat, Ego sum ad imaginem Dei factus, ita comparatus, ut interire non possim, rursumque pars illa rationalis dicat, Ego sum terra & cinis; non loquitur modo animal, modo id quod ratiocinatur; sed idipsum rationale, modo quæ sibi propria sunt, modo quæ animali conveniunt, loquitur: ita homo & Deus Verbum, unica per unionem exsistens persona, cum ait: *Qui vidit me, vidit Patrem*, significat suæ deitatis con- Ibid. 9. templationem. Nec enim quisquis carnem vidit, Patrem vidit: sin minus, & Pontius, & Herodes, & qui colaphos ei impegerunt, & qui clavis ipsum confixerunt carnifices, comperirentur Patrem vidisse. Et cum inquit, *Dorsum meum flagris præbui*, non significat deita- Esa. 50. 6. tis dorsum: neque cum ait: *Aliquis me tetigit*, deitatis contactum dicit. Qui enim deitatem contigerit quispiam? Sed qui fide præditus corpus illud tetigerat, utrumque tetigerat, manu quidem corpus, fide vero deitatem, quandoquidem utrumque unica est persona, Christus: *Omnia factus omnibus, ut omnium misereretur.* Itaque non loquitur interdum Deus, interdum homo: nam, ut antea dixi, ne id quidem dici potest, modo quidem animal a parte rationali sejunctum, modo vero partem rationalem ab animali separatam loqui: sed pars rationalis in animali & per animal loquitur. Idem etiam dico de eo, quod cum hoc comparavi, ut undequaque unitionem noris.

27. *Apol.* Præterea vero vel ipse prodigia edebat, aut non edebat. Si edebat, non erat homo: si non edebat, quomodo dicit se edere? & quomodo idem esse potest atque is qui edebat? *Orth.* Sicut pars rationalis sua ipsius opera sic edit in animali, ut non sit separata ab animali: ita Dei Verbum unitum homini, edit prodigia minime segregatum a natura humana, quod ei pro sua pietate placuerit vim suam divinam per eam, & in ea, & cum ea operari. Et veluti si quis cogitatione concesserit solem, magnum istud sidus, per lucernam & in lucerna suam lucem emittere; rursum enim idem ex alia comparatione audias velim; non sunt duæ luces. Nec enim lucerna soli opposita splendet; nec tamen cessat esse lucerna; sed in sua permanet efficacia atque motu: at non splendet sole in ipsa & per ipsam splendente, & ipsi lucernæ dominante, eamque ut sibi propriam vindicante, adeo ut sol etiam accipiat ipsius lucernæ nomen: ita Deus Verbum vim suam in rationali, & per rationale animal exercens, facit pro sua bona voluntate animal supra quam ferat propria animalium natura perfectum, neque tamen prohibet, quo minus sit animal ratione præditum: idemque non dedignatus est homo vocari, neque dum ederet prodigia, sejunctus fuit ab eo, quicum est unitus, sive quem assumsit, sed homo factus omnia efficit: ideoque dicitur: *Verbum caro factum est*, Joan. 1. 14. non autem in carne, ut cognoscamus unionem quæ ex beneplacito facta est, & sic edocti, unum eumdemque Christum ut Deum & hominem agnoscamus.

28. *Apol.* Ab Angelis vel adoratur, vel non adora-

tur

tur homo. At si non adoratur, quomodo unitus fuerit, & mittit Angelos suos Filius? Sin vero adoratur propter divinam virtutem in ipso habitantem, quomodo adoratur ab iis, qui virtutem divinam semper habent in sese habitantem? Sed & nos adorabimus hominem, vel non adorabimus. Quod si non adorabimus, quomodo ipsum unitum esse censebimus, & quomodo in ipsius mortem baptizamur? Sin vero sic hominem e- doremus ut Deum, impie faciemus, rem creatam exæquantes creatori. Præterea si hominem exspectemus ut judicem, qui adjutore Deo illuminet abscondita tenebrarum, judicium, quod Dei est, homini tribuemus. Sin minus: quomodo *dedit ei Pater potestatem judicii faciendi; quia filius hominis est?* & quomodo est ipsi judici unitus? *Orth.* Qui Dominus est gloriæ omnisque potestatis, idcirco accepit judicii exercendi potestatem, quod cum Deus esset Verbum, factus sit homo, totam naturam assumens humanam. Forma enim servi est tota humana natura, ut forma Dei est tota deitas. Et nos, & Angeli ipsum Deum Verbum adoramus, qui formam servi assumsit: neque partim Deum, partim hominem adoramus, neque rem creatam creatori æquiparamus: sed ut tu ipse, si quidem eum confiteris carnem saltem nobis consubstantialem ex Virgine accepisse, adoras ipsum incarnatum cum carne, neque tamen carnem deitati exæquas, neque carnem segregas, & partem adoras, sed deitatem cum carne adoras: ita & nos deitatem, quæ seipsam homini univit, adoramus, nec eam ab humana natura sejungimus. Christus porro illuminat abscondita tenebrarum, quod sit ipse Deus & homo, quemadmodum ignis in materia lucem præbens iis qui ad lucem accedunt, ita ut neque e materia segregetur, cui unitus est, nec materia ipsa consumatur, sicut nec rubus ille, cujus est apud Mosen mentio.

Ephes. 5. 27.

29. *Apol.* Si homo adjunctus est Deo, alius est quam Deus, si tum motus animales respicias, tum rationabiles, tum patibiles; & patiens, patitur ut alius, & adoratus, adoratur ut alius. At Dei caro, vitæ est instrumentum ita passionibus suis compositum, ut divinis consiliis quadret, neque cogitationes fuerint carnis propriæ, neque actiones: & caro ipsa passionibus prout cerni convenit subjecta, illis superior evadit, quoniam est Dei caro, adeo ut in corporibus non similiter quidem, at animalibus tamen, sit impatibilitatis auctor ac principium: & adoratur ut Dei caro, quoniam hac ratione is qui adoratur est Deus, & nobis conjunctionem cum eo præbet, cujus est corpus: & adoratur, non tamen ut res creata, quoniam nihil quod creatum sit est Dei portio. Itaque qui Deum credunt assumsisse carnem, ejus beneficiorum fiunt compotes, nec eo delabuntur, ut alium ipsum dicant: contrarium vero iis evenit, qui volunt hominem fuisse Deo conjunctum. *Orth.* Discessisti a Scriptura divinitus inspirata, ideoque a gratia excidisti, ut qui cum Scriptura dicat: *Assumsit*, & *Factum est*; istud, adjunctum est, ipse tibi quasi cisternam confractam fecisti, quæ non possit aquas continere. Quomodo vero non vis Verbum ab humana natura suis animalibus, rationabilibus & patibilibus motibus non secerni? Num enim divino quodam motu crescens, a statura ad staturam divinæ excrevit? & sapientia proficiens, profecit ut Deus? & cum tristitia & angore animi afficeretur; cum turbaretur, num tristitia & angore afficiebatur, & turbabatur tamquam Deus & laborabat & patiebatur? Absit. Imo sicut corpus ex Maria desumtum, Deus Verbum suum esse corpus dixit, quod tamen non est ejusdem atque deitas ipsa naturæ: ita etiam suas dicit passiones, & tum animalis, tum ipsius rationalis facultatis incrementum, quæcumque naturæ humanæ sunt ut sibi propria vindicans, pro bona gratiæ suæ voluntate. Sic enim suam dicit carnem, vitæ instrumentum, idoneum, ut divinis consiliis coaptetur. Nam ut spueret, usus est corporis instrumento, itidemque corpore, ut sepeliretur, & ut voluntarie mortem subiret; ac ut inferos prædaretur, animam adhibuit, quam sese dixit pro suis ovibus deponere. Neque sermones sunt hominis proprii, neque actiones. Caro vero, prout homini convenit, perpessionibus subjecta superior illis evadit propter illam cum Deo unitionem. *Nam peccatum non fecit, neque in ore ipsius inventus est dolus*, ut sit sui similibus auctor ac principium indolentiæ. *Est* enim Deus Verbum *per omnia fratribus suis similis factus*, cum naturæ humanæ unitur, & adoratur Deus homo factus, suique nobiscum conjunctionem nobis præbet, particeps factus sanguinis & carnis; idemque adoratur, ut qui homo quidem sit, quoniam nobis est unitus, natura vero & substantia sit Deus. Quorsum vero ausus etiam es dicere portionem Dei esse carnem illam quæ ex semine Davidis est, & ex Maria Virgine, quæque sese non phantasia, sed reipse carnem esse, post ipsam quoque resurrectionem demonstravit? Cum enim existimarent discipuli phantasma esse, quando januis clausis ingressus est, memento eorum, quæ tum ipse dixit: ut audias: *Palpate me & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ceterum cum Deus sit omnis partitionis expers, quomodo intelligatur, ut aliqua ipsius portio, ac præsertim quæ sit caro, tua possit sapientia explicari.

Esai. 53. 9.

Hebr. 2. 17.

Luc. 24. 39.

30. *Apol.* Si caro est sejuncta a mente, utpote adversus mentem bellum gerens, ut ait Apostolus, Deus assumta carne, motus etiam ab ea recipit adversus mentem belligerantes, ipsi vero menti, ut opposito adversario, minime subjectas. Quod si ita est, non is est ipse, qui sit passus, quatenus est Deus. *Orth.* Cuinam vero Sanctorũ motus illi adversus mentem pugnantes non fuerunt subditi? aut quomodo Sancti nisi sibi illos subjecerint? Quod si Sanctorum menti subjecti fuere animi motus, quomodo igitur subjecti non fuerint ipsi Deo Verbo, animæ intelligenti una cum carne unito, ut excepto peccato simile per omnia fratribus sit, idemque Deus & homo sit? Quid porro sibi velit istud, Quod si ita est, non is est qui passus est, quatenus Deus, alii intelligent, qui te Magistrum inscribunt.

IN SUBSEQUENTIA XX. OPUSCULA

MONITUM.

I. IN *sequentia Opuscula hæc Felckmannus habet*: De his aliud monere non habemus quam exstare ea in Cod. illis Manuscr. Palat. uno, & August. altero (quorum paulo ante mentio) ab eodem Andrea Dermario Epidaurio, Toleti & Venetiis scriptis, & ut verisimile est, ex eodem Codice. Unde etiam est, quod duo isti Codices raro variant, ut in progressu videbitur. Auctor vero horum idem omnino videtur, qui & præcedentium, & nisi me conjectura fallit, vixit post exortas hæreses Eutychianam & Monotheleticam: adeo directe eas oppugnant. At uterque Codex eum qui est p. 223. (excepto quod omittunt Αρχιεπ. Αλεξ.) his Opusculis titulum præfigit. *Hæc Felckmannus, quibus liquet, in manuscriptis unde hæc Opuscula exscripta sunt, fuisse illa consequenter posita, præmissa capitulorum syllabo, quem jam nos exhibemus.*

bemus. Quod opinatur autem Felckmannus hæc Opuscula ejusdem Scriptoris esse cujus sunt præcedentia; id sane non repugnare videtur, dum de duobus tantum primo positis dialogis id intelligatur, nam multa hic sunt quæ in dialogo præcedenti cum Macedoniano iisdem ferme vocibus leguntur. Sed quæ post subsequuntur ad Eustathium nuncupata, longe acrioris ingenii opus esse, cuivis emunctæ naris homini videbuntur. Verum hæc omnia ad Athanasium quidem non posse pertinere certissimis notis judicatur, ex stylo nempe, & quia hic hæreses impugnantur diu post Athanasium exorta; cujus autem Scriptoris sint non perinde tutum est definire. Quid hac de re quidam Scriptores æstimarint hic expendere operæ pretium fuerit.

L. 5. Hæret. Fabul. c. 3. II. *Garnerius supra laudatus, Tom. V. operum Theodoreti, duos priores dialogos pugnat esse Theodoreti: 1°. Quia Theodoretus ait se tres conscripsisse libros De Spiritu sancto, adversus gratia ejus destitutos hereticos. Porro Garnerius juncto præcedenti dialogo contra Macedonianum cum hisce duobus, se tres illos Theodoreti libros esse, comperisse contendit. 2°. Ex multis Theodoreti locis, quæ cum aliis horumce dialogorum locis multum habent adfinitatis validum se pro Theodoreto argumentum eruere arbitratur. Verum, ut exploratum est, Theodoretum tres conscripsisse libros adversus Macedonianos, ita minime constat, hæc tria opuscula eos ipsos esse libros. Primo enim a veteri nomine Theodoreto adscribuntur, ac in nullo quod sciamus Codice Theodoreti nomine comparent. 3°. In nullo itidem Codice duo dialogi subsequentes cum præcedenti junguntur, nec constat ejusdem esse Scriptoris, licet id minime repugnet. Nam quod adtinet ad illam locorum adfinitatem a Garnerio observatam (quæ tamen loca brevitatis causa adferre supersedemus) inter hosce dialogos mutuo collatos, item eosdem inter, & alia Theodoreti opera, non est illa tanti momenti, ut tutum ex illa judicium hac in parte ferri possit. Nam si quis diversorum Patrum opera, de re eadem, & adversus eosdem hereticos conscripta, mutuo conferat, is multa haud dubie adfinia, multa simillima argumenta deprehendet. Sunt enim quædam ceu communia loca, cuique obvia, quæ a multis usurpantur, atque passim nostro ævo videmus, qui easdem pertractant quæstiones, eadem usurpare argumenta, licet ab aliis minime mutuata. Unde haud satis firma hæc ratio est, cum præsertim ne minima quidem veterum innitatur auctoritate. His addimus secundum Dialogum, fragmenti alicunde divulsi potius speciem præferre, quam absoluti cujusdam operis. Quare donec certius quidpiam emerserit, sub judice lis pendeat.*

III. *Quod spectat autem Epistolam subsequentem ad Eustathium, nec non adjunctas alias septemdecim quæstiones, adfert Mercator haud modicum fragmentum Eutherii Tyanensis nomine, sic habens:* O inconsiderata sapientia! o lusoria disciplina ædificans simul & destruens, sicut infantes ludere in arena conspicimus, &c. *Unde incunctanter eas quæstiones Eutherio adscribit Garnerius Tyanorum Episcopo, Nestoriique assecla. Et sane non invalido motus argumento; licet fortasse non hujusmodi, ut omnem in adversum levet suspicionem. Photius namque Codice XLVI. hoc opus Theodoreto diserte adscribit.* Ἀνεγνώσθη, *ait,* Θεοδωρήτου ἐπισκόπου Κύρου λόγοι κζ΄. πρὸς διαφόρους θέσεις. ὧν ὁ μὲν πρῶτος λόγος, πρὸς τοὺς λέγοντας, *&c. Ibi septimo loco ponit Epistolam, quæ hic primo ponitur; ac deinde ordine enumerat omnes propositiones quæ hic septemdecim numero habentur, quæque desinunt ad vicesimum quartum titulum Theodoreti. Postea subsequitur apud Photium,* ὁ εἰκοστὸς τέταρτος, ἀνακεφαλαίωσις τῶν κατὰ μέρος ἐνδείξεων· ὁ εἰκοστὸς ἕκτος, περὶ τοῦ ἕτερον μονογενοῦς συνάδεσθαι, ὅπως αὐτοτελῶς. ὁ εἰκοστὸς ἕβδομος, περὶ τοῦ κατὰ τὸν κοινὸν ἄνθρωπον ὑποδείγματος. δῆλον δὲ ἐκ μόνων αὐτῶν τῶν ὑποθέσεων, ποῖον τῶν εἰρημένων λόγων τὸ ὀρθόδοξον κρατύνει φρόνημα, ἢ τίνες ἐκκλίνουσιν. *Hæc Photius quibus reponit Garnerius p. 687.* Fefellit Photium suus Codex tribus constans partibus: quarum prima complectebatur sex priores libros: secunda, unum & viginti sermones: Postrema, Eranisten, seu Polymorphum. Cum enim prima & tertia ad Theodoretum procul dubio pertineant, Photius mediam quoque ipsi tribuit: reipsa tamen est Eutherii Tyanensis Episcopi, quod manifesta probat auctoritas Marii Mercatoris, ut in Eutherio demonstrabimus.

IV. *Hæc Garnerius, quicum nos existimamus, sex priores illas a Photio memoratas Theodoreti quæstiones, non unum opus cum Epistola ad Eustachium & subsequentibus propositionibus conficere. Palam enim est ex modo ipsius Epistolæ ordiendæ, ibi initium duci totius operis. At quod ait vir doctus Codicem fuisse Photio erroris causam, id sane non conspecto Codice adfirmari nequit. Non peccat enim Codex, quod rerum disparatarum titulos numerorum ordine conjungat, cum is mos sit Græcorum librariorum, ut omnes Auctoris cujusque tractatus quantumvis diversos consequenti numerorum serie notent, ut supra de Athanasianis Codicibus loquentes animadvertimus. Vix itaque credamus Photium, in Codicibus pertractandis, si quis unquam alius, versatissimum, hic errore lapsum; sed ejus revera Codicem, Theodoreto hæc inscripsisse, addita, uti solet fieri, voce* τοῦ αὐτοῦ *post priorem tractatum; quod etiam videre est in Codicibus qui ea opuscula Athanasio adscribunt. Hæc porro non eo dicimus quod certum putemus esse has quæstiones Theodoreti; necdum enim vel Eutherio, vel Theodoreto probe adjudicandas arbitramur, donec quid evidentius compareat.*

Ceterum quod ajunt nonnulli hunc Scriptorem esse Nestorianum, id non mihi plane perspectum esse fateor. Nihil enim mihi Nestoriani dogmatis hic esse videtur, verum licet sit quasdam hic oppugnari propositiones, quæ si probe accipiantur Catholicæ sunt, ut est illud: Passum est Verbum impassibiliter, *&* passum est Verbum carne, *quæ recte explicanti orthodoxa plane videbuntur. Verum hic Scriptor ita hæc loquendi genera confutat, ut non videatur Nestorianam sententiam his dictis adversam vindicare.*

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

Sermones contra diversas hæreses.

INDEX

Sermonum Magni Athanasii contra diversas hæreses.

Græce ex duobus manuscr. exemplaribus, Palatino uno, Augustano altero;

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Liber forma Dialogi conscriptus, in quo colloquuntur Orthodoxus & Macedonianus Pneumatomachus.

HUNC librum ad prudentiam tuam misimus, ut eo perlecto, judicium ferre possis de iis quæ ab hæreticis Macedonii sectariis dicta sunt, deque iis quæ nos illis opposuimus. Hæc igitur in schedula illi proposuerunt.

1. Si Spiritus sanctus est Deus, aut Pater est, aut Filius: si neuter, utique nec Deus. Nos contra: Id tibi assumis, si Spiritus sanctus Deus est, aut Pater est, aut Filius; perinde ac si ideo Pater Deus, quia Pater: vel Filius Deus, quia Filius. Quod si propterea Pater est Deus, quia Pater; Filius igitur, quia Pater non est, nec Deus erit. Et si propterea Filius est Deus, quia Filius; Pater igitur quia Filius noo est, nec Deus erit. Quapropter licet Deus sit Spiritus, non protinus erit vel Pater, vel Filius. Etenim vocabulū, *Deus*, naturā significat, omnia contemplantē aut pervadentem. Illud autē, Pater, relativū est, ut & illud Filius. At nec relativum nomeo naturam pervadentem aut contemplantem aliquid, designat: nec contemplantis & pervadentis aliquid naturę nomen, Patris ad Filium relatio-
D nē inducit. Tū Orthodoxi personam assumens Macedonianus, sese interrogabat: Non adorandus ergo (Spiritus sanctus?) Et respondens sibi ipse: Spiritus sanctus, inquit, longe abest ab hac dignitate. Quomodo enim ille adorandus qui nec Pater est, nec Filius?

2. Nos contra: Si ideo adoras Patrem, quia Pater est; & Filium, quia Filius est: omnes igitur patres, omnes filios adoras. Sin vero non ideo adorandus Pater, quia Pater; nec Filius, quia Filius; sed propter ipsam naturam, investiganda nobis illa natura est. Ac si compertum fuerit, ejusdem naturæ Spiritum quoque esse sanctum, adora illum: sin minus ne adorato.
E Neque enim quæritur, an Spiritus sanctus sit vel Pater vel Filius: sed an ejusdem ac Pater & Filius sit naturæ. Hic ille sibi rursum objicit Orthodoxi nomine: Annon scriptum est: *Spiritus est Deus?* Ille rursum: *Joan. 4. 24.* Deus est Spiritus: at non Spiritus ille est Deus: quidquid enim Deus est, illud est Spiritus: at non quidquid est Spiritus, illud est Deus. Cui nos: Si scires donum Dei, & Scripturarum memoriam haberes; id

id utique non diceres. Non enim quidquid est Deus, Spiritus est. Nam & Moyses deus vocatus est: *Ecce te constitui Deum Pharaonis*; sed etiam Aaronis fratris sui: *Eris illi in Deum, & frater tuus erit Propheta tuus.* Et Filius in Euangeliis ait de Sanctis: *Si igitur illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura.* Et: *Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram.* Et alibi scriptum est: *Videbitur Deus deorum in Sion.* Et, *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat*: &, *diis non maledices*. Si ergo juxta sapientiam illam tuam, quidquid est Deus illud est Spiritus, sane prædicti illi homines ac dii Spiritus sunt. Quod si Deus est Moyses, necnon singuli ex supra dictis hominibus (dii sunt) & non Spiritus, utique non quidquid est Deus, illud est spiritus, neque quidquid est Spiritus illud est Deus. Nam dæmonia vestrum hæreticorum spiritus sunt, nec tamen sunt dii.

Exod. 7. 1. — Joan. 10. 35. — Psalm. 49. 1. — Psalm. 83. 1. — Exod. 22. 28.

3. Inducta iterum ille Orthodoxi persona: Concedamus, ait, Spiritum sanctum, non vocari Deum, at Dominus saltem vocatur. Scriptum est enim: *Dominus autem Spiritus est*. Tum subsequitur: Dic quod adjectum est: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* De Dño loquitur, inquit, quia Dominus est Spiritus. Nos contra: Vere de vobis dictum est: *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*. Cum enim subsequentia aperte indicent esse Spiritum eum de quo dictum est: *Dominus autẽ Spiritus est*, tu te ipse decepisti, ut ex ore tuo te ipse coargueres, & audires: *De ore tuo te judico, serve nequam*: Nam illud subsequitur: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. Qui vero Spiritus Domini est, ille est Domini Spiritus, qui dictus est Dominus. Quemadmodum enim Filius cum sit Dominus, Dominus est; ita & Spiritus cum sit Dominus, Dominus est.

2. Cor. 3. 17. — Rom. 1. 22. — Luc. 19. 22. — 2. Cor. 3. 17.

4. Ac ille iterum assumta sibi persona, se ipse interrogabat: Annon adorandus? ipse sibi respondit: Nequaquam, id enim scriptum non est. Rursum usurpata Orthodoxi persona: Si homines, ipsos adorarunt homines, puta Nathan Propheta Davidem, scriptum enim est: *Introivit in conspectum Regis Nathan Propheta, & adoravit eum pronus in terram*; Quare non præ omnibus hominibus Spiritum sanctum adorabimus? Ipse iterum sibi reponit: *Dominum Deum tuum adorabis*, & non Spiritum. Spiritus non est Dominus; sed neque Deus: quomodo igitur adorandus erit, qui non intra adorandorum limites comprehendatur? Nam, *nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto*. Oportet enim eum qui ad Deum accedit, per alium accedere ad Spiritum sanctum. Si igitur Spiritum sanctum adoravero, per quem & a quo adductus accedam adoraturus? Quid vos ad hæc? In jus te vocabit Nathan Propheta in die judicii; ut qui contra legem non fecerit cum Davidem adoraret. Dictum enim illud adtulisti, ut ipsum videare transgressionis reum agere. Nam si ille Davidem adoraverit, cum scriptum sit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: te accusante reus est violatæ legis. Nos porro Prophetam minime incusamus, absit: quinimo ea potissimum de causa Spiritum sanctum dicimus adorandum. Neque enim Davidem adorasset Propheta, si nudum hominem agnovisset: At edoctus illum esse Christum Domini, oleo sancto inunctum, adorabat illum, ob Spiritus sancti in oleo efficaciam.

3. Reg. 1. 24. — Matth. 4. 10. — 1. Cor. 12. 3.

5. Quid porro causæ est, quod, *sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium*. Cum audieris illud: *Dominum Deum tuum adorabis*; Quod sequitur non audisti: *Et illi soli servies?* Id nimirum agis ut ne audias: *Soli servies*. Cui? Patrine an Filio? Ecqua ratione soli dices? Si Christianus es, ajes, ob naturæ identitatem. Quod si demonstretur Spiritum sanctum ejusdem esse naturæ; Illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, de Patre, Filio, & Spiritu sancto dicitur, ob naturæ identitatem. Sin minus, cogeris, eum de unica persona illud accipias: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*; aut Filium repudiare, aut Patrem expungere. Si ergo commonstratum fuerit, Spiritum qui ex Patre per Filiũ effunditur ejusdẽ esse naturę ac deitatis atque Filius & Pater, sane adorandus esse ac colẽdus ostendetur. Ejusdem porro Spiritus gratia, eam ipsam naturam ex divinis conabimur oraculis declarare. Et vero illud: *Nemo enim potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto*, nihil probat contra adorationẽ Spiritus sancti. Sicut enim cum ipsum Deum Patrem in spiritu & veritate adoramus, non excludimus veritatis adorationẽ; sed scimus veritatẽ ipsum esse Filium, atque in spiritu & veritate adorantes Deũ, adoramus ipsam veritatem; ita & Spiritum adoramus, quemadmodũ & veritatem. Quod si quoniam in Spiritu adoramus, ideo non adoras Spiritum: & si quoniam in veritate adoramus, non adoras veritatẽ; arbitrarisque minui Spiritus sancti dignitatem, quod in ipso Filium Dominũ esse confiteamur, minues certe & Patris dignitatem, siquidem, *nemo venit ad Filiũ, nisi quem Pater cælestis traxerit ad ipsum*. Hoc enim in Euangelio scriptum est: Apostolusque clamat: *Fidelis Deus per quem vocati estis ad communionem Filii ejus*. Et Pater ipse in Prophetis ad ipsum dicit Filiũ: *Ecce Proselyti ad te venient per me*. Quod si per Patrem ad Filiũ vocamur, non idcirco dignitate minor est Spiritus sanctus. Introducimur, ais, Spiritu: lege Scripturas & disce, quod quemadmodum per Patrem ad Filium; ita per Filium ad Patrem. Sunt enim hæc, uti supra dictum est, reciproca. Quemadmodum itaque per Patrem ad Filium; ita per Patrem & Filiũ ad Spiritum. Neque enim prius in Apostolis habitavit Pater quã sit agnitus Filius; sed cum Filium prius cognovissent, cum edocti, ac bini missi fuissent, uti scriptum est; cum eorum nomina in cælis scripta fuissent, cum in visione resurrectionis divino conspectu digni habiti fuissent, tum datus illis fuit Spiritus sanctus a Deo, introducente illos ad Spiritus gratiam. Et quemadmodum Dominum Jesum dicentes, Spiritus sancti ductu, id gnari dicimus; ita a Filio ad Spiritus notitiam deducti baptizati sumus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum; revelante scilicet Filio initiationem ad Spiritum.

Psal. 57. 5. — Matth. 4. 10. — 1. Cor. 12. 3. — Joan. 6. 44. — 1. Cor. 1. 9. — Esai. 54. 15.

6. Cur autem nolis adorari Spiritum Sanctum, in quem baptizatus es? Utrum enim majus est, adoratio an baptismus? Annon in confesso est adorationem esse baptismo majorem? Siquidem Catechumeni adorant Patrem & Filium, nec tamen perfecti sunt, nisi baptizati fuerint in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quod si Catechumeni non sunt perfecti Christiani priusquam baptizentur, baptizati autem perficiuntur: baptisma utique præstantius est adoratione, quod perfectionem tribuat. Et hoc est, *Rationabile & vivens obsequium nostrum*, de quo Apostolus: *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*. Exhibuimus porro rationabile obsequium consepulti Christo in baptismo. Illud ergo: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, baptismi doctrinam inducit. Ad hæc nostro nomine sibi ipsi objecit: Si neque Dominus est, neque Deus, neque adorandus, qua ratione Trinitati connumeratur? Tum sibi reponit: connumeratur nomine Spiritus non Patris, non Dei, non Filii. Ita & tu appella, nec plus quam habet tribuas. Sua ille sibi dignitate contentus est. Et quamvis plus adjicere velis quam ipse habeat, non id ille admittit. Non enim ex iis, quibus tu glorificas, aliquid sibi adsumit præter illius præscri-

Rom. 12. 1. — Matth. 4. 10.

scriptum, qui se præ omnibus creaturis honoravit. Cui nos: Connumera omnes item Angelos Patri atque Filio, cum audieris ab ipso Deo: *Ego dixi, Dii estis, & Filii Excelsi omnes*. An Spiritum sanctum & bonum in nominis communionem vocare non dignaris, qui ex concessis homines cogeris Deo connumerare? Nos autem non nomini connumeramus: nihil id magni esset, sed ipsi naturæ, ut deinceps ostendemus postquam futiles schedulę tuę nugas confutaverimus. Vere ut vel invitus confessus es, si velis aliquid ipsi, scilicet Spiritui sancto, adjicere; id ille non admittit; si demere, te ipse lædis. Sua quippe dignitate contentus est; si tamen dignitatis nomen, cum de Spiritu loquimur, usurpare licet. Quod ipsum de Patre & Filio dici potest. Neque enim Patri aut Filio aliquid addere potes, aut aliquid ipsis demere, etsi demere velis: te enim ipse lædis. Omnia siquidem perfecta in Patre & Filio & Spiritu sancto, nihilque imperfectum, ut quid extrinsecus assumatur. ex præscripto enim ejus qui ante omnes creaturas est, honoratur, ut ipse scripsisti, eo animo ut significares, non esse ipsum ejus Spiritum in rei veritate, sed gratia; quemadmodum & alii omnes administratorii quidem, sed non natura, ejus Spiritus sunt.

Psalm. 81. 6.

7. Post hæc rursum nos ex se quęrentes inducit: Non est ergo æqualiter honorandus cum Patre & Filio Spiritus sanctus? Rursumque sibi reponit. Nequaquam est. Neque enim scriptum hoc est. Nam de Patre quidem & Filio scriptum est: *Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Neque dicitur, & Spiritum. Tum nos ad illum: Beatæ aures quæ vos non audiere, & animæ quæ a vestris sermonibus vulneratæ non fuere. Ecqua vero ratione, si non eumdē putas habendum honorem Spiritui sancto, quem Patri atque Filio, pari cum (Spiritus sancti) honore, in illum baptizatus es? Annon tibi Pater atque Filius baptismatis confessione videntur honorati? Si honor ea in re nullus, quorsum baptizamur? Quare singulis horis periclitamur, ut baptismum servemus immaculatum, adversum diaboli insidias dimicantes? Cur non tibi videtur quacumque hostia præstantior illa corporum nostrorum exhibitio, dicente Apostolo: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem?* Omnis porro hostia in Dei honorem offertur. Hanc vero Patri & Filio & Spiritui sancto in baptismo etiam obtulimus hostiam, non diverso loco, non alio modo honoravimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum.

Joan. 5. 23.

Rom. 12. 1.

8. Perinde vero ac si fuisset a nobis interrogatus, se ipse denuo interrogat: Quid ergo, creaturamne dicis Spiritum sanctum? Erit igitur ille una ex creaturis? Tum sibi ipse respondet: Si scriptum est, dico, si non est scriptum, non dico. Iterum autem id sibi objicit, quasi a nobis allatum: Scriptum est, inquit, *In ipso creata sunt omnia*. Tum sibi ipse respondet: At non communionem habet cum omnibus Spiritus sanctus, cum sit unicus. Neque enim nominum communio, communionem affert naturarum. Alioquin omnes creaturæ ejusdem essent dignitatis. Ad hęc nos iterum. Si timorem Dei cor tuum haberet, nequaquam scripsisset malitiam, sed sincere quid sentias diceres. Non audes porro dicere, non quod Deum, sed quod turbam metuas, quemadmodum Pharisæi, qui baptisma Joannis undenam esset dicere non audebant. Tu vero metuens non siles sed clamas: ad eos porro clamas qui probe norunt, quid sit: *Venenum aspidum sub labiis eorum*. Pharisæi autem sic apud se ratiocinabantur. *Si dixerimus, e cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus: timemus turbam*. Ita vero tute apud te ratiocinaris: Si dixerimus non est creatura, dicent: Quare ergo non adoras illum? Sin dixero, creatura est; timeo & ego turbam. Omnis namque populus lapidabit nos, qui creaturæ renuntiavit, adhæretque Patri Filio & Spiritui sancto. Quid ergo facis? Creaturam cum dicis, dolum occultas, illudque apparas cum dicis: At non communionem habet cum omnibus Spiritus sanctus, cum sit unicus. Neque enim nominum communio, communionem affert naturarum. Alias quippe omnes creaturæ dignitatis ejusdem essent: hoc est, creatura quidem est; non autem æqualis creaturæ sunt honoris. Ac si diceret aliquis: Sol singulare est astrum, nec parem cum eo dignitatem habent aliæ stellæ. Omne sydus in die lucet, etiamsi commune nihil habeat cum ceteris astris. Ecqua major impietas quam creaturam dicere Spiritum sanctum, cum dicat Filius: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Cum dicat ipse, Spiritum Patris ipsum esse, cur tu creaturam dicas? Cur Patrem non audis dicentem: *In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem?* Itemque: *Ecce puer meus electus, in quem complacuit sibi anima mea: ponam Spiritum meum super eum*. Ad hæc Petrus ait: *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: Incipiens enim a Galilæa post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesus a Nazaret: Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto & virtute*. Suane igitur creatura ungitur Filius? Annon insani est illud effutire? Ipse autem Filius ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, Evangelizare pauperibus misit me*. Petrus vero hæc ait in Actibus Apostolorum: *Dextera igitur Dei exaltatus: & promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis*. Ergone quem ipse condidit, ipse a Patre accepit? neque potestatem habuit in creaturam suam? At dices: Major ergo Spiritus Filio? Respondemus tibi: Absit. Nostrum nemo id dicit. Sed oportuit eum, cum formam servi accepisset, ungi non illo quidem oleo, jussu Dei olim præparato; sed oleo lætitiæ præ consortibus. *Propterea*, enim dicit David, *unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Propterea*, quid est? quia nimirum cum Deus esset & Filius, formam servi accepit.

Psal. 13. 3.

Matth. 21. 25.

Matth. 10. 20.

Act. 2. 17.

Esai. 42. 1.

Act. 10. 37. 38.

Esai. 61. 1.

Act. 2. 33.

Psal. 44. 9.

9. Quandoquidem autem Spiritum sanctum ejusdem atque Pater & Filius esse naturæ supra nos demonstraturos promisimus: restat ut duarum personarum instituto dialogo, illud ipsum, favente nobis ejusdem Spiritus gratia, ostendere aggrediamur. Siquis igitur nobis ex eorum numero forte occurrerit, qui cum scriptore hujus schedulæ sentiunt, ita illum alloquemur. Solus Deus immortalitatem habere ab Apostolo dicitur: *Solus enim*, inquit, *habet immortalitatem, lucem habitans inaccessibilem*. *Maced.* Etiam. *Orth.* Habent eamdem & Angeli, & Principatus, & Potestates, & Throni, & Dominationes? *Maced.* Habent. *Orth.* Quomodo igitur solus Deus immortalitatem habet? *Maced.* Quia Deus ipse est immortalitas. Angeli vero Archangeli & cælestia omnia, immortalitatis participatione immortalia sunt. *Orth.* Filius Dei habetne immortalitatem? *Maced.* Plane habet. *Orth.* Numquid ut Pater, an ut cælestia? *Maced.* Ut Pater. *Orth.* Quomodo igitur solus Pater habet immortalitatem? *Maced.* Quia substantia Filii nihil prorsus variat a substantia Patris. *Orth.* Filius ergo, perinde ut Pater, solus Deus dicitur propter invariatam substantiam. *Maced.* Eodem modo Filium & Patrem immortalitatem habere dico. *Orth.* Habetne vero & Spiritus sanctus immortalitatem? *Maced.* Habet. *Orth.* Siccine habet, ut Pater & Filius, an ut Angeli & Principatus & Potestates, participatione & gratia? *Maced.* Ut Pater & Filius. *Orth.* Ejusdem ergo ac Pater & Filius naturæ est Spiritus sanctus? *Maced.*

1. Tim. 6. 16.

Ab-

Absit. *Orth.* Non igitur solus Deus habet immortalitatem. Est namque & alia inventa natura, pari illam, quo Deus ipse, modo habens.

10. *Maced.* Rursum igitur tria unum dico. *Orth.* Hypostasibus, non unum, sed tria sunt. *Mac.* Quomodo igitur unam dico naturam? *Orth.* Quia Pater, Filius & Spiritus sanctus eodem plane modo immortalitatem Patris habent. Atque ut Paulus, Petrus ac Timotheus unius naturæ sunt & tres hypostases: ita Patrem & Filium & Spiritum sanctum tres hypostases dico, & unam naturam. *Mac.* Sed ante homines exsistunt alii homines: alia igitur natura ante Patrem etiam & Filium & Spiritum sanctum exsistit. *Orth.* Absit. B *Mac.* Cur igitur dicis: Eodem quo homines modo? *Orth.* Ante homines quidem, Paulum & Petrum & Timotheum, exsistunt homines, & ante hos rursum alii, ante Adamum autem nemo alius exsistit, sed Deus ipse. Ante Patrem vero, Filium & Spiritum sanctum nihil exsistit: sed ex Patre Filius natus est, & Spiritus procedit. *Mac.* Spiritus igitur non est Filii? *Orth.* Omnia quæ sunt Patris, sunt etiam Filii: nam testatur Apostolus quoque, Spiritum esse & Patris & Filii. Sic enim loquitur: Rom. 8. 9. 10. 11. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus* C *Dei habitat in vobis. Quod si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis habitat in vobis, vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Et Filius ipse nominat eum Spiritum Patris sui. *Mac.* Quomodo? *Orth.* Mat. 10. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis.* Quin Pater ipse suum esse Spiritum testatur per Prophetam dicentem: Joel. 2. 28. *In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem* D *carnem.* *Mac.* Filius est qui loquitur.

11. *Orth.* Apostolum lege, ut ipsum audias. Sic enim ille ad discipulum suum scribens ait: Tit. 3. 4. *Postquam apparuit gratia Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrũ regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Dominum Salvatorem nostrum.* *Mac.* Nos non possumus unam Patris & Filii & Spiritus sancti naturam profiteri. *Orth.* Atqui Patrem ipse quoque sanctũ confiteris, de quo dictum est: Esai. 57. 15. *Sanctus & in sanctis re-* E *quiescens.* *Mac.* Etiam. *Orth.* Siccine sanctos dicis Angelos, quemadmodum Patrem? *Mac.* Angeli sanctitatis participatione sancti sunt: Pater autem natura sanctus est. * (*Orth.* Filiũ vero non dicis sanctum? *Mac.* Etiã.) *Orth.* Siccine, ut Angeli sancti sunt participatione, Filius sanctus est, an ut Pater? *Mac.* Ut Pater, cui eum in omnibus similem profiteor. *Orth.* Spiritum sanctum eademne ratione, qua Angelos, an qua Patrem & Filium, sanctum confiteris? *Mac.* Eadem qua Patrem & Filium. *Orth.* Ejusdem igitur cujus Pater & Filius est naturæ. *Mac.* Si revera, ut affirmatis, una natura est: F & vero Filius ad dextram Patris sedet: ubi sedet Spiritus? *Orth.* Apud Christum ipsum. Si enim ut ait Paulus, nos quoque sumus consessuri: non dubium est & Spiritum sanctum, quippe per quem & nos. *Mac.* Ubi scriptum est, nos quoque una sessuros? *Orth.* In Epistola ad Ephesios scriptum est: Ephes. 2. 5. *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, & conresuscitavit & in cælestibus consedere fecit.* Non potest enim una cum Christo sedere, nisi qui templum Spiritus factus est. Quod si templũ una sedet, quid de inhabitante Spiritu dixeris? *Mac.* Spiritus est missus: mittitur enim. *Orth.* Annon mittitur & Filius? *Mac.* Etiam. *Orth.* Num de loco in locum missus est? *Mac.* Minime: Filium enim

*Hæc desunt in Græco, sed habentur in veteri interpretatione Latina.

A & Patrem ubique esse dico. *Orth.* Spiritum non dicis esse ubique? *Mac.* Etiam. *Orth.* Si ubique est Pater, & ubique est Filius & ubique Spiritus sanctus: ejusdē igitur ac Pater & Filius naturæ est Spiritus sanctus. *Mac.* Cum vero & diabolus ubique sit, erit & ille ejusdem ac Pater & Filius naturæ? *Orth.* Diabolus non ubique est. Neque enim in cælo est, neque in universa terra. Sed ut tyrannus aliquis in quodam loco consistens, ministros mandatis instructos mittens, ubicumque potentiæ suæ ministros habet, ibidem dominari dicitur: & hypostasi quidem uno in loco est, sed operatione voluntatis ubicumque dominatur, ibidem esse dicitur: B pari modo diabolus quoque hypostasi quidem sua de loco in locum transit; operatione autem voluntatis Ephes. 6. 12. ubique terrarum est, voluntate ejus operante in *filiis diffidentiæ per principes & potestates, & mundi rectores tenebrarum.* Pater autem, & Filius & Spiritus sanctus substantia, potentia & gloria ubique in omnibus & per omnia sunt. Quod si ita est: una igitur est Patris, Filii & Spiritus sancti substantia. *Mac.* Pater quidem & Filius substantia & voluntate & potentia & gloria ubique & in omnibus: Spiritus autem ibi est, quo mittitur. *Orth.* Quando igitur in cœnaculum venit, in quo erant discipuli, seditque supra singulos C eorum, non erat tum in cælo quoque? *Mac.* Gabriel quando ad Mariam missus est, non erat tum in cælo quoque? *Orth.* Non substantia, sed cogitatione. *Maced.* Idem de Spiritu dico. *Orth.* Et quomodo audis eum qui dicit: Sap. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum; & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis?* Quid est autem aliud, quod Dei cognitionem habeat, quam Spiritus, de quo dicitur, *Spiritus scientiæ & pietatis?* *Mac.* Sanctificationis Spiritus ille est. *Orth.* Annon sanctificat & Pater? Aut non scriptum est in Euangeliis: Joan. 17. 17. *Pater sancti-* D *fica illos in veritate tua?* Et per Prophetam ait: *Ego Dominus sanctificans illos.* *Mac.* Sanctificat plane & Pater & Filius. *Orth.* Si sanctificat Pater, sanctificat & Filius, & sanctificat quoque Spiritus: ejusdem igitur hic est ac Pater & Filius naturæ: nam quorum eadem operatio, eadem & natura.

12. *Mac.* Nos viæ ducem Spiritum sanctum dicimus. Qui autem viæ dux est, is ad alium ducit. *Orth.* Nonne viæ dux est, & Deus? *Mac.* Ubi scriptum est? *Orth.* Quis est qui sedet super Cherubim? *Mac.* Deus. *Orth.* Audi igitur Davidem dicentem: Psalm. 79. 1. *Qui pascis* E *Israel intende: qui deducis velut ovem Joseph. Qui sedes super Cherubim, manifestare.* Audis quod & pascat & deducat Deus? *Mac.* Pascit, fateor, & deducit Deus, sed ad seipsum deducit. Spiritus autem non ad seipsum, sed ad omnem veritatem deducit. *Orth.* Nonne & Deus ad omnem veritatem deducit? *Mac.* At ipse revera est omnis veritas. *Orth.* Ejusdem ergo viæ dux est, cujus dux est & Spiritus. Quorum vero eadem est operatio, eadem quoque natura est. Non potes enim dicere, Spiritum aliter deducere; Deum autem ad omnem veritatem deducere, cum Dominus Jesus dixerit, Spiritum ad omnem veritatem F nos deducere. *Maced.* At dixi, Deum esse omnem veritatem, ipsumque ad seipsum deducere: Spiritum vero non ad seipsum, sed ad omnem veritatem, hoc est ad Deum. *Orth.* Si Deus ad seipsum deducit, quorsum Spiritus sancti deductione opus est? *Mac.* Primum deducit Spiritus, deinde Deus. *Orth.* Si qui viæ dux est ad alium quemdam deducit, deducit autem Spiritus ad Deum; Deus quoque deducens, ad alium quemdam deducit. *Mac.* Dixi, quod ad seipsum. *Orth.* Non igitur qui deducit, ad alium quemdam deducit, sed ad seipsum. Quod si ita est, Spiritus quoque deducens & ad seipsum deducit, & ad Patrem & ad Filium. Omnis enim illa veritas ad quam deducimur, nihil a-

liud

liud est, quam in Patrem, Filium & Spiritum sanctum deductio: & quando deducit Pater, ad seipsum deducit; & quando deducit Spiritus, ad seipsum deducit. *Mac.* At dixi, primum deducere Spiritum, & tum demum Deum. *Orth.* Si vero ejusdem viæ dux est Spiritus, cujus & Deus, quorum eadem est operatio, eorum eadem est & natura. *Mac.* Sed hoc quæritur; utrum prius Spiritus, an vero Deus deducat. *Orth.* Dixi, quod nihil ad rem, sive Spiritus primum fecerit, sive Deus primum, quod commune non est. Quin potius, juxta tuum sermonem in pluribus Deus Spiritu prior deducere comperietur. Nos enim dicimus, unam & eamdem esse Patris, Filii & Spiritus sancti deductionem. Tu vero siquidem & tempus & deductionem dividis, dic quæso, a quo primo Adam deductus fuerit, dum in Paradiso ante transgressionem mansit ad colendum eum & custodiendum? a Patre ne, an a Filio, an a Spiritu sancto? *Maced.* A
Genes. 2. 15. Spiritu. *Or.* Atqui dicitur: *Et collocavit ipsum Deus in Paradiso ad colendum eum & custodiendum*, annon vel invitus profiteris, Spiritum esse Deum; quandoquidem primum ipsum deducere adfirmas? *Mac.* Deus in Spiritu deducit. *Orth.* Quomodo igitur scriptum
Psal. 76. 21. est: *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Mosis & in brachio Aaronis?* Num Mosis manus est Spiritus sanctus? *Maced.* Si una Patris & Filii & Spiritus sancti natura est, Spiritus & gignere poterit & creare. *Orth.* Aut unam confiteris Patris, & Filii & Spiritus sancti naturam esse, aut non. *Maced.* Unam non confiteor: similem autem dico. *Orth.* Similemne ut aurum æri? *Maced.* Absit. *Orth.* Ut quid ergo? *Maced.* Ut aurum auro. *Orth.* Una est igitur horum natura. Tu vero siccine in universum similem Patri Filium dicis, ut aurum auro? *Maced.* Etiam. *Orth.* Poterit igitur Filius, cum ejusdem ac Pater naturæ sit, gignere Filium, si volet. *Maced.* Etiam potest: sed non facit hoc, ne deorum generationem doceamur. *Or.* Nihil igitur prohibet, quo minus ejusdem ac Pater & Filius naturæ sit Spiritus sanctus, licet nec gignat, nec creet: ne vel generationem, ut ais, vel multitudinem deorum doceamur. Nimirum quæ vult Pater, creat
Psal. 32. 6. Filius, sanctificat Spiritus. Atque hoc est: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Neque Pater, quod auxilii indigeat, per Filium creat: neque Filius, quod auxilii egeat, per Spiritum creat: sed ut ex rebus conditis Patris, & Filii, & Spiritus sancti identitas demonstretur. Ceterum quod Spiritus sanctus creare possit, Dominicum corpus o-
Matth. 1. 20. stendit, Angelo dicente: *Quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est.* *Mac.* Etiam Pater Spiritus sanctus est: item Filius: & quando ait, Ex Spiritu sancto est, Filium intelligit, non eum, quo de nos loquimur, Spiritum.

13. *Orth.* Lege locum Evangelii, ut audias Ange-
Luc. 1. 35. lum Mariæ dicentem: *Spiritus sanctus superveniet in te:* qualis ille? isne, de quo loquimur, an Filius? an alius quis Spiritus sanctus? Nam & Angeli Spiritus sancti sunt. *Maced.* Spiritum sanctum dicit illum ipsum, in quem baptizamur. *Orth.* Ex hoc igitur Spiritu corpus Dominicum natum esse ait Gabriel. Neque enim alius in eam supervenit, alius gratiam operatus est: sed quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est, ex eo videlicet, qui super illam venit. *Maced.*
Prov. 9. 1. Quomodo igitur ait: *Sapientia ædificavit sibi domum?* *Orth.* Hoc enim est, quod nos dicimus: omnia Patris opera Filii esse; & Filii quæ sunt, Spiritus dici. Itaque, quoniam una est Patris ac Filii
1. Cor. 12. 28. potentia in Spiritu sancto operans. Paulus dicit: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores.* Et rur-
Act. 20. 17. sus idem: *A Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*, eosque sic alloquutus est: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos pascere Ecclesiam Christi.* Vides, quos Deus præposuit, eosdem Spiritum sanctum quoque præposuisse, & quos Spiritus præposuit, eosdem Deum præposuisse: nec alios Spiritum, alios Deum, sed illos ipsos, quos præposuit Deus, præposuit & Spiritus. Quod si Spiritus eos præposuit, quos præposuit Deus, hinc sequitur eamdem Dei & Spiritus esse operationem. Quorum vero eadem est operatio, eorum eadem quoque est natura. *Mac.* Atqui Deus est qui omnia in omnibus operatur. Scriptum est enim: *Divisiones gratiarum* 1. Cor. 12. 4.
sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. *Orth.* Recita quæ sequuntur, ut audias: *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ: alii vero sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in eodem Spiritu: alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Vult autem eadem, quæ volunt Pater & Filius, atque ideo voluntatem eorum unam dicimus. Quorum autem voluntas eadem est, eademque operatio, natura item est eadem.

14. *Maced.* Numquid igitur Spiritus est Deus? *Orth.* Hoc tute ex ipsa dictorum consequentia professus es. Verum illud te nosse velim, Deum esse, posterius esse natura. Nam & nos si imitatores Dei simus, secundum Paulum Dii efficimur: nec tamen naturæ ejusdem fieri possumus. *Maced.* Ergone Spiritum ipsum imitatione & gratia Deum esse dicis? *Orth.* Absit, ut aliquid adventitium Spiritui tribuam. Nam neque sanctitatem nec incorruptibilitatem, nec immortalitatem, nec bonitatem, nec aliud eorum quæ in Deo considerari solent, quidquam Spiritui sancto adventitium esse dico: sed natura sanctum, natura bonum, natura incorruptibilem, natura immortalem, utpote Spiritum Dei & ex eo promanantem sive procedentem. *Maced.* Semper igitur ex illo procedit? *Orth.* Ut ne existimares processionem vel cœpisse vel desiisse, idcirco dicit, qui a Patre procedit; ut nec initium, nec finem processionis requiras: hoc idem de Filii generatione significatum reperies. Neque enim ait, genuit me ante omnia, sed gignit me; ut nec initium, nec finem generationis requiras. *Maced.* Duo igitur Filii sunt? *Orth.* Absit. *Maced.* Si tam Filius quam Spiritus sanctus vere ex Patre est, sunt duo fratres. *Orth.* Sed Filius genitus est, Spiritus vero procedit. *Maced.* Et quid discriminis est inter generationem ac processionem? *Orth.* Discrimen ne curiose inquirito: neque enim comprehendi potest, sed quæ tibi præcepta sunt, illa cogita, & ultra hæc nil exquirito. Est autem tibi præceptum, ut credas, Filium gigni, Spiritum procedere. Reliqua vero omnia, cælum, terra, mare, & quæ in illis sive rationalia sive vero irrationalia, creaturæ sunt, secundum Dei ipsius mandatum creatæ: *Nam ipse dixit, & facta* Ps. 148. 5.
sunt: ipse mandavit, & creata sunt. *Mac.* Nec ego dico Spiritum creaturam esse: sed tamen Deum illum non dico. *Orth.* Unum noscas velim, teipsum idcirco Deum non esse natura, quod sis creatura, adeoque nisi fueris creatura, Deum te futurum natura.

15. *Maced.* Sed nusquam scriptum est, Spiritum esse Deum. *Or.* Demus vocabulum Dei in Scriptura Spiritui non tribui. At tu naturâ itemque operationes divinas de eo confitere: quod mihi quidem satis est ad

Deitatis confessionem. *Maced.* Qua de causa id dicis, quod scriptum non est? *Or.* Scriptum sane est. Tu vero naturam confitere. Etiamsi vero scriptũ non esset, natura ipsa hoc sibi nomen vendicat. Si enim in confesso fuerit Spiritũ in se subsistere, sanctificare, increatũ esse; Deus erit, velis nolis. *Mac.* Ubi scriptũ est, Spiritũ esse Deũ? *Or.* Ubi scriptum est, similem esse secundũ substantiã. *Mac.* Atqui Patres nostri consubstantialitatẽ de Filio dixerunt. *Or.* A sententiane Scripturæ, an proprio motu illud dixere, quod non esset scriptum? *Mac.* Movit illos Scripturæ sententia. *Orth.* At Scripturæ sententia docet Spiritum increatum ex Deo exsistentem, vivificantem, sanctificantem, divinum esse Spiritum. *Mac.* Et nos divinum illum dicimus, Deum vero nequaquam. *Orth.* Quid aliud est, Spiritus divinus increatus, quam Deus? *Mac.* Aliud est divinus, aliud
Job. 33. 4. Deus. *Orth.* Si Scriptura dicat: *Spiritus divinus, qui fecit me*, nonne Spiritũ sanctũ dicit? *Mac.* Nequaquã: Deus enim est, qui hominem fecit. *Orth.* Annon Spiritus? *Mac.* Deus ergo divinus Spiritus est? *Orth.* Etiam. Quod si Deus Spiritus divinus in Scriptura nuncupatur, & neque Angelus, neque Archangelus, neque Potestas ulla, divinum in Scriptura appellatur, solus autem Deus & Spiritus ejus divinum dicuntur, consequens est divinum nihil aliud esse quam Deum. Pau-
Act. 17. 29. lus quoque in Actis hæc ait: *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis divinum esse simile.* Viden' ut Deus divinum, & divinum dicatur Deus?
Job. 27. 2. 3. 4. Job quoque Spiritum dixit divinum, cum ait: *Vivit Dominus, qui ita me judicavit, & omnipotens, qui amaritudine affecit animam meam. Quamdiu superest in me halitus, & Spiritus divinus in naribus meis, ne loquatur os meum iniquitatem.* Cum ait: *Vivit Dominus*, Filium: cum, *Omnipotens*, Patrem: cum *Spiritus divinus*, Spiritum sanctum notat.

16. *Mac.* Tria igitur æqualia dicis? *Orth.* Non paternitate, non filiatione, sed natura. *Mac.* Quomodo hoc fieri potest? *Orth.* Ut ostensum est. *Mac.* Quomodo ostensum est? *Orth.* Quod Spiritus perinde ac Pater & Filius substantia & potestate & voluntate & gloria, ubique sit, perinde ut ille deducit ad omnem veritatẽ, perinde ut ille sanctificat, perinde ut ille omnia in omnibus efficit. Quorum autem operatio est eadem, eorum natura quoque est eadem. *Mac.* Quomodo igitur
Joan. 16. 13. dictum est: *Non loquetur a seipso, sed quæcumque au-*
Joan. 12. 49. *dierit, loquetur?* *Orth.* Quia Filius quoque ait: *Pater, qui misit me, præcepit mihi, quid dicam, & quid loquar.* Hoc vero vel maxime ostendit, ejusdem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse naturæ. *Mac.* Quomodo? *Orth.* Quia quælibet natura quæ facta est, si rationalis fuerit, a seipsa loquitur: ut quando Abraham ait:
Genes. 18. 32. *Ne irascaris, Domine, si adhuc semel loquar.* Et Moses:
Exod. 4. 10. 13. *Impeditioris & tardioris linguæ sum.* Item: *Obsecro, Do-*
Jerem. 1. 6. *mine, elige alium.* Et ut Jeremias: *Juvenis sum, & non possum prophetare:* cui Dominus: *Ne dicas*, ait, *juvenis sum.* Et Jonas re secum deliberata conscendit navem, ut fugeret in Tharsis a conspectu Domini. Non sic autem Spiritus: neque enim ea natura est, ut diversam a Deo voluntatem habeat, verum omnia, quæcumque loquutus fuerit, Dei sunt oracula. Atque hac de causa dictum est: *Non loquetur a semetipso.* Etenim de Filio quoque idem dictum est: quandoquidem non alia illi inest voluntas, quæ Patris non sit. *Mac.* Non habet igitur Spiritus sanctus voluntatem propriam? *Orth.* Absit, ut quod a Deo alienum est, dicam. *Mac.* Sed quomodo non habet voluntatem propriam? *Orth.* Voluntas Dei voluntas Spiritus est. Neque enim ignorat voluntatem Dei: sed quod vult Pater, idem vult & Spiritus; omnia enim novit quæ sunt Dei, ut Spiritus hominis, ea quæ sunt hominis. *Mac.* Atqui & Filius

A ait: *Non veni ut faciam voluntatem meam, sed volun-* Joan. 6. 38.
tatem ejus qui misit me. *Orth.* Quænam vero fuit voluntas ejus qui misit ipsum, cujus faciendæ gratia venit? *Mac.* Salus mundi. *Orth.* Hoc cum facit, non facit suã ipsius voluntatem, sed voluntatem ejus qui ipsum misit. *Mac.* Ait ipse, se non venisse ut faceret voluntatẽ suam, sed voluntatẽ ejus qui se misit. *Orth.* Est igitur necessario contraria in eo voluntas statuenda, quam coercuit, ut faceret voluntatem ejus, a quo missus esset. *Mac.* Absit ut voluntatem Filii voluntati Patris dicã esse contrariã. *Orth.* Ergo eadem Patris & Filii est voluntas. Etenim Filius per crucem & mortem servare vult genus nostrum, vultque hoc Pater. Cum autem ait; *Non veni ut faciam voluntatem meam, sed*
B *voluntatem ejus qui misit me*, in Patrem videtur conferre omnia: cum ait: *Pater qui misit me, præcepit mihi quid dicam & quid loquar*, hoc ipso dicto Patrem ut Patrem honorat. Quod si se res ita non habet; quomodo Filius, in quo omnes sapientiæ thesauri reconditi sunt, non novit quid loqueretur? *Maced.* Admitto illud, Filium, quatenus Filius est, unam Patris voluntatem habere. At Spiritus nisi audierit & acceperit, a seipso non loquitur. *Orth.* Quemadmodum igitur Filius omnia habens natura, ut Filius ait: *Nihil facio a meipso*; ut honorum principium Patri adscri-
C bat, ita & de Spiritu ipsum audi loquentem. Cum enim omnia ille in sua natura habeat, ut Spiritus Dei, ea ad fontem ipsum refert inquiens: *Non loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & futura annuntiabit vobis.* Item: *Ille de meo accipiet*, nempe, de Patre. Hæc enim subjungit: *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt: pro-* Joan. 16. 14.
pterea dixi, quod de meo accipiet & annuntiabit vobis. Accipere autem illum dixit, non ex ignorantia, sed quod Spiritus operationem & gratiam ad auctorem referat. *Mac.* Si res ita se habet, & hoc accipio.
D Ministrat enim nobis Spiritus gratiam Dei.

17. *Orth.* Rursum nominas ministerium, quasi renuas, Spiritum Dei cooperarium dicere. *Mac.* Numquam mihi persuaseris, ut Spiritum Dei, cooperarium dicam: *Orth.* Apostolus Paulus Apostolos, Dei cooperarios vocat: & tu Spiritum ipsius cooperarium dicere vereris? Jure in te illud competit:
Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. *Mac.* Psal. 13. 5.
Etsi dixero Spiritum Deo cooperarium, non tamen eodem illum quo Deum modo glorificabo.
Orthod. Cum igitur Paulus de fidelibus ait: *Non* Rom. 8. 17.
amplius es servus, sed Filius, quod si Filius, & hæ- Galat. 4. 7.
E *res quidem Dei, Christi autem cohæres:* teipsumne dignum existimas, qui in hæreditatis societatem adsciscaris, Spiritum non item? Et audis tu qui-
dem: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur:* Rom. 8. 17.
Spiritus non item: *Si simul mortui sumus, simul* 2. Tim. 2. 12.
etiam regnabimus: Spiritus non item? *Mac.* Etiam-
ne Spiritum quoque Regem nuncupas? *Orth.* *Si* Rom. 5. 14.
mors regnavit ab Adamo usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverant, qui non Spiritus vitæ in nobis regnaret? *Maced.* Nos Patrem quidem & Filium Regem, Spiritum sanctum vero ministrum dicimus. *Orth.* Tuam ipsius hæresin nondum
F satis intelligis. Etenim minister licet Rex non sit, ejusdem tamen cujus Rex est substantiæ: fateris igitur ipsemet ejusdem cum Deo substantiæ esse Spiritum. *Mac.* Minime. *Orth.* Sed quod ejusdem substantiæ non est, creatura est, mutabilis & variabilis. Professus autem es paulo ante, immutabilem Spiritum & invariabilem, & increatum esse. Spiritus ergo ejusdem ac Deus & Filius ejus est substantiæ. *Mac.* Unus igitur est, ipseque Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. *Orth.* Absit ut hoc dicam.

Et-

Etenim, si unus esset & idem Pater, Filius & Spiritus sanctus, non dicerentur ejusdem esse substantiæ. Neque enim ejusdem ac ipsemet substantiæ esse dicitur.

18. *Maced.* Ubi scriptum est Spiritum esse Deum? *Orth.* Quando Propheta ait: *Et erunt omnes a Deo docti*: [Joan. 6. 45.] de quo loquitur? *Mac.* De Filio. *Orth.* Atqui Filius dicit: [Mat. 10. 19.] *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: ipse enim Spiritus docebit vos, quid facto opus sit.* Quod si qui a Spiritu docentur, a Deo docti dicuntur, quid aliud fuerit Spiritus, ex te ipso quære. *Maced.* Qui a Spiritu docentur, docti a Deo dicuntur ideo, quia Deus per Spiritum ipsos docet. *Orth.* Non dixit: Erunt omnes a Deo ipso docti, sed sine articulo. *Mac.* Ergo tres dii sunt? *Orth.* Absit. Unus est Deus Pater, unus Deus Filius, unus Deus Spiritus sanctus. *Maced.* Tres igitur Dii? *Orth.* Confiteris ipse Patrem Deum esse, & Filium Deum, aut ne hoc quidem? *Maced.* Confiteor Deum Patrem, Deum item Filium. *Orth.* Duos igitur Deos dicis? *Maced.* Absit. *Orth.* Quemadmodum igitur cum Patrem Deum, & Filium Deum confitaris, non duos Deos asseris: ita, Spiritus deitatem confitens, ne tres Deos dicito. *Audi* [Deut. 6. 4.] *enim Israel: Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* *Maced.* Unus igitur Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus. *Orth.* Unus Deus, non quidem ut trinominis, sed ut ii, qui in Christo perfecti sunt, unus consensu & natura. *Maced.* Unum consensum & ego dico. *Orth.* Dic & naturam quoque, ut sis beatus. *Maced.* Non possum dicere unam naturam. *Orth.* Dic igitur eos dissimilis esse naturæ. *Maced.* Neque hoc dico. *Orth.* Nec frigidus igitur, nec calidus ea, ut Scriptura loquitur: si enim frigidus esses, naturas dissimiles utique diceres, sin vero calidus, eas per omnia similes. *Maced.* Filii dico nullatenus differentam esse naturam. *Orth.* Natura vero a natura nihil prorsus differens eadem est natura? Consimiliter enim est immortalis, consimiliter est sanctus, consimiliter est incorruptibilis, consimiliter est immutabilis. Pater autam, Filius, & Spiritus sanctus sunt consimiliter ea quæ dicta sunt. Una igitur, ratione identitatis, est natura. *Maced.* At Filium Patri subjectum esse dico: quomodo igitur unam naturam possum dicere? *Orth.* Subjectionem naturæ dicis, an œconomiæ & dispositionis? *Maced.* Naturæ. *Orth.* Ergo dissimilem dicis naturam? *Maced* Absit. *Orth.* Quando Propheta ait: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus,* [Psalm. 8. 8.] *oves & boves universas, insuper & pecora campi*: nonne naturam brutorum, naturæ hominum esse subjectam ait? *Maced.* Imo. *Orth.* Sed natura pecorum naturæ humanæ est dissimilis. *Maced.* Etiam. *Orth.* Quando ait: *Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris*, [Psalm. 46. 4.] non naturam naturæ, sed servitutem peccati, libertati fidei subjectam docet. *Maced.* Etiam. *Orth.* Aliter igitur pecora, aliter gentes nobis subjectæ sunt. *Maced.* Etiam. *Orth.* Quando Scriptura ait: *Servi* [1. Petr. 2. 18.] *subjecti sint Dominis secundum carnem, non solum bonis, & modestis, sed etiam discolis*: aliter pecora, aliter gentes, aliter servos subjectos innuit: pecora quidem natura, gentes fide, servi lege. Possunt enim servi Dominis ipsis virtuta antecellere. *Maced.* Est in confesso, alios atque alios esse subjectionis modos. *Orth.* Quin & nos alius alii subjecti sumus per charitatem, non ut pecora naturaliter, neque ut gentes fide, neque ut servi lege. *Maced.* Neque ut pecora, neque ut gentes, neque ut servi, sed per Domini dilectionem. *Orth.* Cum igitur Filius Patri subjectus sit, subjicitur illi vel per naturam, ut pecora hominibus; vel per legem, ut servi: vel per fidem, ut peccator: vel per dilectionem, ut Filius. Filius autem eamdem quam Patar habet naturam, subjectus non natura deitatis, sed œconomia humanitatis. Qui enim subjicitur, voluntatem aliquam habet, quam comprimit, ut voluntatem præcipientis exsequatur. At Patris & Filii voluntas est una ratione deitatis.

19. *Maced.* Quomodo igitur scriptum est: *Factus* [Phil. 2. 8.] *obediens usque ad mortem*: Et, *Cum autem ei subje-* [1. Cor. 15. 28.] *cta fuerint omnia, tunc ipse quoque Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus?* *Orth.* Nimirum formam servi accepit, cum in forma Dei esset, necessario subjectionem quoque servilis formæ assumens, subjicitur pro nobis suo ipsius Patri, non natura deitatis, sed formæ servilis, quam sumsit, unione. Et quid est, cur Filii naturam imminui censeas ex eo, quod subjiciatur Patri? Numquid si Deum Verbum audias hominibus quoque subjectum fuisse, hominum natura inferiorem illum statues? *Maced.* Ubi scriptum est, quod hominibus quoque subjectus fuerit? *Orth.* Homo erat Maria, erat & Joseph, atque iis, ut in Euangeliis scriptum est, subjectus fuit. Cum enim invenissent illum in templo, ait Euangelista, dixerunt: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater* [Luc. 2. 48.] *tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in domo Patris mei oportet me esse? & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Ille igitur unigenitus, ille Salvator mundi inferior scilicet erat Josepho & Mariæ? *Maced.* Nequaquam, absit. *Orth.* Consimili modo etsi Patri subjectus esse legatur, non tamen deprimitur secundum naturam: sed ut Filius, cui servi formam sumere placuit, subjectionem quoque servilis formæ sumsit; nam in hac cum esset, Mariæ fuit subjectus. *Mac.* At ipse Patrem vocavit Deum suum. Quomodo igitur potest una esse utriusque natura? *Orth.* Filius Dei num Deus natura, & homo per assumtionem carnis est, necne? *Mac.* Est. *Orth.* Igitur ratione deitatis Deus ipsius Pater est, ratione vero humanitatis, Deus? *Mac.* Ego utriusque naturæ Deum ipsum dico. *Or.* Memento illius dicti: *Vado ad Patrem meum & Patrem ve-* [Joan. 20. 17.] *strum, Deum meum & Deum vestrum.* Nonne hæc ita se habent? *Maced.* Ita sane. *Orthod.* Sic igitur Pater ejus est quemadmodum & noster? *Maced.* Non. *Orth.* Sed ipsius quidem natura: noster vero gratia. Christi enim participes facti, inventi sumus prope, qui procul aberamus natura, adeo ut Deus Pater noster dicatur. *Mac.* Sic est. *Orthod.* Quemadmodum igitur nos Christi participes facti, Patrem habemus Deum: ita Filius quoque Verbum & Deus, cum sanguinis & carnis nostræ factus sit particeps, Patrem habet Deum: ita ut dixerit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* [Ps. 21. 11.] De ventre autem matris Verbum factum est, quando Virgo concepit & peperit Emmanuelem: atque hoc modo subjicitur forma servi accepta. *Maced.* Ipse ait: *Pater meus major me est.* *Orth.* Vocabulum ma- [Joan. 14. 28.] jor, multimodis in Scriptura divina accipitur. *Maced.* Etiamne ad carnem hanc vocem, major, refers? *Orth.* Videamus cum timore Dei, quæ divinæ Scripturæ mens sit, quot modis vocem, major, usurpet. *Mac.* Videamus. *Orth.* In Euangelio Filius ait: *Pater, qui dedit mihi, major omnibus est, &* [Joan. 10. 29.] *nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* Et de Esau dictum est: *Quia* [Gen. 25. 23.] *major serviet minori*: Et, *Major erat Saul omnibus hominibus*: [1. Reg. 10. 23.] Et, *Major omnibus est caritas*: Et, *Granum sinapi cum creverit majus est omnibus* [Luc. 13. 19.] *oleribus.* Scripta sunt hæc, necne? *Maced.* Scripta sunt. *Orth.* Siccine ergo Esau Jacobo majorem dicis, quemadmodum Saulem aliis hominibus, quemadmodum dilectionem spe & fide? *Maced.* Non. *Orth.* Recte dicis. Saul enim statura corporis aliis hominibus major dictus fuit: dilectio vero fide & spe major dicta est, ut quæ incrementi aliarum virtutum causa sit: cum enim diligimus,

mus, credimus; cum credimus, speramus. *Maced.* Et hoc admitto. *Orth.* Siccine igitur Patrem majorem omnibus dicis, quemadmodum dilectionem spe, qualitate: aut quemadmodum Esau Jacobo, tempore: aut quemadmodum Saulem aliis hominibus, statura? *Maced.* Non. Etenim Pater incomparabili excellentia omnibus major est. *Orth.* Si igitur incomparabili excellentia major omnibus est Pater: neque tempore, ut Esau Jacobo, neque statura, ut Saul aliis hominibus, neque qualitate, ut dilectio fide & spe *major omnibus est.* *Maced.* Quomodo ergo? *Orth.* Nam qui incomparabili excellentia omnibus major est, simili eodemque plane modo omnibus est major, nec magis illo, minus alio. *Maced.* Vere dicis. *Orth.* Eodemne igitur modo dicis Patrem majorem esse Filio, quo equis, quo canibus, quo omnibus brutis animalibus, quo denique insensibili materia? *Maced.* Nequaquam, absit hoc. *Orth.* Non igitur omnibus incomparabili excellentia major est. Filio enim major est ut Pater Filii. *Maced.* Comparative igitur. *Orth.* Dixi, ut Pater Filii. Cum enim alios incomparabili excellentia superet; non tamen Filio major est excellentia incomparabili, sed ut Pater Filii. Quod si excellentia incomparabili major eo non est, non est major natura: non enim per comparationem. Si vero non major natura, ergo nec magnitudine; expers enim est magnitudinis: nec tempore; tempore enim nullo comprehenditur: denique nec qualitate; expers enim est qualitatis. Quare nulla alia in re majorē seipso Patrē dicit, quā quod Filius ipse sit, qui formā servi sumsit, & suum ipsius Patrem honorat. *Mac.* Hoc admitto. *Or.* Eadem igitur est Patris, & Filii natura: quandoquidem non incomparabili excellentia Patrē majorē seipso dicit. Neque enim Filius esset, nisi naturam haberet eamdem. Quod si ita est, non igitur natura subjicitur, sed ut Filius forma servi assumta.

20. *Macedon.* Praeclare tu quidem de Filio disseris: sed de Spiritu non item. Etsi enim Spiritus creatus non fuerit, factus tamen fuit. Omnia enim per Filium facta sunt. Si autem omnia, utique & Spiritus. *Orth.* Si factus est, creatus quoque est. Si enim quod factum, creatum non est, & omnia per ipsum facta sunt, sane creata omnia non sunt. Quod si ita est, quomodo intelligemus dictum illud Pauli: *Omnia in ipso creata sunt?* *Maced.* Sed non omnia pari in honore habentur. *Orth.* Etsi non pari habeantur honore; omnia tamen creata sunt. Creatura autem a creatura nihil differt, quatenus creatura est. *Mac.* Nihil igitur differt Gabriel ab equo, aut ab alio quodam bruto animante? *Or.* Quatenus creatura est, nihil differt; quatenus vero Angelus, Spiritus administratorius ad ministerium missus, non solum a brutis, sed a nobis quoque hominibus, & ab Angelis, cum sit Archangelus. Etenim oculus, quatenus oculus, aliis corporis membris honoratior est; corpus tamen non est. (Corpus enim nihil differt a corpore, qua est corpus.) *Mac.* Nos dicimus, Spiritum a Deo per Filium esse suum habere. *Ort.* Annon cetera, quę esse suum a Deo per Filium non habent, creaturę sunt? *Mac.* Sunt. *Orth.* Creatura igitur & Spiritus. *Mac.* Non voco creaturam, quandoquidem scriptum non est. *Or.* Nec factum dicito, quandoquidem idem prorsus significat. *Mac.* Sed scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt:* Scriptumque: *Omnes servi tui.* *Or.* Servum igitur vocas Spiritum? *Mac.* Absit. *Or.* Non ergo omnibus istis annumeratur. *Mac.* Tria igitur non facta dicis? *Or.* Sed quae nec causa nec patre careant. Etsi enim Spiritus factus non est, causa tamen originis non caret. Causam enim habet Deum, cujus Spiritus est. Et licet Filius factus non sit, non tamen est sine Patre: habet enim Patrem Deum, ex quo & genitus est. Pater vero & non-factus est, & nec causam, nec Patrem habet. *Mac.* Non igitur factus est Spiritus per Filium? *Or.* Absit. Quomodo enim Pater illum super Filium ponere dicit, si per ipsum Filium Spiritus factus est? *Mac.* Ubi scriptum est, Patrem super Filium ponere Spiritum? *Orth.* *Ecce puer meus dilectus, in quem complacuit sibi anima mea: ponam super eum Spiritum meum.* *Mac.* Non hunc dicit Spiritum. *Or.* Estne vero alius Patris Spiritus? *Mac.* Pater ipse Spiritus est, & quando ait: *Ponam Spiritum meum super eum,* virtutem suam intelligit. *Orth.* Cum ergo dicit: *Super quem descendentem & manentem videris Spiritum super eum,* virtutem ipsius dicit? *Mac.* Non, sed Spiritum ipsum paracletum dicit. *Orth.* De alio igitur Prophetae loquutus est, quem super eum positurus esset, de alio Joanni. *Mac.* Quem ad Joannem dixit se positurum super eum, is est Paracletus, is vero de quo ad Prophetam loquutus est, suam ipsius virtutem dicit. *Orth.* Duosne Spiritus habet Deus? *Maced.* Deus ipse Spiritus est. Sed & virtus ejus Spiritus dicitur. *Orth.* Virtus haec est Spiritus subsistens. *Mac.* Non intelligo, quid sit subsistens: virtutem suam se positurum dixit. *Orth.* Virtus ejus, quam se positurum dixit, in se subsistit. *Maced.* Deus ipse est. *Orth.* Atqui, cum Joanni dixisset: *Super quem videris Spiritum descendentem, velut columbam, & manentem super eum,* eumque Joannes cum vidisset, subjunxit a Propheta significatam vocem: *Hic est Filius meus dilectus, in quem sibi complacuit anima mea.* Vides, ut eaedem utrobique voces ponantur: ne cogitemus, alium Spiritum per Prophetam, alium Joanni fuisse dictum. Deinde ex Luca disce quod scriptum est. Posteaquam enim Spiritus descendit & mansit super eum, & vox supra dicta audita est, subjungit: *Jesus vero plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane, & ductus est in desertum a Spiritu, ut a diabolo tentaretur.* *Mac.* Spiritus sanctus igitur Christum implet ac perficit. *Orth.* Euangelista ait, Jesum Spiritu sancto plenum fuisse. *Maced.* Majorem igitur Filio Spiritum dicit. *Orth.* Absit. *Mac.* Si ille Filium implevit, si a Spiritu Filius agitur, major ipso est Spiritus. *Orth.* Iterum ajo, absit, ut hoc dicam. Sed quemadmodum, cum audis, Filium sedere ad dexteram Patris, neque locum apud Deum animo concipis, nec majorem Filium ducis, sed ex eminente honore naturae identitatem intelligis: Sic audiens Jesum plenum Spiritu sancto, non defectus complementum putes, nec majorem Spiritum existimes, sed ex eminente honore & unione, identitatem naturae animo collige, in tribus perfectis hypostasibus. Quod vero super ipsum Filium Spiritus sit, audi & ipsum Judaeis loquentem: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Et Petrum: *Quia unxit ipsum Deus Spiritu sancto & virtute.* *Maced.* Ego litterarum sum imperitus, Magistrum meum adducam, qui tecum disputet. *Orth.* Utinam magistrum tibi accersas piam meditationem, ne homines sequaris, sed Deum, qui dicit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Amen.

Marginal references: Joan. 1. 3. — Coloss. 1. 16. — Esa. 42. 1. — Joan. 1. 33. — Joan. 1. 33. — Esa. 42. 1. — Luc. 4. 1. — Esa. 61. 1. — Matth. 28. 19.

EJUS-

EJUSDEM ATHANASII

Disputatio alia adversus Macedonianum.

De Quæstione, an Dei Verbum corpus animatum gestarit?

MACEDONIANUS.

NON erratis tantũ, quod consubstantialẽ Patri Filium esse dicatis: sed etiã quod Dominum incarnatũ animam quoque habuisse adfirmetis. ORTHODOXUS. Nõ modo religiose sentimus, cũ Patri consubstantialẽ esse Filiũ: sed & cũ eũ incarnatũ animã habuisse confitemur. Neque vero magni quid feceris consubstantialitatẽ negans, si animã eũ habere negaveris. Hoc enim eorum est proprium, qui substantiæ diversitatẽ & dissimilitudinem afferunt. Ut enim substantiam unigeniti dicant esse patibilem, inanimatam eam dicunt, atque inde dissimilitudinem substantiæ comminiscuntur. *Mac.* Nos vero dissimilitudinem substantiæ non dicimus, sed anima carere dicimus. *Orth.* Faterisne Christum in mortis agone cœpisse contristari & mœstus esse, ut in Euangelio Matthæus habet, cœpit contristari & mœstus esse, & ut Marcus, cœpit pavere & tædere. *Mac.* Etiam. *Orth.* Utrum mœsta est & mortem pavet divinitas, an corpus animatum? *Mac.* Divinitas certe incarnata. *Orth.* Filii igitur divinitas dissimilis est deitati Patris? *Mac.* Absit. *Orth.* Si mœsta est & pavet mortem, quomodo similis per omnia erit ei, qui nec angitur, nec contristatur, nec turbatur? *Mac.* Corpus habuit, & idcirco contristatur. *Orth.* At corpus sine anima non angitur, non turbatur, non tristatur. *Maced.* Sed loco animæ divinitatem habuit. *Orth.* An corpus divinitati pavorem incussit, aut divinitas corpori? *Mac.* Propter corpus divinitas expavescebat. *Orth.* Nimirum ut principatus animi nostri, ita & divinitas a corpore turbabatur. *Maced.* Absit ut hoc dicam. *Orth.* Concedas igitur oportet animam fuisse quæ turbata est. *Maced.* Absit. *Orth.* Quomodo ergo Angelum audies (*Matth. 2. 13.*) Josepho dicentem: *Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: futurum est enim ut Herodes quærat animam pueri:* (*Ibid. 20.*) Et iterum: *Surge, & accipe Mariam conjugem tuam, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* (*Joan. 10. 11.*) Et Dominus ipse ait: *Ego sum Pastor bonus: bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus.* Et iterum: *Cum volo pono eam, & cum volo resumo eam.* *Maced.* Quando vero & Patrem audimus loquentem: *Sabbata & neomenias vestras odit anima mea*, ideone & ipsum Patrem animam habere dicemus? *Orth.* Non considerasti eum, quem adduxisti locum. Neque enim demonstrare poteris Patrem esse, qui isthæc loquatur. *Maced.* Cujus ergo est vox ista? *Orth.* Filii Dei, qui dixit: (*Esa. 1. 3.*) *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* *Maced.* Hiccine est qui dicit: (*Ibid. 13.*) *Neomenias vestras & Sabbata odit anima mea?* *Orth.* Sane quidem. Tum enim odit ea, quando incarnatus est, & fœdus novum instituit. *Maced.* Atqui animam habuit, cum Esaiæ visus est. *Orth.* Quemadmodum nec manus, nec pedes corporeos, neque etiam vestimenta corporea habuit, ante incarnationem, quando dixit: (*Psalm. 21. 17.*) *Foderunt manus meas & pedes meos: & super vestem meam miserunt sortem*, sed quæ futura erant pronuntiavit: sic & de anima loquens dixit: *Odit anima mea.* *Maced.* Sit sane Filii vox hæc, numquid & tum Filius loquitur, cum dicit: (*Esai. 42. 1.*) *Ecce puer meus dilectus, in quem complacuit anima mea, ponam Spiritum meum super eum?* *Orth.* Patrem hic, non Filium, loqui in confesso est: attamen non quod animam habeat sic loquitur Pater, sed cujusque sancti animam, suam animam dicit. Quæcumque igitur anima sibi complacuerit in Filio, ista, inquit, est anima mea. Etenim ut homo justus, Dei homo dicitur; ita anima justa, Dei anima nuncupatur & est. *Maced.* Quid igitur est beneplacitum? *Orth.* Verbum, complacuit, Propheta Esaias interpretatur, suscepit, ubi scribit: *Jacob servus meus, suscipiam eum: Israel electus meus, quem benigne suscepit anima mea. Posui Spiritum meum super eum.* (*Es. 42. 1.*) Quæcumque igitur anima hunc, quem ostendo, servum meum suscepit, ea est mea anima. *Maced.* Nos improprie Patrem ista loquutum fuisse dicimus. Neque enim quod animam habeat, dicit: *In quo sibi complacuit anima mea:* neque de anima hominum loquitur, ut tu quidem existimas. *Orth.* Improprie animam Patri tribui concedamus, numquid & de Filio improprie? *Maced.* Etiam. *Orth.* Quid si autem Pater homo dicatur, & si improprie Pater dicitur, num & Filius improprie homo dicetur? *Maced.* Ubi scriptum est Patrem improprie esse hominem? *Orth.* Filius ipse in Euangeliis hominem ipsum vocat. *Mac.* Locum lege, quo ipsum hominem vocat. *Orth.* Quando dicit: *Homo quidam fecit nuptias Filio suo*, (*Mat. 22. 2.*) qualem hominem dicit? Et quando dicit: *Homo quidam plantavit vineam, & locavit eam agricolis*, (*Mat. 21. 33.*) qualem intelligis hominem? *Mac.* In parabola Patrem. *Orth.* Ergone igitur, cum in parabolis Patrem dicat hominem, & in eadem illa parabola seipsum dicat hominem post servos missum, Filium ipsum improprie hominem factum fuisse dixerimus? *Mac.* Absit. *Orth.* Si ergo audierimus faciem Patris, quam puerorum Angeli vident: si item audierimus faciem Filii, quæ in monte resplenduit, & quam minister Pontificis percussit: aut propria utrobique significatione faciem accipiemus, aut hanc quidem corporis faciem, illam improprie appellabimus faciem, quæ est hypostasis. *Mac.* Omnium consensu aliter Patri, aliter Filio tribuitur. *Orth.* Non ergo si improprie anima Patri, continuo & Filio improprie tribuitur. Est hæc Manichæorum insania, docere Filium Dei non fuisse hominem factum. *Mac.* Hominem eum factum confitemur; sed animam assumsisse non item. *Orth.* Non hominem solum dic, sed & carnem factum. Neque enim homo factus est, si corpus animatum non assumsit. *Mac.* Quid ita? *Orth.* Quia corpus exanime, quod ab animæ rationalis communione sejunctum est, non est corpus humanum. Cur autem instar *aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis*, (*Psalm. 57. 5.*) ita vos & Petrum auditis, in Actis Apostolorum dicentem: *Non derelictam esse apud inferos animam ejus, neque carnem ejus sensisse corruptionem?* (*Act. 2. 31. Psal. 15. 10.*) Et Esaiam clamantem: *Si dabitis pro peccato animam vestram, videbitis semen longævum. Et vult Dominus in manu ejus auferre dolorem animæ ejus, ostendere ei lucem, & formare intelligentiam, innocentem efficere justum, bene servientem multis; & peccata eorum ipse portabit. Quapropter ipse possidebit multos,* (*Es. 53. 10.*)

& fortium dividet spolia. Pro eo autem quod tradita est in mortem anima ejus, & inter iniquos reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & propter iniquitates eorum traditus est. *Mac.* Scimus sæpe in Scriptura dici, ipsum habere animam, sed improprie, non vere, dictum est. *Orth.* Quæcumque igitur humana de ipso sunt dicta, qualia sunt auditus, visus, olfactus, vox, gustus, concupiscentia, dolor, stupor, anxietas, obambulatio, figurate, non proprie, dicta fuerint? *Mac.* Imo ea quæ modo recensita sunt, omnia proprie ipsi competunt: sed anima improprie. *Orth.* Nimirum qui illi laboranti, exque ossibus, nervis, venis, arteriis, aliisque membris & partibus compacto corpori se unire dignatus est, is animam non habuit? *Mac.* Quorsum vita opus habuit anima? *Orth.* Et quid carne illi opus fuit, qui patribus nostris etiam absque carne visus est? *Mac.* Carne opus habuit, ut crucifigi posset. *Orth.* Sic anima opus habuit, ut dolere, contristari, ut expavescere, ut apud inferos esse posset. Hoc est enim, forma servi assumta, non in corpore dumtaxat apparere: sed servitutis etiam passiones assumere. *Mac.* Formam servi assumsit, quando carnem assumsit. *Orth.* Forma Dei estne perfecta Dei forma? *Mac.* Etiam. *Orth.* Ergo & forma servi, perfecta servi forma est. Hinc enim & stupor & dolor & angor, quod forma servi perfecta sit. Atque hæc est ovis illa quam qui quærit & invenit, super humeros fert, non ut rem inanem, sed animal animatum, permittens illi, ut passiones habeat, non illas quidem peccati, sed naturæ; ne phantasia esse existimetur, & insaniat Manichæus. *Mac.* Concedamus de anima pulcre te disserere: sed quid causæ est cur cōsubstantialem Filium Patri dicatis? *Orth.* Quia quam dixeris esse rationem substantiæ Patris, eam ipsam & substantiæ Filii esse statuimus. *Mac.* Sed illud non est consubstantiale, sed substantia simile. *Orth.* Simile-substantia, est ut ita dicā, agrestis sapientia; ut si quis dixerit, quod idem sit unius moris, & similis moris, idemq. unius generis, & similis generis, unius gloriæ, & similis gloriæ, unius sententiæ, & similis sententiæ. *Mac.* Nequaquam, sed substantia simile de incorporeis, consubstantiale de corporibus dicitur. *Orth.* Dixi agrestem esse sapientiam: potius quippe dicere vos oportuit, substantia simile de corporibus in quæ cadit similitudo, consubstantiale vero de incorporeis dici, in quæ cadit identitas; nam consubstantiale est ejusdem substantiæ. *Mac.* At consubstantialia præjacentem habēt substantiam. *Orth.* Nequaquam vere dicis: nam consubstantialis est Eva Adamo, neque tamen habent præjacentem hominum substantiam. *Mac.* Sed terram habent præjacentem. *Orth.* Nec tamen ideo sunt consubstantiales, quia ex terra sunt, sed quia eamdem admittunt substantiæ rationem. *Mac.* Verum ego idcirco consubstantiales esse dico, quia ex eadem plane sunt substantia, ex terra nempe. Dic igitur & canes, & serpentes & cūcta cetera animantia hominibus esse consubstantialia; neque solum bruta animantia; sed etiam plantas & si quid aliud ex terra ortū habet. Uno quippe nomine omnia terrena vocantur, sed non eamdem admittunt substantiæ rationem. *Mac.* Ego non sum sectator Aristotelis. *Orth.* Neq. ego. *Mac.* Sed Aristoteles inquit, homonymorum, seu, quorum commune nomen, diversam esse substantiæ rationem. *Orth.* At tu dicis eamdem esse rationem substantiæ hominum, asinorum, boum, equorum & aliorum animantium. *Mac.* Etiam. *Orth.* Eamdem ergo substantiæ rationem habes quam bruta animantia. *Mac.* Etiam. *Orth.* Ego quidem non Aristotelem, sed veritatem consectatus, non dico eorum quorum commune nomen, eamdem esse substantiæ rationem. Neque eadem esse irrationabilia quæ rationabilia. Omnis autem hæreticus *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* [*Psal. 48. 13.*] *Mac.* Abstine a contumeliis inter disputandum. *Orth.* Ego contumeliose non ago, sed illud ex dictis tuis consequitur.

Ejusdem Epistola, Præfationis loco scripta, in qua motuum Ecclesiasticorum Tragœdia.

LITTERARUM studium tuum, veritatisque indagandæ scopum, admiratus sum, o fidelissime Christi serve, (quo te enim digniori compellem nomine?) Eustathi: & tantopere miratus, tantopere victus sum, ut confestim, jussum mihi a te ministerium aggressus sim, promtam mecum adferens voluntatem, etsi vires me deficiant. Qui enim possem fervido studio tuo æquare sermonem? aut debitam veritati implere mensuram, aut mendacii jam turbas agentis exsuperantiam declarare? Verba proferuntur amentiæ atque insipientiæ plena: dicuntur autem summa cum impudentia & arrogantia. Ut exhinc ausint quæ non sunt hactenus ausi; hæreticaque improbitas non clam ulterius & paulatim simplicioribus insidietur, sed quasi nacta in omnes potestatem, ferociter agat, omnibus imperet, leges præscribat, ad placita sua pertrahat, obsequentiam postulet, absque mora damnet, pœnas sumat de studentibus piæ religioni: & hunc quidem contumeliis oneret: illum patria pellat: alii accusationum laqueos connectat: illum dignitate spoliet sua: alium audacia sua dejiciat: alium fastu suo ad suas partes abripiat. Taceo vincula, carceres, mulctas, opprobria, flagella, miseranda cædium spectacula, quæ vel post ipsam experientiam ob atrocitatem nimiam vix creduntur. Hæc porro tragœdia multos Sacerdotes auctores habet. O execrandam audaciam! o intoleranda jura! quibus exordium sacerdotii ac magisterii fuit dulcissimum illud dictum: Pax omnibus: quorum opus est prædicationem circumquaque ferre, multis verbis mansuetudinem commendare, ut obtemperent illi: *Cum mansuetudine erudire adversarios.* [*2. Tim. 2. 25.*] Probe annuntiant illud: *Nos qui fortes sumus, debemus infirmitates infirmorum portare.* Admodum enim sancte observant hæc sapienter a Paulo dicta: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* [*2. Cor. 11. 29.*] Et, *omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam.* Ubi nunc illud: *Ne odio habeatis ut inimicum, sed admonete ut fratrem?* Ubi illud: *Ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur?* [*Hebr. 12. 13.*] Ubi illud: *Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina?* [*2. Tim. 4. 2.*] Indicta causa condemnatio: absq. convictione sententia. Audacia pro fortitudine reputatur: crudelitas zelus vocatur: dolus pro sapientia habetur. Quænam tragœdia quibusvis clamoribus usa hisce gestis par fuerit? Exigua Jeremiæ lamentatio est ad tot tantorumque malorum gravitatem & magnitudinem. At ne videamur ob demonstrationum penuriam planctibus immorari; age ad singula quæ objiciunt, cum veritate simpliciter occurramus. Tametsi factis illi suis, priusquam verbis convicti sunt: juxta illud divinæ legis dictum: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* [*Matth. 7. 20.*] Fructus porro operariorum hujusmodi hactenus fuit, dissipare, non colligere: persequi, non reducere: dejicere, non excitare: vulnerare, non sanare: odisse non errantes, non quærere errantes. Quod igitur absque mendacio scriptum fuit, id manifeste impletum est: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persequutionem patientur; mali autem homines & seductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.* [*2. Tim. 3. 12.*] Ceterum confutationis nostræ partes subjiciuntur, atque ordine distinguuntur.

I. *Ad-*

I.

Adversus eos qui ex sola multitudine veritatem dijudicant.

Certamina igitur, Deo auspice, adversus mēdacium inituri, ducem & magistrum invocabimus Deum veritatis. Ipse enim est, qui a vanitatis nos mendaciis liberavit. Nunc quidem clamans: *Ego sum veritas:* nunc vero cohortans. *Confidite, ego vici mundum.* Quomodo igitur non miserandi illi, qui vim auctoritatemque doctrinæ, sola multitudine metiuntur: nec considerant Dominum nostrum Christum duodecim discipulos, simplices, illiteratos, pauperes, ignaros, fiducia adversus mundum totum gratis munivisse? sic illos instruens non ut duodecim illos, myriades sequerentur: sed myriades, duodecim illos sequi vellent? Ita semper vincit veritas, quantumvis apud paucos inveniatur. Qui autē quæstionis propositæ rationem dare non audet, nec demonstrationibus instructus est, atque idcirco ad multitudinis confugit pręsidium; is hoc ipso se victum profitetur, ut qui nullum alium confidentiæ habeat locum. Quid multitudinem nobis ingeris, quasi alteram turris exstructionem Deo minitans, ad insanę illius multitudinis exemplum? Ostendat mihi illa veritatis decus, proxima hęc via erit ad persuadendū. Multitudo autē sua auctoritate sine demonstrationibus comprobās, est illa quidem idonea ad incutiendum metum: sed ad persuadendum, nullo modo. Quot enim myriades mihi persuaserint, ut diem noctem esse statuā? ut æreum numisma pro aureo agnoscā & accipiā? ut apertum virus pro congruo nutrimēto sumā? Deinde rerū terrestrium gratia non curamus multitudinē falso nominatorū & in cęlestibus dogmatibus nulla demonstratione fultum sequar nutum, ab iis scilicet discessurus, quæ magno consensu, multisque Scripturarum testimoniis jam inde ab antiquissimis temporibus sunt tradita? Annon audivimus Dominum dicentem: *Multi sunt vocati, pauci vero electi?* (Mat. 22. 14) Et iterum: *Angusta est, & stricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam?* (Matth. 7. 14.) Quis igitur sana mente præditus non malit in paucorum esse numero, per angustam ad salutem ingredientium; quam multorum per latam ad interitum ruentium? Quis vero si ætas sua in tempus certaminis sancti Stephani incidisset, non ab illius potius stare partibus exoptasset, qui solus lapidibus obrutus, solus omnibus deridendus fuit propositus, quam a parte vulgi ex prava turbæ auctoritate veram fidem æstimantis? Major honos habendus est, vel uni probatæ fidei viro: quam decem aliorum millibus, qui se insolentius jactitant. Cujus rei exemplum in veteri quoque Testamento invenire est; ubi aliquot hominum millibus clade divinitus immissa occumbentibus, solus Phinees stetit & Deum placavit, cohibitaque est clades. Quod si dixisset ille: Quid quis adversus tantam, sibique ipsi consentientem ausit multitudinem? qui calculo meo improbabo quam illi delegere vitam? non sane aut fortiter se gessisset aut repressisset malum: non reliqui salvi fuissent, non sua eos benevolentia Deus fuisset dignatus. Operæ igitur pretium est, ut sive unus vir probus libere agat & loquatur, sive pravus multorum consensus solvatur. At tu, si lubet, Noe servato demersam multitudinem antepone: mihique concede, ut ad arcam paucorum receptaculum adcurram. Tu si placet cum turba Sodomis sociare; ego Lotho comes ero viæ; etiamsi solus ipse pro salute sua se se a turba segregarit. Ceterum mihi nihilominus veneranda multitudo, non illa quæ disquisitionem fugit, sed quæ probationem adfert: non quæ acerbe pugnat, sed quæ paterne corrigit: non quæ gaudet novitate, sed quæ paternam servat hæreditatem. Tu vero qualem mihi multitudinem nominas? Eam nimirum, quæ adulatione & muneribus conducta est: eam, quæ imperitia & inscitia abrepta est: eam, quæ lapsa timiditate & metu: eam, quæ momentaneam peccati voluptatem vitæ præfert æternæ: id quod multi palam sunt confessi. Multitudine mendacium roboras? Mali vehementiam innuis. Hoc enim major est calamitas; quo plures malo sunt implicati.

II.

Adversus eos qui nec quærendum nec loquendum ex Scriptura præcipiunt: sua ipsi fide contenti.

Nullius ergo pretii esse inconsideratum multorum consensum, ne adversarios quidem inficiaturos arbitror. Nunc ad reliqua nobis progrediendum est, confutandaque eorum audacia, qui omne sacrarum litterarum studium supervacaneum esse contendunt: tum quod propria cuique fides sufficiat; tum quod inquisitio obscuriores nobis res ipsas reddat. Agnoscunt scilicet isti ipsi sui dogmatis infirmitatem. Nos vero & mysterii veritati & ejus qui verissime dixit: *Omnis qui quærit invenit*, (Matth. 7. 8.) auxilio confidentes, & quærimus ut oportet, & inveniemus quæ oportet, & demonstramus quæ dicimus, & ad verum scopum sermonis attendimus; ut & domesticis persuadeamus, & adversarios refellamus, & nosmetipsos per inquisitionem lucrifaciamus; ut denique non inconstans dogma proponamus. Scripturas negligam? unde ergo cognitio? Cognitionem relinquam? unde Fides? clamat Paulus: *Quomodo credent, si non audierint?* (Rom. 10. 14.) Et iterum: *Fides ex auditu: auditus vero per verbum Dei.* (Ibid. 17.) Igitur qui verbum cohibet, auditum obstruit, & fidem expellit. Romanas leges sine periculo nemo ignoraverit. Quas ergo parant insidias qui magna cælestis Regis oracula meditari atque ediscere prohibent? Scriptura est animæ cibus. Desine vero, o homo, fame internum hominem necare, diramque, non panis & aquæ, sed audiendi Verbum Domini, famem attrahere. Est qui infligat vulnera, & tu medicinam non vis adhiberi? Desine variam medicinalium libellorum sapientiam vanitatis nomine evulgare. Reverere Eunuchum illum lectionis studiosum, (Act. 8. 27.) universis reginæ opibus præpositum, qui ne in itinere quidem lectionem intermittebat, cujus propositum approbans Dominus, statim illi doctorem misit, qui lectioni interpretationem adderet, & Scripturæ illum auctoritate ad Salvatorem perduceret. Quamobrem ipse præcepit, *Scrutamini Scripturas*, (Joan. 5. 39) scrutationem vocans diligentem attentamque occultorum inquisitionem. Ex Scripturis sanctis est occultorum declaratio, spei firmamentum, promissionum eventus, Salvatoris inventio. *Invenimus illum, de quo scripsit Moses & Prophetæ.* (Joan. 1. 46.) His vocibus & Paulus ad stabiliendam veritatem usus est. Quod si Paulus qui audivit arcana verba, arcanorum ille mysta, qui Christum in se habuit loquentem, privata auctoritate, citra sacrarum litterarum testimonium, usus non est; qui non periculosum nunc fuerit curam divinæ legis abjicere, & cordis nostri opiniones proferre? Sed sunt nonnulla quæ captum nostrum superant. Idem & ego fateor, & hoc ex Scriptura didicimus, ut sciamus quærenda quædā esse, ut quæ apprehendi possint. Ut enim audacter omnia perscrutari pium non est: ita omnem prorsus inquisitionem negligere, non est sanctum. Quid porro adoremus nosse omnes oportet, secundum id quod scriptum est: *Nos adoramus quod scimus.* (Joan. 4. 22.) Quærere autem quantum, qualiter, quomodo, ubi

insa-

insanientium est. Verum qui ipsi de suis dogmatibus pronuntiare volunt, a Scripturis alios deterrent, hoc quidem obtentu, ne temere ad inaccessa videamur velle penetrare; re autem vera, ne hæretica sua dogmata falsitatis ex iisdem convincantur. Quod si videant, petitis e Scriptura demonstrationibus stultitiam suam impediri; tum Scripturarum scopum pariter & loquendi usum invertunt: sin verbum aliquod nudum suo prodesse instituto intelligant, id ipsum a genuina orationis serie rescissum, ad proprias causæ suæ demonstrationes pertrahunt: non apto sensui attendentes; sed vi syllabas ad perversissimas suas artes detorquentes, quod etiam fa- *Joan.* 1. 14. ciunt in illo: *Verbum caro factum est*.

III.

Adversus eos, qui maligne nobis objiciunt illud, Verbum caro factum est.

Multa ab iis qui a veritate, sive per contentionem, sive per ignorantiam exciderunt, ad fallendum excogitata sunt: illud autem dictum quod supra naturæ fidem, nec satis laudandum est, *Verbum caro factum est*, & veteres hæresum propugnatores selegerunt; & nostri hodie Antagonistæ, tamquam inexpugnabile, ut ipsi quidem putant, propugnaculum nobis objecerunt; hoc scilicet molientes, ut inde in Orthodoxos incurrere, omnes eorum impetus propulsare, & quæstionis hu- *Joan.* 1. 14. jus laqueis multos irretire possint. Nam, *Verbum caro factum est*, interpretantur, Verbum in carnem conversum, suscepit passionem. Quis non istam verborum horreat vesaniam? Quæ scripta sunt ea resecant, quæ vero scripta non sunt, innovarunt. Idem e- *Joan.* 1. 14. nim qui dixit: *Verbum caro factum est*, subjunxit & illud, *Habitavit in nobis*, ut duplicia statim agnoscamus significata, Verbum & Carnem: illud quod habitat, & illud in quo habitatur; & immutabili substantiæ nec mutationem, nec alterationem, nec simile quid assignemus. Alioqui enim dixisset, habitaculum factum est, non habitavit in nobis: siquidem natura Verbi in naturam carnis fuisset mutata. At mutationem ali- *Malach.* 3. 6. quam factam esse in eo qui dicit: *Videte, videte, quia ego sum, & non mutor*, nullis colligere rationibus possumus. Quomodo igitur caro factus, mutatus autem non est? Carni uniri non est in carnem commutari. *1. Tim.* 3. 16. Quæ & causa est, cur dicatur: *manifestatus est in car-* *Hebr.* 2. 16. *ne*, non, *manifestata est caro*. Et, *Semen Abrahæ assumsit*, inquit Apostolus: non, semen Abrahæ immutatus factus est. Et, *Templum habuit corpus*, non in tem- *Phil.* 2. 6. plum conversus est. Et, *cum in forma Dei esset formam servi assumsit*, non forma servi factus est. Quod si quis contentiosus, nolit quæ Deum decent cogitare, sed pia rejecta mente syllabis inservire, omniaque petere quæ petenda minime oportet: noverit ille, se, aut multo sapientiorem esse, suo judicio, Spiritus sancti gratia, nec admittere profectam inde legis sanctionem, quæ tot sacris, quæ paulo ante commemoratæ sunt, vocibus, verbi nobis vim liquido explanat, aut audacter bellum sacris oraculis movere, & dogmata sancta, ut sibi ipsis opposita, condemnare: si *Joan.* 1. 14. *Phil.* 2. 6. modo dicta ista inter se pugnant: *Caro factum est*: Et, *Formam servi assumsit*. Sed apage perverse homo. Nec enim mutatur divinitas, nec secum pugnat Scriptura sacra. Hæc enim auditori veritatis cupido semetipsam interpretatur: recte intelligi facile potest, sibique ipsi consentit. Hanc itaque piam sententiam, divini nobis libri tradiderunt. Vox autem *Factum est*, ideo scripta est; non ut Verbi divini conversionem cogitaremus: sed ut summam sic unionem cognosceremus; quandoquidem & peccatum non quidem fecisse, sed factus fuis- *2. Cor.* 5. 21. se dicitur: *Eum enim, qui non novit peccatum*, ait Scri- A ptura, *pro nobis peccatum fecit*; non quod Verbum vel in peccati operationem fuerit cõversum, vel peccatum fecerit; sed quod nostra peccata sumpserit, eadẽq. sustulerit: juxta illud: *Ipse enim peccata nostra tollit*. Quem- *Es.* 53. admodum igitur peccatum & maledictum factus est, sine tamen conversione; ita & caro factus est, non in carnem conversus sed illi unitus. Atque hinc est quod homo quoque per fidem & gratiam Deo conglutinatus, unus Spiritus dicatur. *Qui adhæret Domino*, ait, *1. Cor.* 6. 17. *unus Spiritus est*: non quod homo in deitatis naturam conversus sit, sed quod ejusmodi conjunctio, spiritualem dignitatem ipsi tribuat. Consimili modo, *Verbum* B *caro factum* dicitur, non in carnis naturam conversum, sed carni unitum; quemadmodum homo quoque Deo copulatus Spiritus esse dicitur, non quod substantiam amiserit propriam, sed quod in Spiritus communionem venerit. Quæ sunt adversariorum argutiæ? Quod erat mansit, quod non erat factus est. Igitur aut divisa est natura individua, & pars quidem una mansit, altera mutata est; aut totum mutatum est, aut specie factum est, aut dici illa quidem debent, intelligi non debent. Quis igitur Verbi nihil significantis usus? Verum ut ab initio traditum est, firmum est, & quod dictum est, & quod velut obscurum inde consequitur. C Estque interpretatio perspicua & sententia pia, & quod fieri non potest, expugnari non potest. Nihil hic indecens: nec contradici fide dignissimo plurimorum martyrum testimonio potest. Salva manet & divinitatis immutabilitas, & passio templi ut vocant; non vero suscitantis illud Dei. Quid quod secundum istos, ne Mater quidem fuerit Virgo. Si enim Verbum seipsum fecit carnem, non ex illa carnem assumẽdo prodiit. Quomodo enim Mater, cujus quod natum est, nihil secum adfert? Quomodo partus dicatur, extraneus ille quasi per canalem transitus? Non igitur Matrem, sed vas D faciunt Virginem sanctam. Quin ne hoc quidem perspiciunt, se dictum illud, *Verbum caro factum est*, contra sematipsos torquere. Si enim aliud Verbum, aliud caro; duo sunt, non unum. Si Verbum & caro idem sunt, corruit vox *Factum est*. Neque enim Verbum factum est Verbum. Quod vero unum quoddam est aliud quid non est factum. Igitur necesse est, ut vel illud, *Factum est*, proscribamus, vel duas esse naturas affirmemus. Vocabulũ enim *Factum est*, dicitur quatenus revera apparuit, ut ii qui vidissent certiores fierent, qui scilicet tum temporis Deum Verbum, quod minime videbatur, ignorarent. Ut si quis dixerit: Pastor ille de E viro in ovem mutatus est, nempe quatenus revera ovem induit, non necessitate quadam naturæ involuntaria; sed consilio dumtaxat & sponta sua.

IV.

Adversus eos qui unam in Christo naturam esse dicunt.

Postquam igitur duo esse Verbum & carnem demonstratum est, quid est cur duarum conjunctionem naturarum quidam rejicere non dubitant? qui bellum F Scripturis sanctis inferunt, naturam nulli obnoxiam injuriæ contumeliis adficiunt, divinam incarnationem generi hominum universo invident, respuunt omnem de illa editam prophetism, qui duarum unionem naturarum dissolvunt. Quæcumque humilius de Christo dicuntur, ea carnis applicata naturæ, falvam Verbi gloriam conservant. Carne sublata, in Verbum omnia concurrant necesse est. Omnis hominibus spes est & fiducia ex Verbi eum primitiis nostris unione. Qui vero Verbum dicunt in carnem esse mutatum, illi & gloriationem generis nostri ad nihilum redegerunt, & præclaram nostram spem in-

fir-

firmiorem reddiderunt. Nnn amplius gloriatur Abraham: noo amplius exsultat David: promissa ad illum facta, mendacia erunt, si quidem Christus secundum carnem de fructu ventris ejus non exortus est. At enim Deus Verbum semetipsum earnem faciens, suo nos adventu dignatus est. Qunmodo igitur non pudet eos contra Scripturam sanctam bellum facere, hominibus invidere, in Deum ut passibilem blasphemare, promissinnes ejus mendacii arguere, imo noo hoc tantum, sed & Deum ipsum, qui mentiri nescit, (Psal. 131. 11.) perjurii accusare? *Juravit enim*, inquit, *Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris ejus sessurum super ipsius throno*. Cum ergn nihil carni de substaotia sua David dederit, sed ex Verbo, novo quodam modo facta sit, una natura est in Domino Christo, qui nihilominus aut Dominus aut filius Davidis intelligendus est. Duo enim illa, una eademque natura non admittit. Si Deus tantum, noo proprie Filius: quippe qui originem substantiæ ab ipsn non trahit. Nec vero germanus filius, qui nullam substantiæ ejus qui Pater dicitur partem habet.

V.

Adversus eos qui dicunt carnem confiteri naturam, esse Quaternitatem pro Trinitate dicere.

Rursum eadē adversarios improbitate in aliis agere disputationibus video. Nam cum supra simpliciter dixissent: Qui duas in uno Christo formas, Dei & servi considerarent, eos duos filios inducere: nunc rursum Quaternitatem illos prædicare calumniantur, qui natura carnem sursum evectam credunt. Hoc porro dicunt sua freti auctoritate non autem ex quadam consequentia. Quamquam non tam illis nobiscum res est, quam cum Sanctis omnibus qui eadem per Spiritus sancti gratiam prædicarunt. A quibus nos illustrati sinceram in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti confessionem didicimus, & œconomiam Incarnationis duarum unionem naturarum cognovimus. Qui vero humilia omnia ipsi Filii deitati volunt tribui, tollunt carnis naturam: ut hujus passiones necessarin adscribantur Deo Verbo, conversn illi quidem prius in carnem, sed ea, quæ carnis sunt, rursum patienti. Atque hac de causa crimen fidelibus impingunt, quæ sibi videntur sua solum auctoritate adstruentes. Sane si carnis eamdem esse quam Patris, Filii & Spiritus sancti substantiam professi sumus umquam, Quaternitatis nomen jure nobis objicitur, quippe qui eamdem in quatuor personis essentiam cootemplemur; sin quod res est dicimus: coosubstantialem Patri esse Filium, consubstantialem item Spiritum sanctum: carnem vero ad œconomiæ complementum, non substantiæ incrementum susceptam: qua illi ratione accessionem numeri ex carnis natura fabricant, adeo diversam, ac si alia consubstantialis persona esset, superinducentes; neque id tamen carne in se ipsa considerata, sed in Inseparabili cum Deo Verbo conjunctione agnita: ut ea neque amplius videatur separata, neque ut consubstantialis reliquis personis pari modo annumeretur. Nnster igitur sermo Incarnationem profitetur, Quaternitatem, ut dixi, non inducit, & Verbi tuetur impassibilitatem, & Scripturis uoiversis consentit. Adversariorum vero doctrina & fidem omnem iis quæ ab initio scripta sunt negat, & carnis assumtionem rejicit; deoique aut Verbum Deum mutatum & passum, aut ficte gesta suisse omnia liquido declarat. Quod si ideo carnem necessario nobis in Quaternitatis numerum ducunt adsciscendam, quod per mediatricem purissimam carnem multa nos beneficia accepimus & accepturos deinceps speramus; restat ut togam illam, cujus oram ubi cum fide tetigisset illa fontem sanguiois circumferens mulier, saoitatem furata est, in memoratorum numerum adscribere, & quintum aliquod, in prædicatione gloriosa illa, togam inducere: non illam quidem ut pari cum unitis naturis modo honoratam, sed ut ad stupendi operationem miraculi adscitam. Cum igitur taotam a purissima carne gratiam accipiat toga, mulierique impertiat, nec tamen gloriosæ celebrationis numerum augeat, nos quoque carnem illam divinam omnipotenti Verbo ioseparabiliter ooitam honorantes, salutem quidem nos per illam consequi profitemur: sed Trinitatis numerum salvum retinemus, cum unum sit caro cum Verbo; tum propter inseparabilem unionem, tum propter indivisam adorationem. Sed quæcumque divinæ naturæ non conveniunt, ea potentiæ Dei ad adstruendam absurdam suam opinionem adscribunt, Pauln diceote: Deum non posse mentiri, nec seipsum negare. Quæ vero & Deo convenientia, & salutaria, & divina, & in hominum gratiam facta sunt, ea impossibilia esse dicunt: neque id divinæ sapientiæ concedunt, ut possit carnem sumere, quio faciat Quaternitatem. Ita nimlrum illi contentinsi sunt, ut absurda quidem sua commenta confirmare nitantur dicendo, omnia posse Deū; quæ vero pie a sacra Scriptura prædicantur, non admittant ut vera, ut possibilia, ut utilia; sed ex iis quæstionum laqueos nectant, nec omnium creatoris potestati ea tribuant quæ captum superant humanum.

VI.

Adversus eos qui dicunt, Christum Dominum, ut hominem agnoscere, esse, in hominem spem suam habere.

At illi non contenti tam absurdis impudentibusque propositionibus, aliam multo impudentiorem sententiā addidere, dicentes, in hominem spem illos habere, qui Christū secundum utramque naturam Deū & hominē esse confitentur: super his percootari illos operæ pretium fuerit. Aut sanctis obtemperare Scripturis oportet, aut secundum illos non oportet; Si oportet, id ex Scripturis didicimus, illas ergo incusent; si dicant, non oportere, palam ergn faciant suum in sacros libros irreconciliabile bellum, nec ullus nobis cum illis, utpote extraneis, sit sermo. Ex Scripturis audivimus: *Homo in plaga constitutus, & sciens ferre infirmitatem*: (Esai. 53. 3.) Et quod Filius sit hominis: *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem loquutus sum vobis*. (Joan. 7. 19.) *Unus Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus*. (1. Tim. 2. 5.) *Primus homo ex terra terrenus, Secundus homo Dominus ex cælo. Primus Adam, ultimus vero Christus. Per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum*. (1. Cor. 15. 47.) (1. Cor. 15. 21.) Hæc tot taotaque verba, ac multo plura npera sūt, quæ testimooium reddant. Natus est iofans, pannis involutus, lacte nutritus, circumcisus secundum legem, profecit ætate, sapientia & gratia, famem expertus est, sitim non ignoravit, labores sustinuit, perturbatinnem, anxietatem animi, & dolorem expertus est, per omnia assimilatus est fratribus excepto peccato. Flagellis cæsus est, actus in crucē, clavis confixus, mortem gustavit, sepulturæ traditus est, descendit anima ejus ad inferos, & cum ibi detineri non posset, reddita est corpori, & facta resurrectio est: hinc palpatio & contrectatio iocredulorum, deinde sumtus cibus est, qui resuscitati corporis fidem faceret: deinde assumtio in cælum multis videntibus. Tot tantaque sunt Scripturarum testimonia, tanta rerum gestarum certitudo, tot tantaque nobis bona œconomia

conciliat. Et præcipiunt tamen ut hæc omnia despicia- A mus, ac contra isthæc tanta & hujusmodi procedamus, hisque demonstratam testimoniis humanitatẽ non secundum naturam confiteamur; humanitatem vero non nudam. Ad hæc restat ut Apostolicam opponamus vo- *Act. 4. 19.* cem: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*. Cum igitur humanitas divinitati ineffabiliter & inseparabiliter unita sit, ita quidem, ut idem & infans videatur, & *Esa. 9. 6.* Deus agnoscatur, *Puer*, inquit Propheta, *natus est nobis, & Filius datus est nobis, & vocatur nomen ejus, magni consilii Angelus, admirabilis consiliarius, Deus fortis*. Fasciis circumscribitur: sed nullis circumscriptum terminis imperium in creaturas universas exercet. In B præsepe ponebatur, sed Angelorum celebratus hymno glorificabatur: famem & sitim toleravit, sed ex quinque panibus aliquot hominum millia saturavit, & superantia duodecim canistrorum fragmenta, prout voluit, ostendit. Ut paucis rem complectar: mortem degustavit, sed eum qui mortis imperium tenebat destruxit: ac in cruce quidem, dum pateretur, corpus ejus pendebat; qui vero in illo erat Deus Verbum, is suam nullis passionibus obnoxiam potentiam ubique declarabat. Move- C batur terra, scindebantur petræ, occultabatur Sol, velum rumpebatur, aperiebantur sepulcra, resurgebant mortui novi ruptorum mortis vinculorum præcones: creaturæ denique universæ invisibilem crucifixi deitatem nuntiabant. Qualis igitur superenit excusatio, si tanta salute neglecta, tam certis testimoniis contemtis, novis contentiosorum hominum opinionibus adhæserimus? Verum quod omnibus modis Christum Salvatorem deceat agnoscere Deum pariter & hominem, secundum utramque naturam, licet nos tacuerimus, lapides clamabunt. Quod vero non in homine simpliciter spem suam habeant repositam, qui D sic sentiunt, operæ pretium est, perspicue demonstrare. Tametsi si qua suborta est quæstio, aut solutionem ejus quæsitam oportuit, aut inscitiam fateri propriam, nec a Scriptura discedere. Jam porro facile est congruam invenire rationem, quare in carnalem, hominis facti (Verbi) adventum, in salutarem Domini œconomiam, spem reponamus nostram, dum invisibilem Deum Verbum per visibilem carnem cognoscimus, & per ejus passionem impassibilitatem accipere credimus: omnia autem gesta deitati cum carne conjunctæ adscribimus, & ita unam adorationem incarnato & homini facto Deo Verbo adserimus. Neque E enim mulier illa quæ fimbriam contrectavit, in fimbriam spem habere deprehensa est, sed in potestatem invisibilem ejus qui erat vestimento indutus, cujus erat fimbria. Neque is qui sputo fuit a cæcitate sanatus, in sputum habuit fiduciam; sed in invictam ejus potentiam qui jussit illum ita medelam accipere. Nam qui hodie ad sanctum altare accedunt, ipsumque amplectuntur, ac cum timore & gaudio salutant, non in lapidem aut lignum temere innituntur, sed in gratiam per lignum & lapidem a sanctis viris memoratam. An tu eos, qui tempore beati Moysis visu exaltati ænei serpentis sanati sunt, serpenti F salutem commisisse suam calumniaris? Quod si mysterii imago tantam per serpentem efficientiam exhibuit; quanto majorem ipse gratiæ prototypus per hominem tibi adferet, quemadmodum fidelibus varia *1. Cor. 15. 21.* adtulit beneficia, juxta illud: *Quemadmodum per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum*.

VII.

Adversus eos qui dicunt, impassibiliter passus est Deus Verbum.

Postquam multas atque contortas propositiones pro facultate confutavimus; ad præsentem nescimus quid A respondeamus. Cum jocari quidem non sit animus, ad ludicra tamen & ridicula confutanda vel inviti cogimur, quorum vel simplex mentio risum moveat. Passus est impassibiliter; o inconsideratam sapientiam! o ludicram doctrinam una ædificantem & destruentem, ut videre pueros est in arena ludentes. Passus est impassibiliter: antequam audiam illud dictum quid significet, passus est, obliviscor: nam quod adjicitur, impassibiliter, non admittit mortem, sepulturam, & resurrectionem, quę salutis nostrę summam complectuntur. Nam si passus est, quomodo impassibiliter? Si impassibiliter, quomodo passus est? Loquamur sine B loquela, intelligamus sine intelligentia. Quis vidit unquam cadentem sine casu, excitatum sine excitatione, laborantem sine labore, prudentẽ imprudenter, loquentem sine loquela, utilitatem adferentem inutiliter, solutum insolute, ut dicamus, passus est impassibiliter? Quæ tanta hęc dementia? quę furoris perseverantia? quis amentię stupor? De tremendo nimirum mysterio verba proferre, amplam risus materiam moventia? polliceri rationi congrua, & a ratione alienissima proferre? ita respondere, ut videare non respondisse? in- C terpretationem exhibere re explicanda obscuriorem, & majoris dubitationis matrem? Qui fit quod sanctorum nemo tam alta contemplari, nec illo tantopere celebrato verbo uti potuit, passus est impassibiliter? Ipsę sacrę litterę tot versibus distinctę quid est cur magnificam hanc revelationem nos minime docuerunt? Paulus in tertiũ cęlum ascendit, & arcana verba in paradiso audivit, sed hujusmodi nihil pronunciavit. An vero, relicta ipsis eorum, quę captum omnem superant expositione, non dixit, passus est impassibiliter, sed *ex iis*, ait, *quę passus est, didicit*: Item, *tentatus est* *Hebr. 4. 15.* D *in omnibus similiter*? Qua voce, *tentatus est*, verba ejusmodi nugatoria jamdiu sustulit. Nam qui in omnibus ad similitudinem tentatus est, is aut passus est non impassibiliter, ut firma maneant illa, *in omnibus similiter*, aut alios quoque impatibiliter pati ostendit, ut servet eam quam cum illis habet similitudinẽ. Quamobrem alterutrum est profitendum, aut vere passum esse Salvatorem nostrum, aut alios quoque impatibiliter passos, ad quorum similitudinem Dominus tentatus fuisse prędicatur. Quę porro patientię demonstratio ex eo quod impassibiliter patiatur? Quomodo dicitur patientia Christi, si nullum doloris sensum per- E cepit? Qua ratione ostenditur ejus erga homines ineffabilis & incomparabilis amor, si absque laboribus passio fuit? Quis pati recusaverit, non modo pro amicis, sed etiam pro adversariis, si pati liceat impassibiliter? Quid erat ergo quod Dominus diceret: *Spiritus prom-* *Mat. 26. 41* *tus est, caro autem infirma*, si passionem absque dolore experturus erat? Quę causa erat quod ad Patrem clamaret: *Pater, si possibilę est, transeat a me calix iste?* *Ibid. 39.* Quare supplices preces cum vehementi clamore, & lacrimis ad eum qui se a morte eripere posset offerebat? Aut igitur vera illa omnia credenda, & passionem veram fuisse confitendum est; aut passionem illam sine F passione, necesse est reputare speciem plane, fictionem, & phantasiam fuisse. Si non vere passus est, nec vere utique resurrexit. Si revera non gustavit mortem, nec stimulos mortis restinxit; adhuc in peccatis sumus nostris, adhuc mors omnibus dominatur, adhuc ab hęreditate sumus alieni. Si namque ficta mors, si mendax testamentum; nec vera erit hęreditas. Hęc nobis lex pronuntiat: *Testamentum in mortuis confir-* *Hebr. 9. 17.* *matum est*. Si ergo is vere mortuus non est qui novum Testamentum nobiscum iniit, irrita sane quę in Testamento sunt, rejectique ii qui hęredes sunt vocati. Sed apage ejusmodi vesaniam, o homo. Nam qui Testamentum pepigit, mortuus est, & ratum est Testamentum, hęreditasque proposita credentibus, ac

sup-

ſupplicium ſycophantis paratum. Reperiuntur namque complures contra Deum falſi teſtes, qui dicunt eum ſuſcitaſſe Chriſtum a mortuis, quem non vere mortuum excitavit, ſi quidem paſſus eſt impaſſibiliter. Et clamante Paulo paſſibilem eſſe Chriſtum, Pauli adverſarii contra clamant, illud, *impaſſibiliter*, proferendo.

VIII.

Adverſus eos qui dicunt: Paſſus eſt Deus, ut voluit.

Qui ſecundum legem iter peragere volunt, curantque omnem effugere errorem, quidvis potius mali eligent, quam vel tantillum a via publica deflectant. Eodem prorſus modo qui per viam dogmatum veritatis volunt incedere, veſtigiis inhęrent eorum qui numquam in itinere errarunt. Ubi autem Regię vię ſigna accurate edidicere, ſolicite ſibi cavent ab omni diverticulo: toti vero ex veritatis partibus conſiſtunt. Cum ab hoc igitur ſcopo ii aberrarint qui adverſaria nobis dogmata tradunt, veſtigia quidem orthodoxorum Patrum amiſerunt, nec non Theologorum virorum (qui viam commonſtrarunt) indicia depravarunt, multaque diverticula inſequuti ſunt, cum olim ab aliis adinventa, tum a ſe nunc excogitata, cujuſmodi eſt abſurda iſta vox, Deus paſſus eſt ut voluit. Cum enim naturam paſſibilem minime demonſtrare poſſent, de voluntate falſa ſpargere non dubitarunt: ac de natura interrogati de voluntate reſpondent. Si paſſionis capax eſt natura, locum habeat voluntas. Quod ſi vel ſexcenties talis voluntas fuiſſe concedatur, non poterit tamen naturæ lex inverti. Qui non inſania fuerit, dicere, paſſus aſt ut voluit? Aut quis eorum qui recte ſentiunt, non perſpicit, oportere voluntatem cum natura conſentire: neque debere hanc ad illud declinare, illam ad aliud vergere; ſed manere quidem naturam in ſuis terminis, velle autem naturam quod ipſam naturam & intelligentiam deceat: ita ut ſi quis dixerit eam aliud quidem habere, aliud velle, is pugnam inducat & bellum; cum hæc illa aggrediatur quæ minime oportet; illa minime recipiat quæ ſibi non conveniunt. Id enim in quod paſſio cadit, velit nolit, paſſioni obnoxium eſt. Quod autem ex ſua natura paſſionem non admittit; etiam ſi quis conceſſerit velle illud pati, quod tamen fieri nequit, quis deducet ad illud admittendum, quod ſubſtantia ejus minime capit? Omne animantium genus firmam naturæ ſuæ ſervat legem, atque ut ab initio factum eſt, ita remanet ſemper, nec umquam voluntas ordinem ſubvertit. Quamvis ſexcenties homo, avis eſſe vellet; irrita voluntas eſt, quia vincit natura. Etiamſi velit alicujus bruti animam habere, deridetur voluntas, neque res illa completur. Præterea quælibet natura eſt a tyrannide libera, eſtque omni adverſa voluntate ſuperior. Num ſola immutabilis immortaliſque Dei ſubſtantia voluntatem admittit contrariam, & vincitur a voluntatis neceſſitate? O rem miram! quę quamlibet ſubſtantiam in propriis continet limitibus, ea impaſſibilitatis terminis tā facile dimovetur, nec tantum habet qui creavit omnia, quantum creaturę dedit. Sed unde tandem compertum fuit eum id voluiſſe, Propheta non dixit, Apoſtolus non prædicavit; ſed qui pro nihilo habent omnia contemnere, ii ſoli inſolentem illam ferre legem temere aggrediuntur. Neque illud, *paſſus eſt*, legimus, neque id, *ut voluit*, invenimus. Quis enim Sanctorum, aut eum pati vidit qui impaſſibilis & inviſibilis eſſet, aut ejuſmodi voluntatem cogitavit? O audaciā hominum! ſupra inviſibiles poteſtates exſilire! Quis tranſcendit cælum? Quis tranſgreſſus eſt Thronos, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes? Quis ſupra Seraphim volavit? Quis ea vidit quæ ipſis ſunt inviſibilia? Quis naturam Dei intellexit ita velle, & pati ea quæ a Scripturis non ſunt declarata? Neque illud, *paſſus eſt*, dicitur; neque id, *ut voluit*, ſcriptum eſt. Audivimus: *Quæcumque voluit, fecit*, [Pſal. 134.6.] quod autam paſſus ſit, ut voluit, nuſquam didicimus. Cur itaque ad confirmationem quod occultum eſt adſerunt? Dementiæ acceſſio hæc eſt; non veritatis demonſtratio. Sed paſſus eſt Chriſtus ſecundum mortalem carnem, non ſecundum immortale Verbum.

IX.

Adverſus eos qui dicunt, ita accipiendas eſſe (Scripturæ) voces, ut non conſideretur quænam illæ ſignificent, cum omnium captum excedant.

Vix reperti ſunt qui omnia quæ ad homines attinent evertere contenderent, ac ſatagerent ut homines non ultra rationales eſſent, neque ea quæ naturaliter bona ſunt accurate ediſcerent; quique dicerent omnibus perutile aſſe, ut ſimpliciter & abſque prævio examine, ſacrorum librorum voces acciperent; nulla habita conſideratione vel correctione, nec juxta pium ſcopum quo dictæ ſunt. Nam ſi, ut jubent illi, eorum ſignificationes quis non expendat, ſimpliciterque & abſque prævio examine quæ dicuntur auſcultet: reſtat, ut Prophetæ & Apoſtoli auribus noſtris fruſtra perſonent, ac quivis ſermo inutilis & inefficax permaneat, auditoreſque in cordium ſuorum penetralia nihil fructus tranſmittant. Sic enim præcipiunt auribus quidem audire, corde autem non intelligere, nec dictorum conſequentiam perpendere, juxta illam comminationem: *Auditu audiatis, & non intelligatis*. [Eſai. 6. 9.] Quamobrem ad illud: *Verbum caro factum eſt*, audiendum compellunt, nec pie intelligere permittunt, quaſi qui poteſtatem habeant cujuſque mentem arbitratu ſuo trahendi, non ad id quod decorum & utile aſt. An Verbum audiam, nec congruentem ſenſum requiram? Ubi igitur aut ſermonis conſequentia, aut auditoris utilitas? Fortaſſis & ad brutorum morem homines mutari præcipiunt, ſiquidem verborum ſonos auribus quidem percepturi ſunt, ex ſenſu vero nihil fructus animo admiſſuri. Non hæc Paulus juſſit, hujuſmodi ſcilicet rerum doctor, neque vult ut quidpiam admittatur ſine ratione & judicio: ſed quomodo? *Perfectorum eſt ſolidus cibus, qui propter habitum ſenſus habent ad boni malique diſcretionem exercitatos*. [Hebr. 5. 14.] Perfectionem ſuadet, exercitationem laudat, pervigilem boni malique diſcretionem ſuadet. Qua ergo ratione quis poterit recte diſcernere, ſi dictorum intelligentiam non acceperit? Sicut enim qui morbo corporis laborat, germanum ciborum guſtum non experitur, neque accurate percipit cujuſque qualitatem; ita & homo qui ſive ex ignavia, ſive ex animi ſtupore, inexercitatos habet animi ſenſus, deguſtat quidem verba; ſed nec eorum vim ſentit, nec cogitationum cognoſcit rationem: ac more brutorum ſtulte omnia & incaute admittit, damnoſa & utilia, ut ſe forte offerunt, recipiens, nec mundis quidem animalibus annumerari poteſt: quippe qui non ruminet, nec comminutum rationalem cibum in interiorem hominem tranſmittat; ſed indigeſtum illum atque incongruum abſumat, potiuſque detrimentum ex vitio demiſſi cibi, quam quid boni ad vitam confirmandam percipiat. Aut quis ignorat, eum qui vocatus ſit cœnatum ad menſam magnatis, quæ appoſita ſunt ſpiritualiter conſide-

ſiderare juberi a divina lege? Similiter & verba ſenſu nuda abripienda non ſunt, ſed accurate conſiderandum quid Deum deceat, quid nobis conducat, quæ ſit vis veritatis, qui conſenſus in lege, quid naturæ congruens, quæ ſit germana fides, quæ ſpes firma, quæ inviolabilis caritatis ſinceritas, quæ ſit gloria nullis obnoxia contumeliis, quid ſit invidia ſuperius, quæ dignitas gratiæ: quæ omnia piis quidem inſunt cogitationibus, ut in explicatione dicti, *Verbum caro factum eſt*, explanavimus; ſed deſunt ſcilicet in abſurdis illis innovationibus, quæ ad ejuſmodi vaniloquentiam neceſſario confugiunt. Summa hujus orationis eſt: qui dictiones excipit, nec ſignificationem earum ediſcit, qui intelliget ea quæ primo intuitu inter ſe pugnare videntur? Quomodo congruentem inveniet ſolutionem? Quo pacto interrogantibus reſpondebit? Quo-
Coloſſ. 4. 6. modo cuſtodiet illud quod ſcriptum eſt: *Scire quomodo oporteat nos unicuique reſpondere?*

X.

Adverſus eos qui dicunt, paſſus eſt Deus Verbum carne.

Mirari ſubit, quæ cauſa ſit, cur tot & tantas inducentes novitates, inſolentium dogmatum inventores nullarum rerum novandarum ſatietas ceperit; ſed ſi quid inſolens eſt, illud petulanter ad ſimpliciores circumveniendos proponunt, quale eſt quod jam nobis diſquirendum proponitur: *Paſſus eſt Deus Verbum carne*. Hic rurſum multa rationi non conſentanea, multaque abſurda. Rationi non conſentit quod dicitur, alterum alteri pati; abſurdum eſt illud: *Verbum eſt paſſum*. Quod cum nudum abſque velamine proferre non auderent, adjecerunt illud, *carne*, & quaſi turpem faciem, doloſa larva ſententiæ abſurditatem obvelarunt. Si Verbum paſſum eſt, ſibi ipſi eſt paſſum: ſin aliud eſt quod paſſum eſt, nihil ad Verbum, niſi ſola injuria quæ patiente corpore ipſi conjuncto, ad ipſum recurrit Verbum. Dicere autem, *Verbum paſſum eſt carne*, minime ſcriptum eſt, ac improprium, incompoſitumque eſt, nec aliunde conſequitur. Sed quia nullum blaſphemandi finem ſibi præſcripſerunt: illudque, *Paſſum eſt Verbum*, pias aures nullo modo recepturas norunt; verborum vulneribus remedium apponere, addendo illud, *carne*, æquum cenſuerunt: cum ſatius fuiſſet, nec morbum inducere, nec fallax remedium adhibere. Nam abſurdorum commentorum, nullum reperire eſt quod veritati ſit accommodatum; imo potius idem plerumque ſecum pugnat, nec apud probe ſentientes habet ubi conſiſtat. Neque Verbum eſt carne paſſibile, neque caro eſt Verbo impaſſibilis. Sed & caro juxta propriam ſibi naturam paſſionem admittit, & Verbum a ſua ſubſtantia inſeparabile cum ſit, eſt impaſſibile. Si ergo Verbum carne patitur, de carne quid dixerimus? Patitur Verbo, annon patitur? Si non patitur, impaſſibilitas illi adtributa fuit; ſin patitur, utriuſque paſſionem conſtituerunt; ſiquidem, ut ajunt, Verbum quidem carne patitur, caro autem patitur Verbo in propria natura. Sed fortaſſe dicent: Cur ergo dictum fuit: *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem?* Dic Chriſtum paſſum, & eodem recurret nomen carnis. Qui dicit Deum Verbum, ſubſtantiam ſimplicem deſignat: qui vero Chriſtum dicit, is duarum conjunctionem naturarum declarat. Atque ita congruenter explicari hæc loquendi formula poteſt, *Chriſtus eſt paſſus*: quia vox hæc utrumque ſimul ſignificat, & impatibile Verbum, & patibilem carnem, quæ & mortem guſtavit. Unde nec Paulus ait: Ex quibus nudus Deus, ſed, *ex quibus Chriſtus ſecundum carnem*; ut oſtendat eum, cujus meminit, ſecundum quidem

A carnem ex Iſraelitis, ſecundum deitatem vero, ex æterno eſſe Patre. Non dixit: ex quibus Deus carne. Idem vero & tu dic, & de tua mihi ſententia perſuadebis: Paſſus eſt Chriſtus ſecundū carnem. Si vero Deū carne paſſum eſſe dicis, erudias me velim dilucide, utrum idem ſint Deus & caro ſecundum naturā, an aliud atque aliud. Si idem ſunt; paſſus eſt Deus in ſeipſo. Nam carnē dicis idē eſſe quod Deus eſt. Sin aliud & aliud, quomodo hæc illo patitur, cū omnis creatura ſeipſa patiatur non alia ſubſtantia. Homo non patitur equo: non moritur anima carne: ſed ſolvitur quidem caro, ſeparatur vero anima, & tamen homo dicitur mortuus,
B quippe utrumque ſignificans, animam & carnem: mortuus autem intelligitur ſecundum id quod mori poteſt, hoc eſt, ſecundum carnem, & non ſecundum animam immortalem. Nimirum nemo dicit: anima cujuſdam mortua eſt carne; ſed homo quidā ex anima & corpore conſtans: animæ autem & poſt mortem immortalitatem indicare volens, in æternum juſtos vivere dicit, teſte ſacra Scriptura. Sed iſtos libri divini ad unum omnes condemnant. Quot enim Prophetæ? quot Apoſtoli? quot Euangeliſtæ? Nuſquam tamen hujuſmodi vox occurrit: cum contra, Chriſtum paſſum eſ-
ſe, perſpicue ubique doceatur. *Paſcha noſtrum* 1. Cor. 5. 7.
C *pro nobis immolatus eſt Chriſtus. Si paſſibilis Chriſtus, Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas*. Crux Chriſti, corpus Chriſti, ſanguis Chriſti. Quo igitur modo tantam teſtium turbam prætereunt, & ſuam ipſorum auctoritatem legi Spiritus anteponunt? vim facientes præce-
pto clamanti: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos*, Prov. 22. 28.
quos poſuerunt Patres tui: nec attendentes, ſacrum illum & magnum Patrum in Nicæa chorum, poſt Dei & Patris confeſſionem continuo nomen Domini Jeſu poſuiſſe: *Et in unum Dominum Jeſum Chri-*
D *ſtum*; & eidem poſtea, utpote quod unum apte & commode diverſa in ſe reciperet, tum ſublimia deitatis,
tum œconomica humanitatis applicaſſe: ſecundum di- 1. Cor. 3. 11.
vi Pauli ſententiam illam: *Fundamentum aliud ponere nemo poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus*. Ne relinquamus fundamentum, quod omnium eſt capax, ſecundum utramque naturam, gloriam, & paſſionem vere admittens. Si dixeris Deum ſolum, quomodo ei paſſionis neceſſitatem ſuperſtruis? ſi dixeris hominem ſolum, quomodo ei incomprehenſibilis gloriæ divitias adjicies? Chriſtum vero rectiſſime dixeris, gloria quidem ſecundū deitatem fruentē,
E paſſionē vero ſecundū unitam humanitatē ſuſcipientem: denique ſecundum inſeparabilem unionē omnia miracula operantem, omnia dona fidelibus communicantem. Hac ratione & deitatis impaſſibilitas, & paſſionis veritas, & communis hominum utilitas demonſtratur. Atque ita eſt veritatis ſermo perſpicuus, fundamentum doctrinæ inconcuſſum, magnitudo myſterii illuſtris: admiratio antiquitatis fide digna, pulcritudo orthodoxæ doctrinæ incorrupta, conſentiens denique omnium ſanctorum prædicatio. At inauditam vocem proferre, & anathemate ferire eos, qui Deum carne negant paſſum, id vero eſt non noſtræ
F dumtaxat ætatis homines petulanter impetere, ſed omnes omnium ætatum præcones & doctores audacter condemnare. Cur vero nomen Chriſti Domini fugiunt, in quod juſſi ſumus credere? Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſalvus eris. In hoc nomen, pulcrum eſt ſalutis ſpem ponere. Neque enim aliud nomen ullum eſt ſub cælo hominibus per quod ſalvandi
ſimus: *In nomine Domini Jeſu Chriſti omne genu flecta-* Phil. 2. 10.
tur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Patris. Ipſe judex eſt vivorum & mortuorum: ipſum invocabat, cum jam conſummaretur, Stepha-
nus:

Act. 7. 58. nus: *Domine Jesu Christe, suscipe Spiritum meum.* *U-*
1. Cor. 8. 6. *nus Dominus Jesus Christus per quem omnia.* Ipse Salvator, ipse Redemtor: Christus nmnia. Quorsum fugiunt desiderabile illud nomen? Ipsum morbos su-
Act. 3. 6. stulit. *In nomine Jesu Christi surge & ambula.* Ipsum
Act. 16. 18. fugavit dæmones, *Præcipio tibi in nomine Jesu Christi Nazareni, ut exeas ab illa.* Quomodo igitur hoc, ut ipsis minime grato relicto, id quod apud Sanctorum nemioem reperitur, substituunt, Deus Verbum passus est carne?

X I.

Adversus eos qui quærunt, qualem pœnam Judæi daturi sint, si non occiderunt Deum.

Qui cnntentionis studio feruntur viri, eorum insanum impetum nulla, credo, potest oratio cohibere. Sed licet mille quis, eaque invicta argumenta proferat; veritatem ille quidem demonstraverit, at operariis mendacii de ea minime persuaserit. Sic enim & qui a veritate exciderunt, ii post multa claraque argumenta nec desistunt a proposito suo, nec in viam rectam redeunt: sed vias præcipites ingressi, hinc inde circumeunt, quæstiones absurdas proponentes; nec erubescunt quærere, quomodo Judæi punientur, si non occiderunt Deum? O impudentem audaciam! O fraudulentum institutum! ut Christum vindicent, ea quæ Christi sunt, traducunt. Ut, ajunt, Judæi dignam sceleribus suis pœnam luant, evertantur omnia, vilipendatur doctrina, blasphemetur Deus, patibilis vocetur, qui est impatibilis, injuria inferatur gloriæ, fines orbis universi seducantur. Tu vero, mi homo, ne cum Dei contumelia Deum vindicato. Odi defensionem, quæ cum dedecore conjuncta est: præstat lucrari Judæum, quam Christianos confundi: præstat auctores passionis effugere, quam eum qui passus est hujusmodi patronum nancisci: præstat illos veniam consequi, quam hunc mutabilem & passibilem secundum deitatem existimari. Quorsum Judæis hanc magnifice gloriandi præbes materiem, quasi deitate ipsa superiores fuerint? cum ne templum quidem tenere potuerint, nisi eo qui inhabitat, permittente, qui idem solutum illud suscitavit, insolubilis ipse mansit. Quorsum ejus qui passus est voluntati tuo calculo r.fragaris? cur plus contristas, iis per quæ scilicet injuriam vindicas, quam ii ipsi qui perpetrare facinus ausi sunt, contristarunt? Quorsum verissima Christi verba subvertis? Ipse enim tempore passionis
Luc. 23. 34. dixit: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et tu pœnas (a Judæis) exigis, perinde ac si Dei præsentiam cognorint, & in Deum ipsum cędem perpetrarint? Desine graviora aggredi, quam ii ipsi qui Christum cruci affixerunt. Illi nudum hominem Christum putantes interemerunt; tu Deum confitens verum, mutabilē, patibilem, mortuū deniq. præclara illa tua vindicta asseris. Quanto vero audacia major est in Deum impie insurgere, quam hominem quem esse putes injuria petere; tanto ille, qui Deū Verbum lingua sine causa occidit, miserior est iis, qui carnem Domini clavis sine causa perfoderunt. Verumtamen non quoniam tu crudelior es, terribili illos pœna liberamus: sed & deitati Domini Christi impatibilitatem suam servamus: & humanitati illi unitæ, passionem suam attestatione nostra tribuimus, & a Judæis pœnas exigi confitemur, eo quod vesana mentis cęcitate in deitatem ipsam manifeste fuerunt impii. Numquid vero & nunc non videmus eos, qui templis Deo sæpius consecratis nefarias manus inferunt, ut ea vel polluant, vel destruant, licet in ligna dumtaxat & lapides sæviant, perinde tamen puniri, ac si contra Deum ipsum audacter se efferant? Nimirum inanimatum templum tam severe vindicatur: templum vero vivum impollutum, templum Deo conjunctum ineffabiliter, indissolubiliter, non multo severius vindicabitur? quod ipsum quidem injuste passum est, sed ita ut in templi inhabitatorem Deum, qui templo unitus est, & miracula multa edidit, injuria recidat. Neque vero excusationem Judæis inde parare licet, quod velut in nudum hominem peccare visi sint: cum divinam & gloriosam operantis potentiæ majestatem multifaria miracula latere non permiserint. Quis enim non stupescat ad ea quæ a principio facta sunt? Juxta prophetiam Nativitas fuit: locus notus: modus illustris: tempus non obscurum est: sermo omnis reipsa impletur: stellæ cursus Angelorum concentum indicat: Magi de longinquo ad offerenda munera attrahuntur: Rex Herodes perturbatur: Judæa universa concutitur: apparet evidenter is, qui mundi peccata tollit: sustinet puerulum Simeon, & salutare Dei pronuntiat: vaticinatur Anna: testificatur Joannes ad Jordanem: vox Patris cælitus hunc Filium dilectum omnibus manifestat: adventat Spiritus & in columbæ specie in verticem ejus dilabitur: aqua in vinum mutatur: quinque panes in aliquot millium usum miraculose multiplicantur: fragmentorum reliquiis duodecim cophini implentur: fugantur verbo morbi: mandato expelluntur dæmones, quin e longinquo intolerabilem illius potentiam confitentur: mortui a mortis tyrannoide confestim liberantur: fimbria vestimenti ægrotanti cuidam mulieri sanitatem affert, latentis autem deitatis virtutem publice prædicat. Omnis elementorum natura tempore passionis ad destructionem visibilis templi, & contumeliam inseparabili Deo illatam, multis modis conturbatur: Resurrectionem ejus qui passus fuerat, ipsi illi confirmant, qui in crucem ipsum egerunt. Cum enim passum custodirent, a mortuo miraculoso victi sunt. Atque hæc, multoque plura alia sunt, quæ latentem intus divinitatem indicant. Quomodo igitur pœnam Dei hostibus denuntiatam effugient, qui ad tam lucidas demonstrationes præ nimia improbitate cæcutire volunt?

X I I.

Adversus eos qui dicunt, Judæus est, qui non confitetur Deum fuisse crucifixum.

Cum tantæ, tam variæ, tamque perspicuæ demonstrationes superiorum disputationum omnium fuerint; sentire tandem adversarios argumentorum multitudinem debebant. At illi alias impudentes objectiones sine causa texere non dubitarunt. Judæus est, inquiunt, qui non fatetur, Deum ipsum in crucem esse actum. Pulcre nos nominis ejus quo nuncupandi sunt, admonent. Illi enim sunt, qui seipsos affinitate cum Judæis devinxerunt, tum salutarem incarnationem, tum duarum unionem & conjunctionem naturarum rejiciēdo. Uter Judæus, qui gratiam suscipit, an qui lege secundū litteram nititur? Nos gratia docuit, Deum invisibilem invisibili manifestatum esse carne: Illi permanent in antiqua traditione divinitatem nudam in diversis speciebus & formis delineante. Quomodo igitur alios appellant Judæos, qui ipsi novi fęderis divitias a se repellunt? Annon audiverunt, quod multi Prophetæ & justi desiderarunt videre quæ nos videmus, & non viderūt? Quid igitur non viderunt? Deitatis adventum. Cur igitur scriptum est: Visus est Deus Abrahamo, visus Isaaco, visus Jacobo, visus Mosi, & sexcentis aliis? Quid igitur desiderarunt, quod tamen non viderunt? Nimirum quod nobis videre licuit, deitatis & humanitatis ineffabilem & inseparabilem unionem. Quicūque igitur admirandam Verbi & carnis unionem confitentur, iis novum videre spectaculum contigit. Con-

tra qui carnis assumtionem rejiciunt, ii cum veteribus Judæis partem habere suam manifeste convincuntur, qui nec ipsi potuerunt videre oculis suis, quæ nos vidimus. Judæorum enim est, Salvatoris in carne œconomiã non suscipere. His seipsos aggregant, qui duas naturas explodunt: quinimo majorum criminum rei efficiuntur. Illi enim eum qui tam stupenda edebat miracula Deum esse ignorantes: hi vero confitentes, indigna contra deitatem pronuntiant, omnes carnis assumtæ passiones deitati adscribendas esse contendentes. At enim dicent fortasse (impudenter enim vel manifestissimis didicerunt contradicere) non dicimus divinitatẽ esse passionibus obnoxiam. Et qui non diceretis hoc, qui tam artificiose orationem adornatis? Passus est, inquiunt, quia voluit: ipsum patibilem esse nequaquam dicimus. Cum rem ipsam non dubitetis affirmare, cur a rei appellatione vos abhorrere fingitis? Si damnatis eos, qui divinitatem passam esse negant, cur non diserte ipsam patibilem esse profitemini? Si Judæus secundum vos est, qui divinæ naturæ passionẽ negat: Christianus est, qui asserit. Et cur non Judæum divinam naturã impatibilem confitentem præfertis vobis patibilem ipsã affirmantibus? cum omnino necessum sit, aut Judæos vos vocari, si impatibilitatem esse testificemini; aut Christianos apellari, ut vos quidem Christianum definitis, patibilitatem sancientes. Proponite perspicue,
Rom. 10, 10. quam tenetis sententiam. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Si Verbum non est passum, igitur caro. Si caro non est passa, igitur Verbum. Si neutrum horum, igitur aliquod tertium. Si nullum omnino, igitur passio ipsa non fuit: si nemine patiente fuit passio, opinio fuit; opinione salvamur. Igitur ad Manichæos confugistis. Et cur ab eorum nomine refugitis, qui vos pravorum & intolerabilium suorum dogmatum hæredes manifeste habent? Hinc apparet vos & pejores Judæis esse, & a Manichæis non multum abesse. Sed quid dicimus de Judæis & Manichæis? Vestra longius progressa est audacia, quam illius ipsius, qui omnis mali auctor est, qui occulte ista vobis inseruit zizania, qui omnibus bonis invidet, diaboli. Ille ubi ad Jordanem divinam Salvatoris gloriam conspexit, invidiæ stimulis agitatus, non ausus est tentando prius ipsum aggredi, quam fame laborantem vidit, quæ humanæ infirmitatis nota est. Agnovit hoc deitatis proprium esse, non pati, non tentari. Vos contra & famem & sitim, & si qua hujus generis alia sunt, deitati ipsi tribuitis, & eidem deitati passionem crucis manifeste adscribitis. Ille propter summam malitiam homicida ab initio dictus est: vos propter summum adversus Deum furorem, Judæos Dei interfectores dicitis: nec majorem potentiam Judæis discipulis, quam ipsorum magistro diabolo tribuere veremini: denique ut habet Scripturæ accusatio, cum Deum noveritis, tamen ut Deum non glorificatis. Patibilem enim eum esse contenditis.

XIII.

Adversus eos, qui dicunt, Angelos apud Abrahamum edentes, carnis naturam non omnino induisse.

Etsi multorum malorumque commentorum patres facti sunt, qui perpetuos legitimorum Patrum fines transferre sunt conati, non satis sunt tamen ipsis fętus proprii: sed male insuper suffurantes eorum, qui se olim Apostolicæ Ecclesiæ hostes professi sunt, ignobiles fętus abortivos, eos tamquam generosum & perfectũ dogmatum partum proferunt. perque illos Manichæorum dogma nobis nituntur excitare, comminiscentes Angelos qui diverterunt ad Abrahamũ propria natura sua alimenti factos fuisse participes, & pari modo deitatem Domini Christi absque carne cibum potumque sumsisse confirmantes: licet Scriptura sacra, non naturaliter sed apparenter solummodo id factum, diserte comprobante. Si enim naturaliter ista facta sunt: oportet tres illos aut viros nominari, aut Angelos nuncupari (multum enim inter duo hæc genera est discriminis) & si quidem viri fuerint, nihil quod ad naturam Angelicam ostendere; sin Angeli, nullo corporeo membro more spirituum apparere illos oportuit. Quomodo igitur cibum illis daret secundum naturam? numquid ut viris? falso igitur Angeli fuisse memorantur. numquid ut Angelis? ecqua Spiritibus cum sensibili cibo est cõmunio? nisi forte & Angelos homines factos corporalibus organis cibo corporali frui fabulantur. Si mutata sententia dixerint, non revera & naturaliter, sed apparenter istos epulatos fuisse: aut relinquant oportet exẽplum Angelorum ut peregrinum aut in Salvatore, loco veritatis, phantasiam inducere comperientur. Qua igitur fronte dissimile tamquam simile ad Christum audent detorquere? Quid cum stupenda œconomia atque dispensatione commune habet illa Angelorum visibili specie apparentium * historia? Conspiciunturne? *Forte, visio.
quando? aut ubi? aut ex qua nati sunt, ut Dominus Christus? Num eodem illi modo tactui fuerunt subjecti? Num circumcisi sunt? an prosecerunt aut creverunt? num cum jejunassent, tandem esurierunt? num ex itinere fessi sitierunt? num naturalem somnum experti sunt? num flagris cæsi sunt? num eodem quo ille modo mortem gustarunt? num sepulturæ sunt traditi? num reliquerunt vestimenta inter plures distributa? quæ magno argumento sunt, nihil in Christo phantasticum, vera autem & substantialia omnia intelligenda. Si enim ut Angeli virorum speciem opinione induerunt, ita Christus opinione corpus habuit: non potuerunt videri & tactui subjici vestimenta Domini, quemadmodum nec Angelorum mole corporis carentium. Quo igitur pacto res inter se dissimiles impudenter conferunt, & quæ tantis distincta sunt modis conjungere conantur? Age vero verba inter se nostra & illorum conferamus. Nos dicimus, Dominum vere secundum carnem comedisse, siquidem hoc omni carni proprium: Illi dicunt Angelos comedisse, siquidem tunc rem hujusmodi Angelorum natura admisit. Nos experientiam testem habemus: Illi & rationum & factorum testimonio destituuntur. Nos illis & famem & sitim ex litteris sacris proferimus: Illi neutrum horum de Angelis possunt demonstrare. Nos membra, secundum communem hominum formationem: Illi naturam Angelorum, quam membra habere nemo quisquam ausus fuerit affirmare. Membra autem si desint, quid est quod nutrimentum recipiat? quid quod comminuat? quid quod digerat? quid quod retineat? quid quod concoctionem perficiat? quid quod reliqua, quæ honoris causa taceo? Quemadmodum igitur Angeli, cum viri esse viderentur, viri tamen natura non fuerunt: ita & cum cibum capere existimarentur, revera non comederunt. Hospitalitatem autem Abrahami honorabant, consortii specie virtutem ejus imitandam declarantes.

XIV.

Adversus eos, qui nullum non miraculum imminuunt eo quod carnem negent.

Verum ne miracula quidem Domini insidiis suis libera & firma reliquerunt, qui ab Orthodoxorum choro ad adversarios se conjecerunt: sed compressis coarctatisque iis, horum non viderunt magnitudinem, per quę carnis assumtionem negarunt; deitati soli hæc adscriben-

bentes. Nos vero consideremus opera ipsa, quomodo ab initio ad finem usque præclariora reddantur, carnis assumtione: viliora vero reperiantur, eadem rejecta. Partus Virginis magnum & celebre est œconomiæ atque dispensationis exordiū. Si natum nihil est de Virgine sancta, quis magnopere miratus fuerit partum illum? cum nec matrem illam vere dicere possit, quæ consubstātiale nihil ex se prodeunti communicasse intelligatur: nec stupendum quid esse existimes, eam quę Mater facta sit, Virginem manere, siquidem Verbum sua nos præsentia absque sensibili corpore dignatū est. Rursum paucis dictum est, Jesum profecisse ætate, sapientia & gratia. Si carnem sustuleris, quis in laude ponet incrementa & meliorationem deitatis quæ ab æterno perfecta est, quæ non pluris indiga est, quæ nihil aliunde auferre aut accipere potest? Consequens est igitur carnem esse, cujus causa profectus ille celebratur, propter ejus cum Verbo unionem. Et maximum novimus testimonium, quod nullo se nnquam peccato contaminarit, quod cum carnem veram habeat, nullum tamen peccati in eo vestigium appareat. Ita ut si quis de deitate eaque sola dicat, quod expers peccati sit, risum ille potius quam admirationem auditoribus moturus sit: quandoquidem non solum divinitatis hæc natura est, ut omni culpa semper libera sit, sed multa etiam Angelorum millia a peccato vacua serventur. Verum hanc ipsam ob causam dicitur caro, ex genere hominum peccatis obnoxio, sumta, sola primaque peccati expers mansisse, propter unionem cum Deo Verbo. Proximum huic miraculū est lucta illa cum diabolo, reportataque ab eo victoria, quia is qui tentatus est, cum devictæ carnis primitias haberet, victoriosam illam ejus qui aliquando vicerat, effecit, & naturæ, vires adversus eum qui olim dolo vicerat indidit. Quamobrem immissa in se tentationū tela, repetita sacrarum litterarum memoria excussit, non auctoritate deitatis adversarium repellens: sed ministerio humanitatis prȩvium Scripturȩ lumen ad universa objecta proferens. Quod si Deum Verbum in sese omnis expers peccati impeccabile & invictum declarabatur, quis obstupescat ad ea quæ dicta sunt? Non est novum & inauditum, Deum non peccare, nec a propria creatura superari. Quando enim peccavit aut victus est, ut quod nunc dicitur miraculi nobis loco esse debeat? Illud novum & inauditum est: naturam humanam rem supernaturalem aperte exhibuisse. Nam ambulare supra mare omni vacuum metu & periculo, est illud quidem deitati, imo Angelis etiam ipsis perquam facile: nec obstupescet admiratione, hoc qui viderit; at humanitati nudæ nullo modo possibile. Nec immerito exhorrescit, qui carnis pedes istiusmodi iter facere videt, quamvis Verbi unitam personam cogitet. Si quis autem repudiata carne, solum Verbum dixerit super fluctibus fuisse visum, is infirmat tollitque miraculi amplitudinem, nihil magni testificatione sua operi tribuens. Magnum enim vere est, & majus quam ut hominum possit mente comprehendi, non cum verus & omnis expers ponderis Spiritus, fluctibus in altum tollitur, sed quando crassum & grave corpus, a molli & facile cedente natura erectum sursum fertur. Cujus rei ut fidem omnibus Dominus faceret, dedit continuo & Petro potestatem per pelagus gradiendi, donec pusillæ fidei fluctum non sustineret. Quod ergo Petrus sic ambulavit supra mare, indubitatum dominicæ carnis iter declaravit: quod autem dubitans non amplius portaretur, id immensum, quod inter utrumque est, discrimen demonstravit. Ubique igitur carnis cum Verbo unio factorum Christi amplificare gloriam evincitur. Atque ut rem paucis complectar, ipsius de morte reportati tropæi splendor omnis deleatur oportet, si non humana natura, deitatis inseparabiliter sibi unitæ virtute, tyrannide infernali fuit superior; quandoquidem Deum non superari, qui invictus est, credibile est & verisimile: sed carnem non superari, id demum singulare, id novum est: hoc item reddit miraculosum Domini per clausas januas ingressum, cui ea quæ corpori inerat, crassities, nullo fuit impedimento, siquidem major erat miraculi auctor eo quod ipsum ingressum prohibebat. Qui vero factum hoc esse dicit absque corpore humano, is factum communicat cum Angelis, cum animabus hominum, cum ipsis denique adversariis Spiritibus, qui propter levitatem substantiæ, ejusmodi transitu non possunt prohiberi. Præterea hanc sententiam ipsa Domini in cælum ascensio nobis suggerit, ut sciamus, Deum Verbum quidem in cęlis egisse perpetuo, nullo inde tempore divulsum, nullis locorum spatiis circumscriptum: carnem vero illi conjunctam tum primum, modo plane stupendo, evectā translatamque eo, ubi prius non erat; siquidem non natura hoc habebat, ut tali gloria donaretur.

X V.

Adversus eos, qui damno afficiunt genus nostrum, eo quod negent, Salvatorem ex natura nostra sumsisse primitias.

Omnis malitia est res detestabilis, Deo odiosa, & hominibus inimica: At ea, qua nonnulli propriæ saluti invident & gloriæ, omnem prorsus improbitatem longissime vincit. Hoc jam præstant ii, qui negant, Salvatorem ex natura nostra primitias sumsisse. Sed multis modis peccant, tum quod Scripturæ sanctæ testimonio, tum magis Spiritus sancti oraculis adversentur: tum quod Domini nostri in homines amorem obscurare non dubitent: vel quod generi hominum universo præstita beneficia respuant, maximeque, quod magnam assumti hominis œconomiam inutilem declarent. Non assumsit ex nostra natura carnem? Quomodo igitur habitavit in nobis? Quomodo semen Abrahæ assumsit? Quomodo dicitur: *Ex quibus Christus secundum carnem?* (Rom. 9. 5.) Vana igitur Prophetarum vaticinia: vanæ Davidi factæ a Deo promissiones: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* (Psalm. 131. 11.) Falso Christus fideles vocat fratres suos: falso Paulus ait: *Nam ipsius genus sumus.* (Act. 17. 28.) Ecquem non pudeat tot tantosque testes impudenter rejicere, nova absurdaque dogmata fabricare, debito gratiarum actionis honore Dominum privare, damno denique genus nostrum universum in illo afficere? Non ex nobis est caro illa assumta. Qualem igitur salutis spem habemus? Non adhuc lex impleta est: adhuc accusamur de peccato: adhuc maledictionis onere premimur: adhuc mors in nobis dominatur: adhuc generis nostri viget condemnatio. Si nihil omnino de substantia humana habuit is qui legem implevit, adhuc natura accusationibus est obnoxia. Fortassis qui generis nostri sunt, in judicium publicum vocabunt legislatorem, ut qui nimis arduas inutilesque hominibus leges imposuisse videatur, eo quod nemo eas possit implere. Sic carnis rejectio blasphemiarum omnium fit fundamentum. Necessarium igitur est, imo pernecessarium credere Scripturis sanctis, confiteri ex nostro genere primitias, celebrare singularem assumentis in genus hominum amorem, obstupescere magnæ œconomiæ miraculum; non timere maledictionem legis: *Christus enim nos a maledicto legis liberavit* & (Galat. 3. 13.) impletionem legis a primitiis factam toti massæ adscribere, agnoscere quid congruat & quid consequatur. Nam si solus Deus legem implevit, quod ne dicere quidem convenit, nulla alia natura præclari facti est particeps. At si suscepta ex nobis caro in eo, qui legem implevit, agnoscatur, manifesta fit generis nostri

stri

ſtri gloria, quod ſecure mortis ſtimulum poſſit conculcare, quippe cui nihil ultra in eam naturam juris ſit, a cujus primitiis (Chriſto) jam olim fuit contrita & fracta, ut omnes credentes nunc poſſint dicere: 1.Cor.15.55. *Ubi eſt, o mors, ſtimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria?* 1.Cor.15.22. Et rurſum: *Sicut per unum hominem mors: ita per unum hominem reſurrectio mortuorum.* Per hominem dicit, non ab homine. Quod enim ab homine fieri non poterat, id per hominem Deo copulatum nullo negotio fiebat. Sic reſurrectionis donum conſequimur: ſic adoptionem nanciſcimur: ſic Domini fratres appellamur: ſic cohæredes efficimur: ſic hoſtem in primitiis vincimus: ſic fiduciam ex illis accipimus: ſic ſumtæ ex nobis carnis adverſus diabolum tropæum nobis vendicamus, divinum illorum robur concutientes: ſic omnes, qui vere credimus, exſpectamus nos glorioſo ejus corpori conformes fore. Sic verum illud eſſe comperimus: Ephes. 2.6. *Conreſuſcitavit nos & conſedere fecit in cæleſtibus.* Etſi enim in noſtra quiſque hypoſtaſi nondum reſurrexerimus, nec in cæleſtibus ſimus: propter cognationem tamen cum eo qui aſcendit & deſcendit, ipſa talium ſpe firma tenemus pignora. Quanto igitur odio digni illi, qui perverſa ſua doctrina tanta ac talia nobis bona invidere non dubitant: qui genus noſtrum honorari nolunt: qui carnem ſeparant, quam ſibi, modo plane ſtupendo, Verbum conjunxit, Matth.19.6. adverſantes Paulo clamanti: *Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet:* qui denique linguam diabolo mercede locant, ad occultanda ea, quæ contra ipſum facta ſunt. Nihil enim illi acerbius, nihil intolerabilius accidere poteſt, quam ſi videat ſeductam a ſe naturam, a cæleſti Rege in primitiis ſurſum evectam, & excelſo animo ac ſupra laudem omnem converſam, & ſuperiorem factam morte deſtruxiſſe ipſius tyrannidem, & aſſumtam in cælum, glorioſaque ſede fuiſſe honoratam, & apud eum, qui aſſumſerat, inter omnes creaturas, in ſumma conjunctione cognitam, in participatione gloriæ cum eo qui a ſe eſt indiviſus, quæ dignitas omnem orationem exſuperat.

XVI.

Adverſus eos, qui volunt ſimpliciter iis, quæ dicta ſunt, credendum eſſe, nec conſiderandum quid conveniat & quid non conveniat.

Etſi multa & horrenda dogmata in hominum genus ille omnis honeſti oſor dæmon invexit, ut periculoſa fallacia aſſentientes involveret: tamen haud ſcio, an ſuperioribus temporibus hujuſmodi quid parturiverit, quale nunc parturit. Nam earum quæ viguerunt hæreſes, quęque alius atque alius erroris mater fuit. At quę nunc noviſſima omnium inventa eſt, ea cunctas renovavit, cunctas audacia ſuperavit, poſtremo præ ceteris omnibus malorum ortum indicavit. Vere *parturiit in-* Pſalm.7.15. *juſtitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Parturivit impietatis propoſitum: concepit malæ artis inſtituta, in quibus & alii errarunt: peperit multifarium aliud malum ſuo quidvis arbitratu innovandi. Quin etiam ut omnes ſe ſequantur, imperioſe præcipit: Amplectimini, inquit, ſimpliciter, quæ dicuntur, nec inquirat quiſquam, quid in iis conveniens ſit, quid inconveniens. Ac fidem nominat inconſideratam noxiamque approbationem infirmorum, nulliſque demonſtrationibus inſtructorum dogmatum. Credamne ſine judicio? nec inquiram, quid aut fieri poſſit, aut utile ſit, aut deceat, aut Deo gratum, aut naturæ congruum, aut veritati conſonum, aut ſcopo accommodatum, aut myſterio conſentaneum, aut pietate dignum ſit? Ecqua utili- A tas erit mihi? Aut quis menti fructus quæ horum nihil ſecum reputavit, ſed auditum quidem ſono verborum obtulit, nullam vero dictorum cepit intelligentiam? Hoc adverſariis omnibus, erroris univerſorumque malorum cauſa eſt. Quis enim eſt inimicorum Eccleſiæ Catholicæ, qui non poſtulet dictis omnibus ſuis, abſque prævio examine fidem haberi? Quamvis Gentilem dixeris, ſive Manichæum, ſive Arii aut Apollinarii, aut alterius hujuſmodi hæredem, non recuſat examen, ut fugiat convictionem. Nonne alia ſuo marte eructans, alia ex Scripturæ divinæ harmonia reſecans & ad ſcopũ trahens ſuum, argumenta profert, quæ a nemi- B ne, ut optat ipſe, indaganda pronuntiat? Deinceps ſi omnibus ſimpliciter adhibeamus aurẽ, nec enaſcentẽ ex eorum dictis abſurditatẽ confutaverimus, nec dogmatum pugnę, quę ex perverſa illorũ interpretatione oritur, ſolutionem efflagitaverimus, quis in poſterum amplius veritatis viam inveniet? quis non facile in præcipitium hæreticorum dogmatum incidet: non conſiderans novorum dogmatum inconvenientiam, nec veritatis exigens convenientiam? Quid credam corde ad juſtitiam? quid loquar ore ad ſalutem, cum mihi maligne objecerint illud: *Pater, qui miſit me, major me eſt?* Joan.14.28. C Simpliciterne accipiam, an præcipitanter aſſentiar? audacter Filium Patre inferiorem pronuntiabo, & nihil omnino perpendam, neque quod œconomiæ iſte ſermo ſit, neque quod ejuſdem hoc dictum ſit: *Ego &* Joan. 10.30. *Pater unum ſumus*: Et, *ut honorent Filium, ſicut honorant Patrem*: Joan. 5.23. &, *Qui vidit me, vidit & Patrem*: Joan. 14. 9. Et infinita alia, quæ æqualitatem paremque Patris & Filii honorem in omnibus declarant? Si igitur nihil eorum, quæ inde conſequuntur, expendendum eſt: ſi nec ratio eorum, quæ conſequuntur & contraria videntur, congrua reddenda eſt, quomodo conciliabimus, quæ prima pronuntiationis fronte inter ſe diſcrepant? Quo- D modo idem videbitur & unigenitus & primogenitus? cum palam ſit omnibus, duo relata ad unum, eumque in una conſideratum natura, minime inter ſe convenire. Etenim unigenitus, cui ut unigenito fratres nulli ſunt, non poteſt appellari primogenitus. Paulus enim primogenitum dixit in multis fratribus. Nec rurſum primogenitus, fratres habens, unigenitus vocatur amplius. Rurſum idem ille & noviſſimus dicitur & æternus: *Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Hebr. 13. 8. Hic alterum alteri adverſatur. Si noviſſimus eſt, quomodo æternus? Si æternus, non igitur noviſſimus. Jam illud: *Sine Patre, ſine matre, ſine genealagia*, annon Hebr. 7. 3. E manifeſte pugnat cum aliis, ex quibus diſcimus & Patrem ipſum in cælis habere, & matrem in terra, & majores ejus a præclaris Euangeliſtis diſerte nominatos? Si ſine Patre, quomodo Patris cæleſtis Filius? ſi ſine matre, quomodo ex Virgine matre? ſi ſine genealogia, unde, *Liber generationis Jeſu Chriſti?* Mat. 1. 1. Cum igitur tot ac tanta ſint & multo plura, quæ inter ſe videntur pugnare, quidnam illi nos inexploratum jubent accipere, quid ejicere? Neque enim omnibus æque aſſentiri poſſunt, qui apparentis diſcrepantiæ convenientem ſolutionem non inveniunt. Si verum illud: *unigenitus*, falſum hoc: *primogenitus*. Si verum hoc: *pri-* F *mogenitus*, falſum contra, *unigenitus*. Si profitemur illud: *Heri & hodie*, evaneſcit alterum, *ſempiternum*. Si ſtat illud, *ſine Patre*, corruit alterum, quod Patrem habeat. Si manet ac fixum eſt hoc, *Sine matre*, labat illud, habere matrem. Si placuit illud, *ſine genealogia*, quomodo attendemus genealogiæ? Si firmum eſt illud, quod neque initium neque finem dierum habet, quomodo intelligemus hoc, quod & initium & finem dierum indicat: *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Judææ* Mat. 2. *in diebus Herodis Regis*: Crucifixus autem ſub Pontio Pilato? En tibi & initium dierum & vitæ finem. Quid igitur faciemus ſi quis infidelium Scripturam ſan-

sanctam de dictis contrariis accusans, rationem a nobis exigat, jubebimusne eum omnibus credere? Et quis non resiliens deriserit, quippe qui oullo modo possit ea tamquam fide digna amplexari, quæ inter se pugnant, nec solutionem ullam admittunt? Duorum enim contrariorum dictorum necesse est alterum falsitatis convinci. Quid ad hoc dicemus? Num & oos rogati, ut nulla demonstratione probatis infirmisque hæreticorum aut Græcorum dogmatibus credamus, ejusmodi propositioni asseotiemur? sed apage; neque enim nostra, si quo a Sanctis dicta sunt sensu accipiantur, vel non consistere possuot, vel sibi ipsi suot contraria. Dicta autem suot illa quidem ratione cognitæ nobis œconomiæ, atque dispensationis: hæc vero ratione incomprehensibilis Verbi substantię. Atque hoc modo omnia inter se consentiunt sibique sunt consequentia, de uno & eodem io duabus naturis considerato accepta, ut Christus intelligatur novissimus esse secundum carnem, æternus secundum deitatem. Non habere initium dierum proprietas est Verbi, natum esse in diebus Herodis, proprietas est primitiarum: Sine genealogia esse, ratione æternæ Filii ex
Es. 53. 8. Patre exsistentiæ: nam *generationem ejus quis enarrabit?* Genealogiã habere, ratione carnalis ipsius nativitatis. Sic & unigeoitus est secundum Verbi substantiã: & primogenitus secundum incarnationis œconomiã. Sic adversariis quoque, aut de veritate persuadebimus, aut victoriam reportabimus: sic Scripturæ sanctæ concordiam ostendemus: sic mysterii gloriam legitime prædicabimus: sic congruentem fidei certitudinem io animabus nostris recondemus, oec sine verbo credentes, nec sine fide loquentes.

XVII.

Adversus eos, qui duarum naturarum discrimen post Passionem & Ascensionem tolluut.

Etsi magna & immortalis veritatis vis a compluribus sæpe multumque oppugnata est: invictam tamen eam esse ipsa tandem res eventusque docuerunt. Ecce tibi enim multos adversus eam armatos, qui cum non pauca pravorum dogmatum tela emisissent, eaque solidis demonstrationis armis resilire, & inania inefficaciaque ad se redire vidissent, postremum omnium ejusmodi emiserunt telum, quod manifestioribus etiam argumentis conteri potest & confringi. Etiamsi, inquiunt, quis dederit, duarum in Christo oaturarum factam fuisse coojunctionem: a passione tamen & assumtione ejus, nec duas amplius agnoscemus, nec secundum naturam discrimeo aliquod credemus inter Verbum & carnem. Quid dicitis? quid affirmatis? numquid evanescit naturarum discrimen, nec reliquũ est ullum horum indicium? Quo igitur nomine appellabimus id quod nobis est propositum? Verbumne solum? (Neque enim carnem dixeritis, qui scilicet hoc ipso honorem adferre existimatis.) Et qui non injuria illud afficitis, dum existimatis ejusmodi substantiam esse, ut alia in ipsum possit creata substantia mutari? Cujus enim ioferiora sunt capacia, id multis commune, non unius est peculiare. Cui vero soli id proprium est, quod sit inaccessum, huic quomodo inaccessum alterum adjicitur? Nec Verbum dumtaxat afficitis contumelia, sed etiam carnis hypostasin aufertis. Cujus enim nullum iodicium reliquum est, hujus gloriam quo tandem modo perspiciemus? si eo quod exsistit, agnoscitur, merito glorificatur: si non exsistit, quomodo amplitudine gloriæ fruetur? Non potestis gloriæ indicare excellentiam, nisi prius ostenderitis id quod honoratur. Confiteamur igitur necesse est inconfusam duarum naturarum unionem, ut nec mutetur assumens, nec assumtum tollatur; sed gloriæ, de una persona prædicatæ, communio servetur. Quod si utrumque simul, quantumlibet reluctante natura, Verbum solum dixeritis, ne sic quidem discrimen occultabitis: quando illud quidem erat ab initio, hoc deinde factum est: & illud quidem invisibile & intactum, io infinitum ex infinito, hoc vero ex visibili & contrectabili, in invisibile & intactile traosiit. Denique illud prorsus est immutabile, hoc per mutationem ad meliorem statum venit. Deinde si solum Verbum remanet, cur non dicitur: Caro Verbum facta est, sed *Verbum caro factum est*? Joan. 1. 14. Quis enim tam insaous, tam amens est, qui asserere audeat, substaotiam divinam, alius deitatis substantiam, ex altera natura prognatã, assumsisse; ut per hujusmodi additamentum indicaret accessisse aliquid ei, qui natura sua nullius indigens est, & perfectus? Cur vero litteræ sacræ etiam post stupendam ascensionem, carnis a Verbo distinctionem prædicant; qualia sunt, rursum rediturum, item visum iri eodem quo antea modo. An vos contraria Angelorum dictis sancietis? qui aperte dixere: *Hic Jesus qui assumtus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem iu cælum.* Act. 1. 11. Omnia ad significandam carnem ejus qui ounc quidem hic, nunc vero hic visus est: quem prius vidistis, carnis videlicet oculis. Quæ qui hoc sensu non accipit, is non Angelis solum adversatur, sed sacris etiam Spiritus sancti verbis repugnat. Quomodo supplicat pro nobis Dominus Christus? numquid ut Verbum tantum? Ubi igitur par ejus cum Patre honor & majestas; siquidem is supplicat ut indigentior, noo ut æqualem habens omnipotentiam, cum auctoritate operatur? Nimirum sic hoc accipiendum est, primitias intercedere pro massa propria, ut ostendant, quanta naturam carnis necessitudine attingant. Quem vero non pudore suffundat illa sapientissimi Pauli maxime perspicua prædicatio? quod *tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agaut, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Act. 17. 30. Numquid sublata est differentia? Annon dixit, Deum in viro? annon ostendit suscitaotem Deum & resurgentem virum? quamquam autem ostendisset differentiam, inseparabilitatem tamen non præteriit. Neque enim dixit, Deum cum viro, sed Deum io viro * rursum & per virum. Quomodo intelligemus & homo? *videbunt, in quem transfixerunt*, nisi ipsa natura Joan. 19. 37. carnis, quæ clavos sensit, vestigia eorum clare sit indicatura. Non enim deitatis natura, ut multi coovincantur, vestigia clavorum circumlatura est, cum invisibilis & intactilis sit: sed quæ ex genere patibili assumta est natura, illa impiorum transgressionem redarguet, qui suam audaciam in vulnerata carne prodidere. Sic igitur & distinctas naturarum proprietates, & Incarnationis minime dubios fructus, & impudentes adversariorum conatus, & inexpugnabilem veritatis vim ostendimus.

IN SEQUENTIA OPUSCULA ET FRAGMENTA

ADMONITIO.

Quæ sequuntur ex Vaticanis codicibus Romæ, a Fratribus nostris transmissa nobis sunt, exscribente D. Joanne Guillot, qui omnia isthæc accurate collegit, suaque manu exaravit. νοθείας porro laborare nemo non videt, nec est ea in re probanda insistendum. Prodit autem ex Cod. ms. Græc. Bibliothecæ Vaticanæ in fol. num. 850. eleganti satis, & diligenti manu exarato in charta papyracea: qui non excedit annos 200.

SANCTI ET MAGNI ATHANASII

Ad quemdam Politicum syntagma utilissimum.

1. Quandoquidem, ingeniose homo, summeque naturalium rerum explorator, adquisita bellicæ artis cognitione, susceptaque politicarum rerum accurata notitia, Sacerdotū tamen eloquia minime negligis vel respuis; imo tanto iis studio das operam, ut plerumque dum corpori alimenta præbes, animam a cibo litterarum minime cohibeas; sed eam ceu quodam divino sale, Patrum sententiis, & colloquiis in ipsa mensa admissis, foveas; illud, inquam, in causa mihi fuit, ut pauca, sed utilissima in compendiū a me redacta, ex lectione Christianorum omnium auctorū, maximeque eorum, qui vita, eruditione, nobilitate, & dignitate præcelluere, veluti donum quoddam, tibi, o amicorū optime, viro lectionis studioso ac religioso offerrē; hoc scilicet syntagma meum, variis ex Patribus & ex auditis sermonibus decerptū, unde non spernenda doctrina & notitia legentibus accedat: rationem enim & una divisionem continet triplicis animæ nostræ partis; docetque quo pacto omnes moveamur homines, & quomodo ad salutem, vel ad perniciem impellamur. Definit autem cogitationes, quibus quodvis peccatum consummatur. Distinguit item passiones nostras, docens quænam animæ, quænam corporis sint. Exinde vero declarat varios Dei providentiæ modos. Hinc de libero hominis arbitrio differit, deque nostro in rebus agendis abusu. Compendio exhibet fidem in sanctam, & beatam Trinitatem. Docet quid de Domini Incarnatione, de discrimine virtutum, de discretione naturæ rerum credendum sit. Uno verbo, est ceu compendiosa cognitio nostrum ipsorum, necnon naturæ nostræ atque fidei. Quod opusculum dum circumferes, atque accurate leges, ex eoque utilitatem percipies; non oblivisćere, hoc bene novi, ejus qui propria manu descripsit, tibique obtulit.

Explicatio triplicis animæ partis.

Anima omnis rationalis tres habet partes, cogitationem, animum, & concupiscentiam. Si sit in animo caritas & humanitas, & in concupiscentia puritas & temperantia, tum cogitatio est illuminata; sin autem in animo sit odium, & in concupiscentia intemperantia, cogitatio est tenebris offusa. Tum porro sana cogitatio est & temperans, cum tenet sibi subditas passiones, cumque rationes rerum a Deo creatarum spiritualiter contemplatur, & cum sancta ac beata Trinitate versatur. Tumque secundum naturam movetur, cum omnes amat homines, nullamque adversus quempiam retinet indignationem aut injuriarum memoriam. Concupiscentia autem cum per temperantiam, humilitatem & paupertatem, passiones mortificat, id est, cum non est carnis serva, nec vanam gloriam appetit, sed vertitur ad divinum & immortalem amorem. Concupiscentia namque, ad tria motum habet suum; ad carnis voluptatem, aut ad vanam gloriam, aut ad fallaciam divitiarum: atque per stultam hujusmodi cupidinem Deum spernit, itemque divina, suæ obliviscitur nobilitatis, ac in proximum suum ferocit, cogitationem obtenebrat, neque sinit eam respicere veritatem. At qui sublimiore præditus est mente jam ex hac vita fruitur regno cœlorum, vitamque ducit beatam, eam exspectans felicitatem, quæ diligentibus Deum reposita est.

Divisio & subdivisio multiplex animæ.

Anima dividitur in rationabilem, irascibilem & concupiscibilem. Rationabilis peccata hæc sunt: Infidelitas, hæresis, insipientia, indiscretio, blasphemia, consensus ad perpetranda peccata, quæ ex patibili parte procedunt. Horum porro medela atque curatio est; indubitata fides in Deum & in vera dogmata, frequens meditatio oraculorum Spiritus, pura oratio, & gratiarum actio sine intermissione Deo oblata. Irascibilis peccata sunt, immisericordia, odium, animus commiserationis expers, recordatio injuriarum, invidia, cædes, ac frequens earum rerum meditatio. Horum medela & curatio est, humanitas, caritas, fratrum dilectio, commiseratio, patientia, mansuetudo. Concupiscibilis peccata sunt; edacitas, fornicatio, impuritas, lascivia, avaritia, gloriæ cupido. Horum remedium atque curatio est; temperantia, jejunium, malorum tolerantia, paupertas, largitio bonorum pauperibus facta, bonorum illorum immortalium desiderium, regni Dei appetitio, adoptionis cupiditas.

Notitia cogitationum quibus peccatum omne perficitur.

Cogitationes omnes octo numero sunt. Prima est gulæ; secunda, fornicationis; tertia, avaritiæ; quarta, iræ; quinta, tristitiæ; sexta, pigritiæ; septima, inanis gloriæ; octava, superbiæ. Nostræ porro facultatis non est, ut hæ omnes cogitationes, molestiam vel adferant, vel non adferant; ut vero maneant, & passiones excitent, vel non excitent, nostræ facultatis est. Aliud enim est irruptio, aliud adhæsio, aliud passio, aliud pugna, aliud consensus, aliud operatio. Et irruptio quidem est, simplex reminiscentia ab inimico inducta;

cta; qualis est isthæc: Hoc facito, vel illud: ut A
Matth. 4. 3. Christo olim & Deo nostro dictum est: *Dic ut lapides isti panes fiant*. Hoc, uti dictum est, penes nos non est. Adhæsio, est admissio inductæ ab inimico cogitationis, & quasi meditatio & congressus cum illo circa propositum nostrum. Passio, est affectio ex adhæsione parta, mota ab inimico, passione scilicet ab illo excitata; estque velut admissio, meditatio, & phantasia. Pugna est colluctatio, aut ad eliminandam cogitationem pas-
Galat. 5. 17. sionis, aut ad consensum, ut ait Apostolus: *Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem. Hæc autem sibi adversantur*. Consensus au- B tem est nutus ad passionem cogitationis. Operatio est ipse actus. Deletur vero temperantià, edacitas; divino amore & futurorum desiderio, fornicatio; commiseratione erga pauperes, avaritia; benignitate & caritate erga omnes, ira; spirituali gaudio, mundana tristitia; patientia & tolerantia, & gratiarum actione Deo facta, pigritia; occultis virtutum operibus, ac frequenti oratione, inanis gloria: nullum judicando vel spernendo, ut jactator ille Pharisæus, seseque omnium postremum reputando, superbia. His igi- C tur supra dictis passionibus liberata mens, & ad Deum erecta, jam ex hoc mundo beatam ducit vitam, accepto Spiritus arrhabone: atque hinc profecta passionum expers, cum vera cognitione, ad lumen sanctæ ac beatæ Trinitatis sistitur in sæcula infinita cum sanctis Angelis refulgens.

Distinctio passionum.

Passionum aliæ corporeæ sunt, aliæ animam spectant. Corporeas dicimus, edacitatem, fornicationem, ebrietatem, lasciviam. Animam spectare di- D cimus hasce, odium erga proximum, iram, contentionem, inanem gloriam. Hæ in anima nostra operantur, absente caritate & temperantia; præsente autem caritate atque temperantia, isthæc omnia delentur; alia per spiritualem caritatem, alia per jejunium & temperantiam. Tunc enim mens domesticum lumen accipit, ac Deum nullo obice videt.

De Dei Providentia.

Omnia ex Deo sunt, bona, tristia, indigna; sed alia quidem placito ejus; alia, dispensatione; alia per- E missione. Quæ placito ejus (eveniunt) cum scilicet vitam in virtute agimus; vult namque Deus nos sine peccato degere, atque cum pietate & virtute vitam instituere. Dispensatione autem, quando lapsi & post peccatum admissum, castigamur. Permissione vero, cum castigati non convertimur. Nam Deo placitum est hominem salvum fieri, quemadmodum & Angeli clama-
Luc. 2. 14. bant dicentes: *Gloria in excelsis Deo: & in terra pax, in hominibus bonæ voluntatis*. Cum œconomia vero
1. Cor. 11. 32. nos corripit peccantes, *ut non cum hoc mundo damnemur*, ut ait Apostolus: *Cum judicamur autem,*
Amos 3. 6. *a Domino corripimur. Non est malum in civitate,* F *quod non fecerit Dominus;* id est, pestem, famem, bellorum cædes. Hæc enim omnia peccatum auferunt. Permittit vero atque omnino sinit eos qui sine peccato degere nolunt, correptos non emendari, sed in malitia perseverare, uti scriptum est: excæcavit Deus oculos eorum, & cor
Rom. 1. 28. eorum obscuravit: *Et tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt;* id est,
Exod. 4. 21. permisit ob liberum arbitrium. *Et indurans indurabo cor Pharaonis;* id est, permittam indurari ob ejus animi socordiam.

De libero nostro arbitrio.

Deus hominem liberum fecit, verbo & sapientia ornatum, posita ante ejus oculos vita atque morte, ut si quidem voluerit libero suo arbitrio vitam amplecti, vivat in sæculum; sin pravo consilio viæ mortis insistat, æternum crucietur. Quæ enim natura habet immutabilia, neque supplicio digna sunt, neque præmio. Nemo quippe unquam accusatus fuit, quod sit albus vel niger, aut quod sit proceræ vel parvæ staturæ: ea enim non penes arbitrium nostrum sita sunt. Nam supplicia & præmia voluntati & proposito tribuuntur. Utraque igitur re opus est; voluntate scilicet, seu proposito nostro, ac Dei auxilio & patrocinio. Altero namque deficiente, alterum est inutile. Præscivit e- Rom. 9. 19. nim Deus, prædefinivit, & vocavit; sed eos qui secundum propositum vocati sunt, quemadmodum ait Apostolus, idest, secundum voluntatem: eos quippe qui noluerint, sinit ipse ad suam voluntatem & propositum incedere. Non vim infert arbitrio nostro, neque lædit ipsum. Accepimus enim omnes ad utramque partem; ad virtutem nempe, & ad vitium, liberum scilicet arbitrium. Ex iis quæ a Deo nobis ad usum data sunt nihil est malum: omnia enim quæ ex Deo procedunt bona sunt, & admodum bona; solus abusus malus, qui nostri solius arbitrii est. Quamobrem non cibi mali, sed crapula: neque liberorum procreatio, sed fornicatio: nec vini potus, sed ebrietas: non divitiæ, sed avaritia: non gloria, sed vana gloria. Nihil igitur non agendum, ut abusum fugiamus, atque probe utamur iis quibus a Deo donati sumus. Nam id si agamus, & malitia vitioque superiores erimus, & intra virtutis limites inveniemur.

Brevis & clara formula & notitia fidei nostræ circa sanctam Trinitatem.

Credere debemus, ut baptizati sumus; baptizati autem sumus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, in unam scilicet substantiam, & deitatem & in unum regnum, imperium & virtutem: ac tres hypostases, sive personas, & characteres, & (si ita appellare velis) proprietates. Nam aliud sunt hypostases, aliud substantia. Substantiam quippe appellamus communitatem trium hypostasium: unius enim naturæ & substantiæ sunt tres personæ. Hypostasin autem vocamus, naturam cum characteristicis proprietatibus; alius enim est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Quod quidem proprietates seu hypostases dividit, sed non naturam. Non tamen aliud & aliud, quod divideret naturas; sed ejusdem naturæ & ejusdem substantiæ. Simul enim Pater & Filius & Spiritus sanctus; sed Pater est ingenitus, Filius proles Patris, quasi ex sole lumen & ex mente verbum. Spiritus autem sanctus, emissio Patris. Proprium ergo Patris est quod sit ingenitus seu non genitus, & quod vocatur Pater: proprium Filii, quod vocetur Filius, & gignatur ex Patre: proprium Spiritus, quod vocetur Spiritus sanctus & ex Patre procedat. Trium vero personarum sive hypostasium, una natura, una voluntas, una operatio, una bonitas, una virtus, unum placitum. Quapropter & unum Deum confitemur. Non enim alius ab alio separati sunt, sicut homines, neque sententia differunt: sed simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus una consistunt sine confusione & divisione. Unaquæque autem persona, ut dictum est, suam servat proprietatem, alia Paternitatem, alia Filiationem, alia Processionem. Si ergo te quis interroget: Quid est Pater? responde illi: Quod Filius & Spiritus sanctus, manens tamen Pater. Quod si dixerit: Quid est Fi-

Filius? responde: Quod Pater & Spiritus, manens tamen Filius. Similiterque de Spiritu sancto: illud enim est quod Pater & Filius, manens tamen Spiritus sanctus. Proprietas immobilis, quemadmodum ait vir in Theologis magnus & divinus Gregorius. Quomodo namque dixeris proprietatem manere, si moveatur & concidat. Est itaque deitas, ut paucis absolvamus, indivisibilis in divisis; illud secundum naturam, hoc secundum hypostases. Sicut in tribus solibus mutuo hærentibus, una foret lucis commixtio. Cum itaque deitatem quæ est in una natura respicimus, & primam causam & Monarchiam, unum est quod cogitamus; cum autem proprietates & personas in quibus divinitas, tres sunt quæ adorantur. Exempla porro adsint, quæ obscuram quamdam tantæ rei imaginem adumbrent, divinæ nempe naturæ, juxta Theologum Gregorium, oculi adspectum cogita, aquæ scaturiginem, fontem & fluvium; hæc enim nec tempore aliquo distant, neq. sunt inter se avulsa, ut se mutuo non contingant; tametsi videantur proprietatibus suis distingui. Perpende itam solem, lumen atque radium: mentem, verbum & spiritum, qui exit una cum verbo. Verum, ut quidam dixit: Fides dux esto, non demonstratio. Oportet enim quemque hominem, per pura ac Deo illustrante edita opera, duce usum Spiritu sancto, ut lumine lumen comprehendat, credere in Patrē & Filium & Spiritum sanctū, unā deitatem atque virtutem, in tribus hypostasibus creditam & adoratam.

Quid credendum sit de Domini Incarnatione.

Quod ipsum Dei Verbum incircumscriptum, in-
Hebr. 1. 3. corporeum, Patris unigenitum, lumen ex lumine, fons vitæ & immortalitatis, splendor gloriæ, figura substantiæ, voluntate Patris, qui ante initium, & ipsi coæternus est, & cooperatione Spiritus sancti, ex virgineo sanguine Deiparæ & semper virginis Mariæ, in propria sua hypostasi carnem sibi effinxit animatam & rationalem, atque illam novem mensium tempore ex ipsa efformavit: natusque est Deus homini-formis, id est, Deus & homo, in hypostasi una duas gestans naturas, sine divisione, ac sine confusione: ac duas voluntates duasque operationes, divinas simul & humanas. Volebat enim ut Deus, & operabatur: Volebat item ut homo, & operabatur; sed humana voluntate atque operatione, nec peccato obnoxia. Sine peccato enim assumta est natura humana: atque ex hac ipsa unione, voluntate ambæ unitæ sunt. Quod optaret divina voluntas, id etiam volebat assumtæ naturæ voluntas. Sed voluntatem dicimus operationemque naturalam: quale est, quod manducare vellet, bibere, ambulare: & hæc operabatur, hæc volebat. Verum hæc agebat divina concedente natura; non ex necessitate, quemadmodum nos; sed quod defatigaretur, quod in agone esset, quod peteret a Patre ut transiret calix, id humanæ erat voluntatis. Imo etiam post resurrectionem, atque sessionem ad dexteram Patris, duas naturas confitemur in Christo, voluntate & operandi vi præditas: ubi enim natura rationalis, ibi & voluntas & operatio. Naturales autem duas voluntates dicimus, sed unicam sententiam, dispensante deitate, subsequente autem humanitate, atque concedente ut utraque operaretur.

De differentia virtutum.

Mandata accepimus a Christo & Deo nostro, quæ exinde divinum operanti præbent auxilium, præstantque ut absque peccato degamus, & velut Angeli cum hominibus versemur: pœnitentiam nempe, humilitatem, luctum assiduum, caritatem erga ipsum ex toto corde, dilectionem proximi, puram orationem, nostrum ipsorum abrenuntiationem; utque semper mortem pro illo sustinendam præ oculis habeamus, in ejus lumine sine intermissione ambulemus, nos omni creatura inferiores existimemus, atque assidue ipsi supplicemus. Hæc namque divina jussa, si quis cum fide compleverit, Dei filius efficietur, filius lucis, hæres Dei, cohæres autem Christi, conformis imagini ejus, & complantatus: atque ut paucis & simpliciter dicamus, adoptione secundum gratiam Deus. Sunt porro alia præcepta Christi, quæ remissionem quidem conciliant, imo vero ad perfectionem nos deducunt; quale est, confiteri ac pronuntiare propria peccata, non judicare, non sese negotiis alienis curiose ingerere: eleemosynam ax propriis bonis erogare, quæ accidunt tristia generose & cum gratiarum actione ferre, confiteri se gratis atque ex gratia salutem consequi. Si itaque prima illa ac Dei auxilio implenda mandata, quis compleverit; inde accipit arrhabonam sancti Spiritus; sin non illa quidem, secunda tamen accurate servet; ut flagitiorum suorum veniam consequatur. Quod si utrisque labatur, inutilis sane est hujusmodi homo, miser, & infelix: exspectetque paratum supplicium diabolo & Angelis ejus.

Discretio naturæ (ac conditionis) operum.

Operum alia proprie bona, alia proprie mala sunt, alia media; proprie bona sunt, prudentia, fortitudo, temperantia, justitia; proprie mala, insipientia, ignavia, intemperantia, injustitia. Media, divitiæ, paupertas, gloria, infamia, sanitas, morbus, eruditio multa, ignorantia. Media porro dicuntur, quia per se, nec proprie bona, nec propria mala sunt: sed secundum usum iis utentium, aut hoc aut aliud evadunt. Ita dives qui probus sit, in eleemosynas bona impendit; qui malus ad voluptates iis utitur. Similiter paupertas, si bona sit, tolerantiā, gratiarum actionē & liberalitatem nos docet; si mala, blasphemiam, illiberalitatem, ex eo quod non toleranter agamus, generat. Bona item gloria est, cum nos humilitatem edocet, & futuræ gloriæ desiderium ingerit; mala autem cum servilem animum inducit; atque suadet ut ex hominum timore omnia agantur. Similiter bona est sanitas, cum ea utimur ut Deo placeamus, & mandata ejus operemur; mala autem, cum ea ad intemperantiam, & injustitiam utimur. Item morbus, si gratias agamus, eoque quasi adjutore utamur, bonus est; malus, si ingrato simus animo, atque ad blasphemiam & iram nos ille provocet. Bona pariter est multa eruditio, cum ea ad docendum, & ad causam injuria oppressorum dicandam utimur; mala autem, cum ad vanam gloriam, & injuriæ patrocinium. Bona etiam ignorantia est, cum id efficit ut doctis subjiciamur, ab iisque utilitatem accipiamus; mala autem cū nobis suaserit ut in propria incedamus ignorantia; nec nobis præstantiores sequamur. Simili modo se habent reliqua omnia, scilicet, nobilitas, ignobilitas, pulcra forma ac deformitas, celeritas & tarditas, ars & artis imperitia, dexteritas in ministrando & inhabilitas. Hæc omnia, ut dictum est, in medio consistunt; ut qui iis recte utatur, nihil lædatur ab ipsis, quemadmodum beatus Job. Utroque enim modo exercitatus, praclarus comprobatus est atque inexpugnabilis, ac in omnibus Deo placuit. Non decet itaque rebus ipsis culpam adscribere: nihil enim eorum quæ a Deo data sunt, malum; sed id habent ex seducta nostra, atque spontanea serva voluntate, atque ex animæ circa eas res judicio ad libidinem suam lato: libere namque illa in harumce rerum usu labitur ex propria libidine, dum Dei voluntatem ejusque regnum despicit.

MO-

MONITUM.

HOC *item opusculum Roma nobis missum est, de quo hæc notat qui exscripsit*. Mss. codex Græcus num. 658. membranaceus & in 12. eleganti manu exaratus, videtur habere 400. annos & est Bibliothecæ Vaticanæ. inter alia continet p. 130. sequentem tractatum attributum sancto Athanasio. *At est ignoti cujusdam & Athanasio longe inferioris Scriptoris opus, ut primo adspectu advertet eruditus Lector.*

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
MAGNI
PATRIARCHÆ ALEXANDRIÆ,

Sermo discretionis plenus in Dei mandata, pro iis qui sæculo renuntiarunt & qui salutem consequi volunt.

1. DILECTI de salute nostra solicitudinem geramus, quia tempus breve est: nec potest quisquam suam curare animam, donec curat quæ corpus spectant. Quemadmodum enim non potest quisquam uno oculo in cælum respicere, & alio in terram; ita non potest homo de Deo simul & de corpore curare. Sicut non potest fons ex eodem foramine emittere aquam dulcem & amaram, sic non potest homo & Deo placere, & carnis concupiscentiam perficere. Sicut non potest spina, oleæ fructum ferre, ita non potest homo & cælestia quærere, & terrena concupiscere, ut ait Dominus: Non potestis & Deo placere & carnis concupiscentiam perficere. Unde & Apostolus Paulus
Philip. 3. 8. hæc cum audisset, & omnes carnis affectus in se abscidisset, ait: *Propter quem omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam*, ac cum illo regnare possim. Cum cibo autem potimur & vestitu, his contenti simus. Nam qui divites esse volunt, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, ac in absurdas concupiscentias.

2. Tu autem, o frater, ne cuipiam hujus mundi rei animum adhibeas, ut salutem consequi possis, sed justitiam exerce, & veritatem, amorem & timorem Domini, mansuetudinem, obedientiam, temperantiam, injuriarum oblivionem. Odio habeto mundana verba, ut cor tuum videat bonum. Ama frequentem orationem, ut illuminetur cor tuum. Da pauperibus divite oculo, ut ne confundare ante tribunal Christi. Aversare ciborum cupidinem, ne Amalec ille passionum te circumdet. Vigil & celer esto in orationibus, ne te fera devoret. Vinum aversara, ne priveris gaudio Dei. Ama fideles, ut per eos * eleemosynam largiaris. Dilige Sanctos, ut eorum te zelus trahat ad virtutem. Memento exitus animę tuę, & non multū peccabis in Deū. Recordare semper regni cælorum, ut ejus desiderium te trahat ad illud: in animo habeto gehennam ignis, & atrocium cruciatuum, ut odio habeas prava opera. Præpara te igitur quotidie ad occurrendum Christo; venturus quippe ille est invisibiliter. Quotidie te ipsum examinato, ac disquire, num quodpiam Christi mandatum neglexeris, atque illud impleto. Videant fratres tui opera tua, & zelus ille qui secundum Deum est, devorabit eos. Teipsum quotidie examinato, ac perpende quam passionem mortificaveris, & da gloriam Deo, illius namque est misericordia. Ne reputato te fecisse bonum coram Deo, ait enim:
Luc. 17. 10. Cum omnia feceritis, tunc dicite: Servi inutiles sumus. Ne superbias quia nunc bonus es, non potes enim tibi confidere ob inimicos tuos.

3. Ne confidas tuo ipsius corpori. In eo qui dæmonas pertimescit, propalam est non esse timorem Dei. Qui enim Deum timet ex toto corde suo, firmus est adversus illos. Qui sese non metitur & respicit, sed ignotum se tenet, hinc compertum habet, se non quærere voluntatem implere suam, sed divinam. Qui multis suum profert & manifestat sermonem, hinc commonstrat in ipso non esse Dei timorem. Qui vult salvus fieri, Deo vacet, & passiones conculcabit. Cura & solicitudo in cogitationibus fugat passiones: scriptum enim est: *Cura superveniet in virum sapientem*. Ut pigritia auxilio est passionibus, sic æquanimitas & tolerantia est virtutum robur. Neminem judicare id murus est prævalidus; vituperare autem & obtrectare, id animam conjicit in perniciem. Linguam suam cohibera posse, id palam facit, virum esse in virtutibus exercitatum. Lingua autem effrænis, comprobat hominem non esse virtute intime præditum. Misericordia quæ in mente & cogitatione exsistit, parit prospiciendi facultatem, ac ducit ad caritatem; sed animus immisericors parit inhumanitatem. Mater virtutum est commiseratio; complementum autem malorum est inobsequentia. Bonitas parit castitatem, iracundia inordinatos affectus. Cordis durities gignit iram. Pigritia parit indigentiam. Somnus nimius, tumultum gignit affectuum. Salus autem animæ sunt vigiliæ moderatæ. Somnus nimius turbam excitat phantasiarum: flos autem sunt animæ, vigiliæ cum oratione. Somni diuturnitas cor hebetat, sed vigiliæ excitant ipsum. Vigilias dico illas quæ secundum Deum aguntur, cum psalmis, hymnis & canticis spiritualibus. Iis enim qui vigilias consabulando & garriendo exigunt, præstat cum silentio dormire.

4. Luctus passiones fugat, risus a Deo separat. Humilitas id efficit ut hominem non reformidemus; gloria autem hominum parit superbiam. Iræ vacuitas parit mansuetudinem; injuriarum memoria parit exitium. Dissolutio pellit virtutes; angustia deprimit passiones. Concupiscentia ciborum, in pravos affectus inducit, temperantia ejicit illos. Cultus corporis est animæ pernicies, macies corporis est renovatio animæ. Corporis contemtus est salus animæ, cura corporis laqueus animi, macies corporis est illuminatio animæ. Mentem sursum semper intendere, id parit caritatem erga Deum; solicitudo vitæ, virtutes eliminat. Oris custodia excitat mentem ad Deum, loquacitas parit socordiam & furorem. Proximi voluntatem implere, id significat mentem ad virtutes

tutes spectare: suam vero sequi voluntatem, id indicat ignorantiam. Meditatio cum timore, custodit mentem ab omni malo: mundana loqui verba, id animam tenebris offundit. Mundi res & negotia diligere, id mentem separat a Deo: paupertas efficit, ut cum fiducia Deus respiciatur. Cogitationes non aperire, id significat hominem quærere vanam ac turpem mundi gloriam; spiritualibus autem patribus patefacere, id eas eliminat. Monachus ceu rubigine corroditur hominum gloria, si tamen cor ejus ei morem gerat. Quemadmodum vermis aut smilax vineæ complicatus, ejus fructum enecat; sic vana gloria enecat Monachi fructum; si tamen cor ejus ipsi obsequatur. Præit omnibus virtutibus humilitas, præit omnibus passionibus audacitas. Finis virtutum caritas, complementum malorum est, sese reputare justum.

5. Sicut vermis corrodendo lignum enecat ipsum, ita memoria injuriarum enecat Monachi animam. Sese prosternere in conspectu Domini, id efficit ut contumelia toleretur sine perturbatione: sese non despicere, id parit superbiam. Ne tuæ virtuti confidas, tibique aderit Dei auxilium. Ne inimicitiam cum aliquo habeto; alioquin minime accepta erit oratio tua. Veritatem dilige: * nam si mentiare bonum vilipendis. Custodi oculos tuos, & cor tuum ne videat malum. Qui namque cum voluptate mulierem respicit, in fornicationem incidit. Aures serva tuas, ne quodcumque pravum semen tibi colligas. Fuge obtrectationem nequissimum dæmonem, pacemque habe cum omnibus, ut in oratione fiduciam habeas. Ne cupias audire quidquam triste & damnosum ex quovis homine: ne ipsi in corde tuo par referas. Operi manuum incumbe, ut mendicus panem suum apud te reperiat: nam otium mors est animæ. Frequens oratio animam liberat ab omni malo, * nugæ autem, dæmonum domicilium constituunt. Sedens in cellula tua, de his assidue esto solicitus, nempe de oratione, de meditatione, de opere manuum. Memento quotidie ubinam sis, & quid opereris. Quod si quando opus sit ut aliquo proficiscare, curam tui habe. Si quando tibi suggerat cogitatio tua, quemquam esse qui aliquid habeat adversum te, ne despicias eum, sed inclinato te ante illum.

6. Ne negligas ministeria singulis horis implere tua; ea enim illuminationem adferunt animæ. Si bona egeris ne gloriere; sin multa mala admiseris, ne immoderate doleas, sed statue te numquam illa commissurum, & salutem consequere. Si tibi molestiam ferat cogitatio fornicationis, orationem sine intermissione Deo offer, & sedabit illam. Si zelus & invidia cor tuum oppugnet, memento nos membra esse Christi omnes, & sive honorem sive vituperium proximi nos omnes spectare, & a te fugiet invidia. Hæc omnia si colligat discretio, ac secum illa reputet, virtutes quidem sibi conciliat, vitia autem eliminat. Impossibile autem est ut tibi accedat discretio, nisi prius virtutes illius sectatus impleveris; præ omnibus autem animi tranquillitatem. Tranquillitas animi parit exercitationem; exercitatio parit compunctionem, & fletum; fletus gignit timorem; timor humilitatem; humilitas prospiciendi facultatem; prospiciendi facultas, amorem; amor id animæ comparat, ut cum Angelis versetur. Tunc autem postremo cognoscit homo, quod sit a Deo longe remotus. Qui vult igitur, fratres, ad pretiosas istas omnes virtutes pervenire, cujusvis negotii cura vacuus sit oportet, odioque mundum hunc habeat. Ac tum demum dignus habetur, qui hasce virtutes obtineat a Domino.

7. Hoc autem discito, frater, quisquis homo immoderate edit aut bibit, aut cum hoc mundo abreptus circumfertur, is dignus habitus non fuit qui ad hosce terminos accederet. Nam si prædia & vineam habes, aut domicilia, seu quidvis aliud hujusce sæculi, cur non uxorem etiam accepisti, qui te ipsa seducis ignorans eum qui in spinis seminatur, non ad perfectam feracitatem devenire? Qui porro otiatur, non potest nosse Deum. Moneo etiam quemvis hominum qui pœnitentiam suam Deo offerre velit, ut sese cohibeat a nimio vini potu: multi namque hac in re sunt lapsus. Ne pugnam igitur consideres & pertimescas, donec es in hoc corpore, neque tibi ipsi confidas. Stemus itaque, fratres, stemus in timore Domini, neque in hac pugna animo deficiamus. *Non enim est nobis pugna cum carne & sanguine, sed cum principatibus, cum potestatibus, adversus mundi rectores tenebrarum hujus sæculi, adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus.* [Ephes. 6. 12.] Induamus arma virtutum, quasi milites, quia labor, defatigatio, angustia, tranquillitas desideriorum, non modo nos custodiunt a telis inimici; sed etiam regni cælorum hæredes nos constituunt.

8. Decertemus itaque, fratres, in hoc brevi tempore, ut regnum cælorum consequamur. Magister enim noster Jesus Christus ita dixit: Decertate donec veniatis per angustam portam, ac per arctam viam. Vigilate itaque omni hora, quia nescitis qua hora Dominus venturus sit. Ne forte intret derepente, & inveniat vos dormientes. Videte nequando graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, ac superveniat vobis derepente hora. Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas. Neque timeatis ab iis qui occidunt corpus. Videbam enim Satanam, quasi fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, neque lædent vos. Hoc non solum ipsis Apostolis tradidit Dominus, imo vero omnibus qui salutem consequi voluerint, ac ejus exsequi mandata. Vide autem tu qui his contradicis, Sanctorum myriadas. Dedit enim nobis potestatem, filios Dei fieri. *Noli timere, pusillus grex, quia complacuit Patri* [Luc. 12. 32.] *vestro dare vobis regnum cælorum. Vendite quæ possidetis & date eleemosynam, & habebitis saccos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Cum autem sancti ejus Discipuli hoc ejus mandatum implessent, ait illis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* [Joan. 14. 27.] Nam qui diligit me, mandata mea servabit, & ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. [Joan. 14. 23.]

9. Docens autem nos tentationes generose ferre, atque certamina: In mundo, ait, tribulationem habebitis. Sed *confidite, ego vici mundum.* [Joan. 16. 33.] *Vos autem estis qui permansistis propter me in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut comedatis & bibatis super mensam meam.* [Luc. 22. 28.] Hæc autem non omnibus ait, sed iis qui ferunt tentationes & ærumnas cum æquanimitate. Cum accederet ad sanctam passionem crucis, sic ait: qui vult comedere & bibere super mensam meam, mecum adeat crucem, id est, mortuus & ipse sit mundo sicut & ego, scilicet per mandatorum meorum custodiam. Quæ cum audisset Paulus Apostolus, omnesque carnis sensus abscidisset, ausus est dicere: *Cum Christo crucifixus sum. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* [Galat. 2. 20.] Etenim quamdiu carnaliter ambulamus, mortui sumus propter peccata. Ait enim: *Qui Christi sunt carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* [Galat. 5. 24.] Si una morimur, una vivemus. Si sustinemus, una cum ipso regnabimus; sin abnegamus, & ipse abnegabit nos. Quis itaque est qui abnegat, nisi qui secundum carnis concupiscentias ambulat?

bulat? Ipse namque est qui contumeliam infert baptisimati. Ecquis ex nobis est qui non contumeliam inferat baptismati, ob varia maligni illius artificia? Sed propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos Dominus noster Jesus Christus, dedit nobis pœnitentiam usque ad extremum halitum. Nisi enim esset pœnitentia, nequaquam salva fieret omnis caro, ut ait Dominus: *Amen, amen dico vobis, non ita gaudet Deus de nonaginta novem justis, ut de una peccatore pœnitentiam agente.* Mat. 18. 12.

10. Curemus, fratres, pœnitentiam agere, donec sumus in corpore, fleamus, & abluamus occulta cordis vulnera. Futurum enim est ut appareant nostra facinora ante tribunal illud tremendum. Appropinquabit enim Dominus, & veniet super throno sancto gloriæ suæ, ac congregabuntur in conspectu ejus omnes gentes. Et quisque sua lucerna illuminabitur: quisquis autem oleo carebit, ejus lampas exstinguetur, & abibit ipse in tenebras exteriores. Curam itaque habeamus, fratres, & impleamus oleo vasa nostra, ne in tenebras projiciamur, & in ignem æternum. Vas enim est pœnitentia; oleum vero, virtutum exercitium; splendida lampas, est sancta anima. Decertemus itaque, fra- B

A tres, quia appropinquavit dies. Beatus homo qui hujusmodi solicitudinem habet quotidie, & singulis horis. Nam fructus ille serus, vera est messis tempestas. Beatus ille qui fructum servavit suum; eum colligent Angeli in æternum horreum. Væ autem mei similibus, hoc est, zizaniis, quia ignis illos possidebit. Fugiamus ergo, fratres, mundum & omnia quæ in eo sunt, & hæreditate accipiemus bona illa: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. 9. Denique, fratres, in his state, hæc meditamini, nec negligatis; ut dignetur Dominus B præstare ut hoc præceptum nocte dieque custodiatis, & salvos faciat vos in regno suo cælesti. Quisquis hæc præcepta legit vel audit, nec servat ea, in eo impletur parabola de semine, quod cecidit in petram, & quod terram non haberet statim exsiccatum est. Qui autem legit & facit, similis est semini cadenti in terram bonam, quod fructum adtulit, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula, amen.

MONITUM.

Postea sequitur in exscripto Roma nobis transmisso aliud opusculum ex codice ms. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1148. in charta papyracea in 4°. p. 65. cujus titulus: τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου τοῦ μεγάλου διδασκαλία πρὸς μοναχούς, *imperiti hominis, & infimæ prorsus ætatis. Est autem codex infinitis pene mendis respersus, ut vix erui possit apta sententia.*

Aliud opusculum a Fratribus nostris Roma transmissum infacundi hominis & nugacissimi opus est, ex codice Vatican. 1198. exscriptum: mendis innumeris respersum & nugis plenissimum, cujus titulus est, Ἀθανασίου τοῦ μεγάλου ἐξηγητικὸν περὶ τοῦ ἐν Ἀθήναις ναοῦ, *initium vero idem quod 136. quæstionis ad Antiochum.* τοὺς τὰς θείας γραφὰς μὴ ἐπισταμένους.

Edendum tamen duximus, ut videas, Lector erudite, quousque ineptiarum progredi queat Græcia mendax. *Prodit autem ex manuscr. codice Græca Bibliothecæ Vaticanæ num. 1198. in folio in charta papyracea, ætatis circiter 200. annorum.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII MAGNI

Doctrina ad Monachos, lenis, atque spiritualis.

QUI Domino credit, & in sese convertitur, ac perfecte ad disciplinam sese tradit, discat oportet, esse primum ab omni peccato abscedendum. * Deinde sese pertrahat ad debita officia, probe adsectus erga Dominum nostrum. Etiamsi hæc loquendo, absurdus tibi fortasse videar esse. Nam fieri nequit eum qui peccatum admittit, implicaturque hujusce vitæ negotiis, ac solicitudinibus, servituti earum rerũ quæ ad vitã sunt necessariæ sese tradere, aut disciplinam subire Christi; qui non ante adolescenti illi dixit, *Veni sequere me*, quam præcepisset illi, ut suas venderet possessiones, daretque pauperibus: sed neque prius ista jussit, quam ille confessus esset dicendo: *Hæc omnia custodivi a juventute mea*. Etenim qui remissionem peccatorum nondum accepit, neque a delictis absolutus fuit per sanguinem Domini nostri Jesu Christi; sed diabolo obsequitur, atque peccatis ipse suis captus detinetur; nullatenus potest servire Domino, qui numquam controvertendam protulit sententiam cum dixit: *Quisquis peccatum facit, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in sæculum*. Testatur item qui in Christo loquitur Paulus: *Qui servus est peccati, liber est a justitia*. Ac rursum Dominus: *Nemo potest duobus dominis servire, &c.* quibus docuit palamque o-

* Locus vitiosus. — Marc. 10. 21. — Luc. 18. 21. — Joan. 8. 34. — Rom. 6. 20. — Mat. 6. 24.

C stendit, ne illos quidem qui rerum ad vitam necessariarum solicitudine tenentur, posse ipsi servire, neque id ediscere, cujus Apostolus consideratione sua, ampliorem notitiam est assequutus: ait enim: Quę participatio justitiæ cum iniquitate, & quæ communicatio luci cum tenebris, quis consensus Christi cum Belial? Quæ portio fidelis cum infideli? quę concordia templi cum idolo? Rursumque ita pronuntiat: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; hæc enim sibi adversantur, ut non quæ volueritis faciatis*. D Primum oportet liberari a dominatore diabolo, qui in peccatum inducit eum qui subditus ipsi est. Diximus velle nos, abdicatis omnibus præsentibus atque nobis ipsis, ac relicta vitæ affectione, disciplinam subire Christi, sicut ipse loquutus est: *Si quis post me veniat, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; id est, eum qui discipulus meus est. Non modo bona & vitæ necessaria despicere præcipimur; sed etiam mutua officia quæ secundum naturam & legem sunt, superare & omittere jubemur, dicente Domino: *Qui diligit patrem & matrem plusquam me, non est me dignus*. E Similiter quod consequitur, proxime situm est, imo longissime ab iis qui sunt extranei a fide. Quamobrem vehementer hortatur, ut cum perseve-

Gal. 5. 17. — Mat. 16. 24. — Mat. 10. 37.

severantia asceseos labores sustineamus, in nullo metuentes inimici adversum nos paratas insidias. Præterit figura hujus mundi. Ad hæc, fallacia & tribulatio hujus vitæ temporanea est, brevisque temporis: vita vero quæ in Christi servitute agitur est æterna, perpetua & immortalis: quam exspectamus nos qui Christi servi sumus: cujusque causa mundum abdicavimus, omnesque concupiscentias ejus. Neque debemus eorum meminisse, quæ ejus præcepti servandi causa dereliquimus; ne temporalia rursum expetentes, vitam æternam amittamus. Mentiri quippe nequit, qui dixit: Quisquis dimiserit domum & reliqua. centuplum recipiet & vitam æternam possidebit. Neque enim, ut quidam interpretantur, hæc loquutus est Dominus de iis qui tempore persequutionum pro nomine ejus martyrium subierunt. Nequaquam enim dixit: Ii solum qui pro nomine meo, in tempore persequutionum corpora sua tradent, vitæ æternæ hæreditatem possidebunt; sed quotquot pro nomine ejus mundum & concupiscentias ejus atque bona abdicabimus, cum omnibus, atque iis etiam qui pro nomine ejus martyrium subierint, eam possidebimus. Namque omnes pauperes spiritu, omnes mundos corde, mites, omnesque similiter qui timent nomen ejus beatos esse dixit Sal-
Luc. 6. 20. vator, *quoniam vestrum*, inquit, *est regnum cœlorum*. Martyres enim plerumque vel uno temporis momento concertantes consummati sunt; Monachorum vero institutum vitæ, certaminibus suis quotidie martyrium subit, non a sanguine & carne; sed adversus principatus & potestates, mundi rectores tenebrarum sæculi, adversus spiritualia nequitiæ, usque ad extremum halitum luctatur atque dimicat.

* * Dei armatura munita: ac omnia potest per eum qui ipsum consortat & miseratur, Christum. Nobis In parabola divitias suas tribuere cum cupiat
Mat. 13. 45. Dominus, ait: *Simile est regnum cœlorum negotiatori quærenti bonas margaritas, &c.* Hanc confirmans sententiam, ita loquitur Euangelista: *No-*
1. Joan. 2. 15. *lite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Qui enim diligit mundum, non diligit eum qui se dilexit Dominum.* Qui vero hunc mundum & scandala quæ in eo sunt odio habuit, & voluntatem Dei diligit, is manet in sæculum. Dominus enim, quo nos a mundi conversatione dejiceret, dixit: *Nemo mittens manum suam ad*
Luc. 9. 62. *aratrum, & retro conversus, aptus est ad regnum*
2. Tim. 2. 4. *cœlorum*. Apostolus vero ait: *Militans implicatur hujus vitæ negotiis*. Ac rursum Dominus: *Qui*
Matt. 13. 16. *in agro est, ne retrogrediatur*. Hoc est ne meminerit eorum, neque cupiat denuo adire conversationem, quam propter Deum & ejus præceptum

A perosus dereliquit. Ne timete igitur tentationes a diabolo nobis immissas, etiamsi variæ sint: Scriptum enim est: *Fili mi, si in animo habeas* Eccli. 2. 1.
servire Deo, præpara animam tuam ad tentationes. Habeas in corde tuo patientiam, exspectans Dei auxilium; major quippe ille est diabolo te impugnante, quemadmodum plerumque dicitur: Major est qui est in nobis, eo qui in mundo est: Et Psalmista: *Non timebo mala, quoniam tu* Psal. 22. 4.
mecum es. Et, *Dominus illuminatio mea & Sal-* Psal. 26. 1.
vator meus, quem timebo? Etiamsi consistant in me castra, non timebit cor meum. Et, *Dominus* Ibid. 3.
B *mihi adjutor*. Et, *Ego despiciam inimicos meos*. Non Psal. 17. 6.
oportet igitur eum qui Domino servit diffidere, quasi non ab eo semper protegatur; ipse namque dixit: Non te deseram, neque te derelinquam. Si enim illum posuisti refugium tuum, non accedent ad te mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, &c. Quapropter hortor vos, fratres, nullatenus maligno cedamus, neque nos morti tradamus, ob quamcumque voluptatem, sed memores eorum quæ nobis reposita sunt in cælis bonorum, hæc omnia despicia-
C mus. Ne itaque dum gloriamur, eorum, qui ante nos fuere, ludibrium esse videamur. Unicuique enim in vocatione qua vocatus fuit manendum esse, in Christo præcipit Apostolus, ut patientiæ coronam, a remuneratore Christo accipiamus. Scriptum enim est: *Concupiscentiam tuam* Apocal. 2. 7.
per patientiam vincito, & eris perfectus in Christo. Et, *Vincenti dabo comedere de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi*. Ait iterum Dominus: Quicumque per lignum crucis omnes carnis passiones vicerit, huic dabo stolam albam. Si namque Dominum timeamus, inenarrabilia
D bona, & coronæ gloriæ nobis præparatæ sunt. Non enim ex sanctorum jussione bellum committitur contra inimici dolos; sed victoria de ipso per auxilium Domini reportatur; & quidem a trium hominum generibus, ut ipse Dominus in Parabola de seminibus loquitur, alius triginta, alius sexaginta, alius centum. Horum vero ordinum varium statum, si sacras quidem Scripturas evolveris, reperies. Martyres sunt, ut mea fert opinio, qui centesimum faciunt fructum: Virgines, quæ sexagesimum; reliqui vero qui secundum mandata Domini curantes sese in omni Deo
E accepta conversatione inculpatos custodire, trigesimum. Contingat nobis, o Christe Jesu, discipulorum tuorum in numero constitui, & sacris tuis perfrui bonis, nunc & in infinita sæcula sæculorum, amen.

De Templo, de Scholis & Theatris quæ Athenis exstant.

A T H A N A S I I   M A G N I,

Commentarius, de Templo Athenarum.

IIS qui sacras Scripturas ignorant, suadere debemus, ut ex ipsa rerum natura de Dei cognitione verba faciant. Videmus namque inter res creatas, substantias quasdam, quæ non secundum naturam, sed supra ipsam naturam, sibi mutuo ministrant. Qualis exempli gratia est, aquæ natura, quæ fluida est ac deorsum tendit; quomodo conspicimus tamen eam a siphonibus, ut vocant, a mari ad nubes usque deduci: quodque mirum dictu est, quæ salsa ascendit aqua marina, in pluvia
F dulcis delabitur? Quomodo item cum corpora natura sua in imum tendant, in aquis tamen Marmaricæ Pentapoleos, neque in imum tendunt, neque demerguntur? Quin etiam cum aqua & ignis contraria sint natura, una tamen aliquando erant (1) in Lyciæ monte quem Olympum vocant, ut innumeri viderunt homines, & hactenus etiam vident qui eo loci versantur. Et alia his similia in rerũ natura videntur & admirationi habentur; quæ sane omnia non ita supra naturam fieri pos-

(1) Affine est quod ait Aristoteles, περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων Tom. 2. p. 1163. καίεται δὲ συνεχῶς περὶ Λυκίαν ἢ μεγάλην πόλιν τὴν ἐν Πελοποννήσῳ. Ubi Interpres inerudite, *Megarum Peloponnesi urbem*, vertit. Neque enim Megara erant in Peloponeso. Sed hic Megalopolis Peloponesiaca urbs memoratur.

possent, nisi esset aliqua Dei substantia quæ his dominaretur, iisque imperaret non sibi mutuo adversari. O Gentiles! qui fit ut ingenti facto tonitru, tota hominum natura tremat, horrescat, obstupescat. Quo utique indicio ostendit, se Domino subjici tonitruorum auctori. Et hæc quidem sunt argumenta, quæ Gentilium rudiores & imperitiores ad Dei cognitionem deducere possint. Ad illorum autem sapientes dicimus, ex antiquis præstantibusque philosophis, multa de Dei cultu testimonia, quosdam Græcorum sapientes protulisse, imo etiam Christi œconomiam seu Incarnationẽ præsignificasse. Etenim multis ante Christi adventum annis, sapiens quidam Apollo nomine, divinitus, ut puto, permotus, templum Athenis exstruxit, in cujus altari hanc inscriptionem posuit *Ignoto Deo.* Eo igitur in loco convenere primi Græcorum philosophi, ut de templo illo ipsum interrogarent, necnon de Prophetia & de Dei cultu, quorum nomina proferemus. Primus, Titon; secundus, Bias; tertius, Solon; quartus, Chilon; quintus, Thucydides; sextus, Menander; septimus, Plato. Hi septem Philosophi Apollini dixerunt: Vaticinare nobis, o Propheta, O Apollo. Quis est hic, dic, cujus est altare cui tu adstas? Tum Apollo ait. Quę quidem ad virtutem & decorem spectant, quæque vos facere pertimescitis, facite tamen. Ego namque mando ter unum superne regnantem, cujus verbum non vocale, in puella inclusus erit, qui quasi arcus ignita mittens tela, totum mundum captum Patri in donum offeret. Maria autem est puellæ nomen. Prophetiæ vero hæc est explicatio *** de Templo primus sermo intelligitur. Quæcumque, ait, ad Templi ornatum & decorem præstare poteritis, Deo & hominibus placita erunt. Ego namque arbitror esse in cælo, in tribus hypostasibus magnum altissimũ Regem. Hujus (filius) expers initii Deus & Verbum, innupta in Virgine incarnatur, & quasi arcus ignita mittens tela, seu ut quidpiam eo validius, totum mundum piscabitur, homines scilicet quasi pisces ex profundo infidelitatis & ignorantiæ extrahet, quos Patri in donũ offeret. Maria autem nomen ejus erit. Et hæc quidem vaticinando dixit Apollo. Titon dixit * * * * * Cælestem Dei & Patris Filium viri expers puella in utero gestat. Bias inquit: Hic est qui de cælo venit, quique flammantem æternum ignem submittet: quem tremunt cælum, terra, mare, tartari, & in profundo demersi dæmones, Imperator felicissimus. Solon ait: Vel sero tandem in hac navicula ad terram appellet Deus, & absque peccato fiet caro insatigabilis deitatis, quæ insanabilibus morbis medelam allatura est. Hic ad tantillum temporis spatium, populi invidiæ subjicietur. In altum suspensus, quasi ad mortem damnatus, erga omnia mansuetus cadet. Chilon inquit: Insatigabilis erit Dei natura, ex ipso autem est qui substantia est atque Verbum. Thucydides ait: Deum venerare, ac discito illum: ne tamen quæras quis aut quomodo sit. Non enim est tempus quo ille non sit, ut exsistentem cole, atque ita edisce illum. Impius namque mente est, qui velit ediscere quid sit Deus. Menander ait: Antiquus novus, & novus antiquus: Pater solus & solus Pater: Unum tria & tria unum: carnis expers carnale. Terra peperit cælestem regem. Plato dixit: Quoniam bonus est Deus, non omnium esse causa potest. Multorum non est ille causa. Et bonorum quidem nulla alia causa potest esse: malorum non item. Rursum ii septem dixere, ita quidem de Christi œconomia, & de Trinitate (dictum sit.) Alius porro Græcorum fuit, vir sapiens, Æsculapius nomine cum quibusdam aliis: philosophisque omnibus interpretationem aliquam postulantibus, atque de Deo reconditioris Philosophiæ verba audire cupientibus; accepto Mercurius calamo, hæc scripsit: Nisi providentia quædam esset omnium Domini, numquam hujusmodi sermonem revelare vellent, neque nos ille in ejusmodi operibus detineret, ut de his quæstiones haberentur. Neque enim viris non initiatis possibile est ejusmodi tradi mysteria, sed audite, ac mente attenti estote. Unum solum erat. Lux spiritualis ante lucem spiritualem: Erantque illa, conjunctio mentis cum luce & cum Spiritu. Omnia ex ipso & in ipsum, in prolificum ex prolifico. Descendens in prolificam aquam, prægnantem effecit aquam. Viden' quo pacto Græci prophetavere, ac eum qui ante omne principium erat, quique una cum illo expers principii est, Filium & Verbum: necnon ejusdem throni participem & consubstantialem Spiritum, itemque venerandam crucis passionem prænuntiarunt. Ipsi gloria & imperium, cum Patre principio carente, & sanctissimo Spiritu, in sæcula sæculorum, amen.

IN TRACTATUM DE CORPORE ET ANIMA,

MONITUM.

EN tibi, Lector erudite, eum sistimus tractatum, quem memoravit Gerardus Vossius in Gregorii Thaumaturgi Editione Parisiensi anno 1622. p. 120. Ubi ait ille, exstare Græce Romæ in Bibliotheca Sfortiana num. 77. pulcram sancti Athanasii Episcopi Alexandrini tractationem, de natura corporis & animæ, & de separatione animæ a corpore. At vereor ut vir eruditus æquus hac in parte rerum æstimator deprehendatur. Tametsi namque quædam hic sunt, quæ non abs re dicuntur; alia tamen sunt futilia & Athanasio magno indigna, cujusmodi est frigida illa animæ definitio, & similia quæ tute advertas. Unde porro jam prodeat hoc opusculum, ex hisce Joannis Guillotii nostri verbis accipe, qui sua manu exscripsit, nobisque transmisit. Ex cod. Græco Bibliothecæ Vaticanæ num. 700. in charta papyracea. Videtur habere 400. annos. Est eleganti manu, sed minusculis litteris exaratus. Est collectio diversorum operum, & fragmentorum SS. Patrum. Continet inter cetera sequens opusculum.


SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

De corpore & anima.

EXPLORATUM est corpus constitutionem suam accipere ex elementis, pariterque dissolutionem. Quamobrem corpora sive hominum sive ceterorum animantium facile corrumpuntur ac moriuntur, cum ex quatuor elementis sint composita, nempe terra, sole, aqua & aere, quæ & ipsa nec senio, nec marcore libera manent, quemadmodum & corpora, cum corpora omnia ex terra sint facta. Res autem simplices nec compositæ, facile perseverant, & usque ad consummetionem indissolutæ manent: qualia sunt, sol, hominis anima, lux, luminaria, aer, aqua, ignis, spiritus, omnia demum simplicia * *. De anima vero hæc dicimus: quod scilicet in illa sint quinque passiones; quæ passiones animales vocantur. Sunt autem illæ: Ira, tristitia, timor, solicitudo, invidia. Qui vero sagaci instructus est cogitatione, omnibus potest imperare. Anima vero, secundum se existit quasi ignis ardens. Quemadmodum ignis ea quæ in lebetem conjiciuntur concoquit; ita & ignea anima, cibos in ventrem immissos comminuit & consumit. Etiamsi porro ψυχὴ seu anima nuncupatur, non ita tamen vocatur, quod sit ψυχρὰ seu frigida, ut ex simplicioribus quidam arbitrantur; sed quia vehementia caloris humida exsiccat, ut ex solis vi & efficacia compertum est: cum sit enim igneus calidusque, lutum exsiccet, & humiditatis plenum quodlibet in exhalationes solvit. Quod autem anima sit natura sua calida; id sane mortuorum exemplum tibi persuadeat, qua enim hora a corpore anima separata est, omnia membra congelata deprehenduntur; nihilo minus quam quis hyeme patiatur. Quamdiu enim anima cibum copiose A recipit, viget corpus ac vegetum est; ubi vero alimento privatur, ipsum corpus cibi loco obsistit animæ calori. Quemadmodum vas æneum, seu lebes in clibano, non potest sine aqua ferre ignis vehementiam; torretur enim ac prorsus dissolvitur; eodem quoque modo corporis lebes, si caret alimento, ab ignea anima prorsus tabefactus omnino deficit. Si cupias ab aliquo ediscere qui se habeat anima in corpore, sic interrogato illum. Dic mihi, in toto-ne corpore habitat anima hominis, an aliquo in loco? Quod si dixerit tibi: In toto corpore, dic illi: Et qui fit, ut abscissa manu vel pede hominis, non secetur anima, sed B adhuc homo vivat, nec moriatur? Sin dixerit tibi: In uno loco; repone illi: Quomodo ergo subsistunt alia omnia membra? Quidquid enim anima caret, mortuum est, nec scio quid dicere velis. Ego autem dico tibi, quo loco, qua ratione, & ubi requiescat anima: tribus in locis corporis firma consistit; ac quemadmodum radius solis in unum semper domus locum concedit & ingreditur, illuminatque totam domum; ita & anima tribus in locis corporis habitãs, totam corporis domum collustrat. Habitat porro in corde, in posteriore capitis parte, quam cotylum vocant, & in basilicis seu regiis venis. In hisce tribus C partibus habitat anima. Quamobrem qua hora percutitur caput, aut cor, aut ex basilica vena emanat copiose sanguis, statim a corpore anima separatur, ac mortuum corpus invenitur. Anima porro in tribus hisce partibus habitans toti corpori propriæ virtutis illustrationem dispensat.



IN

IN LIBROS DE TRINITATE

ADMONITIO.

MULTA *de hisce libris occurrunt investiganda: nam ut incertus auctor, sic varia eorum forma, diversa omnino operis totius distributio: nec minoris est operæ primigenium & nativum assignare ordinem, quam, qui sit antiqui hujusce fœtus pater, indicare. In manuscriptis sane omnibus, ut & in editis quos inspicere licuit, opus Athanasio adscribitur. At non par ubique librorum numerus. Discrimen totum ut Lectori exhibeamus, qui in manuscriptis, quique in Editis sit operis status, quæ conditio, jam enarremus. In manuscripto itaque nostro Sangermanensi, n. 724. sexcentorum circiter annorum hoc præmisso titulo:* Incipit liber sancti Athanasii Episcopi de sancta Trinitate. *Hisce verbis inchoatur:* Tu unus Deus Pater & unigenitus Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. *Atque hic est liber primus.*

Ad librum secundum hæc est inscriptio: Incipit liber secundus, de propriis Personis, & de unito nomine divinitatis. *Postea sic exordium habet:* Interrogatio. Nunc per singula nomina Personarum, ut nomen deitatis mihi exponas postulo.

Ad librum tertium. Incipit liber 3. de Assumtione hominis; *cujus initium.* Quemadmodum una deitate, eandemque unam æqualitatem confiteris Filium esse.

Ad quartum librum. Incipit liber quartus, De singulis nominibus, adversus novellam hæresim Potentini. *Cujus principium est.* Interr. Hic jam de singulis nominibus atque Personis identidem refers mihi.

Ad quintum. Incipit liber quintus, De unita ac sempiterna substantia Trinitatis. *Principium sic habet.* Interr. Hic contradicentis persona est Arriomanitarum. Cur connexus es sempiternum, &c.

Ad sextum. Incipit liber sextus, De beatitudine Fidei, & præscriptione sectæ pessimæ. *Cujus initium.* Interrog. Posco a te de unito deitatis nomine multifarie dictum, ut identidem repetas.

Ad septimum. Incipit liber septimus, De professione regulæ Catholicæ cum increpatione hæreticorum. *Cujus initium.* Propter quod impensissime obsecro tuam sublimitatis gloriam, ut elonges a sensibus nostris.

Ad octavum. Incipit liber octavus, De Fidei unitate. *Cujus principium est:* Fidei unius substantiæ Trinitatis, hoc est, Patris & Filii & sancti Spiritus.

Octavus porro liber in hæc verba desinit: Corona autem capitis continet purpuram & hominem; unum imperium virtutis ostendit: sic Pater in Filio & Filius in Patre: Spiritus autem sanctus conjunctio, deitas (Reg. deitatis) virtus & unitas Trinitatis. *Postea hæc leguntur:* Explicit liber octavus Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, Athanasii Episcopi. Hos libellos VIII. transcripsi, qui multa addita & immutata continent. Incipit libellus fidei, Patris & Filii & Spiritus sancti, Athanasii Episcopi. *Postea sic incipitur.* Cum legeris per hanc fidem, moneo ut mei memor sis in orationibus tuis. Ne forsitan negligenter quisquam hoc obtrectator contingat, quia scriptum est: ne projiciatis margaritas ante porcos. Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in unigenitum, &c. *Post eam fidei confessionem hæc subsequuntur.* Explicit Expositio fidei, incipit ejusdem de Trinitate & de Spiritu sancto. *Initium porro sic habet.* His qui Filium Dei creatum esse profitentur, nequaquam de Spiritu sancto dabimus responsum, &c. *Post huncce librum superioribus prolixiorem, legitur:* S. Athanasii Episcopi de Trinitate liber explicit. Incipit Altercatio S. Athanasii Episc. contra Arrium, Sabellium vel Fotinum hæreticos. *Quod opus post libros de Trinitate a nobis Codicum vestigio hærentibus reponetur.*

In Codice Reg. 3624. idem ordo servatur. In fine porro octo librorum sic legitur: Explicit liber octavus Fidei Patris, & Filii & Spiritus sancti, Athanasii Episcopi. *Deinde ita habet:* Expositio Fidei Catholicæ. Credo in Deum, &c. *uti supra. Reliqua eodem quo Sangermanensis Codex ordine.*

In editione operum Athanasii anno 1556. Basileæ, & in Commeliniana, septem tantum priores libri comparent, omissis iis omnibus quæ post libros de Trinitate in manuscriptis leguntur.

In editione autem Parisiensi Græcolatina, undecim libri habentur; nimirum præmissis septem libris, ut exstant in Commeliniana editione, octavus sic inscribitur: De Arriana & Catholica confessione ad Theophilum. *Cujus initium:* Arriani dicunt, Filium Dei non de substantia Dei Patris genitum, sed extrinsecus creatum: *qui liber non est in manuscriptis nostris, nec qui mox sequitur. Nonus:* De Fide sua ad Theophilum, *cujus initium:* Credere jubemur in Dei Patris omnipotentiam, & Filii ejus Jesu Christi. *Decimus*, De unitate Fidei ad Theophilum, *cujus initium*, Fidei unius substantiæ Trinitatis, hoc est, Patris & Filii & Spiritus sancti. *Hic octavus fertur in mss. Undecimus*, De Fide unitatis & Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. *Cujus initium*, Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in unigenitum &c. *Hæc est Fidei confessio quæ in mss. subsequitur post octo libros de Trinitate ad Theophilum. Huic confessioni consequenter adjungitur liber ille sat prolixus qui in manuscriptis sequitur post Fidei confessionem, hisque verbis inchoatur:* His qui Filium Dei creatum esse profitentur nequaquam de Spiritu sancto.

Petrus Franciscus Chiffletius e Societate Jesu, qui Victoris Vitensis, & Vigilii Tapsensis opera edenda curavit anno 1664. hos de Trinitate libros Vigilii nomine edidit: jure an injuria ei adscripserit mox expendemus. Jam ordinem quod spectat, octo priores libros ut in manuscriptis digesti habentur, recensuit. Nonus autem est, Libellus Fidei: *cujus initium:* Credo in Deum Patrem omnipotentem, *illa scilicet Fidei confessio superius memorata. Decimus*, Expositio Fidei Catholicæ, *cujus initium:* Credere jubemur in Dei Patris omnipotentiam. *Qui liber nonus fertur in editione Paris. Undecimus*, Professio Arriana, & Confessio Catholica sancti Athanasii, *cujus initium* Arriani dicunt Filium Dei non de substantia Patris genitum. *Estque liber octavus in edit. Paris. Duodecimus*, De Trinitate, & de Spiritu sancto, *cujus principium est:* His qui Filium Dei creatum esse profitentur, nequaquam, &c. *qui liber in Edit. Paris. consequenter ponitur post fidei confessionem sub uno uterque titulo. Ex hisce porro liquidum est quam multis varietatibus mutationibusque obnoxius fuerit horumce librorum ordo atque numerus. Nec minores in contextum invectæ sunt mutationes & additiones, ut monuit nostri Codicis exscriptor, quæ tamen in Athanasianis editis non comparent. Ut autem Lectori studioso in promptu sit, eas a primigenio contextu discernere, uncinis inclusimus quidquid novi ex manuscriptis huc transmissum fuit. Manuscriptorum porro sequimur ordinem, ac librorum numerum, qui Hincmari tempore idem fuisse vi-*

se videtur: nam octo libros Athanasium contra Arianos edidisse testatur ille; totidem scilicet, quot exstant in Codicibus nostris manuscriptis. Ac licet ipse librum Athanasii decimum de Trinitate laudet, pag. 497. non eo id agit quod liber ille decimi inscriptionem ferret in codicibus, alias enim sibi ipsi repugnaret Hincmarus, qui octo tantum alibi recensuit; sed fortassis tractatum illum de Trinitate vocat decimum, quia post octo libellos supradictos duo sequuntur opuscula Athanasii nomine, quorum postremum de Trinitate nuncupatum, decimum potest dici si cum præcedentibus numeretur. Illa autem postrema duo opuscula, ut nemo non videt, alius sunt argumenti, atque adeo prioribus libris minime annumeranda; ut nec duo alii libri qui non comparent in manuscriptis nostris, scilicet qui octavus fertur in editione Parisiensi, incipitque ita: Arriani dicunt, Filium Dei; item qui nonus ibidem habetur, cujus initium, Credere jubemur in Dei Patris omnipotentiam. Quare hosce libros ad calcem octo priorum rejiciendos censuimus. De scriptore porro horumce operum variæ sunt opiniones: & primum inter omnes convenit non esse Athanasii, quod utique propalam est ex multis loquendi generibus Athanasio minime familiaribus, tum etiam quod nativus horumce libellorum stylus, Latinus non Græcus videatur, nec a quoquam veterum memoretur Græcum ejusmodi Athanasii opus, cujus item nullum vestigium exstat in Græcis Athanasii operum Codicibus. Id igitur pro comperto habetur, Athanasii non esse hos libellos. Vigilio Tapsensi adscribunt Viri clarissimi, Sirmondus, Labbeus, & Chiffletius, qui postremus duodecim libros de Trinitate Vigilii nomine edidit anno 1664. ac eidem his vindicat de causis. 1°. Quod opus illud in Codicibus manuscriptis jungatur cum Altercatione contra Arrium, Sabellium vel Photinum hæreticos, quod opus constat esse Vigilii. 2°. Quod in præfatione libri contra Marivadum, Idatius Clarus, seu ut opinatur Chiffletius, ipse Vigilius larvatus, sese prodat hujusce operis auctorem, hisce verbis: Dudum, dilectissimi fratres, in Neapoli urbe Campaniæ constitutus, cujusdam Varimadi Arrianæ sectæ Diaconi propositionibus, a quodam studioso ac religiosissimo viro mihi oblatis, rustico quidem sermone respondens, in uno corpore simul libellos de Unitate Trinitatis digessi. At primum quod adfertur leve admodum est; licet enim in Codicibus jungantur hi libri cum altercatione contra Arrium, Sabellium & Photinum, nequaquam hinc conficitur utrumque opus ejusdem esse scriptoris, librarii enim complura in eodem Codice etiam disparata opera compingere solent, multoque libentius ea copulant quæ ejusdem scriptoris nomen præferunt, quod hic sane contigit.

Testimonium Idatii quod spectat, sane apertum illud indubitatumque videtur, & fortasse vel solum esset ad Chiffletii sententiam firmandam satis, si perinde exploratum esset, eumdem esse Idatium illum cujus nomen in quibusdam manuscriptis præmittitur, atque Vigilium; seu potius Vigilium Idatii nomen affectasse. At res minime vacat difficultate. Quæ pro Vigilio adferuntur hæc sunt: In subsequenti altercatione adversus Arrium, Sabellium & Photinum, Vigilius illius operis, ut putatur, auctor, hæc scribit l. 2. n. 45. Audiamus autem & beatissimum Paulum, de hoc eodem mysterio apertius disserentem, & tres unum Deum confirmantem; sicut in libro quem adversus Maribadum, nefandæ hæreseos vestræ Diaconum edidimus, plenissime constat expressum; de quo nunc in hoc loco perpauca interserimus. Dum ergo ille objiceret, quod unio excludat æqualitatis Trinitatem, & æqualitas repellat unionem, inter alia multa hoc ego retuli. Audi, inquam, Apoſtolum, hanc Trinitatis unionem calcatius prædicantem, &c. totum ibi locum adfert qui n. 45. comprehenditur, ubi quatuor adferuntur ex Pauli Epistolis sententiæ. Putat igitur Chiffletius, Maribadum hic memoratum, illum ipsum esse qui Varimadus vocatur; cui haud illibenter assentimur, proclivis enim admodum levis illa litterarum commutatio; cum maxime certum sit alias cum Maribadum illum, tum Varimadum celebrem quemdam fuisse Arrianum Diaconum, qui contra veram de Trinitate fidem scripsit. Ea igitur in re Chiffletio minime repugnamus. At non æque compertum est, librum contra Maribadum superiore loco laudatum, eum ipsum esse tractatum qui inscribitur Idatii Clari contra Varimadum. locus quippe ille sat prolixus qui in altercatione contra Arrium ex libro contra Maribadum adfertur, nequaquam exstat in tribus Idatii contra Varimadum libris. Nec audiendus laudatus vir Chiffletius, qui ut totum illud fragmentum superius allatum, in libris Vigilii reperiat, sententias & Paulina loca hinc inde corradit; imo ex duodecimo de Trinitate libro totum initium collegit, qui tamen liber, nuspiam inscriptus est contra Varimadum vel Marivadum, ut nec ceteri de Trinitate libri. Cum igitur locus ille in libris Idatii Clari adversus Varimadum minime compareat, consequens plane fuerit librum Vigilii adversus Maribadum, ex quo ipse superiorem excerpsit locum, diversum esse a tribus illis Idatii Clari libris. Vir clarissimus Anthelmius erudite isthæc ac fuse persequitur in sua de symbolo Athanasiano disquisitione, cui Lectorem remittimus; nobis enim non licet esse tam prolixis. Hæc tamen, ni fallor, satis erunt, ut liquido constet immerito adscribi libros Idatii Clari Vigilio Tapsensi Afro. Cum igitur Idatio adjudicandi videantur libri tres contra Varimadum, hinc consequitur libellos de Trinitate quos a se digestos memorat Idatius in iisdem contra Varimadum libris, ejusdem Idatii non Vigilii esse. Quia tamen in omnibus Codicibus nomen præfertur Athanasii & fortassis ipso scriptoris consilio, nobis religio fuit Athanasii expungere nomen, quod scriptor ipse præmissum voluit.

Quis porro sit Idatius iste minime constat. Duo quidem memorantur Idatii Scriptores, ambo Hispani; alter cognomine Clarus, qui adversus Priscillianum scripsit, ac Theodosio seniore & Valentiniano imperantibus diem clausit extremum, teste Isidoro cap. 2. Alter est Idatius Provinciæ Gallaciæ Episcopus, Chronicorum scriptor, Lemicensis a Sigeberto vocatus, qui Leone Imperante diem obiit. Prior, adversus Marivadum illum Diaconum Arrianum, qui ut ait Victor Vitensis, Hunerico Regi familiaris fuit, scripsisse nequit; nec trium adversus Varimadum librorum auctor erit; si tamen idem ipse sit Maribadus, qui Varimadus, ut vero satis simile est. Alteri ergo, Chronologo scilicet, probabilius adscribuntur: cui Clari fortasse nomen a quopiam librario fuerit adjectum.

Ceterum opinamur octo tantum priores libros ad Idatium pertinere; nam sequentia opuscula, quo scriptore prodierint ignoratur; etenim cui sint adscribenda nullus codex, nullus scriptor qui in manus inciderit nostras, indicat. Sed liber qui postremus in manuscriptis & in prius editis habetur, hoc titulo: De Trinitate & de Spiritu sancto, & hisce verbis inchoatur, His qui Filium Dei creatum esse profitentur, nobis videtur Athanasii esse: apprime enim convenit cum aliis πραγματείαις sive stylum spectes, sive argumenta, quare inter germana Athanasii opera tomo primo cusus fuit, ubi de illo fusius.

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.
(1) DE
SANCTA TRINITATE
LIBER PRIMUS.

A TU unus Deus Pater, & unigenitus Deus Filius Deus Spiritus sanctus, qui unam Deitatem nobis declarasti, & Sacrosanctæ solius divinitatis indivisam gloriam revelasti, & perfectam gloriam Trinitatis tuæ, sempiternamque plenitudinem demonstrasti. Ideo optimum duxi, ut tua veritas patefacta elaresceret, & hæreticorum detecta cæcitas innotesceret. (2) Propter quod subito in æmulationem accensus est animus meus, & exarsit sicut ignis rutilans in densas arborum sylvas. Unde quia multi tentaverunt ad stylum luminis viam demonstrare justitiæ, & nobis placuit per anfractus angustiæ ejus iter dirigere, & latam & spatiosam viam primum fugere. B Quis non cupiat, detersa antiquitus caligine, per aquam vitæ renovari? & post steriles & jejunas siliquas, panem vitæ edere? & omissa voragine poculi venenosi, calicem salutis accipere? & prostrata idolorum prophana cultura, Deum verum agnoscere creatorem? & nunc spreta inveterati sibilatione serpentis, hymnum Deo suaviter canere? & tandem refutatis squamosi draconis uberibus, ex euangelicis præceptis melle & lacte potari? & rursus per immortalitatem resumtam Angelos apostatas judicare? & post terrenum hominem cælestibus regnis & sublimibus in Jerusalem mancipari? C Rogo, quæ & quanta est hæc in Deo humanitatis dilectio, qui tanta præmia credentibus pollicetur? Quis non omni aviditate festinet de gravi somno exsurgere, & clarissimam lucem cum infinita admiratione conspicere? quam cupio non ad pupillam oculorum obtutibus ostendere, sed religiosis fratribus in arcano cordis secreto recondere. In quo non ambitiosi voluminis confectum cumulum, ne plus verba exaggerarem, quam sensum investigantibus intimarem, sed breviter (ex parte secundum * professionem) infinita comprehendi, & humili sermone sublimia indicavi. D Unde totum ibi est plenum, ubi nihil est minus, immo penitus totum videtur ignorare, qui huic plenitudini divinæ Trinitatis aliquid voluerit derogare. (Dum de te magis senserim quam proprie aliquid de meo dixerim. Numquid totum secundum professionem regulæ credi te tantum permisisti & nullo omnimodo te mortali sermone definiri voluisti? Numquid quia per fidem eredi te permisisti, & deitatem divinitatis tuæ immensæ apud nos ut enarremus jussisti? Numquid quia a nobis sentiris, proprie & dicendo definiris? absit. Dum Deus tu tibi tantum solus sis proprie agnitus.) Propter quod, ut supplex, impensissime obsecro tuæ tranquillissimæ Trinitatis gloriam, ut perducas me ad statum perfectum fidei, confessionis meæ verba promentem. Si cælum vel cæli non sufficiunt in laudem prodendam sublimis magnitudinis tuæ: si non satiatur oculus ad videndum, aut auris ad audiendum opera magnificentiæ tuæ, unde sufficit parvitas mea geminas in confessione referre tibi maximas gratias? A Deo veniam postulo, ne forte cum præsumtionis dicta adsumsero, tuæ majestati videar aliquid derogare: sed prostratus jaceo ante tuæ sublimitatis gloriæ sedem, ut permittas me de plenitudine thesauri tui legis fontem bibere, & de quatuor exuberantibus fluminibus aquam vitæ haurire. Ex quibus confidenter hæreticorum blasphemias per auctoritatem regulæ præscribamus, & Catholicorum a sempiterno vitæ spiritu, velut de nectaris fonte corda sitientium irrigemus. Hæc est, inquam, materiæ formula in collisione hæreticorum: & hæc est tituli victoria in absolutione Catholicorum, quam significat principale mandatum Dei: *Euntes baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Mat 28 19. Audi in hoc admirabile ac regale decretum, in quo omne sacramentum in deitate Trinitatis uniter continetur. Quia dixit, *in nomine*, evidenter unam deitatem in Trinitate consistere declaravit. Et quod prosecutus est, *Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, per singula nomina singulas personas inesse distinxit. Sane, ut prius mihi summatim de unito deitatis nomine multifarie dictum ad interrogata exponas, postulo, & sic de nominibus personarum in prosequendo distinguas. *Interrogatio.* Cur unita est deitas? *Responsio.* Quia nulla est in hac plenitudine Trinitatis ambiguitas. *Interrog.* Cur unus est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus? *Resp.* Unus ubi dixisti, ad unitum nomen deitatis tu ipse retulisti nomina ea, quæ in personis distinxisti. *Interr.* Cur solus Deus? *Resp.* Utique quia sola deitas in Trinitate consistit, ideo solus Deus. *Interr.* Cur omnipotens Deus? *Resp.* Manifeste quoniam omnipotens est ipsa deitas Trinitatis. *Interr.* Cur unus verus Deus? *Resp.* Proculdubio dum una vera sit natura divinitatis, propterea unus est verus Deus.

* Professionem.

(1) Sic S. Athan. Editi, *De unita Deitate Trinitatis ad Theophilum*. In Floriacensi codice huic libro præmittuntur. 1°. *Fides sancti Athanasii contra hæreticos*, cujus exordium est, *credere jubemur in Dei Patris omnipotentiam*. 2°. *Professio Ariana, & confessio catholica sancti Athanasii*, cujus initium, *Ariani dicunt, Filium Dei non de substantia Dei Patris genitum* quæ nos ad calcem librorum de Trinitate ponimus. Theodulphus porro Aurelianensis editus a Sirmondo anno 1646. octo libellos de Trinitate quasi unum citat, hoc titulo, liber quem scripsit contra Arianos. Librum autem de Spiritu sancto qui postremus omnium est in mss. quique incipit: *His qui Filium Dei creaturam esse profitentur*, quasi diversum a libris de Trinitate laudat, hoc nomine, *liber quem scripsit adversus hæreticos*. Æneas vero Parisiensis lib. contra Græcos, ubi multa ex hisce libris ut & apud Theodulphum adferuntur e librorum ordinem alio quam manuscripti & editi nostri ordine refert: at Hincmarus manuscriptorum servat ordinem. Ceterum in nullis codicibus liber nuncupatur ad Theophilum.

(2) Codd. Floriac. & Sangerman. *Propter quos*. Floriacensis vero: *Propter quod subito hæc in æmulatione accensus est animus*. Illud porro notandum in sequentibus, ubi editi habent, *Athanasius*, &, *Hæreticus*, dialogorum more, codices perinde habere, *Interrogatio*, &, *Responsio*, quo pacto legit Hincmarus.

Deus. *Interr.* Cur unus bonus Deus est? *Resp.* Quatenus nulla diversitas dispar est in una substantia divinæ Trinitatis, ac per hoc unus bonus est Deus. *Interr.* Cur summus Deus? *Resp.* Quoniam hæc quidem ipsa summa est substantia Trinitatis. *Interr.* Cur unus est Dominus? *Resp.* Memento * unam dominationem esse in natura sempiternæ Trinitatis, & ideo unus Dominus. *Interr.* Cur una est imago invisibilis Trinitatis? *Resp.* Quia una eademque deitas est in imagine veritatis. *Interr.* Cur unus est spiritus Deus? *Resp.* Nonne una est natura deitatis Spiritus sancti, quæ in Patre, & Filio, & in sese consistens est? (Ideo unus est Spiritus unius Trinitatis, quia una est sempiterna in hac ipsa Trinitate plenitudo divinitatis.) *Interr.* Cur æqualis est una Trinitas? *Resp.* Quia & sempiterna est in ipsa Trinitate deitas. Rogo, non animadvertis pene omnes hæreses in hoc titulo unitam deitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti blasphemare, dum hæc quæ superius uniter in Trinitate sunt dicta, ad unam personam Patris, illi tantumodo conferant? Qua de re strenue nobis laborandum est, imo & adversus tot sectarum congressiones atrociter cum infinita solicitudine dimicandum, ut penitus discussa hæreticorum caligine, lux Euangelicæ cognitionis patefacta clarescat, & blasphemantium detecta cæcitas innotescat. Unde nobis paulisper pro examinatione superiora retexenda sunt, ut legentibus, & investigantibus veritatem omnis ad liquidum scrupulus infidelitatis de arcano pectoris auferatur. Præterea duntaxat de sacrosancto unito nomine Trinitatis. Ergo ubi unum Deum memini, non ad unam tantummodo personam Patris hæc in dicendo taxavi, dum Filium de una Patris esse plenitudine deitatis, & Spiritum sanctum non negavi. Et solum Deum ubi memoravi, non ad solam personam Patris hæc, ut dicam verius, indicavi: quia Filium, & Spiritum sanctum de hac ipsa sola substantia divinitatis Patris esse non negavi. Similiter omnipotentem Deum, sive verum Deum, vel bonum Deum, ant summum Deum, seu unum Spiritum, de quo summatim paulo ante narravi, nonne hæc cuncta vocabula ad unitam divinitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti declaravi? Unde quamvis in hoc loco copiosæ sint significationes dictæ, tamen ad unitam divinitatem Trinitatis evidentius sunt approbatæ. Nam unitas, non ut hæretici suis oppressi blasphemiis dicere sæpe consueverunt, in voluntate esse, non in deitate: quod absit, dum unitas non tantum in voluntate sit, sed imo in deitate. Ac per hoc unitas hæc, ut certus sis, non in concordia tantum est, sed * realiter, immo substantialiter constat in natura divinitatis. Ergo postulo a te, qui legis hanc istius scripturæ meæ fidei catholicæ professionem, ne hic superflua vel prosusa verba perquiras, sed strictim, capaciter, immo spiritualiter cum summo studio dicta ad stylum sacræ Scripturæ conferas, & secundum regulæ æquitatem, justitia moderante, perpendas. (Unde jam accipe non diserta sed fortia: neque terrena figmenta, sed vera cælestia documenta: neque philosophorum hæretica prava commenta, sed perfecta Apostolica arcana sacramenta: neque grammatica, quæ superflua est doctrinæ sapientia, sed ex Euangelicis Scripturis super melle & favo dulciora & meliora divina præcapta. Disce itaque quia in hoc sophistæ hujus mundi stulti vel muti facti sunt; quoniam sapientiam veram non cognoverunt. Ideo reprobi facti sunt.) Itaque interrogantis atque solventis accipe personam, quæ exigit sibi fieri satisfactionem. *Int.* Cur Pater Spiritus dicitur, & Filius Spiritus nuncupatur, & Spiritus sanctus Spiritus appellatur? *Resp.* Perfecte ad hæc respondetur

* unitam mss.

* de aliter S. G.

A pro loco interroganti. An ignoras quia Pater unus Deus est, & Filius unus Deus est, & Spiritus sanctus unus Deus est? Nonne unus Deus est, dum unitum nomen est in natura usiæ? sic & unus spiritus est, quia unita est ejusdem deitas. Nam si tu per singula nomina personarum unitum nomen spiritus ter designasti, numquid tres spiritus dicere oportebat? Absit. Quod si hoc poterat diri, tale erat ut hoc in confessione deberet introduci, tres deos in plurali numero nuncupari: ut jam non esset in eis una natura divini- B tatis, sed unusquisque in propria, vel diversa natura sua consisteret, quod absit. Interea rursus eadem repeto, & ad tua dicta verba comparo, & sensum intellectus mei tibi refero. Pater unus Deus est, & Filius unigenitus Deus est, & Spiritus sanctus unitus in Patre & Filio Deus est. Nonne quia unitatis nomen, id est, deitatis, per singulas personas ter designavi, ideo tres deos potero confiteri? Absit. Unde quamvis triplex sit dictum, unum tamen tenet in deitate Trinitatis nominis indicium. Interim vel in hoc titulo animadverte dicentem: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* (Exod. 3. 6.) C Numquid in hoc dicto tres deos designavit, eo quod unum nomen ter indicavit? Absit. Idcirco nos qui fidem Euangelicam atque Apostolicam patrum tenemus, nec tres deos, nec tres dominos, nec tres spiritus, vel cetera ad hujuscemodi pluralitatis dicta, nec tenemus, nec in corde nostro suscipimus: præsertim cum nos unitatem deitatis uniter, non pluraliter in Trinitate consistere sciamus. Propter quod non debemus tres naturas in his personis contra jus Euangelicæ censuræ profiteri, cum sit unus Pater Deus & unigenitus sit Filius Deus, & unitus sit Spiritus sanctus Deus. Ideo D unus est Deus, quia unita est deitas, sicut per singulas personas scriptum est: & quia nullus Deus, nisi unus, vel ut hoc: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* (Deut. 6. 4.) (Sive hoc: *Ego Dominus Deus extendi cælum solus & solidavi terram.* (Esai. 44. 24.) Sed & hoc: *Unus enim Deus.* (1. Tim 2. 5.) Aut hoc: *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est.* (Galat. 3. 20.)) Nec non: *Vade retro Satanas, scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* (Matth 4. 10.) (Nam & hoc: *Ex Spiritu qui nascitur Spiritus est.* (Joan. 3. 6.) Et alio in loco: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* (1. Cor. 12. 11.) Sive hoc: *Servare unitatem Spiritus in* (Ephes. 4. 3.) E *vinculo pacis, unum corpus & unus spiritus.* Sed & hoc: *Omnes unum Spiritum potavimus.* Memento unitum divinitatis nomen esse in singulis personis.) *Interr.* Ut hæc dicta de auctoritatis jure adhuc mihi confirmes, postulo. *Resp.* Ignoras scriptum esse: *Intelligentibus legem loquor.* (Rom. 7. 1.) Itaque, *qui aures habet ad audiendum, audiat.* (Luc. 8. 8.) Et quid spiritus per historiographum Moysen in toto pena libro Geneseos Ecclesiis testetur, intelligant: Deum dixisse, & Deum fecisse, & Deum benedixisse iis: id est, *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (Genes. 1. 26. 27. 28.) Et sic prosecutus est: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, mas-* F *culum & fæminam fecit eos, & benedixit iis, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quæ tandem est causa, unum dixisse, *faciamus*, & unum fecisse, & unum dicenti & facienti interfuisse, & bona facta videntem benedixisse? dum, *faciamus*, unius tantum solitarii persona non sit, sed & facientis uniter cum eo ad imaginem Dei ipsius tantum persona sit, sed & videntis, & benedicentis una cum eo sit. Non tibi videtur, quoniam per tacita nomina personarum, quamvis paulisper deitatis unitum operantis est nomen insinuatum. (Utique quia non significavit Pater dixit, & Filius fecit, & Spiritus sanctus benedixit. Sed breviter prosequutus est, & di-

xit

xit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus omnia quæ
facta erant, & benedixit illa dicens: *Crescite &*
Genes. 1. 28. *multiplicamini, & replete terram.*) Vides quia ne-
mo ad semetipsum dicit, fiat, sed ad facientem: &
nemo qui facit, ad suam personam loquitur, & fe-
cit. Et quis de se indicat, & vidit & benedixit?
Nam verbo tenus si una esset persona dicentis & fa-
cientis, & benedicentis, sic intimasset fecisse se o-
pus suum: & dixi, & feci, & benedixi. Discite ita-
que unitum nomen esse in natura Trinitatis, Psalmo-
Psal. 32. 6. grapho approbante: *Verbo Domini cæli firmati sunt,*
& spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Utique Verbum
filium indicavit: Dominum autem patrem designa-
vit, & spiritum oris ejus, Spiritum sanctum dixit.
Vides in personis unitum esse nomen Trinitatis in
Psal. 44. 8. natura, Psalmographo quoque approbante: *Propterea*
unxit te Deus, Deus tuus. Ecce Deum & Deum:
non tamen pluraliter invenies dictum fuisse in his
personis Deos. (Necnon Dominum de Domino, Pa-
trem de Filio audi attestantem per Osee Prophetam:
Osee. 1. 7. *Salvabo eos in Domino Deo ipsorum.* Sed ad hæc
Genes. 19. 24. scriptum est de unito nomine divinitatis: *Et pluit*
Dominus a Domino.) Vel hoc exemplum accipe ad
Genes. 35. 1. Jacob dicentis in libro Geneseos: *Dixit autem Deus*
ad Jacob, Surge & ascende in locum Bethel, & ha-
bita ibi: & fac ibi altare Deo illi qui apparuit tibi
cum fugeres a facie fratris tui. Et in libro Psal-
Psal. 109. 1. morum cautum invenimus: *Dixit Dominus Domino*
meo: Sede ad dextram meam. Donec ponam inimi-
cos tuos, scabellum pedum tuorum. Sed & Esaias:
Esai. 45. 1. *Sic dicit Dominus Christo meo: cui tenui dexteram, ut*
obaudiant eum omnes gentes, &c. Non tamen domi-
nos: quia unita est dominatio eorum in natura sem-
piterna: Sicut & de persona Spiritus sancti, Vas ele-
1. Cor. 12. 11. ctionis breviter absolvit, dicens: *Idem Spiritus, idem*
& Dominus, idem & Deus, qui operatur omnia in
2. Cor. 3. 17. *omnibus.* Et alio in loco idem repetit: *Quia Do-*
minus est spiritus: ubi autem spiritus Domini, ibi li-
bertas. Vel accipe in persona Patris in Euangelio ad
Joan. 4. 24. Samaritanam dictum fuisse: *quia Deus spiritus est.*
Nam & de persona filii Hieremias receptissimus pro-
Thren. 4. 20. pheta testatur: *Spiritus faciei nostræ Christus Domi-*
Gal. 4. 6. *nus.* Sive hoc: *Quia misit Deus spiritum filii sui in*
corda nostra, clamantem, Abba pater. De spiritu au-
Joan. 3. 8. tem principali Filius indicat, dicens: *Spiritus ubi*
vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde ve-
niat, aut quo vadat. Ergo ut compendio scripturæ
sensum de natura divinæ Trinitatis uniter dicentis
Psal. 17. 47. colligas: *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus,*
& exaltetur Deus salutis meæ. Vides per singulas
significationes unitum nomen deitatis ter indicatum,
hoc est, Deus, Deus, & Deus; non tamen deos.
Psal. 49. 14. Vel per eundem dictum accipe: *Immola Deo sacri-*
ficium laudis, & redde altissimo vota tua, & invoca
me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magni-
ficabis me. Utique si una esset tantummodo in hoc
exemplo fixa persona, debuerat hæc sine aliqua di-
stinctione in prosequendo taxasse, hoc est: Vivit
Psal. 17. 47. Dominus, qui est benedictus. Sed cum dicit: *Vivit*
Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus
salutis meæ. Itane non uniter in his personis est no-
men divinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in
omnibus nominibus declaratum? id est, Deus, &
Deus, & Deus: sicut alio in loco cautum est de
Psal. 95. 7. unito nomine dominationis: *Adferte Domino pa-*
triæ gentium, adferte Domino gloriam & honorem,
adferte gloriam nomini ejus. Quia si una esset tan-
tummodo persona, gloriam sic debuerat intimasse:
Adferte Domino patriæ gentium, adferte ei gloriam
nomini ejus. Quid amplius? Numquid adhuc no-
bis ad patefaciendam veritatem argumenta sunt ne-

A cessaria? Numquid gentes, quibus introitus januæ
credentibus ad vitam æternam patens est, in unam
tantummodo personam Patris baptizantur? & non
in tres, quorum nomina hæc sunt per singula distin-
cta, Patris, & Filii & Spiritus sancti, quibus est una
natura divinitatis, sicut scriptum est: *Euntes bapti-* Mat. 28. 19.
zate omnes gentes in nomine, & sic prosequutus est,
Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unde in his per-
sonis per omnia in deitate divinitatis unitum nomen
est, & per ipsa nomina Trinitatis tantum personæ
distinctæ sunt. (Sed & Apostolus ad hæc testatur: *Ser-* Ephes. 4. 1.
vare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus
B *& unus Spiritus. Sicut & vocati estis in una spe voca-*
tionis vestræ. Vides servandum esse unitum Spiri-
tum in unum corpus Ecclesiæ in vinculo pacis, quod
est in confessione salutis. Aut numquid unitatis na-
turæ nomen Spiritus in una tantummodo persona
ejusdem dici potest, dum unitatis naturæ nomen in
tribus his personis in baptismo vitam æternam cre-
dentibus tribuat? In qua spe omnes nos vocati su-
mus. Quæ spes fidei nostræ hæc est: ut in baptismo
unitum divinitatis nomen prius confitearis: ut remis-
sam peccatorum in his personis consequi merearis.)
Ergo quamvis in superioribus exemplis scripturarum
C tacita sint nomina personarum, tamen unitum nomen
divinitatis per omnia tibi est in his demonstratum,
sicut & in hoc exemplo veritatis (ostensæ & unitum
nomen divinitatis clause est demonstratum,) in quo
nomina personarum evidenter sunt ostensa, & uni-
tum nomen naturale clause est declaratum, dicente
Joanne Euangelista in epistola sua: *Tres sunt, qui* 1. Joan. 5. 7.
testimonium dicunt in cælo, Pater & Verbum, & Spi-
ritus, & in Christo Jesu unum sunt, non tamen unus
est, quia non est in his una persona. Nam unum
quod dixit de utrisque, quid aliud intelligitur, quam
D quod Deus Pater in natura divinitatis idem ipse di-
catur, & Dominus, idem ipse sit & Spiritus, & Fi-
lius Deus? Idemque sit in divinitate & Dominus,
idem sit in deitate & spiritus, sed & Spiritus para-
cletus Deus: idemque sit & Dominus in natura dei-
tatis, idem sit & spiritus. Vides, quia in deitate &
in substantia plenitudinis per omnia unum sunt, &
in nominibus personarum tres sunt. Nam quod tres
sunt, quid aliud sentitur fuisse quam Pater verus
unus, vel solus qui genuit, idem non sit, qui & uni-
genitus ab ipso est? Et Filius unus qui non genuit si-
cut ipse a patre genitus, pater non sit, & hic Spi-
E ritus sanctus, alius sit qui nec pater nec filius est.
Præterea qui nec genuit, nec est genitus: cum alius
sit in persona qui genuit, & alter sit in persona qui
unigenitus ab ipso est, & alius æque in persona, ut
dixi secundum divinam Scripturam, qui nec Pater,
nec Filius est. Hic est Spiritus sanctus, sed plane de
unita natura est. Ideo in deitate unita, unitum divi-
nitatis commune nomen est ei. Sicut in claritate Eu-
angelicæ scripturæ de spiritu paracleto Filius testa-
tur, dicens: *De Patre procedit.* Et sic prosecuutus est: Joan. 15. 26.
Et de meo accipiet. Et ideo ubi personæ requiruntur, Joan. 16. 14.
propria nomina per hæc distinguuntur: ubi autem
F deitas poscitur, unitum nomen in his indicatur, quo-
niam *sumus*, ad nomina personarum pluraliter di-
ctum demonstratur. Ac per hoc in deitate divini-
tatis unita unum sunt, & in nominibus personarum
tres sunt. Unde tres unum sunt, sive unum tres
sunt. Sane ut omnem scrupulum legentibus ampute-
mus, adhuc breviter dilucidabo, multifarie appro-
bans hoc unitatis nomen esse verissimum Trinitatis,
quæ tamen refertur ad multifariam sapientiam Dei,
quæ uniter in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto
consistit, de qua si significes sapientiam deitatis &
deitatem sapientiæ, nonne hæc ipsa est unitas sapien-
tiæ,

tiæ, quæ & divinitas Trinitatis? Ergo ut compendio hæc adſignemus, ſive ſapientiæ gloria, ſive deitas gloriæ, aut ſummitas, aut dominatio, aut dignitas, aut claritas, aut majeſtas, aut imperium, aut poteſtas, aut ſempiternitas nominetur, nonne hæc multifarie quamvis ſint dicta, tamen ad unitam deitatem incomparabilem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti uniter ſunt declarata? Aut putas quot ſignificationes dicuntur ad gloriam deitatis, totidemque ſint & ſpecies diverſitatis? Abſit: dum hæc univerſa ad unitam ſubſtantiam dicta referuntur. Nam ſi hæc una atque eadem ipſa eſt multiplex præſaga ſapientia Patris, & B Filii, & Spiritus ſancti, quæ eſt una virtus, ſive una forma magnitudinis, ſive una majeſtas, ſive una claritas, quæ in hanc unitam deitatem plenitudinis ſecundum Scripturæ regulam in hoc loco collecta repeRiuntur? Numquid ſic in eadem deitate Trinitatis poteſt adverſus ſcripturas referri, ut tres ſapientias, aut tres virtutes, aut tres imagines, aut tres ſubſtantias, aut tres claritates, aut tres plenitudines divinitatis, vel cetera hujuſmodi pluraliter Arriomanitarum more dicamus? Abſit. (Sicut tu, Oſi; jam in ætate prolixa qui non per rudimenta in Synodo Sirmienſi Catholice auctor fuiſti, ubi fidem tuam quam in Ni- C cæa conſcripſeras irritam feciſti, dum regiæ poteſtati famularis. Præterea qui morti eſſes perquam vicinus, ſic in laqueum voraginis baratri incidiſti, ut * excideres tamquam mortuus a corde: ut diceres, Quis ignorat Patrem majorem eſſe honore, dignitate, claritate, & majeſtate? Quaſi duæ vel certe tres eſſent claritates aut majeſtates in ſingulis his perſonis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quod abſit.) Nam ſi hæc eorum ſe blaſphemia ita, ut ajunt, haberet, quare jam non tres deos plurali numero nuncupant, ac publica voce circa proprias vel diverſas ſubſtantias ſuas pollicentur? Quod D abſit. Dum perfecte unitum nomen divinitatis multifarie quamvis dictum, uniter in Trinitate conſiſtat. *Int.* Sed ut breviter hæc ipſa dicta de auctoritate per ſingulas perſonas uniter ac communiter mihi oſtendas, poſtulo. *Reſp.* Audi uniter in Trinitate dictum: Job. 9. 4. 7. 8. 10. *Sapiens eſt Deus & fortis & magnus, qui jubet ſoli, & non oritur, qui ſydera concludit, & extendit cælum, quemadmodum pellem, qui ambulat ſuper mare tamquam ſuper aridam, qui facit magnalia,* A *& quæ inveſtigari non poſſunt.* Et in Salomone ait: *Deus ſapientia ſua fundavit terram, paravit autem cælos prudentia.* Prov. 3. 19. Vel hoc, Apoſtolo agnoſce dicente: *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* 1. Cor. 1. 24. Sed & ipſe rurſus ait: *Ut inhabitet in me virtus Chriſti.* 2. Cor. 12. 9. Et in Pſalmographo ſcriptum eſt: *Ambulabunt de virtute in virtutem.* Pſal. 83. 8. Non tamen pluraliter ſapientias aut virtutes in his perſonis eſſe ſignificavit, ſicut idem ipſe repetit: *Dominus Deus virtutum nobiſcum.* Pſal. 45. 8. Sed & hoc: *Laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Pſal. 150. 1. Et in alio loco: *In lumine tuo videbimus lumen.* Pſal. 35. 10. (Nam & de perſona ſancti Spiritus Salomon in Proverbiis ait: *Lux Domini Spiritus hominis qui ſcrutatur interiora cordis.* Prov. 20. 27. Vel hoc: *Ut Pater Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater claritatis det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis.* Epheſ. 1. 17. Et alio in loco ſic cautum invenimus: *Sed accipietis virtutem ſupervenientem Spiritum ſanctum in vobis.* Act. 1. 8. Sive hoc per ſanctum Michæam ipſum Deum Patrem accipe teſtantem: *Niſi ego adimpleam virtutem in Spiritu meo ſancto & judicio & poteſtate.* Mich. 3. 8. Memento hinc eſſe ſanctum Spiritum ſapientiæ & virtutis cum Patre & Filio, ſive uniter ſanctimoniæ Trinitatis dicta percipe, omnia mirabilia in ſignis & prodigiis operantem, ut ſuperius prædixi, *ſanctitas & ſanctimonia in ſanctificatione ejus.* Pſal. 95. 6. Vides itaque eſſa in utriſque unam ſapientiam, ſive virtutem, aut lucem, aut ſanctitatem, vel operationem, necnon & alia hujuſcemodi multipliciter dicta, quæ non ſunt ad hæc illata exempla, quæ ſatis longum eſt per ipſam Trinitatem uniter dicta enarrare. Sufficiat, etſi pauca, ad probationem pro multis in cognitionem lucia fuiſſe expoſita documenta. *Interr.* Ergo ſi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus in deitate divinitatis ſunt, adhuc legis teſtimonio mihi ſatisfacias quæſo. *Reſp.* Jam audiſti ſuperius Euangeliſtam Joannem in Epiſtola ſua tam abſolute teſtantem: *Tres ſunt qui teſtimonium dicunt in cælo, Pater, & Verbum, & Spiritus, & in Chriſto Jeſu unum ſunt.* 1. Joan. 5. 7. Et utique ſine dubio in Trinitate divinitatis per omnia unum ſunt, & in nominibus perſonarum tres ſunt. Itaque, ut ſcias de his quæ ſuperius comprehendi, nullam diviſionem aut diſtantiam in unam deitatem ſubſtantiæ plenitudinis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti feciſſe me memini.

* alii, ſuccederes.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De propriis Perſonis, & de unito nomine deitatis.

LIBER SECUNDUS.

INTERROGATIO.

NUNC per ſingula nomina perſonarum, ut nomen deitatis mihi exponas, poſtulo. RESPONSIO. Audi: Si Filius in nomine Patris venit, E numquid ipſe eſt Pater, qui ait: *Ego veni in nomine Patris mei:* Joan. 5. 43. dum Pater Deus ſit, in cujus nomine Filius venit manifeſte? Ac per hoc in unita natura divinitatis unum nomen eſt eorumdem comprobatum, ſicut ipſe Pater ad Legiſlatorem Moſem teſtatus eſt, dicens: Exod. 23. 21. *Adtende illi, & ne fueris inobediens ei, nomen enim meum eſt in illo.* Ad hæc Patriarcha David ſic ait: Pſ. 117. 26. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Nam ſi Spiritus Paraclitus in nomine Filii venit, ut ipſe dicit, Joan. 14. 26. *Quem mittet Pater in nomine meo,* numquid & ipſe Filius dictus eſt, cum ſine dubio nomen Filii Deus ſit in una pariterque natura divinitatis? In hoc ergo nomine evidenter Paraclitus venit. Ideo per ſingulas perſonas ſecundum ſubſtantiam naturæ Trinitatis unitum nomen tibi eſt declaratum. Eſaias ſanctus hæc approbans dicit: *Deſcendit Spiritus a Deo, & eduxit eos: ſic eduxiſti populum tuum facere tibi nomen gloriæ.* Eſai. 63. 10. 11. Sed & ipſe idem indicat: *Et irritaverunt Spiritum ſanctum, & converſus eſt illis ad inimicitiam. Dominus ipſe expugnavit eos, & rememoratus eſt dierum æternorum, qui eduxit de terra Paſtorem ovium,* & ſubjunxit: *Ubi eſt qui poſuit in illis Spiritum ſuum?* Ibid. 11.

Vides

Vides ergo de unito naturæ deitatis nomine gloriam Patris, & Filii, &c. esse hunc Dominum Spiritum sanctum; qui eduxit Filios Israel de terra Ægypti, sicut Propheta dicit: [Exod. 13. 10. 14.] *Sic eduxisti populum tuum facere tibi nomen gloriæ, qui conversus est filiis Israel ad inimicitiam*. *Int.* Rogo si unitum nomen est in deitatæ gloriæ Trinitatis, cur unusquisque in suo nomine non venerit? Porro quasi hoc quod unitum nomen substantivum ad Deitatem uniter refertur, jam proprium esse non ostenditur. *Resp.* Utique in hoc proprium est, sed & unitum. Nam ut certus sis, nomina in personis propria sunt, sed non unita. B Sed dicis mihi: Cur in suo nomine proprio, quod est nativitatis, non tamen statim ad indiscretam deitatem, ubi refertur: In qua invenietur unitatis Dei nomen. Sed in eo sane in quo & superius comprehendi, persona ipsius tantummodo gignentis distinguitur, hic ipse Filius non venit. Audi, quia si in hoc nomine tantum venisset, quod dicitur Filius & non in substantia deitatis unita, quod nominatur Deus, dicturus eras mihi: Non est unitum nomen in natura divinitatis Filii cum Patre, sed proprium, ut non tantum nomina propria jam in personis distingueres, sed unitum nomen in deitate C Trinitatis tantidem per ipsas personas separares. Ut aut unitam substantiam in tribus partibus divideres, vel certe singulas personas in singulis jam substantiis nobis consistere indicares. Sed plane si Pater, & Filius, & Spiritus sanctus secundum singula nomina personarum perfecte distinguuntur, numquid sic & secundum unitam deitatem plenitudinis unitum nomen in his personis per singulas naturæ substantias dividitur? Absit: nam & si tu, Arriane, ubi nomina tantum in personis deberes distinguere, ibi simul eum ipsis nominibus & naturas per gradus singulos vel per ordines diversos distinguas, ut tres naturas D majorem, inferiorem, & perquam minorem, secundum nomina personarum esse dicas, ut per ipsa nomina discrepantes substantias esse adsignes. Cur erubescis? & non sicut gentes plurali numero tres dominos, majorem, inferiorem, & perquam minorem contra unitam veram naturam publica voce profiteris circa diversas vel dispares substantias suas consistere? ut soles profiteri unum, verum, sempiternum, ininitiabilem, infectum; & alterum initiabilem de creaturis profectum, & tertium de ministria, quasi subjectum: ut Patri incomparabilem, vel inenarrabilem adscribas: Filii autem præ cæteris * de factura i- E gnobili procedentem substantiam demonstres, Spiritum adæque Sanctum de ministria Angelis habentem substantiam indices. Unde ad hoc revertamur, de quo per singulas personas superius tractabamus. Sed etsi Spiritus Paraclitus in suo nomine tantum venisset, quod dicitur Spiritus paraclitus, & non in unita substantia Patris & Filii quod nominatur Deus, jam proprium nomen ejus in persona esse videretur, & non secundum unitam naturam deitatis in utrisque, ut tantum unusquisque nomina singula in personis suis ostenderet, deitatis autem unitum nomen non indicaret. F Porro in hoc unito nomine deitatis Patris venit verus Filius, in quo dicitur Deus; in quo claritatis nomen est cum Patre, in cujus naturæ nomine venit & Spiritus Paraclitus, quia in hac ipsa Sacrosancta Trinitate hoc nomen substantialiter sive uniter consistit, sicut superius prædixi, Patre de Filio suo indicante. [Exod. 23. 21.] *Nomen meum est in illo*. Et Filio hæc dicta confirmante: [Joan. 5. 43.] *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me. Cum autem alius venerit in nomine suo, eum recipietis:* sed & de Spiritu sancto ipsum rursus repetentem: [Joan 14. 26.] *Quem mittet Pater meus in nomine meo*. Et deinceps eum de

* S. G. facturam ignorabilem.

A nomine suo audi discipulos hortantem: [Joan. 16. 23.] *Omnia quæcumque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis*. Sed & Apostolum Paulum eadem testantem: [1. Cor. 6. 11.] *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & Spiritu Dei nostri*. Audi & Esaiam de unito nomine gloriæ sancti Spiritus declarantem: [Esai. 63. 14.] *Descendit Spiritus a Deo & eduxit eos: sic eduxisti populum tuum facere tibi nomen gloriæ*. Disce jam unitum nomen esse in natura divinæ Trinitatis. *Interr.* Declara ergo mihi, si verus est Filius, aut non. *Resp.* Nonne Pater, ut nos intelligeremus, hanc significatio- B nem intulit, ut divinitatem nativitatis propriam Filii sui de semetipso insinuaret, dicens: [Psal. 109. 3.] *Ex utero ante Luciferum genui te?* Unde, non quia Deus Pater uterum ut homo habeat, anthropomorphita, qui incomparabilis est; sed ideo hæc de nostris exempla introducens, significans comparavit: per quod nativitatem Filii sui veram de semetipso nobis propriam insinuaret. Considera ergo in hoc loco & tu, Arriane, qualiter sit dictum. Numquid hic factus est qui de utero substantiæ Patris inenarrabiliter natus est? Numquid hic factus est, qui sic unigenitus C ab Euangelista nobis annuntiatus est? [Joan. 3. 18.] *Qui non credit in eum, jam judicatus est, quoniam non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Sed in epistola sua hæc eadē indicat: [1. Joan. 5. 20.] *Et sumus*, inquit, *in vero Filio ejus Jesu Christo, qui est* (ait) *verus & vita æterna, & resurrectio nostra*. Ecce habes ex utero, ecce in unigenito Dei, ecce in vero Filio Dei Jesu Christo, qui est (ait) verus & vita æterna & resurrectio nostra. Sicut ipse Dominus de se testatus est dicens: [Joan. 14. 6.] *Ego sum via, & veritas, & vita*. Et similiter ad hæc Esaias prophetavit: [Esai. 65. 15.] *Servientibus vero mihi vocabitur nomen novum; quod benedicetur super omnem terram: &* D *benedicent Dominum verum, & qui sunt super terram jurabunt per Dominum vivum: obliviscentur tribulationem pristinam, nec ascendet in cor eorum*. Vides novum nomen esse Christianorum; quod benedicetur super terram a Domino. Nam ipsi benedicunt Deum verum, Patrem & Filium, imo & Spiritum sanctum; *Et jurabunt per Dominum vivum*. Et jurabunt, ait, per Deum verum, quod est divinitus unitum nomen. Rogo, quæ est tanta hæreticorum dementia, verum Filium creatorem, facturæ suæ comparare? Aut quæ cæcitas tanta est, tantam veritatis probationem falsis argumentis blasphe- E mare? dum Centurio adhuc gentilis homo ad tuam confusionem indicaverit: [Mat. 27. 54. Marc. 15. 40.] *Vere Filius Dei erat iste?* *Interr.* Et quemadmodum unitum nomen est in natura divinitatis, dum alter in alterius nomine venisse videatur? *Resp.* Vere veneno sunt infecta subtili, cum dolo hæc obtusa corda interrogantis atque defendentis. Proculdubio in hoc sane alius est Pater in persona, qui vere genuit, & in hoc alter est Filius a Patre in persona, qui vere ab eo genitus est. Sed & in hoc alter est in persona Spiritus hic principalis Paraclitus, a Patre & Filio qui in Pentecoste in Apostolos effusus est. Et ideo hæc sigillatim dicta F memento, ut nomina singula in personis essent distincta. Vides quia alter ab altero, sive alius ab alio in persona tantum differt, & non in plenitudine divinitatis usiæ, sicut ipse Dominus ait: [Joan. 5. 32.] *Alius est qui testimonium perhibet mihi, qui me misit Pater*. Sed & alio in loco idem ipse personam sancti Spiritus indicat: [Joan. 14. 16.] *Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum mittet vobis*. Scito alium ab alio, sive alterum ab altero in persona tantum differre, & non in unita plenitudine divinitatis usiæ. Nam si secundum nomina singula personarum alter ab altero sine dubio dici potest, numquid sic & in unita deitate alter Deus potest

pronuntiari Pater, quasi sit in natura diversus a Filio; & alter Deus potest dici Filius a Patre, quasi sit in deitate alter; & alius Deus potest profiteri Spiritus sanctus, quasi sit in substantia discrepante a Patre & a Filio? Absit. Dum unitum nomen sit in eis in una vera natura, ac per hoc unus verus est Deus. *Interr.* Et quomodo in nominibus personarum unum de uno, aut alterum de altero, hoc est Filium de Patre esse significas? *Resp.* Ignoras unum Patrem de semetipso genuisse Filium: quia nemo sibimetipsi pater est, & quis sibimetipsi filius est? Dum Pater non sit genitus, & Filius non sit ingenitus, sed plane Pater Filii est quem genuit, & Filius est Patris qui vere de ipso genitus est. Quapropter non ut quidam solent blasphemantes in confessione introducere duo non nata principia, ut & in toto nec Patrem verum, nec verum Filium profiteantur, dum Pater sine Filio omnino dici non possit, quia unus de uno, id est, Filius de Patre est, & unus in uno, Pater in Filio est, & Filius in Patre est. Qua de re alter est in persona qui vere inenarrabiliter genuit, & alius adæque in persona qui de ipso natus est. Sane deitas eorum cum sit unita, alter hic Deus ab illo alio Deo, verbo tenus dici non potest, quia unitum nomen est, & in plenitudine divinitatis; & ideo unus est Deus: ergo si Filius in nomine Patris venit, & Spiritus Paraclitus in nomine Filii
Joan. 14. 26. venit; sicut Filius de eo testatur: *Quem mittet Pater in nomine meo*. Non tibi videtur quia duplex & hic contineatur intellectus, id est, ut in nomine personarum tantum sit distinctio, in deitate autem nulla sit discretio? *Int.* Et quare in nomine Spiritus sancti nemo venisse invenitur? *Resp.* (Duces cæci, numquam hoc proverbium in Scripturis sanctis vel divinis audistis: *Non glorietur gibberosus sicut rectus*;) In cujus unito naturæ divinitatis nomine missi
Mat. 28. 19. sunt Apostoli: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine*, & sic prosequutus est per singulas personas, *Patris, & Filii, & Spiritus sancti?* Nonne unitum divinitatis Dei nomen prius tacite uniter præmisit, & sic in nominibus personarum apertissime declaravit, Patris, & Filii, & Spiritus sancti? Porro numquid potest arceri de hoc unito deitatis nomine Spiritus sanctus? Aut numquid potest contra regulam traditionis Euangelicæ censuræ de hoc unito Trinitatis nomine sancti Spiritus, sublata vel tacita persona, baptisma in Ecclesia perfectum celebrari? Absit. Alioquin quomodo in hoc nomine deitatis, Patris, & Filii, & sancti Spiritus, in fidem baptismi uniter credentibus datum est? nonne hoc nomen honorificatum invenitur esse in gentibus: sicut præsagus Spiritus sanctus per Malachiam Prophetam testatur:
Malac. 1. 11. *Quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Do-*
Mat. 3. 11. *minus Deus omnipotens*. Quod Joannes Baptista absolvit: *Ego quidem vos baptizo in aqua pœnitentiæ: post me autem veniet, qui vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*. *Int.* Declara mihi si nomen Patris est in Filio, & in Spiritu sancto. *Resp.* Jam frequenter de auctoritate Scripturarum tibi ostensum est, Deum Patrem per Legislatorem Moysen testan-
Exod. 3. 15. tem: *Ego Dominus Deus, hoc est nomen meum memoriale sempiternum in generationes, & progenies*.
Exod. 23. 21. De Filii autem persona sic ait: *Nomen meum est in*
Esai. 45. 5. *illo*. Et alio in loco idem ipse Pater repetit: *Ego Dominus Deus, qui voco nomen tuum Deus Israel*.
Joan. 5. 43. Quod ipse Filius confirmavit dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me*. Et David ad
Ps. 117. 26. hæc ait: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Nam & de persona Spiritus sancti Filius testatus est,
Joan. 14. 26. *quem mittet Pater in nomine meo*. Vides Filium (in hoc nomine venisse, quod & in deitate Patris uniter esse ostenditur, & Spiritum sanctum in hoc nomine venisse indicatur) & Filii, Apostolos autem missos fuisse ut baptizarentur omnes in unito, vel communi nomine deitatis, quod est naturæ invisibilis, id est sancti Spiritus, sicut scriptum est: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis vestræ*. Sed & hoc accipe: Ephes. 4. 30.
Et omnes unum Spiritum potavimus. Sive unitatis 1. Cor. 12. 13.
nomen baptismo operante suscipe dicentis: *Et vos* 2. Cor. 6. 18.
eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Vel hoc accipe, *Sed ex Deo nati sunt*. Necnon,
Et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Joan. 1. 13.
Christi. Et alio in loco, *Sed abluti estis, sed sancti-* Actor. 2. 38.
ficati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri 1. Cor. 6. 11.
Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Sed ex Deo natum esse Joannes testatur: *In sua venit, & sui eum* Joan. 1. 11.
non receperunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Disce ergo hoc unitum nomen esse sempiternum in deitate Patris, & Filii, & sancti Spiritus. Sicut & unum baptisma est fidei, quod vitam æternam credentibus tribuit. Quia sicut unum nomen est in natura Trinitatis, ita & unum donum per baptismum divinitatis. Apostolus ait: una fides, unum baptisma, idcirco quod nomen Patris sit in divinitate, hoc nomen sit & Filii in natura deitatis, sic & Spiritus sancti identidem hoc nomen sit in substantia claritatis. Nam vis scire cum in divinitate Patris nomen, sive Dei, sive Domini, aut Spiritus nominas, unitum nomen, & Filii, & sancti Spiritus in hoc indicas. Ideo secundum ipsam plenitudinem naturæ divinitatis dum refers, unitum nomen per omnia in his esse ostendis. Sane hic secundum personas paulisper tacitum deitatis unitum nomen est. Dum autem singulas personas nominando percurris, nomina propria eorum inesse designas. Unde oportet nos rursus ad superiora dicta recurrere, si potest unito nomini naturæ divinæ Trinitati aliquid superaddi, vel minui. Responde mihi in hoc loco omnis confusa scientia hæreticorum. Præterea ubi nullus nec numerus, sed nec aliqua differentia in unita plenitudine deitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti invenitur, dum unus in alterius nomine distincte in divinitate, & tamen uniter continetur. *Int.* Pande itaque mihi quomodo tres unum sunt, aut unum tres sunt. *Resp.* Memento quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres unum sunt, qui in una natura Trinitatis consistunt. Ideo tres unum sunt, sive unum sunt tres. *Int.* Nimirum divisa est hæc Trinitas an indivisa? dicito mihi. *Resp.* Plane divisa est in nominibus tantum personarum, in deitate autem indivisa est. *Int.* Edicito mihi, quomodo interpretatur unitas? *Resp.* Nescis quia una est Patris, & Filii, & Spiritus sancti divinitas? *Int.* Quid significatur vel intelligitur in hoc loco natura? *Resp.* Hoc quod sentitur veritas ac dealitas, sive substantia, de qua Græci dicunt, usia, quæ est manifeste unita plenitudo divinitatis. *Int.* Quid est una Trinitas? *Resp.* Utique quia una est in ipsa Trinitate plenitudo divinitatis; ita & unitatis naturæ nomen uniter in Trinitate consistere declaratur, & ipsa Trinitas adæque per singula nomina personarum perfecte demonstratur. Omnino hic jam breviter est dictum, quod superius cum grandi cautela secundum stilum Scripturæ regulæ Catholicæ est collectum: ut sicut in divinitate confiteris esse Patrem, sic profitearis esse Filium, & Spiritum sanctum.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De Assumtione hominis (1) contra Marcellinum hæreticum.

LIBER TERTIUS.

INTERROGATIO.

QUEMADMODUM in una deitate eamdemque unam æqualitatem confiteris Filii esse cum Pa- A
Joan. 14. 28. tre, cum ipse de se testimonium perhibeat: *Qui misit me, major me est? Resp.* Proh dolor si sic intelligis dictum suisse, ipse se jam apud te impugna-
Joan. 10. 30. re cognoscitur, cum alio loco dicat: *Ego & Pater unum sumus*. Quid ergo? si minor erat, Patri se in ipsa sempiterna natura non debuerat comparare. Aut quomodo, si dispar erat, & in ipsa deitate divini-
Joan. 14. 9. tatis non erat, Patri coæqualis dicit: *Qui me vidit, vidit & Patrem meum*. Qui utique evidenter, si non esset in his una invisibilis imago naturæ veritatis, numquam prorsus præsumens indicasset: *Qui* B
Philip. 2. 6. *me vidit, vidit & Patrem meum*. Sed & Apostolum audi clamantem de Christo: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Qui autem in forma Dei est, minor esse non potest. Rogo, quomodo Pater major præponitur Filio, & Filius minor subditur Patri, cum forma Dei una perfecta sit in parte æqualis, & in parte divinitatis inæqua- C lis dici non possit? utique qui aut totus in toto totus sit æqualis, ut apud nos manifestum est; aut totus, quia in toto totus non sit; sed simul in toto sit inæqualis, ut apud vos: igitur aut æqualis apud nos, aut totus inæqualis apud vos ut sit, necesse est. Igitur elige tibi unum de duobus, aut una est in his divinitatis gloriæ æqualitas, aut una inæqualitas: dum forma sua nemo sit major vel minor. Aliud est, si contra auctoritatem beatissimi Apostoli, Doctoris gentium, Christum formam Dei Patris esse neges. Si ergo forma ejus est, itaque forma sua incomparabili major esse non potest, ne non Christo, sed semet- D ipso Pater major sit, quia forma sua a vobis major esse dicitur. Quod fieri nullo modo potest, dum nemo semetipso major sit. Sed ne forte etiam hoc præsumas, Arriane, dicendo: Pater in natura deitatis parem non habet formæ Filii comparationem, nemo ei digne comparandus est. Et ut quid coruscum Pauli Apostoli intonantis eloquium renuis, dicentis:
Philip. 2. 6. *Christus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo?* Vel hoc intellige, quia nemo sibimetipsi formæ æqualis comparetur, cum forma æqualis in una persona (Sabelli) dici non possit, dum unita æqualitas in utrisque consistat. (Et E hæc unita æqualitas non tantum in voluntate concordiæ sit, sed imo in deitate; dum hæc forma æqualis omnino in parte non dividatur: quia ubi æqualitas est, alter alteri non anteponitur; sed nec proponitur vel subjicitur, dum unita æqualitas indiscreta sit, quæ est plenitudo divinitatis. Numquid quia æqualem Patrem & Filium in deitate secundum auctoritatem euangelicam, atque apostolicam dicimus, aliquam comparantes mensuram in his esse, hæretice, posuimus, dum incomparabilis sit hæc unita æqualitas divinitatis, quia de te Deus sensi rem quam ad liquidum dixerim. Dum de te Deus, credendum & non definiendum, mihi enim credere jussum est non discutere permissum est.) Ideo Christus Dei forma, vel imago vera Dei Patris invisibilis est, quia una est in his forma & gloriæ æquali-
tas. Nonne scriptum est: *Omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat in ipso?* Coloss. 2. 9. Si aliquid minus est, ubi omnis plenitudo est? Aut si aliquid deest, ubi totum est plenum? Numquid in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat, id est, ut sic dicatur, dealiter, quid potest inveniri in ipso minus? Numquid, Hæretice, plurali numero plenitudines, aut divinitates, aut formas, aut imagines, aut æqualitates in his personis a sacrosancta Scriptura dici invenies, cum unita sit deitas eorumdem? Numquid quot significationes dicuntur ad gloriam deitatis, totidemque sunt & species diversitatis? Absit. Dum hæc universa ad deitatem unitam substantiæ divinitatis dicta declarentur: illud accedit ad causam, numquid ubi unita plenitudo divinitatis est, pars diversa vel excisa in parte inæqualis in ea est? Dum plenitudo nullam diminutionis partem admittat sibi proprie comparari, cum forma Dei omnem plenitudinem in se contineat divinitatis, & ipsa sacrosancta indiscretio æqualitatis nullam patiatur differentiam majestatis, sicut ipse testatur: *Ego in Patre,* Joan. 14. 10.
& Pater in me. Sed & Esaias hæc comprobans dicit: *Quoniam in te est Deus, & non est Deus præter* Esai. 45.
te: Tu enim es Deus, & nesciebaris, Deus Israel salutaris a Deo. Vel ad hoc Apostolum audi testantem: *Quoniam Deus erat in Christo, mundum recon-* 2. Cor. 5. 19.
cilians sibi. Vides quoniam omnis plenitudo divinitatis Patris in Filio est, & totus Filius in Patre est. Ideo unitas est in his personis sempiterna æqualitas, quia est immensa deitas, sicut Euangelista dixit, propter hoc magis quærebant eum Judæi interficere: quoniam non solum solvebat Sabbatum, sed &, quod Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Vel tale dictum accipe: *Tu cum sis homo,* Joan. 10. 33.
æqualem te facis Deo. Sed & hoc: *Ut omnes hono-* Joan. 5. 23.
rificent Filium, sicut honorificant Patrem: quoniam, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit eum. Scito unum & æqualem in his esse honorem deitatis. Denique ipsum audi, ad Patrem clamantem: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*. Sed Joan. 17. 10.
& alio in loco idem ipse repetit: *Omnia, quæ Pa-* Joan. 16. 15.
tris sunt, mea sunt. Si ad divinitatem refers, unum sunt; si ad operationem facturæ indicas, uniter facta hæc omnia Scriptura divina testatur. Vel in hoc intellige Euangelistam Joannem dicentem: *Omnes de* Joan. 1. 16.
plenitudine ejus accepimus, & gratiam pro gratia. Quod ipse Dominus absolvit: *Sicut Pater suscitat mor-* Joan. 5. 21.
tuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat. Sive hoc: *Pater meus usque modo operatur & ego* Joan. 5. 17.
operor. Et alio in loco idem ipse indicat: *Quæcum-* Joan. 5. 19.
que

(1) In Cod. Regio & Sangerm. hæc: *contra Marcellinum hæreticum*, desunt. Floriac. vero habet, *contra Marcellionem*.

que enim Pater facit, eadem & Filius similiter facit. Disce hanc unitam esse operationem in natura divinitatis, quæ credentibus vitam æternam tribuit. Et,
Joan. 6. 44. *Nemo venit ad me, nisi Pater adducat eum.* Et, *Ne-*
Joan. 13, 6. *mo vadit ad Patrem, nisi per me.* Disce, quia per Filium itur ad Patrem, & de Patre venitur ad Filium. Numquid, ut jam prædixi, plurali numero plenitudines in hoc loco designavit, Hæretice? dum unita sit plenitudo divinitatis quæ vitam æternam operatur credentibus. Utique omnes credentes de hac ipsa unita plenitudine Patris & Filii, imo & Spiritus sancti accepimus, & semper est plenum, quia nihil de indiscreta Trinitate deitatis est minua. Ac per hoc una est æqualitas, quæ est inenarrabilis sempiterna claritas. Sane ne in his diutius immoremur, & excusatione exquisita tamdiu prolixam orationem fecerimus, ut de quæstione Arrii proponentis, nos tamquam cavillantes fugisse videremur. Denique Esaiam audiant, adversus dogmata iniquita-
Esai. 32. 6. tis ipsorum hanc sententiam irrogantem: *Stultus enim stulta loquitur, & cor ejus vana intelligit, & consummat iniqua, & loquitur ad Dominum errorem, ad disperdendas animas esurientes, & animas sitientes inanes faciet. Consilium enim malorum inique cogitavit disperdere humiles in sermonibus iniquis, & dissipare verba humilium in judicio.* Nam pii sapientiam cogitaverunt, & hoc consilium manebit, unde oportet nos universa secundum regulam Euangelicam limantes, vel distinguentes ad causam cogitationis con-
Joan. 14. 20. tradicentis accedere in superiore dicentis: *Qui me misit major me est.* Animadverte causa assumti hominis dictum fuisse, (ut cautum invenimus, formam
Psal. 17. 17. Dei formam servi accepisse) sicut scriptum est: *Misit de summo, accepit me, assumsit me de multitudine*
Psalm. 64. 5. *aquarum.* Et alio in loco: *Beatus, quem elegisti, &*
Psal. 26. 10. *assumsisti.* Nec non: *Dominus autem assumsit me.* Numquidnam homo Deum assumsit, & non Deus hominem? Deus utique hominem, non homo Deum assumsit: nam etsi assumsit de Maria virgine, non quod semper ante assumtionem hominis una cum Patre fuit, amisit: sed neque deitas ejus in homine augmentum aut detrimentum ullum sustinuit. Cum talis in homine fuerit præsenti tempore, qualis & in sinu Patris semper ante assumtionem hominis una cum Patre fuisse cognoscitur. Sed e diverso dicis mihi: Quemadmodum hominem Deus assumsit?
Esai. 7. 14. Ignoras Esaiam prophetasse: *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet Filium, & vocabis nomen ejus, Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus.* Sed & Apostolus hæc confirmat, dicens: Formam Dei, formam servi suscepisse. Quapropter nobiscum Deus? Quid aliud intelligitur, quam quod Deus verus, hominem verum de Maria virgine pro salute assum-
Hæc paulo aliter apud Vigilium leguntur. serit nostra? Quæ tamen Maria ex tribu Juda semen traxit de David: Unde Filius Dei, & filius hominis vocitatus est. Sicut claritate Euangelicæ cen-
Luc. 18. 38. suræ cantum est: *Fili David, miserere mei.* Quos
Rom. 1. 3. vas electionis breviter absolvit: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Ecce secundum hominem, ecce secundum Deum. Unam tamen personam duplici significatione esse ostendit, sicut idem ipse alio in loco repetit: *Unus enim Deus.* Et non
1. Tim. 2. 5. in alia persona hæc dicendo distinxit: *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Sicut
Jerem. 17. 9. scriptum est: *Et homo est, & quis agnoscit eum?* Vides, quia mediator. Nec jam Deus tantum pure sine homine, quem assumsit, dici potest, nec homo sine Deo. Considera, quia duplex est in una persona mediatoris significatio, Deus & homo: dum de Deo Deus

A sit, & secundum carnem idem ipse filius hominis sit. Ideo Deus verus, & homo verus est hic mediator, sicut & forma Dei, & forma hominis. (Unde receptissimus Prophetarum Jeremias ad hæc dicit: *Hic est Deus* Baruch. 3. 36.
noster & non æstimabitur alius absque illo: qui adinvenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est. Vides ergo, hæretice, Deum per operationem suam, id est, hominem fuisse agnitum. Si vero hanc tantam probationem Scripturarum non accipis.) Interrogabo te de mediatore meo, imo omnium nostrum. Responde mihi, cujus
B causa scriptum vel distinctum invenitur: utrum Dei, an hominis, qui esurivit, aut sitivit, aut lacrymatus est, & in agonia positus sanguinem sudavit, & ad postremum passionem mortis vere sustinuit? Si Deum proprie sumis dicendo hæc universa perpessum fuisse, occurrit tibi Esaias contradicens: *Deus æternus,* Esai. 40. 28.
Deus qui fecit extrema terræ, non esuriet, neque laborabit, nec est inventio prudentiæ ejus, dans esurientibus cibus, et laborantibus virtutem, etc. Et adhuc sanctus Hieremias indicat: *Numquid eris ut homo* Jerem. 14. 9.
*dormiens, et sicut vir qui non potest * salvos facere?* * ad marg. salvos fieri S. G.
C Vides quia Deus non esurivit umquam, qui universa ex nihilo constituit. Sed nec deitas ejus aliquando passionem sustinuit, cum ab ipsius nutu universa regantur & vivificentur. Quapropter omnis potestas signorum vel prodigiorum Deo facienti est adscribenda, & omnis necessitas tristitiæ passionis homini est imputanda. Sicut legimus, Propheta dicente: *Homo in plaga positus, sciens ferre infirmitates (quo-* Esa. 53. 3.
niam aversata est facies ejus et dehonestata est, nec aliquid æstimata est. Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet. Et sic prosequutus est: *Et Dominus tradidit eum pro peccatis nostris, & ipse quia male tra-*
D *ctatus est, non aperuit os suum; ut ovis ad occisionem ductus est; & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum in humilitate.*) Nam quid am- Joan. 8. 40.
plius quam quod ipse homo de se testatur: *Quid me quæritis occidere hominem qui veritatem locutus sum vobis?* Numquid ad deitatem pertinet hoc dictum: Mat. 26. 38.
Tristis est anima mea usque ad mortem? Numquid causa Dei scriptum est: *Quia oportet filium hominis* Luc. 9. 22.
multa pati a senioribus, & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertia die resurgere? Num- Marc. 14. 36.
quid causa Dei hæc oratio offertur: *Pater, si fieri potest, transfer calicem istum a me,* si hæc universa
E divinitati sunt imputanda? Absit: Cum hic homo vere pro nobis passus sit, qui naturam de Virgine ex radice nostra infirma in se habuit; ideo nostras infirmitates noster mortalis, vel passibilis homo vere sustinuit, qui post passionem a Deo rursus vere assumtus est. Quod ipse Dominus absolvit: *Ego* Joan. 10. 17.
pono animam meam, ut iterum accipiam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me. Itaque intellige, quia prius hic homo in nativitate de Maria virgine assumtus est, & in passione, permittente potestate ejus, traditus est, & post passionem denuo assumtus ab ipso vel acceptus est, sicut scriptum
F est: *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed* 2. Cor. 13. 4.
vivit ex virtute Dei. Vides quia secundum infirmitatem nostram homo vere crucifixus est, & secundum virtutem Dei vivit. Denique considera Deum pro dispensatione hominis sui, quem assumsit, locutum fuisse: *Solvite templum hoc, & in tribus die-* Joan. 2. 19.
bus suscitabo illud. Nonne de templo corporis sui locutus est hæc, quod post triduum ipse suscitavit a mortuis? Numquid homo qui orabat ut calix ab illo transiret, contra se dicebat: *Potestatem habeo* Joan. 10. 18.
ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus assumendi eam? Vides quia ubi omnis potestas, nulla

la io deitate auctoritas mortis est. Ubi autem infirmitas corporis est, ibi tristitia cordis est. Numquid homo solitarius, Photine Hæretice, sine Deo aquas in vinum transtulit? aut confidentia sua mare pedibus ambulavit? Numquid homo qui mortem timuisse videbatur, sine Deo mortuos suscitasse invenitur? (Numquid Simeon phantasiam ulnis gestavit?) Numquidnam per potentiam hominis solitarii terra contremuit? aut rupes & saxa sese illidentia dissolverunt? (Numquid homo sine Deo dæmones increpabat, aut virtutes faciebat?) Numquid homo sine Deo ventis imperabat, & placidas æquoris undas compescebat? B Numquid homo solitarius a mortuis resurgere potuit? aut in medio discipulorum januis clausis stetit inter illos, & docuit eos de regno Dei? Numquid homo solitarius super omnes cælos ascendere a semetipso sine Deo valuit? Hæc cuncta mirabilia facta cum Deus causa assumti hominis sui sit operatus, ideo omnis potestas signorum & prodigiorum Deo facienti est adscribenda, & omnis infirmitas passionis homini est imputanda. Sane hic secundum invisibilem deitatis naturam, & non hominis dicta (Joan. 14. 9.) accipe, dicentis: *Qui me vidit, vidit & Patrem* (Mat. 11. 27.) *meum*. Sed & alio loco idem ipse repetit: *Nemo* C *vidit Patrem, nisi Filius: nemo scit Filium, nisi Pa-* (Exod. 33. 20.) *ter*. Sive hoc: *Nemo vidit Deum & vixit*. Sed & (Colos. 1. 15.) Apostolus ad hæc testatur: *Qui est imago Dei invi-* (Genes. 1. 26.) *sibilis*. Quod ipse Pater invisibilis absolvit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Vides unam esse invisibilitatis divinæ naturæ imaginem Patris, & Filii, imo & Spiritus sancti pure, quam nemo vidit umquam hominum, nec videre (Joan. 1. 18.) potest, sicut scriptum est: *Deum nemo vidit umquam*. Nam si homo vere assumtus, visus, palpatus, flagellatus, pallio circumdatus, spinis coronatus, felle & aceto potatus, in ligno crucis clavis constipatus, D lancea latere perforatus, sanguine & aqua madidatus, & usque adeo sepulturæ traditus vel humatus est, nonne hæc cuncta vere secundum naturam hominis sustinuit, Marcionita? Denique de ipsa natura hominis scriptum accipe, & tu Paganis consimilis solicola Manichæe: numquid de natura Dei dictum est: (Luc. 24. 39.) *Videte manus meas & pedes meos, quoniam ego ipse sum, palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habentem?* Utique causa hominis, & non deitatis, post resurrectionem piscem & favum edit. Numquid ut deitas a Thoma videre- (Joan. 20. 27.) tur poscit ab eo: *Porrige digitum tuum huc, & vide* E *manus meas, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis?* Absit: Dum ipse de deitate sua prius dixerit: *Nemo vidit Filium nisi* (Joan. 14. 9.) *Pater*. Et, *Qui me vidit, vidit & Patrem meum*. Nonne hic nulla phantasia facta est, ubi universa veritas hominis post passionem; vel post resurrectionem declarata est? Interrogabo & te, Photine, qui Christum Deum verum abnegas, & hominem purum tantummodo confiteris. Numquidnam causa homi- (Joan. 1. 1.) nis cautum invenitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta* F *sunt, & sine ipso factum est nihil?* Numquid homo in hoc principio fuit, (1) Homuncionita, & non Deus Dei Filius ante omne omnino principium semper una cum Patre fuit? Sane hunc hominem nuper de Maria Virgine assumsit. Numquid per hominem visibilia & invisibilia facta sunt? sicut magister gen- (Colos. 1. 16.) tium testatur: *Omnia per ipsum facta sunt visibilia, & invisibilia, tam ea quæ sunt in cælo, quam ea quæ* A *sunt in terra, sive throni, sive virtutes, sive potestates, sive dominationes?* Accipe in hoc dicto & tu consimilis synagogæ Satanæ, nomen falsum, o apostatice Judææ, qui asseris Patrem ad Angelos locutum fuisse: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem no-* (Genes. 1. 26.) *stram*. Dum imago Angelicæ facturæ sit spiritus vel ignis: quæ tamen a Deo Filio facta est, sicut scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso* (Joan. 1. 3.) *factum est nihil*. Vel hoc: *Qui facit Angelos suos spi-* (Psal. 103. 4.) *ritus, & ministros suos ignem flammantem*. Numquid Angelus qui factus est, in ministerio facere imaginem suam ipse potuit? Absit. Plane Deus Dei Filius B ad imaginem unitæ immortalitatis suæ, & similitudinem æquitatis suæ fecit hominem, ut homo in qua justitia factus fuerat imaginis incorruptæ permaneret, & similitudinem voluntatis per operationem spiritualem factoris imitando possideret, dum non sit factus talis homo proprie, qualis est pura creatoria imago divinitatis. Quia satis interest ad imaginem & similitudinem referri: & multum distat, ut qualis vel quantus est factor, tantus dicatur esse qui factus a Deo est. Unde post transgressionem, Adam imaginem immortalitatis, in qua factus fuerat, ami- C sit: quia diabolo consensit, ut cautum est: *Quo-* (Sap. 1. 13.) *niam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditionem vivorum*. Sive hoc: *Qui destruxit quidem mor-* (2. Tim. 1. 10.) *tem, illuminavit autem vitam & immortalitatem*. Vel hoc: *Absorpta est mors in victoria, ubi est mors* (1. Cor. 15. 54.) *aculeus tuus?* Aut hoc: *Novissimus inimicus destrue-* (1. Cor. 15. 26.) *tur mors*. Sed & hoc: *Quoniam Deus omnes vult* (1. Tim. 2. 4.) *salvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire*. Nec non & hoc scriptum est: *Et vidit Deus omnia quæ* (Genes. 1. 31.) *fecit, & ecce bona valde*. Sed & in Euangelio positum est: *In ipso quod factum est vita est, & vita* (Joan. 1. 4.) *erat lux hominum*. Itaque quod in Adam amisimus, D per Christum Dominum nostrum in baptismo suscepimus, ut scriptum est: *Ut primus homo de terra* (1. Cor. 15. 47.) *terrenus, secundus homo de cælo cælestis*. (Sicut ergo portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.) Vides imaginem primi hominis de transgressione factam esse mortalem, vel terrenam: & imaginem secundi hominis, de justitia & veritate factam esse immortalem vel cælestem: *Dum in Adam* (1. Cor. 15. 22.) *omnes moriuntur, & in Christo omnes vivificantur*. Disce jam & tu, Ebion & Photine, semper fuisse Deum Dei Filium cum Patre, qui hominem & universa instituit, qui se ante Abraham in claritate Euan- E gelicæ censuræ fuisse testatur, dicens: *Ante Abra-* (Joan. 8. 58.) *ham ego sum*. Sive hoc: *Pater clarifica me apud temetipsum, claritate quam habui ante quam mundus hic esset*. Utique hic dicit, qui hunc hominem nuper adsumsit. Unde adsumtus homo filius David, sive filius Abrahæ esse ab Euangelista prædicatur: dum & Deus qui adsumsit hominem secundum divinitatem sit: & filius David secundum dispensationem filius hominis sit: dum & Deus de Deo sit, & secundum carnem homo filius hominis sit: dum & Deus & homo sit, & homo sine Deo non sit, & Deus solitarius sine homine quem adsumsit non sit. F Itaque sciat se omnis confusa sylva hæreticorum, ubi tot genera draconum vel ferarum requiescunt, in hoc blasphemare, cum alii Deum solitarium sine homine tantum prædicent: & alii hominem tantummodo purum sine Deo profiteantur. Dum causas dispensationis passim confundendo infirmitatem humanam mortalis hominis divinitati immortali adscribunt, aut impassibilem deitatem ad naturam hominis passibilis proprie comparant, in hoc miseri la-

(1) Ita manuscripti nostri cum prius editis. Chiffletius cum Pontiniacensi legendum putavit, *Homousionista*, voce deducta ab ὁμοουσίῳ: sed quid hæc ad ὁμοουσίας, Catholicos? Notantur sane hic qui dicerent, Christum hominem fuisse in principio apud Deum, & ideo vocantur humuncionitæ.

horant, ut alii Deum verum, & alii hominem ve- A
rum Filium Dei abnegent. Respondete mihi, Mani-
chæi filii tenebrarum, in quos tot genera serpen-
tum lubricos habent anfractus, Filium Dei, id est,
Deum verum, & hominem verum, de Maria Virgine
pro nostra salute non confitemini, ut scriptum est:
Esai. 7. 14. *Ecce Virgo in utero concipiet & pariet filium, & vo-*
cabis nomen ejus Emmanuel: quod interpretatur nobis-
cum Deus. Si phantasma tibi videtur Angelum Ga-
Luca 1. 30. brielem Mariæ testificasse, dicentem: *Ne timeas*
Maria invenisti enim gratiam ante Deum: Ecce con-
cipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus
Luca 2. 7. *Jesum.* Vel Euangelistam ad hæc testantem: *Et pepe-* B
rit filium primogenitum, & pannis eum involvit, & po-
suit in præsepe. (Si phantasia tibi videtur, quid con-
cepit, vel quid peperit, aut quid pannis involvit &
in præsepe posuit? Sive hoc exemplum accipe An-
gelum ad pastores testantem, & dixit illis Angelus:
Luca 2. 10. *Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium*
magnum quod erit omni plebi: quia natus est vobis
hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate
David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem
pannis obvolutum, & positum in præsepio. Et subito
facta est cum eo Angelorum multitudo exercitus cæle-
lestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in excel- C
sis Deo, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis.
Numquid pro phantasia Angeli exsultaverunt in cæ-
lo?) Numquid phantasia fuit, quod adoraverunt
Magi venientes ab Oriente? Numquid phantasia se-
cundum legem octava dia manibus palpatur vel cir-
cumciditur? Numquid pro phantasia infantes oc-
cisi sunt? Numquid phantasma Joannes manibus at-
trectans baptizavit? Numquid phantasia erat super
quem vidit Joannes Spiritum sanctum in specie co-
lumbæ venientem, & manentem super eum? Num-
quid phantasia pedes discipulorum, manibus lavit? D
Numquid phantasia vere manducavit & bibit? Num-
quid phantasia lutum de sputo fecit, & linivit ocu-
los cæci, & vidit? Numquid phantasia Lazarum fœ-
tentem quarto die suscitavit? Numquid phantasia u-
nicum matris vivificavit? (Numquid phantasia Cen-
turioni puerum condonavit?) Numquid phantasia in
cruce pependit, cum tremefactis cardinibus mundi,
Matth. 27. 54. videns Centurio confessionem dedit, dicens: *Vere*
Filius Dei est hic? Numquid phantasiam in sindone
involvit Joseph, & posuit in monumento? Numquid
phantasia a mortuis post tres dies resurrexit, & in cæ-
los ascendit, & sedit ad dexteram Patris? Absit, Mani- E
chæe, in quo diabolus universa phantasmata erroris
est operatus: præsertim cum hæc cuncta superius me-
morata (quæ specialiter pro homine mirabilia sunt
dicta) Deus verus in homine (aut pro homine, vel
per hominem verum) sit operatus. Ideoque cogno-
sce in hoc loco & tu, Arriane, quem diabolus in agro
dominico inter bonum triticum ausus est ad eradi-
candum semen suum zizaniæ serere, (ut scriptum est:
Apoc. 3. 2. *Scio opera tua, quod nomen habes tantum quod vivis.*
Ecce mortuus es. Esto itaque vigilans, & constabilito
reliqua quæ moritura sunt. Non enim invenio opera
tua plena coram Deo meo.) *Memento quemadmodum* F
acceperis, & quomodo audieris, serva & age pœniten-
tiam. Sin vero veniam ad te ut fur, & nescis qua
hora veniam ad te. Audis hæretice, qui nomen tan-
tum Christiani habes, & ore diaboli loqueris, qui
ignoras causa dispensationis hominis dictum fuisse:
Joan. 14. 28. *Qui me misit, major me est.* (*Int.* Dic, Orthodoxe,
si pro dispensatione hominis, ut asseris, positum est:
Qui me misit, major me est. Ergo quo tempore mis-
sus a Patre est?) Forte dicturus es, absens ab illo,
tunc divinitas ejus fuisse cognoscitur. *Resp.* O satis
confusa conscientiæ cæcitas, quæ prorsus serpentis

A veneno est infecta. Utique si absens a Patre fuit, quo-
modo indivisa natura est, & si divisus est, quomodo
unus in uno est? Et si absens fuit, cum in homine
fuit & est, cur a piscatore Joanne nobis in sinu Pa-
tria agens unus semper annuntiatus est, dicenta:
Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus qui est in Joan. 1. 18.
sinu Patris, ipse enarravit? Denique ad hæc ipsum
audi loquentem: *Verba quæ vobis loquutus sum non* Joan. 14. 24.
sunt mea, sed ejus qui me misit Patris. Sed & hæc:
Opera quæ ego facio non sunt mea, sed ejus qui me Joan. 10. 38
misit Patris, ipse operatur opera sua. Et: *Si mihi non*
creditis, operibus credite, quia ego in Patre, & Pa-
B *ter in me est.* Ecce Filio loquente Pater loquitur, &
operante Filio Pater uniter operatur, & manente Pa-
tre in Filio, manet Filius in Patre. Vides indivisam
esse naturam divinitatis Patris, & Filii, dum quod
loquitur natura Filii, uniter loquitur & Patris, &
quod operatur natura Filii, hæc ipsa uniter natura
divinitatis operatur & Patris. Et cum manet natu-
raliter Filius in Patre, idem (manet substantialiter
& Pater in Filio. Unde ut certus sis inter exeuntem
& a quo exierit, ut ipsa ait: *Ego a Patre exivi &* Joan. 16. 28.
veni, nomina in personis ostenduntur, & non unita
C plenitudo divinitatis quæ est indiscreta dividitur.
Dum qui a Patre exivit, hic semper in Patre fuit &
est, ut ipsa testatur: *Ego in Patre & Pater in me.* Joan. 14. 11.
Præterea dum & ubique præsens sit hæc unitatis
plenitudo, & omne adimpleat interius & exterius a
summitate cælorum usque ad profundum inferorum,
sicut scriptum est: *Ego Dominus Deus, qui impleo* Jerem. 23. 24.
cælum & terram & omnia quæ in eis sunt. Vides
unitam esse hanc plenitudinem, indiscretam esse di-
vinitatem.) Itaque considera, quia quicquid ad dei-
tatem refertur, unitatem indiscretam esse designat:
quicquid causam hominis indicat, naturam infirmi-
D tatis ostendit, sicut ipse ait: *Spiritus carnem & ossa* Luca 24. 39.
non habet, sicut me videtis habentem. Nonne in hoc
dicto hominem ostendit, nam secundum Deum sic
prosecutus est: *Spiritus est qui vivificat: nam caro* Joan. 6. 64.
nihil prodest. Verba quæ ego loquutus sum vobis, Spi-
ritus & vita sunt. Vides quia ubi auctoritatem re-
fert, divinitatem indivisam esse ostendit, ubi ad ho-
minem naturam infirmitatis designat. Ac per hoc
omnis potestas Deo est adscribenda, & omnis infir-
mitas homini est imputanda. (Sicut ipse ait: *Tristis* Matth. 26. 38.
est anima mea usque ad mortem.) Rogo, qui major
est, qui assumsit, an qui assumptus est? Deus, an
E homo? hoc est forma Dei, aut forma servi hominis?
qui clarificat, aut qui clarificatus est? sicut ipse dixit:
Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus honori- Joan. 13. 31.
ficavit eum. Et sic persecutus est: *Et Deus protinus*
honorificavit eum in se. Considera jam in his dictis
unam personam duplici vocabulo declaratam esse
Dei & hominis, Apostolo dicente: *Unus enim Deus,* 1. Tim. 2. 5.
unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Je-
sus. Sive hoc: *Mediator autem unius non est, Deus* Gal. 3. 20.
autem unus est. Vides unum esse Deum, & non al-
terum in persona esse mediatorem Dei & hominum,
hominem Christum Jesum. Sed e diverso dicis mihi
F hæretice: in una persona Dei & hominis, id est,
Filii Dei, quid potest discerni? Ergo si non discer-
nis, certus esto, quia & deitatem passam simul esse
ostendis. Et cur tu in uno homine causam animæ
discernis, hæretice, secundum dominicum dictum,
eo quod non debeat timeri homo, qui habet potesta-
tem occidere corpus, animam autem non possit occi-
dere? Si tu in hac causa animam tantum discernis in
una persona hominis, quæ ab homine non interimi-
tur; quanto magis nos in una persona Dei & homi-
nis (hoc est, Filii Dei) causam immortalitatis, id est,
deitatem, ab hominis infirma vel mortali natura dis-
cer-

cernimus? Denique Deum ad hæc audi loquentem: Joan. 2. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud*. Numquid deitas dissoluta est, (1) Marcellio Montensis, ut asseveras, sive sapientia, vel virtus Dei Patris, & non homo? Utique homo vere passus est, qui templum Dei factus est (qui ab ipso resuscita- Ps. 118. 120. tus est) sicut Scriptura divina testatur: *Confige clavis* Joan. 19. 37. *a timore tuo carnes meas*. (Sive hoc: *Et videbunt in quem transpunxerunt*. Utique hominem videbunt, quem crucifixerunt. Numquid divinitatem clavis fixerunt, aut lancea foraverunt? absit. Nonne una persona Filii Dei est, per quam causa tanta distinguitur?) Rogo, si ipse infirmitatem hominis, quem assumsit, deitati suæ immortalitatis non imputavit, tu tantam, & tam immensam deitatem, per quam omnia sunt facta, homini passibili adscribis? Sicut & 1. Cor. 15. 17. tu soles proponere Apostolum dixisse (Arriane:) *Omnia subjecta sunt ei præter eum qui subjecit ei omnia. Nam cum subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia*. Hoc evidenter ad deitatem Filii Dei non pertinet dictum, dum per ipsum cuncta sint facta, & semper illi fuerint subdita, quia nemo sit qui facturæ suæ non dominetur semper. Unde homo qui nuper natus est, sine dubio ante passionem illi non fuerint subjecta, cum adhuc ipse homo morti esset pro nobis debitor. Unde jam post Passionem (vel Ascensionem, sive judicium futurum,) universa erunt ei subdita, sicut ipse homo de Mat. 28. 18. se significat, qui adhuc in cælis non fuerat: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Denique vel Joan. 5. 27. hoc accipe: *Et potestatem dedit ei ad judicium faciendum, quoniam Filius hominis est*. (Vel saltem de uni- Joan. 17. 3. ta bonitate naturæ ipsius Domini dicta suscipe: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Numquid de se, aut ipsa sola bonitate Patris alienum esse perscri- Psalm. 44. 1. psit, qui sic subjunxit: *Et quem misisti Jesum Christum?* Nam & Pater eadem testatur: *Eructavit cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea Regi*. Vides bonum esse Verbum Dei, qui de Patre substantialiter, vel naturaliter consistit.) Ideo hujuscemodi omnes comparationes pro infirmitate hominis sunt di- Joan. 14. 28. ctæ: *Qui me misit, major me est*. Sive in hoc dicto, Luc. 10. 18. in quo soles argumentari: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus*. Cum alio in loco ipse dicat: Mat. 20. 15. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum*. (Sed Joan. 10. 14. &, *Ego sum Pastor bonus*.) Sicut & de persona san- Psal. 142. 10. cti Spiritus sic cautum invenimus: *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam*. Disce unam esse bonitatem in natura Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Igitur vel nunc perpende, quia omnis infirmitas homini est imputanda, & omnis potestas signorum vel prodigiorum deitatis indiscretæ Trinitati est adscribenda. *Interr.* Ergo si una natura Patris, & Filii indiscreta est, quia dicis unus in uno est, sicut scri- Joan. 14. 11. ptum est: *Ego in Patre, & Pater in me*. Et causa dispensationis hominis dictum fuisse asseris, id est: Joan. 14. 28. *Qui me misit, major me est*. Quid jam de persona Spiritus paracliti hoc loco dicturus es? minor non Joan. 16. 7. est, qui a Filio missus est, sicut ipse ait: *Si non abiero, paraclitus non venit*. Et, *Si abiero, mittam eum ad vos, & docebit vos omnem veritatem? Resp.* O inaudita adhuc penitus tam inquisita præscriptio! Itaque suggerente ipso de se sancto Spiritu respondeo: Nunc oportet nos unum pro multis pertinens dare auctoritatis exemplum. Memento reciprocam esse hanc naturæ virtutem mittentis & missi, dum hic qui nunc missus est, ipse jampridem misisse mittentem inveniatur. Denique per sanctum Esaiam Do- Esai. 48. 16. minum Dei Filium accipe testantem: *Accedite ad me & audite hæc. Non ab initio in occulto loquutus sum, cum fierent illic eram, & nunc Dominus misit me & Spiritus ejus*. Disce tandem aliquando unitam esse hanc naturam divinitatis mittentis & missi, dum qui nunc in Euangelio quamvis missurum se Spiritum paraclitum testatus sit, tamen seipse ab eo jam prius missum per inclytum Esaiam professus est: dum hic qui mittitur, a mittente numquam dividitur, quia indiscreta natura est: dum inter mittentem & missum personæ ostenduntur, & nulla in divinitate divisio est. Præterea dum ubique præsens sit hæc unita plenitudo, & omnia impleat interius & exterius, a sommitate cælorum usque ad profunditatem inferorum. *Int.* Rogo, si Filius hominis est, ut de vetere scripturarum auctoritate mihi indices quæso. *Resp.* Audi Psalmographum: *Fiat manus tua super virum dex-* Psal. 79. 18. *teræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi*. (Sicut & sanctus Daniel testatur: *Videbam in* Dan. 7. 13. *visu noctis, ecce cum nubibus cæli venientem filium hominis & appropiavit usque ad veterem dierum, & oblatus est ei principatus & honor & imperium. Et omnis plebs & tribus & linguæ serviunt ei. Potestas ejus potestas perpetua, quæ non desinit: & imperium ejus non interibit*.) Ecce virum dexteræ, ecce filium hominis, sicut Apostolus dicit: *Qui factus est ei ex* Rom. 1. 3. *semine David secundum carnem*. Nam secundum Spiritum deitatis, sic ait: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis*, Sicut ipse Pharisæos interrogat de divinitate sua: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Re-* Mat. 22. 41. *sponderunt ei Judæi: David. Et ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Si ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat respondere illi verbum*. Disce ergo quia secundum carnem filius hominis est, hoc est David, & secundum divinitatem idem ipse Filius Dei est in virtute, & Dominus ipsi David est. Quamobrem unigenitum dum Scriptura refert, secundum divinitatem indicat, quia in deitate unigenitus a Deo Patre omnino fratres non habet: & dum primogenitum nominat, naturam hominis ostendit, quod Apostolus declarat, dicens: *Ut* Rom. 8. 29. *sit ipse primogenitus inter multos fratres*. (Sive hoc accipe exemplum: Et ab Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus ex mortuis. Nonne una est persona Filii Dei, & duplex est ejus significatio, Deus & homo? Nonne unus est filius, qui secundum carnem primogenitus filius nuncupatur ex mortuis homo, sicut scriptum est: *Qui est primogenitus ex mor-* Col. 1. 18. *tuis?* Itaque crede mihi, qui legis hanc scripturæ meæ fidei professionem, quia multi de hac tractaverunt; sed non intelligentes erraverunt: qui dum personam pro causa discernunt, duos filios in confessione introduxerunt; qui debuerant causam passionis hominis a divinitate discernere, & non personam: dum unus sit Filius cujus est persona, sed duplex naturæ significatio est: dum unigenitus a Deo Patre Deus sit, & primogenitus ex mortuis homo sit: dum Deus verus & homo verus sit & cum Deo sit, & secum adsumtus sit. Quapropter causa discernitur & non persona.) Ac per hoc in deitate cum dicit, impassibilem divinitatem designat. Ubi autem causam hominis indicat, naturam passibilem esse demonstrat. Vides quia ubi secundum auctoritatem refert, divinitatem indivisam a Deo Patre esse ostendit. Ubi secundum hominem indicat, naturam infirmitatis declarat. Ideo omnis potestas Deo est adscribenda, & omnis infirmitas passionis homini est imputanda.

SAN-

(1) Ita mss. nostri cum Floriac. Editi *Marcelline hæretice*: quis porro fuerit ille Marcellio ignoratur, Montensis autem dicitur, id est, Donatista, teste Augustino ad Quodvultdeum.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De singulis nominibus adversus novellam hæresin cujusdam Potentini (1) Urbici.

LIBER QUARTUS.

INTERROGATIO.

HIc jam de singulis nominibus atque personis [A] identidem refer mihi. *Responsio*. Non tibi sufficere debuerat, unum pro multis dominicæ fidai exemplum dicentis: *Euntes baptizate omnes gentes, in* (*Mat. 28.19.*) *nomine Patris, & Filii, & sancti Spiritus?* De quo jampridem in primo libello tam absolute digasseram, in quo totius Sacramenti varitatem in una deitate consistere declaraveram. Necnon & nomina propria in singulis personis inesse distinxeram. An ignoras, quia Pater unus innatus ast, & ipse filius non est, & unus filius ab eo vere natus est, qui pater non est, & unus hic Spiritus sanctus, qui non ut hic Pater genuit, & non sicut filius natus est, sed nec factura est? [B] Sane ut Scriptura divina testatur de unita vera deitata est, ac per hoc nomina vera propria in personis sunt, & non vocabula vacua. *Interr.* Ut hæc dicta de auctoritate ostendas postulo. *Resp.* (De adsumto homine) in claritate Euangelii scriptum ast: *Et baptizato Jesu* (*Matth. 3.16. Luc. 3. 2. Petr. 1.*) *confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cæli, & vidit Spiritum descendentem de cælo sicut columbam venientem in ipsum. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui.* Nonne alter ast in persona qui baptizatus est, & alter qui sicut columba da cælis descendit, & alius [C] adæque cujus vox de cælis audita est? Sicut alio in loco scriptum ast: Omnis qui diligit ganitorem, diligit eum qui natus ast de eo. Numquid ipsa est genitor qui & natus est ab ipso? Absit. Val hoc accipe testimonium: *Qui non confitetur Filium, nec Patrem* (*1. Joan. 2. 23.*) *babet: qui autem confitetur Filium, & Filium & Patrem babet.* (Siva hoc: (*Joan. 15.23.*) *Qui me odit, & Patrem meum odit*. Sed ad hæc Joannes indicat: (*1. Joan. 2. 22.*) *Qui negat Patrem & Filium, bic est Antichristus*. Vides Antichristum asse qui negat varum Patrem & Filium.) (*Mat. 17. 5.*) Denique Patris vocam de cælis audi dicentem: *Hic est Filius meus dilectus in quo bene complacui, ipsum* [D] *audite*. Dum omnimodo alter sit, qui tastificatur da cælis, & alius adæque qui testificabatur in terris. Sicut Filius ad Patrem clamat: *Pater, honorifica Filium* (*Joan. 12.28.*) *tuum: Et venit vox de cælis: Et honorificavi, & iterum honorificabo*. (Utique si ipse erat in persona Filius qui & Pater, a quo tandem honorem postulabat, & cujus vox ad eum respondebat, dicans: *Et* (*Joan. 17. 1.*) *honorificavit & honorificabo*? Sed & hoc: *Pater sancte, honorifica Filium tuum, ut & Filius tuus honorificet te.* Vides in hoc mutuam esse facundum naturæ vicissitudinem, honorificentiam in his consistentem. Sive accipe: *Ego de Deo exivi & veni*.) Nam & in alio loco [E] (*Joan. 17.*) idem ipse repetit: *Ego a Patre exivi, & veni*. Utique si ipse arat Pater in persona, qui & Filius, sic debuerat intimassa: Ego a me axivi, & veni (in hunc mundum.) Dum proculdubio alter sit, qui axivit, & alius sit de quo exierit. Sed ad hæc subjunxit de persona sancti Spiritus: *Cum venerit advocatus ille, quem ego* (*Joan. 15.26.*) *mittam vobis a Patre meo Spiritum veritatis qui a Patre meo procedit, ipse testificabitur de me*. Itane non alter est qui mittit, & alius adæque in persona a quo [A] procedit, & alter est hic ipse qui venit? Denique si una esset persona, a quo tandem mitteretur? vel a quo procederet? sicut Apostolus hæc in salutatione ad Corinthios confirmat, dicens: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, boc est Patris & communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis*. (*2. Cor. 13. 13.*) Nonne aperte per singula nomina, sicut & superius continentur, singulas personas inesse distinxit? (Denique ad hæc, ipsius Filii dicta suscipe dicentis: *Alius est qui testimonium perbibet mibi qui me misit Pater*. (*Joan. 5. 32.*) Dum infra de sa dicat, alius, vides quia alius est Pater in persona Filii, & non alius est in divinitate. [B] Sed & de Spiritu sancto, sic ait: *Rogabo Patrem meum, & alium paraclitum mittet vobis*. (*Joan. 14. 16.*) Considera & alterum asse Spiritum paraclitum in persona, & non tamen esse alterum in divinitate: ideo alter ab altero in persona tantum differt, & non in deitate usiæ.) Itaqua alter est Pater in persona qui genuit, & alius Filius est, qui genitus ab ipso, & alius Spiritus paraclitus, qui da unita natura est. Sed dicis mihi, hæretice, quamadmodum Spiritus de unita natura consistit? Ecce Filius de eo testatus est: *A Patre procedit*. (*Joan. 15. 26.*) Et sic prosequutus ast: *Et de meo accipiet*. (*Joan. 16. 14.*) [C] Quod testimonium Pater comprobavit, dicens: *Spiritus a me procedit*. (*Esai. 57. 16.*) O homo, si Spiritus hic paraclitus, ut dicis, Pater non est, Filius non ast, factura non est, quid tibi esse videtur? O vera cæcitas! Utique si scriptura tibi non sufficit, quæ sic de eo significat, me non est jam super eo quod interroges. Sane non debeo dissimulare, in eo quod tibi debeam indicare quod sentio. Sed ut prius scias quos laqueos evites, indicabo tibi hæc. Hæresis novella axstitit inaudita cujusdam Urbici Potentini, qui hunc Spiritum sanctum Patram aut Filium, aut certe facturam usurpat debere confiteri: ut si quis certe ignarus, [D] vel rudis in Scripturis divinis, de his quæ per amaritudinem versutiæ ajus sunt in medio oblata, commenta audierit, & aliquid ax his blasphemé dictis elegerit, statim in hæresin incidat. Audi itaque quemadmodum absolvi debeant tortuosa vincula iniquitatis ejus. O Potentine, qui adversus Scripturas divinas, vel totum mundum tu solus a Catholicis de hoc dissentis, dum Philosophorum doctrinas sectaris, qui sic sentis: utique si Spiritus, & hic paraclitus, ut dicis, Pater esset, sine dubio jam non esset unus Pater, sed duo Patres: aut si Spiritus & hic paraclitus Filius esset, sine dubio jam non [E] unus Filius esset, sed duo filii, vel si factura esset Spiritus paraclitus, procul dubio non jam assat verus Deus, qui factus ast, quod absit. Ac per hoc eadem ipsa repeto, & per apertiores sarmones hæc dicta de auctoritate juris indico. Igitur si alter Pater erat & hic Paraclitus, ut quid dictum Apostoli invenimus: *Unus enim Deus Pater?* (*1. Tim 2. 5.*) Sive hoc dictum: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso?* (*1. Cor. 8. 6.*) Disce ergo, quia unus ast innascibilis Deus Patar. Sed & si alter Filius assat & hic Spiritus consolator,

(1) *Urbici*, deest in codicibus nostris.

lator, cur unigenitus Filius a Joanne Euangelista nobis prædicabatur, dicens: [Joan. 1. 18.] *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris; ipse enarravit?* [1. Cor. 8. 6.] Sive hoc: *Et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*. Vides quia unus est Filius, qui est unigenitus Deus. Sed & si creatura erat Spiritus sanctus, & Deus verus non erat: cur legimus ipsum Dominum Christum Nicodemo indicantem: [Joan. 3. 6.] *Quod nascitur de Spiritu, Spiritus est?* Et, quia Deus Spiritus est. Vel saltem hoc exemplum accipe: [Ephes. 4. 30.] *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemtionis*. Sed & ad hæc dicta suscipe: [Joan. 3. 5.] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*. Memento, quia Deus est Spiritus sanctus, qui cuncta operatur in signis & prodigiis, sicut Vas electionis breviter absolvit: [1. Cor. 12. 11.] *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Qui utique si creatura erat hic unus atque idem Spiritus, quemadmodum hæc universa mirabilia poterat operari? Unde non Pater est hic Paraclitus, Potentine, ne duos Patres adversus stylum regulæ auctoritatis in confessione introducantur: & non filius est ne duo filii contra sacras Scripturas esse videantur: & non factura est, ne non Deus verus sit. Sed ad postremum, ut discas, ab ipsa creatura divina, verus est Deus quia de ipsa vera deitate unita, incomparabilique consistit. *Int.* Rogo, si unita deitas est incomparabilis, numquid sic & nomina personarum incomparabilia sunt? *Resp.* Proh dolor! si multi sunt patres, qui aliquando patres non fuerunt, numquid aliquis ex his Deo Patri in sempiterna generatione pater digne comparabitur? Absit. Aut quia multi sunt filii, qui nuper nati sunt, & antea filii non fuerunt, numquid aliquis ei ad sempiternam nativitatem filius proprie adsimilabitur? Aut quia multi sunt spiritus in cælo, & in terra, qui facti sunt, numquid aliquis eorum in sempiterna divinitate sancto Spiritui adæquabitur? Absit, ne factura factori suo comparetur, dum factura nuper cœperit, factor autem ejus semper ante omne omnino principium fuerit. Memento unum esse Patrem, ex quo omnia, (& unum esse Filium per quem omnia,) & unum esse sanctum Spiritum, in quo omnia, sicut scriptum est: [Rom. 11. 35] *Omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso*. Considera ad hæc superius argumenta dicta, tres significationes per unitum operantis nomen esse ostensas, id est, ex ipso, & per ipsum, & in ipso: dum aliud sit ex alio, aut per aliud, quia ad singulas personas hoc pertinet dictum. Nam de unito nomine sic ait: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso, quod idem ipsum est unum. Unde quamvis hæc vocabula in proprias personas tacite sint dicta, tamen unum nomen in his clause est revelatum. Ergo quia ait: *Ex ipso*, ex Deo Patre vocitata, ut fierent demonstravit, & *per ipsum*, per Deum Filium hæc ipsa facta indicavit, *& in ipso*, in Deo sancto Spiritu sanctificata pronuntiavit. Vides quia, *ex quo*, ex Patre est dictum: & *per quem*, per Filium est factum: & *in quo*, in Spiritu sancto est uniter consummatum. Itaque quod ait, *ex ipso, & per ipsum, & in ipso*, quia identidem hæc ipsa est divinitas Patris, quæ & Filii, sic & Spiritus sancti, ideo cuncta ex ipso, & per ipsum, & in ipso facta sunt. Ipsi Trinitati unitæ & inenarrabili honor & gloria in sæcula sæculorum, amen.

Et cur nomina in personis tantum distinguantur, accipe: Numquid Pater qui enarrabiliter genuit Filium, ipse & Filius potest dici? Numquid Pater hominem de Maria virgine assomsit? Numquid Pater natus, aut incarnatus, aut passus est? Absit a nobis, Sabelli hæretice, ne hanc blasphemiam admittamus. [A] Dum hic verus Filius Dei, vere incomparabiliter natus fuerit de Patre, & pro nostra salute denuo dignatus fuerit assumere hominem de Maria Virgine; Unde jam Deus verus & homo verus dicitur, imo & est. Ideo in hæc divisa sunt nomina Personarum, ne quem Patrem dicis, hunc eumdem & Filium confuse designes, aut Filium Patrem esse pronunties, vel certe hunc Spiritum sanctum inæstimabilem, Patrem aut Filium temere testeris, & nullam omnino firmitatem tenere inveniaris: dum per ipsa nomina Perso-[B]narum, ipsam unitatem passim confundis, ut ipsum sibi dicas in persona esse Patrem, quem & Filium, quasi ipse se genuerit, aut ipse sibi Pater sit, & ipse sibi Filius sit, quod absit: dum nemo sibimetipsi Pater sit, & nemo sibimetipsi Filius sit, quem vere genuerit: dum Pater Filio sit, & Filius Patri sit quem vere genuit. Propter quod nomina in Personis perfecte distinguuntur. *Int.* Ut hæc dicta de auctoritate mihi approbes, quæso. *Resp.* Accipe Filium in claritate Euangelicæ censuræ testantem: *Cum venerit advocatus ille Spiritus veritatis, qui a Patre meo procedit, ipse testificabitur de me.* [Joan. 15. 26.] (Vel hoc statim accipe: [C] *Advocatus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater meus in nomine meo, ille vos docebit & admonebit omnia quæcumque dico vobis.*) [Joan. 14. 25.] Nonne quam breviter nomina in singulis distinxit, dum hæc advocatum Spiritum paraclitum a Patre annuntiat discipulis suis esse venturum, & de semetipso testimonium in mundo esse laturum? *Interr.* Quare nomina designantur? *Resp.* Proculdubio quia Pater vere genuit, hoc proprium nomen est ei; & Filius vere de eo natus est, hoc unitum nomen est ei; & Spiritus principalis, qui de Patre processit, deitatis nomen est ei. [D] Cum vero nomina pluraliter in personis singulis percurrendo distinguuntur, propria nomina ostenduntur. Cum secundum deitatem referuntur, unitum usiæ nomen in his indicatur. *Interr.* Quid ergo designant Personæ proprietatis indicium, quod & solus Pater, & unigenitus Filius, & unus hic Spiritus sanctus, quemadmodum hic ostendis unitum nomen esse substantivum in propriis personis? *Resp.* Audi quoniam quomodo substantivus est in divinitate Deus Pater, sic substantivus est in eadem natura & substantia & Deus Filius, sic substantivus est in eadem natura usiæ Deus Spiritus sanctus. Sive hoc tale [E] dictum referas, quemadmodum Deus est Pater, sic Deus est & Filius, sic Deus est & Spiritus sanctus. Vides quia substantivum divinitatis nomen in his Personis dum indicas, deitatis unum nomen demonstras. Itaque duplex est hujus mysterii intellectus. Memento dum unitum nomen eorum in unita substantia consistat, & propria nomina singula in Personis distinguantur. Vel certe per hoc argumentum veritatem intellige: *Ego & Pater unum sumus*. [Joan. 10. 30.] Utique quia unitum nomen naturæ, plures naturæ non sunt, & *sumus*, in una Persona non est. Itaque ubi deitatis nomen indicat, *unum* designat. Ubi autem ad nomina Personarum venit, *sumus* ostendit. Id-[F]circo aliud est, unitum nomen deitatis ad communem auctoritatem Trinitatis uniter referre, & aliud est singula nomina pluraliter per singulas Personas distinguere: quia ubi natura usiæ requiritur, unitum nomen revelatur: ubi autem nomina propria indicantur, singulæ Personæ inesse declarantur. Sicut & in hoc argumento Vas electionis, breviter absolvit: *Ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur*. [2. Cor. 2. 17.] Itane non per hæc tacita nomina, quamvis Personarum singulas significationes inesse declaravit, id est, *ex Deo*, quod est evidenter ex Deo Patre. Et quod persecutus est, *coram Deo*, hoc est, teste Deo, sanctum Spiritum demonstravit, & *in Christo loquimur*,

Galat. 4. quod ait: *Utique nos qui ex Deo, coram Deo, in Filio Dei testimonium prædicamus*. Vides multifarie tibi dictum nomina singula in Personis esse ostensa, quoniam nomina singula tantum in Personis perfecte ostenduntur, (& deitatis usiæ indicium uniter per hæc ipsa indicatur.)

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De unita ac sempiterna substantia Trinitatis.

LIBER QUINTUS.

Hic contradicentis persona est Arriomanitarum.

INTERROGATIO.

CUR confessus es sempiternum cum Patre esse Filium, quem nativitas nullo modo passa est admittere in sempiternitate? Qui si sempiternus una cum Patre erat, natus non est; si autem natus est, sempiternus esse non potest, dum nativitas posterior sit sempiternitate. *Responsio*. O inanis machina, de ligno, fœno & stramine, in arenis ædificata, cujus in proximo adest ruinæ incendium! Hic ad tuum malum argumentum, necesse est, ut contra te proferam veræ sapientiæ interdictum. Quare non sit sempiternus Filius, cujus nativitas nullo modo excluditur a sempiternitate? Sed imo hic qui ante omne omnino principium jam natus fuerat, ipsius est una cum Patre sempiternitas, dum de sempiterno sempiternus genitus fuerit. Sed dicis mihi: Nativitas posterior est a genitore suo. Revera quasi prius conceptus de semine, aut coagulatus in ventre, & usque ad postremum incrementum nativitas ejus accedens profecerit, & sic tandem aliquando natus fuerit. Absit, ne huic nativitati aliquid comparetur, sicut Actor. 8. 33. Esai. 53. 8. scriptum est: *Generationem autem ejus quis enarrabit?* Numquid Pater, qui vere genuit in passionem aliquam incidit, aut in ipsa nativitate Filii sui detrimentum sustinuit? Absit, dum hæc generatio omnino, ut superius dixi, non enarretur. Denique de hoc si potes contra divinam Scripturam erra, dum ipsa modo dicat, manum, filium, & dexteram, & brachium: & modo verbum de ora Patris, & modo, Psal. 109. 3. *Ex utero ante Luciferum genitum*, & modo in Patre esse, & modo a Patre exisse & venisse, & modo in sinu Patris esse, & modo apud Patrem erat, & modo in Patre est & erat, & modo Pater in Filio, & Filius in Patre est. Considera si ad hæc multifarie dicta aliqua nativitas generationi Filii Dei poterit comparari, vel enararri? dum hic qui ante sæcula incomparabiliter natus jam fuerat, quomodo & nunc in sinu Patris est? aut qui a Patre exivit & venit quomodo semper in Patre fuit & est, (aut qui manum vel dexteram sive brachium esse significatur, quæro a te, hæretice, ut enarres quomodo a Patre genitus fuerit, cum & sapientia & virtus Dei Patris sit a divina Scriptura ubique appellatus vel nominatus?) Aut qui ex utero genitus est, quomodo & de ore Patris verbum exivit & venit? Aut quomodo Pater in Filio est, & Filius in Patre est? Vides quia non enarratur hæc sola nativitas. (Quærenda est potius secundum professionem Scripturarum, quam judicanda vel discutienda: quæ quamvis inenarrabilis sit, tamen secundum professionem Synodi Ariminensis ignorabilis creatura sit, quare natus non fuerit vere de Patre, quod absit. Dum certus sim quod natus sit. Sed in eo sane ignoro quemadmodum de Deo Patre genitus fuerit: quia de inæstimabili Patre, inæstimabilis est vere qui ab eo genitus est. Sed A dicis mihi: Incipit Filius, quia natus est, & e contra audi: Ergo incepit & Pater quia genuit. Si incepit Filius, incepit & Pater.) Ergo sempiternitatem hanc, quam anteriorem nativitate Filii fuisse asseris, cui tandem adscribis? Ait Hæreticus: Patri tantum. Et cur præjudicas ei? Utique si nuper genuit, sempiternus esse non potest. Elige tibi alterum de duobus, aut una est eorum sempiternitas, aut una posteritas. Postremo quid tantum Filio imputas, quasi aliquando non fuerit, cum hoc magis debeatur Patri deputari? quem tu Patrem aliquando, secundum professionem tuam non fuisse testaris. Utique revera si B Filium nativitas impedivit ne sempiternus esset, quem tarde aut sero natum fuisse asseris, necesse est, ut & genitori nativitas Filii sui impedimentum attulerit, ne sempiternus sit, si nuper genuit. Non tibi videtur, quia utrumque eos a sempiternitate impugnat? Cur ergo jam non est hæc talis professio vestra, novus Pater, novus & Filius? incipit Pater, incipit & Filius? & excluso Patre & Filio ab una sempiternitate, quæro a vobis: Cui Deo hanc sempiternitatem abscribatis? quia Patrem dicitis tarde & sero genuisse, & Filium nuper natum fuisse. Ergo ambo C a sempiternitate exclusi esse videntur. Considera ergo non posse dici sempiternum Patrem sine Filio, dum magis sempiternus sit Pater cum suo Filio: quia non potest tantum hic Pater dici sine suo Filio. *Int*. Quod sensisti, de sensu tuo attulisti, & nihil de auctoritate sacræ Scripturæ mihi satisfecisti: unde vel unum tantummodo proferas pro multis pertinens ad hoc exemplum postulo, ut superiora dicta tua possint jure legitimo confirmari. *Resp*. Audi Psalmographum sanctum David dixisse, imo Filium Dei per David ad Patris personam retulisse: *Et ego semper tecum: tenuisti manum meam dexteram, &c.* Psal. 72. 23. Vel ipsum D Patrem ad legislatorem Moysen audi dicentem, de sempiterno unito nomine Trinitatis: *Ego Dominus Deus, hoc est nomen meum memoriale sempiternum in generationes & generationes*. Exod. 3. 15. Quod alio in loco idem ipse in Filio suo dictum ostendit: *Et est nomen meum in illo*. Exod. 23. 21. Vel dictum accipe: *Ego Dominus Deus, qui voco nomen tuum, Deus Israel*. Esai. 45. 3. Sed & ipse eadem testatus est: *Ego veni in nomine Patris mei, & me non recepistis*. Nam & David clamat, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Psal. 117. 19. Denique de hoc ipso audi loquentem Dominum supra corpus Lazari: *Pater, sciebam quia semper me audis*. Joan. 11. 42. Qui si E semper in Patre aut cum Patre non fuisset, quemadmodum eum semper audisset, si cum Deo Patre semper uniter non fuisset? Unde quia semper apud Patrem fuit, & numquam sine eo fuit, semper eum Pater audivit. Vides unitum nomen esse sempiternum, quod in virtute sapientiæ uniter consistit, ut quod nomen Patris est in natura divinitatis & sapientiæ, idem ipsum

sit

sit in natura nomen & Filii. Vel Apostolum audi ad [Rom. 1. 20.] hæc dicentem: *Et sempiterna ejus virtus & divinitas*. Quæ sempiternitas sive divinitas Filius ejus est. Quod alio in loco ipse tam evidenter absolvit Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Numquidnam Pater fuit aliquando sine virtute & sapientia sua, hæretice: ut sine Filio suo a vobis esse dicatur? Absit a nobis, dum ubique Scriptura tibi apertissime declarat, semper fuisse Patrem cum Filio, Filium cũ Patre. [1. Reg. 17. 51.] Cur non expertus es, sanctum David eduxisse in pugna gladium Goliæ, cujus nos usi veritatis exemplo, placuit ut de vestro in vos gladio triumphemus, [Psal. 36. 15.] sicut ipse testatus est: *Gladius eorum intret in cor ipsorum*. Ignoras, quia quod derogas Filio, hoc ipsum adimis & Patri: itaque cum in prima congressione ab una sempiternitate Patris & Filii exclusi fuissent, & compellerentur ab ipsa censura veritatis, visum est illis ut in medium proferrent, quæ prius occulte blasphemabant, dicentes: Erat Pater aliquando sine Filio. Si enim fuisset Pater aliquando sine Filio, numquam prorsus præsumens indicasset [Psal. 72. 23.] per Prophetam: *Et ego semper tecum*. Sed ad hæc piscator Euangelista Joannes dilectus a Deo testatus [Joan. 1. 1.] est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Considera quia semper erat apud Deum Patrem Deus Filius, per quem omne omnino principium factum est. Unde jam oportuit nos paulisper ad stulta dicta stulte respondere, ut vel sic de sua stultitia revicti atque confusi, erubescerent. Utique si erat Pater antequam generaret Filium, sine dubio non erat Pater, si non habebat Filium. Sed ne vel hoc præsumant blasphemantes: erat Filius antequam nasceretur, qui si natus non fuerat, evidenter non erat Filius. Stulte, quid ergo oportet dicere? Elige tibi unum de duobus (quid confuse designes, ante Filium Patrem esse pronuntias, aut) si erat Pater antequam generaret Filium, aut erat Pater qui jam vere genuerat Filium: vel hoc significas: si erat Filius antequam nasceretur, aut erat natus Filius, qui jam vere natus fuerat de Patre, sicut scriptum [Apoc. 1. 4.] est: *Qui erat, & qui est, & qui venturus est*. (Vel hoc: *In principio erat Verbum*. Vides quia semper fuit Filius cum Patre, *qui est, & qui erat, & qui venturus est*.) Qui ideo non intelligis hæc, Arriane, quia tota falsa introducis: ut dicas Patrem qui non genuerat, & nomines Filium, qui necdum fuerat natus. Rogo si Pater erat, ut asseveras, qui non genuerat; & Filius erat, qui non erat natus a Patre, quæro a te quid tunc fuerint? Ne forte dicas, ambo ingeniti, quod absit. (Vere adversus dogma iniquitatis vestræ pro hac sententia Spiritus principalis per sanctum Moysen recte denotans comparavit, dicens: [Deut. 32. 31.] *Inimici autem nostri insensati. De vinea enim Sodomorum vitis eorum, & propago eorum de Gomorrha: uva eorum uva fellis, & botrus eorum botrus amaritudinis. Ira draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis*. Vides quia manifeste) verum Patrem sempiternum, verus Filius declarat sempiternus, qui de eo natus fuerat: & verum Filium sempiternum, verus Pater demonstrat sempiternus, qui eum genuerat: ac per hoc, ut dixi, sicut verus Pater, qui de semetipso genuerat Filium, una cum eo erat semper ante omnia anterior, sic verus Filius, qui jam inenarrabiliter natus fuerat de Patre, una cum eo fuit semper, ante omnia anterior. Hæc est, inquam, in his anterior sempiternitas, quæ ante omne omnino principium fuit, & erat. Ideo numquam Pater sine Filio, quia semper Filius fuit cum Patre, dum nullo modo potest Pater hic dici sine Filio. Super

[A] hanc tantam veritatis probationem adhuc adjecit iniquitas eorum dicendo: antequam generaret non erat Pater, sed erat omnipotens Deus. Proh nefas! hæc vos tam temere de Deo Patre sentire. Ergo sine dubio, ut dicis, si omnipotenti Deo de recenti honor Patris accessit, prius imperfectus fuisse detegitur. Et si omnipotenti, tamquam homini egenti, per ordinem dignitas crevit, prius jam omnipotens non fuisse cognoscitur: quia cui honor accedit, dum usque ad summum gradum pervenerit, adhuc inferior ab eo esse videbitur; & si pervenerit, melior incipit esse in novissimo, quam fuerat in primo, dum [B] de humilitate usque ad summum fastigii culmen accedit. Sed hæc ut erubescas, secundum tua dicta referimus, dum magis omnipotens Pater esse inveniatur, cui illa tanta censura omnipotentiæ sese prius submiserit, ut honorem per hunc gradum paterni nominis adsumeret. Porro longum est tamdiu cæcas eorum in unum replicare caligines. Audiant itaque nostram veram & immobilem vocem confessionis. Quem ignorando omnipotentem Deum testati estis, nos ipsum Patrem esse defendimus, (& cur omnipotentem Patrem prædicamus ostendimus,) quia omni- [C] potentem Deum, qualis ipse est in natura, talẽ genuit Filium, sicut in Scripturis cautum invenimus: *Qui est, & qui fuit, & qui venturus est, omnipotens Deus*. [Apoc. 1. 4.] Vides omnipotentem esse Dei Filium in natura, sicut & Patrem. Ideo nihil nuper accessit, in unita divinitate sempiternæ omnipotentiæ, Patri, & Filio. Sane nec omnipotenti Deo sancto Spiritui aliquid accessisse cognoscitur, quoniam de unitate omnipotentiæ substantia est: quia ad hæc unita natura nec augmentum aliquod, nec detrimentum patitur. Disce ita quemadmodum debeat tuus error absolvi. Utique sempiternitas Patris Filius ejus est, quia de ipso in- [D] enarrabiliter ante omne omnino principium natus est: & sempiternitas Filii Pater ejus est, quia ipse eum ante cuncta sæcula sæculorum incomparabiliter genuit: sive sempiternitas Spiritus paracleti unita deitas ejus est cum Patre & Filio, quæ facta non est, sicut Filius testatus est de eo: *A Patre procedit*, &, [Joan. 15. 26.] *de meo accipiet*. [Joan. 16. 14.] Sed & Pater hæc dicta comprobat per Prophetam, dicens: *Spiritus a me procedit*. [Esai. 57. 16.] Et alio in loco: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*. [Joel. 2. 28.] Quod in Pentecoste in Apostolos factum fuisse, Scriptura divina testatur. Nam sicut Pater declarat Filium suum in deitate sua, quoniam Deus [E] verus est: ita & Filius demonstrat Patrem in substantia sua, quoniam Deus verus est; sic & Spiritus sanctus revelat Patrem & Filium, in unita natura sua æterna, quoniam Deus verus est. Hæc est, inquam, unita omnipotens sempiterna Trinitas, cui de recenti in deitate nulla accessit dignitas. *Int.* Interrogo te, responde mihi: Non ergo mutabilis, vel convertibilis hæc unita substantia Trinitatis? *Resp.* Audi itaque, scriptum est: *Ego sum Deus, & non sum mutatus*. [Malac. 3. 6.] Vel Prophetam ad hæc dicentem: *Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. [Ps. 101. 28.] (Sive tale dictum accipe: *Ego sum* [F] *Deus & non demutor*. Vere manifeste ipsi a diabolo immutati sunt, qui hanc divinitatem sempiternæ Trinitatis in confessione mutare conantur, sicut Apostolus indicat: *Qui immutaverunt veritatem Dei in mendacium, & servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est Deus benedictus in sæcula*.) Intellige itaque nec incrementum nec detrimentum ullum posse sustinere hanc immutabilem unitam plenitudinem substantiæ Trinitatis. *Int.* Rogo, si unita est substantia divinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, de auctoritate Scripturarum mihi indica. *Resp.* Audi Spiritum sanctum per Hieremiam Prophetam testantem,

tem, vel imo hæreticos per hæc auctoritatis jura in- A crepantem: Hier. 9. 10. *Super montes accipite planctum, & super semitas deserti luctum, quia defecerunt, eo quod non sint homines, non audierunt vocem substantiæ. A volatilibus cæli usque ad pecora.* Et sic prosecutus est: *Quis homo sapiens & intelligit hæc?* Hic, ut intelligi datur, montes & colles in superbia elati potestates hujus mundi sunt. Et semitæ deserti, Judæi sunt, qui semper errantes Christum Deum verum, de substantia Patris ante cuncta sæcula natum, non cognoverunt: volatilia autem cæli, Hæretici sunt, qui omni vento doctrinæ huc atque illuc, sicut aves circumferuntur, & unitam jussionis vocem atque unam substantiam Patris, & Filii, & sancti Spiritus esse non confitentur: pecora adæque gentiles sunt, qui Deum factorem suum non cognoverunt. Vere nemo ex his arbitrandus est sapiens, qui non intelligunt hanc unitam esse nsiæ substantiam Trinitatis. Vel ad hæc Hier. 23. 18. intellige Prophetam clamantem: *Quis stabit in substantia Domini, & vidit Verbum ejus?* Plane quis hominum potuit stare in substantia Domini & videre Luc. 10. 22. Verbum, id est, Filium ejus? sicut ipse dicit: *Et nemo vidit Patrem nisi Filius, & nemo scit Filium, nisi* Joan. 14. 9. *Pater.* Vel tale dictum accipe: *Qui me vidit, vidit & Patrem meum.* Nam de persona paracliti, idem Joan. 3. 8. ipse effatus est: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat, sic est omnis qui natus est ex aqua & Spiritu sancto.* Considera unam esse invisibilem substantiam Trini- Hier. 23. 22. tatis. Sed ad hæc adjecit: *Si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea, avertissem eos ab stu-* Sap. 16. 21. *diis eorum pessimis.* Vel hoc: *Substantia mea, dul-* Hebr. 1. 3. *cedo mea est.* Nec non: *Qui est splendor gloriæ, & imago substantiæ ejus.* Sed & hoc, quod secundum auctoritatem jure optimo censetur, accipe: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis ipsius, Deus Filius.* Vides unam esse invisibilem imaginem substantiæ gloriæ bonitatis. Denique Paulum Apostolum pro increpatione hæreticorum audi loquentem, & hanc 2. Cor. 4. 3. imaginem declarantem: *Sed & si opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum, in quibus Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Euangelii, gloriæ Christi.* *Int.* Quæ est imago Dei invisibilis Patris & Filii? de auctoritate mihi indica. *Resp.* Scin quia difficilis exitus est hic ignorantibus solvendo, sed nos oportet semper ad coruscantis Pauli eloquium intento corde 2. Cor. 3. 18. aspicere, dicentes: *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem reformamur a gloria in gloriam, sicut a Domini Spiritu.* Considera in una imagine quemadmodum unam gloriam ter designavit, id est gloriam Domini, a gloria in gloriam, sicut a Domini Spiritu. Nonne ut est imago Dei Patris in gloriam, sic eadem ipsa talis imago est gloriæ Filii? sicut sancti Spiritus imago gloriæ eadem ipsa & tanta vel talis est. *Int.* Declara mihi, si divisa est hæc una, atque eadem ipsa substantia Patris, & Filii, & Spiritus sancti, an indivisa, aut si extensa est in invicem? *Resp.* O experientia hominis, qui seipsum non intelligit! utique unam ubi indicasti unitatis plenitudinem, substantiæ nomen indivisum in eodem monstrasti nomine. Adæque rursus in repetendo quod distinxisti, proprietatem earumdem singulis personis inesse demonstrasti: memento quia inenarrabilia sunt quæ dicimus, quæ omnino credenda sunt. Non tamen facultas data est, ut ad liquidum sint hæc a nobis discutienda: quoniam ipsa Sacrosancta Trinitas sciri se tantum voluit, non tamen permisit de divinitate sua proprie definiri: unde non est divina substantia divisa, aut extensa, vel protensa in aliquo, vel excisa in partibus, sed nec derivationi alicujus rei comparatur: quia liquor non est in hac natura plane, sed nec defluxio quædam est, quia nullum detrimentum, vel augmentum sustinet, præsertim cum inenarrabilis sit hæc plenitudo substantiæ indivisæ Trinitatis, sicut ipse Deus Dei Filius indicat: *Ego in Patre, & Pater in me.* Sed & Joan. 14. 11. Spiritus sanctus in Patre, & in Filio, & in se consistens est, (sicut Joannes Euangelista in epistola sua tam absolute testatur: *& tres unum sunt.* Porro ut quid 1. Joan. 5. 7. unum dicitur, si aliquid de eo in partes dividitur; & ut quid unum si diverse quid sentitur de eo. Et B quomodo, hæretice, *& tres unum sunt*, si diviso vel excisa in his substantia est? Aut quomodo tres unum sunt, si alter alteri præponitur? Aut quomodo tres unum sunt, si diversæ in his divinitates sunt? Quomodo unum sunt, si non est in his unita sempiterna plenitudo divinitatis? Præterea dum una plenitudo nullam omnino habeat in parte aliqua divisionem, dum unita plenitudo divinitatis in parte major vel minor dici non possit. Similiter & Apostolus indicat:) *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis,* 1. Cor. 2. 11. *nisi Spiritus qui in ipso est? Ita & quæ in Deo sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spi-* C *ritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur.* Scito proprie veritatis argumentum indiscretum esse positum per hoc testimonium de homine & spiritu, qui in ipso est; & de Deo & Spiritu, qui de ipso est. (Sicut idem ipse Magister gentium & fide & veritate nobis testatus est, dicens: *Spiritus enim Dei omnia scrutatur, etiam altitudines* 1. Cor. 2. 10. *Dei.* Qui si altera natura a Deo esset Spiritus sanctus, quemadmodum divinitatem altitudinis Dei poterat scrutans penetrare vel uniri, aut quomodo in D ea esset, & in sese esset & inesset, dum natura Dei diversa naturæ propriæ non possit uniri, & altitudines ejus scrutans penetrare, ut dixi, & in ipsa esse, aut in se esse, vel uniri in sese naturaliter, hoc est, dealiter in invicem consistere, nisi quia de ipsa unita natura divinitatis est. Nam & hoc Apostoli est dictum: *Qui autem se conjungit Deo,*) *unus spiritus est.* 1. Cor. 6. 17. Vides indiscretam esse hanc plenitudinem divinæ Trinitatis, sed & ubique præsentem esse hanc plenitudinem divinæ Trinitatis. Quæ omnia implet interius & exterius, a summitate cælorum, usque ad profundum inferorum, sicut ipse Dominus per Prophetam E testatur: *Ego sum Dominus Deus, qui impleo cælum* Esai. 44. 24. *& terram, & omnia quæ in eis sunt.* (Similiter & sanctus Jeremias de eo una cum Prophetis indicat: *Si abscondat se homo in abscondito, nonne ego videbo* Jerem. 23. 24. *eum? Numquid non ego cælum & terram impleo, dicit Dominus?*) Vel hoc uniter in Trinitate dictum accipe: *Quo abibo a Spiritu tuo, aut quo a facie tua* Psal. 138. 7. *fugiam? Si ascendero in cælum, tu ibi es, & si descendero in infernum, tu ades illic. Si assumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postrema maris: etenim inde manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Itaque quia dixit: *quo abibo a Spiritu* F *tuo*, Psalmographus Spiritum principalem, qui a Patre processit, declaravit: faciem autem ipsius Patris, Filium demonstravit manifeste. Quis potest ante unitam deitatem Trinitatis in cælo aut in inferno se occultare vel fugere? cui omnis orbis terrarum, velut stillicidium deputatum est, aut sicut spuma gracilis, aut ros quod antelucanum de cælo descendit, sicut scriptum est: *Qui continet circuitum terræ, &* Esai. 40. 22. *eos qui habitant in ea sicut locustæ.* Nec non: *Qui* Esai. 40. 12. *mensus est manu aquam & cælum palmo, & universam terram clausa manu.* Et rursus: *Cælum mihi thro-* Esai. 66. 1. *nus est, terra autem scabellum pedum meorum.* Considera-

sidera incomprehensibilem esse unitæ divinitatis virtutem, ut cælum, quod palmo continetur, idem & thronus ejus sit; & terra, quæ pugilln concluditur, rursus scabellum pedum ejus sit. (Dum universitas cæli palmo detinetur, & universa terra pugilln con- (Esai. 40. 15.) cluditur. Quod & thronus & scabellum pedum ejus sit, sicut scriptum est: cui omnis terrarum orbis tamquam momentum stateræ æstimabitur.) Ae per hoc universs implet & omnia continet interius & exterius, & ubique præsens est. Hæe indiscreta sempiterna Trinitas, cui est invisibilis plenitudo divinitatis. (Unde ne malus interpres de superinribus dictis materiam accipiat calumniandi, idem ipsa breviter reserabo: eo quod frequenter indicavi, unam substantiam, vel unitam divinitatem unius Dei naturam, aut unitatis naturam, sive hoc unum deitatis nomen, & unius divinitatis nomen, unius naturæ nomen, & unitum divinitaris substantiæ nomen; hæc universa, ut certus sis qui legis, ad unitum plenitudinis divinitatis nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & solius divinæ Trinitatis nomen, & solum hoc omnipotentis substantiæ unitum nomen, necnon & unum bonum divinitatis nomen; nonne hæc superius dicta ad enuntiatam divinitatem unitatis usiæ Patris, & Filii, & Spiritus sancti, manifestavi? Ideo hæc retuli, ne aliter quam dicta sunt scciperes, & simplicem sensum in ambiguo retorqueres. Dum omne dictum ad sensum dicentis requirendum, & non ad stultam voluntatem uniuscujusque hæretici investigandum sit.)

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De beatitudine fidei, & de præscriptione sectæ pessimæ.

LIBER SEXTUS.

INTERROGATIO.

POsco a te, de nnitn deitatis nomine multifarie dictum nt identidem repetas; & sic de nominibus personarum in prosequendo distinguas. *Responsio*. Disce prius in ambiguo esse positam hanc tuam secundam interrogationem: Nonne unitas nullo modo patitur unionis persnnam in confessionem introduci? dum unitatis naturæ nomen in tribus his personis sit: & tres hæ persnnæ in nominibus tantum distinctæ sint: unde non potest unitas ostendi in personis: nec, ut dixi, hæ personæ sine deitatis unitate. Numquid potes Deum tantum sicut gentes confusc nominare, qui & in hoc ignorant, cui propriam personam debeant assignare? Qui genitor est numquid oportet hunc Deum tantum putare indicari? Nisi in hoc cognoscas unitam personam ejus distinguere in Filium qui natus sit. Numquid sic confuse Deum tantum convenit profiteri nisi prius credatur, & is qui de unita natura sit, & in hoc persnna ejus distinguatur, qui nec Pater, nec Filius, est hic Spiritus sanctus? Quapropter duplex est hujus mysterii intellectus, Deus Pater, Deus & Filius, Deus & Spiritus sanctus. Vides unitatis indicium in tribus esse personis, & tres has personas nominibus tantum esse discretas? Unde nec unitas potest ostendi sine personis, nec hæ personæ sine unito nomine deitatis. Ecce jam habes positos ante oculos tuos, thesauros lucis, & thesauros tenebrarum, ubi ubi placet, porrige manum tuam. Unde necesse est nos jam terminum immobilem, secundum Euangelicæ regulæ æquitatem, contra hostes figere, & per librantem sapientiam limitem justitiæ ubique adversus nmnes limites sanctos peragrantes custodire, & cælitus hæc statuta veritas mox viam lucis a tenebris dividat. Hæc est, inquam, via lucis, cujus in confessione aperitur ostium salutis: itaque qui hanc professinnem ingrediuntur, beatitudinem ejus adipiscuntur. Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur snlum Deum Patrem, & Filium, & sanctum Spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur unum omnipotentem Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur unum verum Deum Patrem, & Filium, & sanctum Spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum summum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Beatitudo ei, qui confitetur unum Deum bonum Pstrem, & Filium, & Spiritum sanctum sempiternum esse. Beatitudo ei, qui confitetur indivisam esse substantiam Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Beatitudo ei, qui nihil addiderit, vel diminuerit in cnnfessinne unitæ naturæ deitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Beatitudo ei, qui confitetur omnia bona facta fuisse a Patre, & Filio, & sancto Spiritu. Beatitudo ei, qui confitetur unam æqualitatem in sempiterna plenitudine deitatis esse Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Beatitudo ei, qui secundum singula nomina Trinitatis, id est, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, proprias his tantum personas distinctas esse confitetur. Itaque idem ipsa resrico, quia vehementer timeo, ne aliquod nffendiculum minus intelligentibus posuerim, adeo per apertiores sermones hæc ipsa dicta paucis exponere desidero. Ergn ubi unum Deum memini, unitam deitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti declaravi. Item omnipotentem Deum ad nmnipotentis substantiam Trinitatis propalavi. Item snlum Deum, ad solius naturæ snprascriptæ Trinitatis indicavi. Identidem unum verum Deum, de una vera natura divinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, hæc ipsa dicta retuli. Aut in quo summum Deum, ad summitatem deitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti adsignavi. Sive unum bonum Deum ad unam bonitatem naturæ Trinitatis demonstravi, & unum Deum ad unitam dominationem deitatis revelavi. Seu in quo indivisam Trinitatem memoratus sum, ad unitam substantiam plenitudinis corum hæe præfatus sum. Et hæe omnia quæ superius singula indicavi, ad indivisam deitatis sempiternitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti manifestavi. Ae per hoc de unito numine deitatis, multifarie quamvis sit dictum per singulas personas, quod retuleris in Patre, hoc ipsum ut confitearis necesse est uniter & in Filio. (Deum de Deo, lumen de lumine, totum de toto, & totum in totn, perfectum de perfecto, plenitudinem de plenitudine, integrum de integro, sempiternum de sempiterno, sapientiam de sapientia, virtutem de virtute, unum de uno, & unum in uno,

verum de vero, Filium de Patre natum non factum, unius substantiæ cum Patre; sed & Spiritum sanctum qui de unita Trinitate consistit: Deum verum, lumen verum, totum perfectum, totum plenum, integrum, sempiternum in ipsa sapientia, virtutem præscientiæ Patris, & Filii consistentem.) Idcirco qui legis, contestor ego hodie tibi cælum, & terram, per hanc scripturæ meæ fidei Catholicæ professionem: quod si non ex toto corde eam fueris prosecutus, aut in fastidio animi contemnendam ac detrectandam habere putaveris, eris tu ipse reus in die judicii, cum hujus scripturæ chirographum ante tribunal Christi in testimonium tibi fuerit recitatum, aut si in maledictionis via hæreticorum, quod non opto, inventus fueris ex animo sociatus. Quæ ergo ut a te caveantur, iden inferius tibi recitabuntur. Hæc est, inquam, fugienda atque prætavenda via tenebrarum, in qua tot genera serpentium lubricos habent anfractus, adversus quos oportuit nos scutum fidei per nomina vera personarum confitentes erigere, ut secundum ipsam auctoritatem eos divinitus jaculemur, unde tot & talia proferenda sunt ferramenta spiritualia, quot & vulnera resecanda: ac per hoc non fuit dissimulanda causa mortifera, quoniam non poterant ea prius per fomenta blandiri, & ita ad medelam salutis accedere, ne interiora eorum curarentur; semper serpit in eos cancer. Nam si velint severitatis prius ferramenta recipere, facile poterant ad medelam salutis pervenire. Sed quoniam adhæsit in illis radix zizaniæ, germinans in felle amaritudinis, propterea diffidunt introire in viam confessionis salutaris, quia hæc via lucis scandalum est illis. Unde oportet nos ostendere eis, quos edant viæ suæ fructus maledictionis hominum male credentium, sicut scriptum est: Maledictus omnis, qui non obaudierit verba libri hujus, ut faciat ea in corde suo. Maledictus qui Patris, & Filii, & sancti Spiritus unitam sempiternam substantiam divinitatis esse non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui secundum tres personas, tres diversas substantias in his esse confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui tria principia in hac eorum unitate sempiterna deitatis esse confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui solum verum Deum Patrem, & unigenitum verum Filium, & unicum verum Deum Spiritum sanctum non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui unitum nomen secundum deitatem Trinitatis esse non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui inconvertibilem divinitatem Filii Dei, id est, Verbum Dei, sic in carne translatum vel mutatum profitetur, ut hoc modo desiverit aut amiserit quod jam pridem ante assumtionem hominis fuerit, præsertim cum talis in homine præsenti tempore fuerit, & sit, qualem se semper ante assumtionem hominis una cum Patre fuisse consciverit, fiat, fiat. Maledictus, qui indivisam deitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui propter tria nomina personarum, tres deos, aut tres substantias, aut tres spiritus confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui secundum singulas personas tria nomina tantum distincta Patris, & Filii, & Spiritus sancti non confitetur, (fiat, fiat. Maledictus, qui propter tria nomina personarum, & unitam plenitudinem divinitatis incomparabilem trigonium, vel certe * trigerum Patri, & Filii, & Spiritui sancto comparat, aut tria capita in se cohærentia, ut philosophi dicere consueverunt, aut unam personam profitetur, fiat, fiat.) Maledictus, qui unam personam Patris, & Filii, & Spiritus sancti confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui quem Filium dicit, hunc eumdem & Patrem confuse designat, fiat, fiat. Maledictus, qui Patrem natum, aut incarnatum, aut passum esse confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui inenarrabiliter Filium vere genitum de substantia Patris esse non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui hanc nativitatem incomparabilem factam, aut creatam vel conditam esse confitetur, (fiat, fiat. Maledictus, qui adversus hanc inæstimabilem generationem deitatis, aliquam de factura ejus crediderit proprie in confessionem adferre vobis comparationem, fiat, fiat.) Maledictus, qui verum Filium Dei ex voluntate tantum dicit esse, & non potius de nativitate, fiat, fiat. Maledictus, qui dicit, erat tempus quando non erat Filius, fiat, fiat. Maledictus, qui hanc Dei nativitatem ex nullis extantibus phantasma esse confitetur, quod Græci * exuconton appellant, fiat, fiat. Maledictus, qui divinitatem Filii Dei dicit initium habere de tempore, ortum ex nihilo, nomen quasi adoptionis accessisse nuper ex altero, fiat, fiat. Maledictus, qui unum de uno, Filium de Patre vere natum non confitetur, fiat, fiat. (Maledictus, qui impassibiliter Filium natum de Patre non confitetur, fiat, fiat.) Maledictus, qui non confitetur, ante omne omnino principium vel initium semper fuisse Filium cum Patre, fiat, fiat. Maledictus, (qui hæc tria nomina, id est, Patris, & Filii, & Spiritus sancti in unam tantummodo personam Patris esse confitetur, & non tres secundum ipsa nomina vera personarum, fiat, fiat.) Maledictus, qui immortalem divinitatem Filii Dei esse non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui de sempiterno Filio Dei dicit: non erat antequam nasceretur, fiat, fiat. Maledictus, qui unitam deitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ex charitate concordiæ tantum esse profitetur, & non magis per hanc ipsam unitam divinitatem (vel plenitudinem divinæ Trinitatis indivisam esse non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui unitam sempiternam divinitatem incomparabilem Patris, & Filii, & Spiritus sancti non confitetur, fiat, fiat.) Maledictus, qui adversus vigorem & censuram divinę Scripturę hunc verum Deum Spiritum paraclitum, Patrem, aut Filium, vel certe facturam usurpat debere confiteri, fiat, fiat. Maledictus, qui Filium Dei, Deum verum & hominem verum, de Maria virgine nuper assumsisse pro nostra salute non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui Filium Dei hominem tantummodo solitarium, vel purum tantummodo confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui Deum Dei Filium sempiternum de assumtione hominis nuper hoc principium ei accedere assignat, fiat, fiat. Maledictus, qui deitatem ejus passam esse confitetur (fiat, fiat. Maledictus, qui hominem vere, quem adsumsit, passum esse non confitetur, fiat, fiat. Maledictus, qui hunc totum hominem, id est, animam & corpus quod adsumsit, denuo adsumtum vel liberatum, post, tertia die a mortuis resurrexisse non confitetur, fiat, fiat.) Maledictus, qui incomparabilem deitatem Trinitatis proprie ad hominis lineamenta esse confitetur, dum scriptum invenimus. quia non sit illi similis quisquam Deus in cælo sursum, neque in terra deorsum, (fiat, fiat.

(ITEM DE VARIIS GENERIBUS LEPRARUM EST SERMO.)

Væ vobis, qui primam fidem baptismi cælitus institutam irritam facitis, & instrumenta libertatis semel concessa per iterationem infirmatis, fiat, fiat. Væ vobis, qui lapsis pœnitentibus veniam tribuendam esse non creditis, fiat, fiat. Væ vobis, qui Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam personam defenditis, & non tres, secundum ipsa nomina veritatis, fiat, fiat. Væ vobis, qui de hac unita incomparabili plenitudine divinæ Trinitatis extensionem, vel excisionem, vel protensionem aliquam in his esse profitemini, fiat, fiat. Væ vobis qui de hac unita ple-

nitu-

* Edidi, tetragonium.

* ἐξ οὐκ ὄντων

nitudine Patris, & Filii, & Spiritus sancti derivationem & defluxionem aliquam in his esse defenditis, fiat, fiat. Væ vobis, qui in unita divinitate Trinitatis unam præscientiam esse negatis, fiat, fiat. Væ vobis, qui Dei Filium in ipsa præscientia qua Pater est, esse negetis, ut diem & horam judicii quando futurum sit, eum ignorare dicitis; dum ipse de se prius testimonium perhibuerit ad Patrem in cxviii. Psalmo, dicens: *Me expectaverunt peccatores ut perderent me, testimonia autem tua non intellexerunt. Omnium consummationem vidi & finem.* Vides ergo non tantum suum diem, aut horam judicii se scire, sed & omnium sæculorum consummationem postea futurorum.) Væ vobis, qui Filium Dei de Maria virgine nihil assumpsisse creditis, fiat, fiat. Væ vobis, qui Filium Dei mediatorem Dei & hominum non confitemini, fiat, fiat. Væ vobis, qui falsos Prophetas, aut falsos Apostolos in auctoritatem accipitis, fiat, fiat. Væ vobis, qui gravia peccata admititis & adversus auctoritatem Apostolorum nuptias secundas damnatis, fiat, fiat. Væ vobis, qui peccatum aut mortem Dominum homini fecisse adscribitis, fiat, fiat. Væ vobis, qui hunc mundum a semetipso semper coæternum Deo esse adscribitis, aut a Deo factum esse negatis, fiat, fiat. Væ vobis, qui mundum ex aliqua subjacenti materia factum esse defenditis, fiat, fiat. Væ vobis, qui non per hunc factorem Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum cuncta quæ in cælis sunt & in terra, id est, visibilia & invisibilia facta esse creditis, fiat, fiat. Identidem, hinc contra diversa mortifera venena draconum & aspidum est nostra congressio. Si quis confitetur Angelum apostaticum in natura qua factus est, non a Deo factum fuisse, sed a se esse, ut det illi sempiternum cum Deo principium, anathema illi. Si quis confitetur Angelum apostaticum in mala natura a Deo factum fuisse, & non dixerit eum a semetipso voluntate sua malum concepisse, anathema illi. Si quis confitetur Angelum satanæ mundum fecisse, quod absit, & non judicaverit omne peccatum per ipsum adinventum fuisse, anathema illi. Si quis confitetur, quod Deus animam hominis tantum fecerit, & Satanas ei corpus plasmaverit, quod absit, anathema illi. Si quis confitetur, animas hominum in revolutionem rursus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in serpentibus reverti, anathema illi. Si quis confitetur, hominem in anima tantum in die judicii resurgere, & non cum corpore, quemadmodum Deus illum fecit, anathema illi. Si quis confitetur Filium Dei quasi phantasiam, sic in homine visum fuisse, anathema illi. Si quis confitetur verum hominem, quem assumsit, non vere manducasse, aut bibisse, aut lacrymatum fuisse, sanguinem sudasse, & passum fuisse, & resurrexisse, & in cælis ad dexteram Patris consedisse, anathema illi. Si quis confitetur Filium Dei, sicut aquam per fistulam, sic per corpus Mariæ transitum fecisse, aut nihil de ea assumsisse affirmet, anathema illi. Si quis confitetur animas hominum de propria substantia Dei esse, quod absit, ut nec factas eas a Deo affirmet, & quod substantiem suam facere quis potest, anathema illi. Si quis confitetur animas hominum semper cum Deo fuisse, ut coæternas eas assignet, & nec factas nec fieri eas posse dicat, dum scriptum sit: *Qui fecit quod est a foris, fecit & id quod est intus*, anethema illi. Si quis novum & vetus Testamentum blasphemat, anathema illi. Si quis sanctos Patriarchas, aut Prophetas, aut Apostolos, aut Martyres blasphemat, anethema illi. Si quis Solem aut Lunam, vel hujusmodi facturam adorat, anathema illi. Si quis præter unum Deum verum, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, alterum Deum, dum non sit omnino alter Deus, adorandum crediderit, anathema illi. Si quis de indivisa immutabilique plenitudine sempiternæ divinitatis dicit, mutabilis & convertibilis est natura Filii, ut hoc modo desierit esse, quod jampridem fuerat, anathema illi. Dum dicitur mihi, quod multifarie a Patribus in conspicabili materia visus fuerit, ignorans in præfigurationem operis assumti hominis, sive futuri judicii, hæc cuncta in eo præostensa fuisse: & non sane invisibilis pura deitas, sicut cautum est: hæc omnia in figura facta sunt nostri: sin vero, responde mihi, quia in Angelo visus est, numquid divinitas ejus proprie Angelica est? aut quia in certamine colluctantis sicut homo palpatus, vel visus est, numquid natura Dei quasi natura hominis palpebilis aut visibilis est? Aut quia in rubo ut ignis visus est, numquid substantia ejus talis est? Aut quia frequenter in variis speciebus visus est, numquid sic & diversas, permixtas, sive concretas naturas in semetipso continet? dum unita deitas indiscreta sit, invisibilis ejusque majestas. Itaque intellige cum in Angelo visus est, nuntius Patris præostensus est. Sive in homine, quia de Maria Virgine nuper natus est, vel in igne utique, quia judicium ex eo futurum est, dum scriptum sit, quia magni consilii Angelus est. Et in homine mediator Emmanuel natus sit, & in igne, quasi conflator auri & argenti, ut cordium justorum probator sit. Quamquam & in his speciebus assumtis, quomodo voluit, visus sit, tamen in deitate idem ipse invisibilis est, qualis semper apud Patrem fuit & est. Proculdubio hæc cuncta nunc Deus in figuram hominis operabatur, quia opus futuri in eo jam præostendebatur; quod ipse absolvit dicens: *Si mihi non creditis, vel operibus credite, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Nonne mirabilia Deus præsens operabatur, & opera sua per hominem facta agnoscebantur? (Et non tamen deitas in eo videbatur, sicut dixit: *Qui me vidit, vidit & Patrem meum.* Vides quia Deum, ut est pure, nemo vidit umquam, hæretice. Itaque si quæ hæreses sunt quæ nos latent, sed & quæ futuræ sunt; quæ adversus fidem regulæ Euangelicæ & Ecclesiæ Catholicæ sunt futuræ, anathema habeantur. Si quis contra traditionem canonis hæreticorum apocrypha, quæ Ecclesia Catholica omnino non recipit, super hæc præponere vel defendere voluerit, anathema sit, fiat, fiat.)

Pſ. 118. 95. — Luc. 11. 40. — Eſai. 9. 5. — Joan. 10. 38.

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De Professione regulæ Catholicæ, cum increpatione hæreticorum.

LIBER SEPTIMUS.

PROPTER quod impensissime obsecro tuam sublimitatis gloriam, ut elonges a sensibus nostris hæc eradicanda atque comburenda semina zizaniæ, & quantum distat oriens ab occasu, tantum recedat a cordibus nostris hæc in superiori libro præscripta a nobis adulterina hæreticorum confessio: unde puto hic jam nullam ignorantiæ fuisse derelictam excusationem inter viam lucis, & viam tenebrarum. Ergo ubi ubi placet quisquis es proficiscere. Sane non sumus æmuli in Sacramento divino celando, sed magis hortamur, ut in viam benedictionis uniter ingredientes inveniamur. Unde prius nobis maxima cura fuit docendi de tam admirabili regalique decreto, in quo omnibus gentibus præmium vitæ æternæ promittitur, dicente Domino: *Euntes, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, (Matth. 28. 19.) vere ego in hoc satis admiror, & stupore mentis diutius intentus collaudo tantam sacratissimæ Trinitatis gloriam in duodecim penitus verbis distinctionum vel syllabis breviter fuisse expositam. Vere in hoc edicto unitum deitatis nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti ante præmissum est. Vere in hac sacratissima Trinitate nomina in personis tantum distincta sunt. Vere nec Lex, nec Prophetæ tam absolute hoc arcanum mysterium revelaverunt. Vere super omnem custodiendam divinitus dispositionem hoc maxime custodiendum est. Vere super hoc non est quod addi, & ab hoc non est quod minui possit. Vere in hoc donum baptismi præceptum addere vel minuere blasphemum est. *Int.* Si hæc sic se habent, ut de regula Scripturarum mihi declares, impensissime obsecro. *Resp.* Scito prius in hac scripturæ sententia argumentum fidei esse expositum, cum increpatione nocturni superseminantis zizaniam. O plena præstigiis obsessa mens hæreticorum a diabolo! cur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizas, & unitam deitatem blasphemas? cur nomina tantum Patris, & Filii, & Spiritus sancti confiteris, & unitum nomen divinitatis abnegas? Cur indicatur unitas, si in Patre, & Filio, & Spiritu sancto non est una atque eadem ipsa æqualis plenitudo divinitatis? Cur ad nostrum intellectum Pater significavit de unigenito Filio suo: (Psal. 109. 3.) *Ex utero ante luciferum genui te*, si vos divinitatem Filii Dei creatam vel conditam, aut fundatam esse testamini, si vos eum facturam esse testamini? Cur unus in uno est, si divisa natura est? Cur *ego & Pater unum sumus*, (Joan. 10. 30.) si non est in illis una virtus sapientiæ & divinitatis? Cur (Joan. 17. 10.) *omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*, si non est in his una deitas, sive una operatio facturæ? Cur verum Patrem blasphematis, cum Filium ejus verum creaturæ suæ comparatis? Cur ipse clamat: *Ego in Patre, & Pater in me*, si diversa vel excisa in his natura est? Cur *qui me vidit, vidit & Patrem meum*, (Joan. 14. 9.) indicat, si non est in his una invisibilis imago naturæ veritatis? Cur legitis: (Ephes. 4. 3.) *Servare unitatem Spiritus in vinculo pacis*, si eum de ipsa unita deitate Patris, & Filii esse non accipitis? Cur legitis Vas electionis dixisse: (1 Cor. 12. 13.) *Omnes unum Spiritum potavimus*, si eum vos de unita vera natura discernitis? Cur hic advocatus

A Spiritus veritatis a Deo Patre procedit & venit, si vos eum in alia substantia esse asseritis? Cur hoc unitum nomen divinitatis celebrari, & honorificari invenitur in gentibus, si in ipso nomine Trinitatis baptismus uniter non celebratur divinitatis? Cur, *tres unum sunt*, (1. Joan. 5. 7.) Joannem Evangelistam dixisse legitis, si diversas naturas in personis esse accipitis? Cur unum donum baptismi secundum stylum Scripturæ esse dicitis, si discrepantes natura in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse præscribitis? Cur secundum traditionem baptismum celebratis, & in confessione unitum sempiternum nomen Trinitatis blasphematis?

B Hypocritæ, quomodo accipitis: *Qui nascitur ex Spiritu, Spiritus est*, (Joan. 3. 6.) si & Spiritus Paraclitus Deus esse negatur? Hypocritæ, quomodo in Spiritu adorare oportet, si Deus Spiritus esse negatur? Hypocritæ, quonam modo suscipitis: (1. Cor. 12. 11.) *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique sicut vult*, si eum de unita deitatis operatione secernitis? Hypocritæ, quomodo accipitis dictum fuisse: idem Spiritus, idem Dominus, idem & Deus; (1. Cor. 12. 4.) si eum vos verum Deum de vera unita natura in omnibus mirabilia operantem non suscipitis? Hypocritæ, per quem subministratur sermo sapientiæ, sive verbum

C scientiæ, sive fides, sive gratia sanitatum, seu operatio virtutum, seu prophetia, seu separatio spirituum, nisi quoniam de unita plenitudine est? Hypocritæ, discite unam esse operationem in natura Patris, & Filii, & Spiritus sancti, dum opera quæ operatur Pater ipsa opera uniter demonstrentur esse & Filii, & Spiritus sancti: ita & Filius quod operatur, hæc ipsa opera referantur ad Patrem, & ad principalem Spiritum: eadem & Spiritus Paraclitus quomodo operatur hæc ipsa opera uniter declarentur esse & Patris, & Filii. Vides unitam esse eorumdem

D operationem in una natura deitatis? *Int.* Rogo, ut hæc dicta de auctoritate adhuc Scripturarum mihi edisseras. *Resp.* Quæso jam quoties tibi indicatum est: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti?* (Matth. 28. 19.) Aut si hæc contradicenda existimas, eo quod in unum donum baptismi operationes nomine deitatis uniter in Trinitate non contineantur, cur tu non, hoc nomine deitatis sublato, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, baptizas dicendo: Baptizo te in Patre, & in Filio, & Spiritu sancto, & non in uno nomine? Ut hoc modo artificiose unitum nomen eorum tacite in deitate non nomina-

E re, vel abnegare, sed & nomina in personis tantummodo eorum velis assignare. Quia si sic erat celebrandum baptisma, obtinuerat Arrianorum assertio, qui sic sentiunt, ut ubi nomina in personis indicant, ibi simul cum ipsis nominibus, & singulas vel diversas substantias esse pronuntient, ut unitatem in concordia tantum charitatis esse assignent, & non potius in unita plenitudine divinitatis. Et quid amplius ad hæc? ut unitati Dei Patris nomen & Filii, & Spiritus sancti, quasi adoptivum nuper accessisse profiteantur, ut hoc nomen videatur esse ex nihilo, aut ex

F altero vel tempore: quod absit. Nam verum nomen deitatis ubi nominant, ad unam tantummodo personam

ſonam Patris hæc dicendo adſcribunt, ut veram unitatem divinitatis dividant, qui nbi nomina tantum in perſonis deberent diſcernere, ibi ſimul cum ipſis nominibus & tres naturas diverſas diſtinguunt: quod abſit a nobis, ne iſtam blaſphemiam admittamus, cum unum nomen deitatis in Trinitate nniter dictum accipiamus, per quod & remiſſa peccatorum baptiſmo operante ſuſcepimus, nomina vero tantummodo ſingula in perſonis perſecte diſtinguamus. Rogo, ubi vinculum fidei invenitur apud eos, ſi ſubſtantiæ unitatis nomen in Trinitate non tenetur? Rogo quemadmodum in ſingulis perſonis ſingulas vel diverſas plenitudines eſſe adſcribitis, dum unita natura ſit in hac ipſa plenitudine divinæ Trinitatis? Rogo, quomodo tres unum ſunt, ſi diverſa in utriſque eſt natura divinitatis? Rogo, quemadmodum ſeptiformem hunc Spiritum ſapientiæ, & intellectus, Spiritum conſilii, & virtutis, Spiritum ſcientiæ, & pietatis, Spiritum timoris Domini in manu impoſitionis chriſmæ conſequi merentur, quem de nnita plenitudine divinitatis conſiſtere non confitentur? Rogo, non legiſtis Apoſtolum Petrum claves regni cælorum habentem, Ananiæ dixiſſe: (Act. 5. 3.) *Quare Satanas implevit cor tuum ad mentiendum Spiritui ſancto?* Et ſic proſequutus eſt: *Non mentitus es hominibus, ſed Deo*, ſi vos eum Deum verum eſſe negatis? Rogo, ſi Deus non erat, ut dicitis, hic Paraclitus Spiritus, cur ſibi tantam auctoritatem præſumebat ad diſcipulos, dicens: (Act. 13. 2.) *Segregate mihi Paulum, & Barnabam, quos elegi in opus miniſterii, in quo aſſumſi eos?* Vides quia Deus eſt qui ſegregavit, & qui elegit in opus miniſterii, in quo & aſſumſit eos. Rogo, quemadmodum hæc unita plenitudo divinæ Trinitatis a vobis dividitur, cum unus in uno, aut certe unus in utriſque conſiſtere inter ſe declarentur? Rogo, ubi una fides eſſe oſtenditur, ſempiternæ Trinitatis, ſi apud eos uniter eſſe non accipitur? (Rom. 11. 36.) Cur legitis: *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo*, ſi unitatis nomen in deitate Trinitatis dividitis, & unitam operationem eorum in ſactura eſſe negatis? Rogo, non legiſtis Apoſtolum dixiſſe: (2. Cor. 11. 17.) *Ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur*, id eſt, ex Deo Patre, & coram Deo & A Spiritu ſancto, in Chriſto Filio Dei teſtimonium prædicamus? Cur legitis hiſtoriographum Moſem indicaſſe, *& dixit Deus, & fecit Deus, & benedixit Deus*, ſi hoc unito nomine divinitatis uniter operatum ſuiſſe non accipitis? *Int.* Itaque quemadmodum multifarie unitum nomen Trinitatis mihi palam feciſti: ſi ergo & omnia uniter ſic hi fecerunt, hæc dicta de auctoritate ut adhuc jure confirmes poſtulo. *Reſp.* Audi nunc unum de multis pertinens exemplum. Memento poſt hanc tantam ſatisfactionem, hucuſque erit finis ſermo dicentis. Si tamen adhuc nihil te commovet de his quæ ſuperius ſe- B cundum ſcripturæ rectiſſimam lineam ad ordinem tibi diligenter expoſui, optime Theophile, ut cognoſcas horum verborum, de quibus jam ſuperius eruditus es, veritatem: ait Pſalmographus, imo præſagus Spiritus per Pſalmographum: *Verbo Domini cæli confirmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (Pſal. 32. 6.) Utique dicens Verbum, Filium declaravit: Donum autem Patrem ejus indicavit: & Spiritum oris ejus, Spiritum principalem eſſe demonſtravit. Vides quam breviter per ſingulas ſignificationes in perſonis ineſſe diſtinxit, id eſt, Verbum & Dominum & Spi- C ritum, & unitam operationem in his eſſe oſtendit. Nam ſi te adhuc in aliquo ambiguitas tenet, eadem ipſa repeto. Ubi ait: Verbum Domini non ſonum vocis inconſubſtantivum eſſe accipias, quem ſi validus quis emiſerit, de montibus ſolet reſonare echo: cujus tantum in phantaſia auditus eſt reſonantis, ſed factum nullius. Sane de hoc verbo Domini noſtri Patris, qui eſt ſalus noſtra, ſicut ubique divinæ Scripturæ teſtantur, quia Filius Dei Deus eſt ſubſtantivus, per quem omnia facta ſunt. Ergo quia dixit: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, cognoſce hoc Verbum ſubſtan- D tivum non aliunde, quam de Patre proprie natum fuiſſe, ſed & Spiritum oris ejus, cum Spiritum dixit, qui de ipſa unita ſapientia proceſſit, ſicut cautum invenimus. Non ex alia natura, quam de ipſa: ac per hoc unita eſt Patris, Filii, ac ſancti Spiritus ſubſtanria, quam Græci dicunt uſiam. Sed & unita eſt ejuſdem Trinitatis operatio in ſactura.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

DE UNITATE FIDEI.

LIBER VIII.

FIDEI unius ſubſtantiæ Trinitatis, hoc eſt, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſine initio temporum, ſuper omnem ſenſum & ſermonem & ſpiritum, una virtus, unus Deus: tria vero vocabula, una poteſtas, naſcitur Dei Verbum de Maria virgine, accipiens corpus animale. Sed ipſe ſenſus non præcellens eſt Dei Verbum: non comprehenſus a carne ſermo, ſed in carne & ſuper carnem, ſicut Deus præſcius, Dei virtus, Dei veritas, paſſus autem humanam paſſionem. Sermo Dei impaſſibilis. In paſſione quidem corpus moritur, ut vivificet protoplaſtum, qui ceciderat per inobedientiam. O homo, deitatem quæris, vitupero te: ſi credis, bene facis: credere tibi juſſum eſt, non diſcutere permiſſum eſt. Si autem diſcutis, & dicis, quomodo Pater? de lumine excidiſti, & ſi dixeris, quomodo Filius? (Eſai. 53. 8.) occurret tibi ſermo Propheticus, dicens: *Generationem ejus quis enarrabit?* Vide ergo, ne ſimi- E liter excidas a lumine: nemo enim novit Patrem, niſi Filius, neque Filium, niſi Pater. Qui tres virtutes inducit, tres Deos confitetur. Nos autem credimus tres perſonas, unam deitatem. Quando autem nominaveris Patrem, clarificas Filium: & quando nominaveris Filium, adoras Patrem. Si iterum unam perſonam Trinitatis dicimus, judaizamus, quia Judæi unam perſonam dicunt, & unum Deum confitentur: ſi tres deos inducimus, ſimiles ſumus gentibus. Sed confitemur Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Spiritu ſancto. Non ſeparabitur unitas, non dividitur deitas, Deus ex Deo, non duo dii: F virtus ex virtute, ſed una virtus: lux de lumine, veritas ex veritate, ſed una veritas: teſtis non eſt, non cælum, non terra, non mare, non lux, non tenebræ, non Angeli, neque Archangeli, neque Cherubim, neque Seraphim, ſed erat ante principium Filius cum Patre. Nemo cognoſcit innaſcibilem,

nisi qui natus est ab eo, scit unde sit natus, neque nascibilem aliquis scit, nisi qui genuit. Pater scit quem genuerit, similis genitus genitori, Patris consilium & sapientia, una virtus, & una deitas. Nativitatem Filii Dei quaris? lege propriam nativitatem ex Virgine Maria; sed nativitas Filii Dei ante principium apud Patrem est: confiteor enim unum innascibilem, & unum natum. Confiteor Patrem omnipotentem, sine initio, sine fine, qui omnia tenet, & a nullo tenetur, omnia gubernat, & a nullo gubernatur: omnia videns, ipse autem invisibilis est. Confiteor Jesum Christum Filium Dei, cum omni consilio & virtute paternæ divinæ deitatis. Quantam autem virtutem habet Pater, tantam habet & Filius. Non diminuitur genitus ab eo, qui est innascibilis. Spiritus sanctus neque natus, neque innascibilis, non factus, neque creatus. Si autem dixero natum, duos filios statuo ex uno Patre, & non unum ex uno, aut solum ex solo. Aut unus Pater ex quo omnia, aut unus Jesus Christus, per quem omnia. Et si dixero innascibilem, jam non unus Pater omnipotens innascibilis, sed duos deos statuo. Et si dixero facturam, gentiliter quæro: Gentes enim facturam manus adorant, & non factorem cæli & terræ. Quid ergo habes edicere? Phantasma? Absit: Quoniam blasphemia Spiritus sancti non remittetur. Quomodo ergo duo ligna conjuncta, missa in fornacem ignis, & de duobus lignis procedit flamma inseparabilis; sic de Patris & Filii virtute procedit Spiritus sanctus, ipsam virtutem deitatis habens, sicut

1. Tim. 2.5. beatissimus Paulus posuit, dicens: *Mediator Dei &*

A *hominum homo Christus Jesus*. Non Deus Dei mediator, unum enim est usque ad Trinitatem, sed accipiens corpus de Maria Virgine, induens veterem hominem, qui ceciderat per inobedientiam, mediator factus carnis Patris virtute, hoc est, Jesus Christus. Quando autem assumsit Apostolos, sicut Euangelista testatur, & ascendit in montem excelsum & transfiguravit se coram illis, & ecce nubes splendida cooperuit eum. Nubes vero splendida virtutem Patris in eo ostendit, sicut quidam per vaniloquia docent, dicentes: quomodo tres personæ in una virtute, sic tria vocabula, sed unus Deus. Tria vocabula

B unius vocis nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Iterum illi dividentes virtutem & deitatem Trinitatis, dicunt: Sicut Imperator, Præfectus, & Comes: Absit. Non trado ego banc doctrinam, aut istam expositionem, sed magis anathematizo. Scriptum est enim in divinis præceptis: *Visibilia hujus* Rom. 1.20.
mundi invisibilibus comparantur. Terrenus enim Imperator de tribus constat, sed unum est imperium. Si deposuerit diadema a capite suo, Cæsar est & non Imperator. Quod si deposuerit purpuram Præfectus, est jam vir solus. Si qui blasphemant Spiritum

C sanctum, non sunt Christiani, sed sunt sicut Judæi: nam Judæi unam personam adorant. Nos autem tres personas confitemur, sicut Imperator terrenus sic & cælestis: homo in purpura, & purpura in homine, corona autem capitis continet purpuram & hominem, unum imperium virtutis ostendit: sic Pater in Filio, & Filius in Patre: Spiritus autem sanctus, conjunctio, deitas, virtus, & unitas Trinitatis. (1)

(1) S. G. Explicit Liber VIII. Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Athanasii Episcopi. Hos libellos VIII. transcripsi, qui multa addita & immutata continent. Incipit libellus Fidei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Athanasii Episcopi. *Et postea*. Cum legeris per hanc fidem moneo, ut mei memor sis in orationibus tuis, ne forsitan negligenter quisquam hoc obtrectator contingat, quia scriptum est: *Ne projiciatis margaritas vestras ante porcos*.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De fide unitatis, & Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

CREDO in Deum Patrem omnipotentem, & in unigenitum Jesum Christum Salvatorem nostrum, & Spiritum sanctum, unum Deum esse confiteor. Non sic unum quasi solitarium, neque eumdem, qui ipse sibi Pater sit, ipse Filius: sed Pater verus genuit Filium verum, ut est, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno, non creatum sed genitum, non ex nihilo, sed ex Patre, unius substantiæ cum Patre: & Spiritum sanctum verum Deum non ingenitum, neque genitum, non creatum nec factum, sed * Patris, & Filii, semper (in Patre, & Filio) coæternum. Unum tamen Deum, qui ex uno Patre, & totum, quod Pater sit: Deus natus est Filius, & in Patre totum quod est, totum genuit, Filium genuit: Pater Filium generans non minuit, nec amisit plenitudinis suæ deitatem. Totum autem, quod Deus Pater est, id esse Filium ab eo natum certissime tenentes, cum Spiritu sancto unum Deum plissime confitemur. Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum, Filium ejus, per quem omnia creata sunt, quæ in cælis & quæ in terra, visibilia & invisibilia,

* Edidi, Procedentem.

D propter nostram salutem descendisse de cælo, qui numquam desierat esse in cælo. Natum de Spiritu sancto, de Maria Virgine. Verbum caro factum est: non amisit quod fuerat, sed cepit esse quod non erat. Non demutatum Deum, semper manentem, etiam hominem natum: non putativum, non aereum, sed corporeum sensum & animam habentem. Ita verum hominem, ut verum Deum intelligimus: ita verum Deum, ut verum hominem fuisse nullo modo ambigimus confitendum. Hunc eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, adimplesse legem & Prophetas, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum

E & sepultum, & secundum Scripturas tertia die a mortuis resurrexisse, assumtum in cælos, sedere in dexteram Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos exspectamus: in hujus morte & sanguine remissionem peccatorum consequuturi: resuscitandos nos ab eo in his corporibus, & in eadem carne, in qua natus est, passus, & mortuus, & resurrexit, animam cum hac carne accepturi ab eo, aut vitam æternam pro bonis meritis, aut sententiam pro peccatis æternam, hoc placuit, amen.

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

De Arriana & catholica confessione.

ARRIANI dicunt, Filium Dei non de substantia
Dei Patris genitum, sed a xtrinsecus creatum:
Ego credo Dei Filium de Patris natum substantia,
non creatum, sicut & Spiritum sanctum Paraclitum,
qui est Filii, a Patre procedentem. Et ideo dico,
Psal. 109. 3. ὁμοούσιον, ad Filium Patre dicente: *Tecum principium
in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum ex ute-*
Psal. 2. 7. *ro ante luciferum genui te.* Similiter & Filio attestan-
te: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego
hodie genui te.* Nam & cum tempore passionis Pi-
latus ab eo accusantibus Judæis requireret, si rex
Joan. 18. 37. esset, respondens Dominus, ait: *Ego in hoc natus*
Joan. 15. 26. *sum.* De Spiritu quoque sancto Dominus dicit: *Spi-
ritus sanctus qui a Patre meo procedit.* Constat ergo
secundum unam divinitatis substantiam Filium geni-
tum a Patre, non creatum: & Spiritum sanctum
a Patre procedentem, & totum esse Filii, sicut
fons de fonte est, & lumen de lumine.

Arriani dicunt non semper fuisse cum Patre, aut
apud Patrem, Filium, vel Spiritum sanctum. Ego
credo, Dei Filium, secundum divinas Scripturas,
verbum, virtutem & sapientiam Patris esse. Et ideo
confiteor, numquam Patri suum Filium defuisse,
quia numquam ei paternitatis defuit nomen, ut non
sine sapientia, sine verbo, sine virtute propria Pater
aliquando credatur fuisse, secundum prædicationem
Joan. 1. Euangelistæ Joannis dicentis: *In principio erat Ver-
bum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Ver-
bum. Hoc erat in principio apud Deum: Omnia
per ipsum facta sunt.* Omnia, ait, per ipsum facta,
non ipsum factum, sicut nec sine Spiritu sancto,
aut Pater aliquando, aut Filius fuit.

Arriani dicunt, nullam habere Filium potestatem,
nisi a Patre aliquid acceperit. Similiter & de Spiri-
tu sancto, nisi a Filio acceperit. Ego credo secun-
dum divinam substantiam sicut Verbum, virtutem,
sapientiam, brachium, manum, ita & potestatem
Filium esse Patris. Nam secundum ipsius Domini
Joan. 5. 19. sententiam: *Quæcumque Pater facit hæc eadem simi-
liter & Filius facit. Et sicut Pater suscitat mortuos,
& vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Lepro-
sum namque non ex alterius imperio, sed propria
Marc. 1. 41. mundat potestate, dicens: *Volo, mundare.* Sic &
paralyticum apud Judæos ignorantes eum Deum esse
verum, cum illi dicerent, neminem posse peccata di-
mittere nisi solum Deum, manifestissime & Deum
se prodidit, & propriam ostendit potestatem, dicens:
Mat. 9. 6. *Ut sciatis autem, quia Filius hominis habet potesta-
tem in terra dimittendi peccata: Surge, tolle lectum
tuum &, vade in domum tuam.* Similiter & cæcorum
examinat fidem, dicens: *Creditis quia hoc possum fa-
cere vobis?* Illis confessis, quod in ipsius esset po-
testate, sanitatis remedium infert, dicens: Secun-
dum fidem vestram fiat vobis. De passione quoque
proprii corporis assignans, quod in sua esset potesta-
te, ita ait: Nemo tollit animam meam a me: po-
testatem habeo ponendi eam & potestatem habeo
iterum resumendi eam. Et alia infinita. De Spiritus
Joan. 3. 8. etiam sancti potestate ipse ait: *Spiritus ubi vult spi-
rat.* Utique ubi propria voluntate atque divinitate
voluerit aspirare, non ubi jussus fuerit. Sicut & de
1. Cor. 12. 11. donis gratiarum Apostolus prædicans docet: *Hæc au-*

A *tem omnia operatur unus atque idem Spiritus, divi-
dens singulis prout vult.* Nam propria & ipse pote-
state & Prophetas replet, & Apostolos eligit ac di-
rigit, ac Episcopos, sicut in Actibus Apostolorum
legimus, constituit. Innumera sunt etiam alia testi-
monia, quæ nunc longum est exponere: & ideo
sicut unam substantiam, ita unam potestatem Patris,
& Filii, & Spiritus sancti credo. Quod autem accepit
Filius, secundum hominem accepit, id est, secundum
servilem formam, secundum nostræ conditionis na-
turam, ipso Domino in Euangelio dicente: Et judi- Joan. 5. 27.
cium dedit ei facere, quia Filius hominis est.

B Arriani dicunt, non totum Patrem capi posse a
Filio, vel conspici, sicut nec Spiritus sanctus Fi-
lium aut videt aut capit. Ego credo, quod sicut Fi-
lius in Patre est, & a Patre totus videtur, ita &
Pater a Filio totus videtur, & totus est in Filio,
ipso Filio dicente: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Joan. 14. 11.
Et: *Sicut novit me Pater, & ego novi Patrem.* Si- Joan. 10. 15.
militer & de Spiritu sancto, Apostolo prædicante:
quod Spiritus scrutatur etiam profunda Dei. Et si-
cut nemo novit quid sit in homine, secundum
ipsius Apostoli sententiam, nisi spiritus hominis,
qui est in homine: ita & quæ sunt Dei nemo
C novit, nisi Spiritus qui est in eo. Nam & Do-
minus in Euangelio etiam de parvulis sic ait:
Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris. Im- Mat. 18. 10.
pium est credere quod Filius & Spiritus sanctus
non totum aut intueantur, aut capiant Patrem.

Arriani dicunt, unum tantum Deum perfectum,
omnipotentem, incapabilem, ingenitum, intermina-
bilem, Patrem solum & immortalem. Ego credo se-
cundum divinas Scripturas, Deum & Dominum Pa-
trem ingenitum, Deum & Dominum Filium de Patre
genitum, Deum & Dominum Spiritum sanctum a Pa-
D tre procedentem, & in Filio manentem: Filium au-
tem sicut in deitate non dico minorem, ita in forma
servi, quæ passione succubuit, minoratum confiteor,
Apostolo dicente: *Eum autem qui modicum ab An-* Hebr. 2. 9.
*gelis minoratus est vidimus Jesum propter passionem
mortis.* Et ideo in tribus personis non tres deos
sentio, sed unum Deum & Dominum substantia,
divinitate, potentia, æqualitate, atque perpetuita-
te, adoro & colo, sicut in lege præceptum est:
Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Deut. 6. 13.

Arriani dicunt; Patrem solum invisibilem Deum,
& majorem, & ideo solum colendum atque adoran-
E dum. Ego credo secundum divinam substantiam ac
majestatem, Spiritum Patrem, Spiritum Filium, Spi-
ritum quoque Spiritum sanctum, Domino in Euan-
gelio dicente: *Spiritus est Deus.* Et ideo, ut dixi, Joan. 4. 24.
secundum divinam substantiam invisibilem confiteor
Patrem, invisibilem Filium, invisibilem Spiritum
sanctum: & neque majus aliquid, neque minus in
deitatis substantia credo. Propterea eumdem reddo
honorem Filio; & Spiritui sancto, quem & Patri,
præcipiente Domino: *Ut omnes honorificent Filium,* Joan. 5. 23.
*sicut honorificant Patrem, quia qui non honorificant
Filium, non honorificant Patrem.* Et de Spiritu sancto
ipse ait: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum,* Mat. 12. 32.
*non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in fu-
turo.* Propterea igitur unum Deum in Trinitate cre-
do,

Deut. 6. 4. do, divina Scriptura docente: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.*

Arriani dicunt, Dei Filium secundum divinitatis substantiam, & visibilem, & minorem. Ego credo in forma Dei, sicut superius approbavimus, invisibilem, ipso ad Mosem dicente: Exod. 33. 20. *Nemo vidit faciem meam, & vivit.* Æqualem vero per omnia Patri, excepto eo quod ille ingenitus, & iste est genitus: Philipp. 2. 6. Apostolo prædicante de eo: *Qui cum in forma,* inquit, *Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

Arriani dicunt, ita Filium vel Spiritum sanctum ab arcanis Patris extorrem, ut nihil secretarum B dispositionum noverit, nisi revelatum a Patre quod voluerit Filio revelare, & Spiritui, quod a Filio fuerit manifestatum. Ego credo Filium in Patre, & Patrem in Filio, Spiritum quoque sanctum paraclitum, qui procedit a Patre, & Filii esse & Patris, quia & a Filio procedit, sicut & in Euangelio scriptum est, quod per insufflationem suam dederit discipulis suis Spiritum sanctum, Joan. 20. 22. dicens: *Accipite Spiritum sanctum, cujus remiseritis peccata, remissa sunt: & cujus retinueritis, retenta sunt.* Et ideo inseparabilem confiteor Trinitatem, nec extorrem Filium, aut Spiritum C sanctum, sicut hæretici loquuntur: A Deo Patre dico, quoniam Filius, qui est sapientia Dei Patris, ipse est & voluntas Patris, quæ semper in ipso fuit, Esai. 9. 5. & est. Ipse est, *magni consilii Angelus: & per ipsum condita sunt omnia,* sicut Apostolus Paulus prædicat, Coloss. 1. 16. *quæ in cælis, & quæ in terra sunt, visibilia & invisibilia.* Et Joannes Euangelista docet, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nam & sicut per ipsum omnia facta divinæ Scripturæ loquuntur, ita & quæcumque Filius facit, ipse Joan. 14. 10. se cum Patre facere testatur, dicens: *Pater autem in me manens ipse facit opera.* Per hæc ostendens, quod D numquam Pater sine Filio, qui est sapientia, verbum, voluntas, & virtus Patris, aliquid aut disposuerit, aut fecerit, nec sine Patre Filius. De Spiritu vero sancto dubium non est, quod nihil ignoret, nec sit extorris a Patre, cum sine Spiritu suo Patrem fuisse aliquando summæ dementiæ est dicere, quoniam *ipse scrutatur,* secundum Apostolum, sicut sæpe dictum 1. Cor. 2. 10. est, *profunda & alta Dei.* Et quod idem Spiritus Filii sit, multis scripturarum testimoniis probavimus: & quod totus maneat in Filio: & sicut procedit a Deo Patre, ita procedit a Filio, ut tota Trinitas unus credatur Deus. Nihil ergo est quod fa- E ciat, vel disponat Pater sine sua sapientia: nihil quod noverit, vel disponat sine suo sancto Spiritu, Esai. 11. 2. de quo Propheta sic ait: *Spiritus paraclitus, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & virtutis, Spiritus scientiæ & pietatis:* quæ omnia in Deo, qui est Trinitas, consistunt.

Arriani dicunt, Dei Filium non fuisse in cælis apud Patrem, tempore quo inter homines versaretur. Ego credo Deum Dei Filium secundum suæ potentiam deitatis in cælo & in terra fuisse incarnationis suæ tempore, & totum replere, nec umquam defuisse, ipso ad Nicodemum in Euangelio dicen- F te: Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.*

Arriani dicunt, quod Filius Dei, erat quando non erat, & antequam nasceretur non erat, & quod ex nullis extantibus factus est. Ego credo unam substantiam Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Propterea Filium, qui est sapientia Patris, in eo semper fuisse, & ex ipso genitum confiteor, quia numquam fuit tempus, quo Pater sine suo verbo, & sapientia fuisse a fidelibus credatur: nec Filius sine suo aliquando extitit Patre, Euangelista dicente, & sæ- A pius repetente: Quod in principio erat verbum, & semper erat, & Deus erat, & apud Deum erat, nec ex nullis extantibus factus, sed in Patre, & apud Patrem, Deus apud Deum semper erat. Spiritus quoque Sanctus & fuit, & est semper in Patre, & procedit ex ipso, nec umquam Pater sine sua sapientia, qui est Filius, numquam sine suo fuit sancto Spiritu.

Arriani dicunt, Dei Filium passibilem, & in sua substantia mortalem. Ego credo Deum Verbum, & sapientiam Patris: qui unum cum Patre est, impassibilem atque immortalem in sua substantia. Passibilem autem atque mortalem hominem Jesum Chri- B stum de Maria Virgine assumptum, qui Dei Verbo unitus est, confiteor, eodem Domino dicente: *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.* Matth. 26. 41. Ipso iterum dicente: *Quod natum est de carne, caro est:* Joan. 3. 6. *& quod natum est de Spiritu, Spiritus est.* Sic & Apostolus Corinthiis prædicat, dicens: *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei.* 2. Cor. 13. 4. Crucifixus ergo ex infirmitate carnis nostræ, sed vivit ex sua virtute, quia Filius Dei Deus & virtus Patris comprobatur. Ipse quippe via, veritas & vita est. Ipsum etiam hominem Christum Jesum post C passionem de sepulchro a Deo Verbo, a quo & assumptus est, sine corruptione die tertia resuscitatum confiteor, ipso ad Judæos, secundum Euangelistam Joannem, de templo corporis sui dicente: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud.* Joan. 2. 19.

Arriani dicunt, tres diversas substantias, ac dispares personas Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego non diversas substantias ac dispares personas Patris, & Filii, & Spiritus sancti credo, sed tres personas perfectas, æquales, & æternas, unius substantiæ, unius potentiæ, unius virtutis ac majestatis confiteor: quia quod diversum est, unum esse non potest, & D quod gradibus censetur, æquale non est. Credo ergo Dei Filium, Dei Verbum, Dei virtutem, & Dei sapientiam æqualem semper Patri: non enim se ipse Filius unum cum Patre, nec Patrem in se, & se in Patre videri dicere, nisi se sciret æqualem, nec eadem similiter faceret, quæ Pater, aut etiam quæ ipse velit profiteretur, nec se a Patre processisse, atque in mundum venisse, & iterum relinquere mundum, & ire ad Patrem, manere etiam in se Patrem prædicaret, nisi se sciret de substantia sui genitum Patris. In Euangelio quippe Joannes, non quia Judæi loquerentur, sed quia ipse se Filius æqualem faciebat Deo E Patri, quando eum Judæi quærebant lapidare, asserit, dicens: *Non solum ob hoc, quia solvebat sabbatum, sed quia Filium Dei se dicebat, æqualem se faciens Deo.* Joan. 5. 18. Itaque quod æqualis est, dispar esse non potest, una est enim Patris, Filiique substantia, una virtus, una atque individua potestas. Dum nemo, sicut ipse in Euangelio ait, de manu Filii proprias oves rapit, nec quisquam de manu Patris easdem rapere potest. Et quod unum est, diversum esse non potest. Eodem iterum dicente, cum jam præmisisset unam eandemque suam patrisque potentiam, postea ipsam substantiæ unitatem assignat, dicens: F *Ego & Pater unum sumus.* Joan. 10. 30. Spiritus quoque sancti ita in nullo dispar est persona, neque diversæ substantiæ quam Pater & Filius, ut ipse idem sit Spiritus sanctus, procedens a Patre, qui est & Filii: nec aliquando defuit Patri, sicut nec Filio, ut quemadmodum sine initio semper, atque in creatione mundi cum Patre fuit & Filio, ipse etiam confirmaverit omnia atque illuminaverit: ita & sacramentum baptismi, non nisi sub unius invocatione atque virtute, sicut nec sine Patris, & Filii visitatione impleatur. Nec enim membrum quis Christi, & templum Dei, secundum Apostolum Paulum, efficitur, nisi

quem

quem Spiritus sanctus & elegerit, & sanctificaverit, atque ut Deus propria potestate, in eo quem ipse elegerit, habitaverit.

Arriani dicunt, post occasum mundi, regnum Filii Dei finiendum. Ego assumptum in cælum unitum hominem ex Maria Virgine Deum credo, quem & sedere ad dexteram Patris confiteor, cui omnis potestas in cælo, & in terra datur. Ipsum quoque judicaturum vivos & mortuos, cujus regnum numquam finiendum esse confiteor, dicente Daniele Propheta: (Dan. 7. 13.) *Aspiciebam in visionem noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient: potestas ejus æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpitur.* Filium scilicet hominis loquitur Propheta accepisse potestatem, & honorem, & regnum. Quod autem de Filio hominis veraciter hæc, id est, de assumpto homine, dicta sint, ipse Dominus manifestius in Euangelio sic ait: (Matth. 26. 64.) *Videbitis*, inquit, *cælum apertum, & Filium hominis sedentem a dextris Dei.* Et iterum: (Marc. 13. 26.) *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cum gloria magna, & majestate.* Similiter & Angeli ad Apostolos dixerunt: (Act. 1. 11.) *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Propterea credo filio hominis ex Maria Virgine assumpto, omnem potestatem in cælo & in terra datam, quam antequam a Deo Verbo assumeretur, non habuit. Nam Deus Verbum, & Deus Filius, qui est sapientia, virtus, potestas, & voluntas Patris, omnem semper paternam habuit & habet potestatem, ipso dicente: (Joan. 16. 15.) *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Et, (Joan. 5. 19.) *Quæcumque Pater facit, hæc eadem similiter & Filius facit.* Et, (Joan. 5. 21.) *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Ego credo Christum Deum Dei verum Filium, & ideo Christianus sum: Ego Deum verum, & hominem verum, qui de Maria Virgine natus est, confiteor, Apostolo dicente: (2. Cor. 5. 19.) *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Ego perfectum Deum, & perfectum hominem eumdem credo Jesum Christum, prædicante Apostolo: (Coloss. 2. 9.) *Secundum Christum, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ego credo unam imaginem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, qui ad unam imaginem divinitatis sumus creati, dicente Deo: (Genes. 1. 26.) *Faciamus hominem*, non ad imagines, sed *ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ego credo unum nomen divinitatis in Patre, & Filio, & in Spiritu sancto semper & fuisse & esse: quia non in omnibus, sed in uno nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti secundum Domini præceptum baptizamur & efficimur Christiani. Hæc Catholica, hæc vera, hæc perfecta est fides: hoc unum & plenum est baptisma, per quod secundum Domini, ut dictum est, præceptum baptizamur & una absque ullius imminutione personæ credulitas in fide est: una quoque in Trinitate exhibetur credulitas. Requirendum est igitur ab his, qui adversus hanc singularem fidem contrariam faciunt quæstionem, dicentes: Non de substantia Dei Patris genitum Filium, sed posteriore tempore alienum a substantia divini Patris minorem atque inferiorem in deitate, sed & creaturam esse loquuntur. Spiritum quoque sanctum creatum a creatura, id est, a Filio, ut in toto apud eos & ipse Pater sit minor, cum sapientiam, Verbum, virtutem, & Spiritum ejus sanctum, creaturam asserunt blasphemantes. Interrogandi ergo sunt, Filium Dei credant profecisse ætate, vel dignitate accessu temporum? An sicut genitus a Patre est, aut, ut ipsi ajunt, creatus, ita permanet? Si dixerint ita

A esse nec aliquando profecisse, vel proficere posse, requirendum est ab eis, de quo scriptum in Euangelio legatur: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in ipso.* (Luc. 2. 40.) Quod nos manifestissime de homine, qui a Deo Verbo susceptus est, confiremur: qui lacte nutritus crevit, adolevit, & usque ad perfectam pervenit ætatem. Plenus utique homo assumtus Christus Jesus, sapientia, quæ sapientia Dei Patris, Filius est. Nam ipsa sapientia ædificavit sibi templum humani corporis in Maria Virgine, Solomone dicente: *Sapientia ædificavit sibi domum.* (Prov. 9. 1.) Igitur si ille responderit, B vel confessus fuerit de homine dictum, qui assumtus est, Catholice sentit: quia qui ædificat domum, Dominus est, quod autem ædificatur, & creatur, servile est. Crescit itaque, atque ædificatur domus, qui est homo, non autem crescit Deus, qui semper est perfectus. Restat itaque ut confiteatur Verbum Filium Dei, de perfecto Patre perfectum, genitum, & totum a toto, plenum quoque a pleno. Quia satis contrarium est fidei Christianæ, ut quod homo creverit, Deus dicatur semper imperfectus, qui numquam profecerit, sed semper est minor, secundum doctorum blasphemiam perversorum. Certe vel post tot C annorum curricula credant aliquando eum æquari Patri posse, cum de ipso legatur: *Crescebat & proficiebat.* (Luc. 2. 40.) Nam de Patre nusquam legitur quod proficiat, crescat, vel senescat: ergo illo non crescente, neque senescente, sed in deitatis suæ potestate propria commanente, hic qui legitur crescere & proficere, debuit jam ad æqualitatem pervenisse Patris. Hæ autem humanæ comparationes in divinam substantiam non conveniunt: quia perfectus Deus Pater perfectum Filium genuit, nec umquam virtutem & sapientiam Dei imperfectam vel minorem fuisse cre- D dendum est: nam qui ita sentire præsumpserit, hoc non sine suæ salutis detrimento faciet. Tenendum itaque & confitendum est hoc veraciter, quod homo creverit, ac profecerit in Deum, hoc est in Dei Filium. Euangelista ait: *Quia qui receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* (Joan. 1. 12.) Et quoniam non dominicus homo, & servilis forma in Deum profecit, Deus autem Verbum, virtus, & sapientia Patris, semper fuerit perfectus & æqualis genitori in substantia divinitatis, Apostolo dicente: *Qui cum in forma Dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* (Philip. 2. 6.) Qui igitur in forma Dei æqua- E lis erat Deo Patri, seipsum exinanivit, formam servi, sicut idem Apostolus prædicat, accipiens, id est, sponte, non coacte inclinavit seipsum ad suscipiendam servilem formam, ut vilis vel inferior forma in meliorem substantiam cresceret atque proficeret, per eum qui eam est dignatus assumere, non ut divina substantia, vel potestas in servilem mutaretur, vel addiceretur statum, Apostolo de nostræ formæ in meliorem statum demutatione, dicente: *Ut mortale hoc corpus indueret immortalitatem.* (1. Cor. 15. 53.) Et, *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificantur.* (1. Cor. 15. 22.) Et iterum: *Nos autem, fratres, in libertatem vocati* (Galat. 5. 13.) F *sumus.* Itaque si nos per gratiam Christi in meliorem, ut dictum est, statum, id est, in libertatem per fidem, quæ est in Christo, vocati sumus, quis Christianus aut sobriæ mentis audeat liberatorem suum dicere in deteriorem statum, vel conditionem mutatum? ut substantia divina, quæ semper est immutabilis, in humilem, humanamque verteretur substantiam, & fieret de Deo caro, de perfecto inferior, de æquali minor, de Domino servus, de creatore creatura, & omnipotens impossibilitatis incurreret injuriam: & qui in substantia divinitatis suæ impassibilis erat, fieret passibilis, & immortalis

morti succumberet. Cum hæc omnia in una Christi persona, secundum Apostoli prædicationem, atque doctrinam Christianam sint fide credenda, dicente
2. Cor. 5. 19. eo: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*
Coloss. 2. 9. Et iterum, secundum Christum, inquit, *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ergo Deus hominem, Dominus servum, creator creaturam, factor facturam, omnipotens inferiorem, invisibilis visibilem, indeficiens lassum, immortalis mortalem, impassibilis passibilem, mutabilem indemutabilis suscepit naturam. Nec in humanam Deus mutatus est carnem vel substantiam, sed in se, ipse quam assumpsit glorificabat naturam: humana vero mortalis & infirma, ut dictum est, caro atque natura, divinam profecit in gloriam, ipso Domino in Euangelio dicente de assumpto a se Filio hominis:
Joan. 13. 31. *Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificavit eum in semetipso, & continuo clarificavit eum, accipe quæso pauca de divinis Scripturis testimonia, quisquis ille vis perfectus esse Christianus, & veram integramque sequi rationem, prætermissis vaniloquiis, & superfluis quæstionibus eorum, qui a fide Christi non solum ipsi errantes exciderunt, sed & alios, sicut ait Apostolus, in errorem mittentes. Nam quod nascitur ex tempore Christus in Bethleem, quod in præsepio declinatur, quod pannis involvitur, quod lactatur, quod crescit, quod adolescit, quod in Ægyptum fugiens asportatur, quod parentibus subditur, quod tentatur a diabolo, quod esurit, quod sitit, quod manducat & bibit, quod dormit, quod lassatur, quod plorat, quod quasi nesciens sepulchrum quærit Lazari, quod quasi ignorare se ait diem judicii, quod clarificatur testimonio Patris, quod tristis, quod trepidus ad passionem venit, quod alapis cæditur, quod a Pilato judicatur, quod flagellatur, quod crucifigitur, quod mixto felle aceto potatur, quod lancea lateri vulnus infigitur, quod moritur, quod ligno deponitur, quod sepelitur, quod die tertia vivus a mortuis resurgit, quod omnium post resurrectionem accipit potestatem, quod quasi ignorans sciscitatur a duobus ambulantibus in via, quæ facta fuissent in Hierusalem, quod Petrum quasi nesciens interrogat, si plus ab
Joan. 21. 15. ipso quam ab aliis diligeretur discipulis: *Simon,* inquit, *Petre, amas me plus his?* quem tamen Apostolica professio prodidit, & omnia, & occulta scire. Quomodo igitur qui se loquitur Christianum, non advertit hæc, aut credit humanæ esse substantiæ, servilisque formæ, non divinæ majestatis atque potentiæ? quia numquam vita moritur, sed homo moritur. Nec ignorare aliquid Deus Verbum potest, cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta, Apostolo di-
Hebr. 4. 12. cente: *Vivus enim est sermo Dei, efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Non ergo Deus creatura est, sed homo: non sepelitur Deus, qui est vita, sed caro: neque ab imis resurgit qui ubique est, & super omnes est, sed homo resurgit in Deum. Nam quod flagellatur, & a Pilato judicatur, homo est: quod autem mundum ipse adjudicaturus adveniet, Deus & homo est. Tristem namque & trepidum constat esse hominem, non Deum, qui est incommutabilis, & inconvertibilis. Quod autem ignorat diem, & nescit locum, numquid credendum est, quia qui fecit dies, horas, & annos, & tempora possit aliqua ignorare? Sed ignorat homo, quod tamen non ignorat Deus, qui est ante sæcula,

A per quem omnia facta sunt. Nam sentire de Dei sapientia, quod aliquid ignorare possit, summi periculi res est. Plorat autem & lassatur utique homo, non Deus Verbum, qui est virtus Patris: nefas enim est dicere lassari Dei virtutem. Putasne homo esurit, & sitit, an Deus qui dat vitam mundo, panis qui de cælo descendit, qui etiam dat escam omni carni? Sed nec vita esurit, nec fons sitire potest. Tentatur vero a diabolo ut homo, sed ut Deus ab Angelis adoratur, cui etiam ministrant, de quo scriptum est: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos* Psal. 103. 4.
ignem urentem. Hæc igitur omnia, ut dictum est, ad B servilem, mortalem, passibilemque naturam, quæ a Deo Verbo assumpta est, referri necesse est. Omnia enim quæ humiliter dicta sunt, pro nobis ille suscepit, & pertulit, sicut Apostolus docet: *Quia cum* 2. Cor. 8. 9.
esset dives, egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus. Et iterum: *Qui cum in forma Dei, æqua-* Philip. 2. 6.
lis esset Deo, seipsum exinanivit, formam servi accipiens. Sic & Propheta ejus in carne prænuntians passionem, ait: *Vulnere ejus sanati sumus.* Cum ergo Esai. 53. 5.
humilia, quisquis ille homo es, de Christo audis, non ea judices de altitudine dicta divina: cum injuriosa C legis, secundum humilem formam crede, non secundum divinam dominationem: cum vero impossibilia legis, fragilitatis esse humanæ accipe, non divinæ potentiæ. Nec debes divinam altitudinem ad humilem devocare conditionem: nec nitaris potentiam ac majestatem divinam ad inferiora deducere, sed quæ nostræ sunt magis infirmitatis fragilisque naturæ, ad illam erigere virtutem, sicut ipse Dominus ait: *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad* Joan. 12. 32.
me. Exaltat utique per crucem ipse nostram in se per ejus societatem naturam, non autem nostram per suam conjunctionem divinam inclinat potentiam, sic D namque in alio loco ait: *Venit enim Filius hominis* Luc. 19. 10.
quærere, & salvare quod perierat, non amittere quod semper erat, beato Joanne Euangelista dicente: *In* Joan. 1.
principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt. Secundum igitur ipsius Domini doctrinam, & Apostoli prædicationem salva proprietate utriusque naturæ in una persona Christi, id est, Dei & hominis, perfectus Deus, qui clarificat, in homine perfecto qui clarificatur, credendus, colendus, adorandusque, & Deus Dei Filius, *in quo habitat omnis plenitudo di-* Coloss. 2. 9.
vinitatis corporaliter, in cujus plenitudine Pater est. E Sicut enim in gloria Patris Filius est, secundum doctrinam beati Apostoli, ita in plenitudine Filii Pater est, dicente eo: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Et iterum: *Pater autem in me manens ipse facit opera.* Serviendum itaque est Christo Filio, quia perfectus Deus, & verus est Filius: & qui fideliter servit Filio, Patri servit, & Spiritui sancto, qui in eo est. Et qui adorat Patrem, in ipso adorat Filium, & Spiritum sanctum, quia in Patre est Filius. Et Spiritus sanctus a Deo Patre procedit, ipso Domino dicente: *Ego in Patre, & Pater in me est.* De Spiritu quoque Joan. 14. 9.
sancto ait: *Spiritus autem Paraclitus, qui a Patre* Joan. 15. 26.
F *meo procedit.* Et cum Filium quis adorat, in eo Patrem adorat, & Spiritum sanctum, quia in ipso est Pater, dicente eo: Qui me vidit, vidit & Patrem meum. Et iterum: *Pater autem in me manens ipse fa-* Joan. 14. 10.
cit opera. De Spiritu vero sancto sic ait: *Ille me clari-* Joan. 16. 4.
ficabit, quia de meo accipiet, & adnuntiabit vobis. Et, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea* Ibid.
dixi vobis, quia de meo accipiet. Spiritus itaque Patris spiritus Filii est, Apostolo dicente: *Quod jam* Galat. 4. 6.
autem estis Filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra. Et iterum: *Si quis autem Spiritum* Rom. 8. 9.
Christi non habet, hic non est ejus. Et iterum: *Scio* Philip. 1. 9.

enim

enim quia hoc mihi proveniet in salutem per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Jesu Christi. In Euangelio quoque ipse Dominus ait: *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* [*Joan. 14. 26.*] Et in Actibus Apostolorum ita legitur: *Transeuntes autem Phrygiam & Galatiam vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mesopotamiam tentabant ire Bithyniam, & non permisit eos spiritus Jesu.* [*Actor. 16. 6.*] Manifestissimis igitur testimoniis probatur, quod Spiritus sanctus, Spiritus Paraclitus, Spiritus qui a Patre procedit, Spiritus sit Filii, Spiritus Christi, Spiritus Jesu. Tota enim Trinitas inseparabiliter in una substantia, divinitate atque potentia, adoranda, colenda, prædicanda est & timenda. Fugiendum itaque est & cavendum omnibus Christianis, ne secundum errorem imperitorum hominum, quos notans Apostolus dicit: Errantium circa fidem, induci possint: *Errantes*, inquit, *in errorem mittentes*, [*1. Tim. 3. 13.*] id est, qui in Trinitate sancta atque A indivisa aliquid creatum, aut inferius posteriusve suaserint esse credendum: quia quicquid creatum est, Deus esse non potest. Quod inferius, perfectum non est. Quod posterius, caret perpetuitate. Ac perinde in his gradibus divinum nihil esse potest. Ejusmodi namque doctores, vel qui eorum sequuntur doctrinam, damnat, ita scribens ad Romanos vas electionis beatus Apostolus: *Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ut sint inexcusabiles: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim* B *se esse sapientes, stulti facti sunt: mutaverunt gloriam immutabilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* [*Rom. 1. 20.*] Et iterum sequitur, dicens: *Qui commutaverunt veritatem in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam creatori*: [*Ibid.*] qui est benedictus in sæcula, amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

DE FIDE SUA.

CREDERE jubemur in Dei Patris omnipotentiam, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus sancti indivisam quidem & inseparabilem Trinitatem. Hæc enim & Prophetæ cecinerunt, & Dominus tradidit, tenuerunt & docuerunt Apostoli. Hæc redemptio mundi est, hæc salus Ecclesiæ est, hæc fides nostra est & vita, ut traditam nobis unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas confiteamur, & firmam fidei confessionem in finem usque teneamus illæsam. Et hoc est quod Græci ὁμοούσιον vocant: id enim quod subsistit non habet aliunde, sed suum est, a sese est. Cetera vero quæ sunt, quod habent, acceptum habent. Idcirco ad Mosem Deus loquitur, dicens: *Ego sum qui sum.* [*Exod. 3. 14.*] Et rursum, dices filiis Israel: *Qui est, misit me.* [*Ibid.*] Erant utique tunc Angeli, Throni, Dominationes, cælum, terra, vel maria. Sed quia illa sola est infecta natura, & in tribus Personis deitatis una subsistit, idcirco ait: *Ego sum qui sum.* Quisquis autem tres ὑποστάσεις dicit, id est, tres substantias, is sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere. Et si ita est, cur ab Arii parietibus separemur perfidia copulati? Ille enim gradibus divinitatem dividit, & Deum ex Deo, id est Filium ex Patre ita confitetur, ut ex Deo factus sit, non de Deo natus. Qui si natus est, unius substantiæ est: si factus est, verus Filius non est. Et si verus Filius non est, nec verus Deus: Aut si verus Deus est, & de Patre non est, duo sunt habentes singuli & voluntates proprias, & imperia diversa. Sed Dominus noster Jesus Christus in Euangelio suo unum se cum Patre, & ex Patre esse testatur, cum dicit: *Ego ex Deo exivi.* [*Joan. 16. 27.*] Et rursum: *Ego in Patre & Pater in me.* [*14. 9. 10. 30.*] Item: *Ego & Pater unum sumus.* Et, *Qui me videt, videt & Patrem.* [*14. 11.*] Siquidem hæc ideo sunt scripta, ut vera ejus divinitas non negetur. Sed illa forsitan tibi usurpas, quæ propter incarnationem ejus scripta sunt, ut puta: *Qui me misit major me est.* [*Joan. 14. 28.*] Et, *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* [*Joan. 6. 38.*] Et, *Filius a se nihil potest facere.* [*Marc. 18. 40.*] Et, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre.* Et cetera his similia: quæ omnia non infirmant Filium, neque depretiant, sed a Patre distinguunt, & ejus humilitatem & in- C carnationem ostendunt. Sed nec illa fidelem animam scandalizent, quibus Dominus esuriisse, dormisse memoratur, lacrymasse, tristasse usque ad mortem, passionem quoque & crucem: siquidem ad id sunt scripta & facta, ut & tolerantiæ exempla præberentur, & vera ejus incarnatio nosceretur: nam in eo quod esuriisse Dominus dicitur, veri corporis assumptionem intellige. In eo autem quod quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum satiat, veram ejus divinitatem cognosce. Certe cum dicit: *Ego sum panis qui de cælo descendi*, [*Joan. 6. 41.*] non cadit in sen- D sum nostrum, ut panis esurire credatur: sic & de somno ejus intelligendum est: quoniam sicut per somnum corporis veritas cognoscitur, sic per illud quod statim ventis & fluctibus imperat, vera ejus divinitas approbatur. Nam & quod lacrymas super Lazarum fundit, phantasmatis suspicio tollitur: lacrymæ enim veri corporis sunt humores. Cum autem dixit: *Lazare exi foras.* [*Joan. 11. 43.*] Et statim ille qui jam fœtebat aperiente se terra vivus emergit, magnæ ejus divinitatis indicium est. Jam illud quod ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* [*Matt. 26. 38.*] Ex hac ipsa Lazari E suscitatione intelligi potest quomodo debeat accipi: quia non utique metuebat divinitas mortem, quæ verbo mortuos suscitabat, sed humanum affectum per tristitias animæ indicabat: Crux æque, passio, sepultura, uno vel altero dicto Domini discutiuntur, quo minus ei impotentia vel infirmitas adscribatur, cum dicit ad Judæos: *Solvite templum hoc.* [*Joan. 2. 19.*] Utique corpus suum dicebat: *Et ego in triduo suscitabo illud.* Item ait: *Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumere illam.* [*Joan. 10. 18.*] Si corporis sui F suscitat templum, si potestas est ponendi animam per passionem, & sumendi per resurrectionem, cesset in Christo infirmitatis opinio, ubi tantæ potestatis sublimitas declaratur. Omnia ergo pie intelligenda sunt: omnia ergo honorifice tractanda sunt. Utrumque in Domino confitendum est, & forma Dei, in qua semper fuit: & forma servi, quæ accepta est propter servos. Credenda est & passio secundum carnem, & impassibilitas secundum divinitatem.

Interrogatio. Deus Pater ex voluntate genuit Filium, an ex necessitate? *Resp.* Nec ex voluntate, nec

ex

ex necessitate: quia Deum nulla manet necessitas. Sed A & mihi interroganti: Deus bonus est an non? Utique bonus. Voluntate aut necessitate: si voluntate, major jam & prior voluntas est ex qua bonus: si ex necessitate, major est necessitas, & Deus infirmior habetur. Qua de re Filius ex Patre non ex voluntate, neque ex necessitate, sed ex substantia natus est: quia supra voluntatem & necessitatem est id quod est deitas. *Ins.* Denuo te interrogo, Pater & Filius quid est? *Resp.* Deus & Verbum. *Int.* Ergo non simplex, sed compositus est, quia ipse est & Verbum. *Resp.* Deus operatur, aut non? & quæ facit voluntate facit, aut non? *Hæret.* Utique voluntate. *Ath.* Ergo ipse est & B voluntas, & est compositus secundum interrogationem tuam, non simplex. *Hær.* Sed Deus in æternitate manens, solus æternus est. Omnia etenim qui semper est, sed non est omnia multa, sed unum ac simplex hoc quod semper Deus est. *Resp.* Et ideo separari impossibile est unum ab uno, id est Filium a Patre, vel Patrem a Filio propter identitatem deitatis, Joan. 10. 30. dico: *Ego & Pater unum sumus.* Dum ego & Pater solitarius non intelligitur: neque quod unum sumus, diversum sentitur. Dicimus ergo, paternam deitatem numquam alienam fuisse a propria genera- C tione. Et ideo nobis paterna deitaa pro tempore quidem intelligibilis efficitur, ipsa vero nec tempori, nec novitati subjacebit: ne inanis vel superflua, aut certe proficiens paterna deitas reperiatur. Libera etenim ab omni exordio, ab omni compositione, ab omni qualitate, ab omni quantitate. Sed cum genitus appellatur, nihil aliud quam Patrem & Filium significare monstratur: nihil enim tam impium, quam Filium Dei appellare, & Deum verum negare, quam Patrem loqui, & sine generatione Patrem confiteri. Quodcumque etenim non ita extiterit, ut Deus exi- Exod. 3. 14. stere debeat, Deus credi non debet: *Ego sum qui* D *sum*, non sum mutatua, & ideo quod divinum est immutari non potest, ne non sit quod semper est. Immutatur autem a sua simplicitate, si novellus Pater est, si ab æternitate cum ipso est, & in ipso Filius non est, & est mutabilia, si non natura, sed voluntate post naturam genuit Filium. *Hæret.* Sed solum sapientem & potentem Patrem credi debere. *Resp.* Si cum & Filium simul cum Patre veneraris, Patri detrahis, qui simul cum ipso minus sapientem veneraris. Qui si igitur minus sapientem decernis, utique nec Deum, nec Filium Dei asserere debes. Quod si plene sapientem asseris, recte Deum, vel E Filium definis. *Hæret.* Sed Filium a Patre mutari manifestum est, Patrem vero a Filio mutari non posse. *Resp.* Si ita est, quæro utrum Pater imperfectum Filium genuerit, suspectumque dimiserit, cui deinceps non tam genitoris officio, quam magistri imperio rudimenta sapientiæ impertire dignaretur? Est ergo vel quod Deus Pater perfecte sapiens docere debeat. Est & quod Deus Filius imperfecte sapiens discere possit, & quomodo omnia quæ Pater habet Filii sunt si non perfecte sapit, vel plene potest? Quomodo in Filio omnes thesauri sapientiæ & scientiæ deprehenduntur, vel Deus super omnia nominatur? *Hæret.* F Sed solum Deum Patrem sine initio, sine origine simplicem quoque & indeterminabilem cognosci debere. Operationem vero ejus, id est Filium, neque sine initio, neque sine fine intelligi oportere, maxime cum omne opus, & initium sustineat, & fine carere non possit. *Resp.* Hoc etiam nos confitemur: Est enim indeterminabilis, simplexque natura. Quod ergo incompositus simplexque manet, nullia legibus determinari potest. Sed responde mihi interroganti: utrum est Deus, quem sine initio & fine semper fuisse commemoras, ita indeterminabilis. Statuis

quippe, ut nihil ei non solum secundum naturam, sed ne secundum actionem naturæ accedere possit, ita ut nec novellus Pater, sed nec initiabilis genitor declaretur, ut vere indeterminabilis, & non proficiens cognosci possit. Proficiet utique si ad actionem novellæ generationis procedere festinat, quo minus ex hac cognoscere valeat, aliquando semet Patrem futurum. Nobis vero sufficiat is qui in principio erat, & apud quem erat, quoniam Deus apud Deum erat. Quod si non natura Filius, nec recte Pater & Filius pronuntiatur, quia nec genitor, nec genitus insinuatur. Quod si plenitudo divinitatis secundum Paulum in Filio habetur, cur Deus plenitudinis negatur? Et si in eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi habentur, cur Deus ignarus pronuntiatur? Et si Verbum in principio, & apud Deum, & Deus habetur, cur Deus naturalis non creditur? Absit autem a fide Apostolica, ut in Filii generatinne aut augeatur divinitati quod Pater est, aut minuatur ne Pater sit. Sed nec natua profectionem sustinuerat, sed nec generans diminutionem patitur. *Interr.* Quomodo autem nativitatem sempiternitati conjungis, dum nativitas posterior sit a sempiternitate? *Resp.* Revera quasi prias conceptus de semine, aut coagulatus in ventre sit, cum Scriptura dicat: Generationem autem ejus quis enarrabit. Nam & ge- Esai. 53. 8. neranti calumniam facis, quasi ei accesserit ut generaret. Quod si accessit illi quod ante nnn habuit, imperfectus invenitur: si non accessit, sempiternus cum sempiterno in sempiternitate fuisse reperitur. De sempiternitate Filii audi per David Filium ad Patrem verba facientem: *Et ego semper tecum, tenuisti* Psal. 72. 24. *manum meam dexteram, & in voluntate tua deduxisti, & cum gloria assumpsisti me.* Item David: *Tecum* Psal. 109. 3. *principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* *Interr.* Ingeniti nomen Patris, & Filii geniti appellas. Quid de Spiritu sancto dicturus, qui utique in tertio gradu ponitur, in scripturis genitum eum confiteris, aut ingenitum appellas? Si genitus, jam non est unigenitus Filius, eo quod sit & alter natus de Patre. Si non est natua, est utique & alter ingenitus. Et jam non est unus Deus Pater ex quo omnia, sed duo sunt Patres. Quod si neque natus de Patre est Spiritus, neque non genitus, superest ut creatura dicatur. *Resp.* Si Scripturas Domini, vel Dominum loquentem in scripturis credideris, numquã creatorem creaturis comparabis, cum legeris: *Verbo Domini cæli* Psal. 32. 6. *firmati sunt & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Item ipse David: *Emittes spiritum eorum & creabuntur.* Ps. 103. 30. Audi & Patrem loquentem: *Spiritus ex me* Esai. 57. 16. *prodiit.* Item ipse per Joel Prophetam: *Effundam* Joel. 2. 28. *de spiritu meo super omnem carnem.* Et Dominus in Euangelio Apostolia dicit: *Mittam vobis a Patre* Joan. 15. 26. *meo paraclitum, Spiritum veritatis, hic de Patre procedit, & de meo accepit.* Sufficeret quidem de fidelibus hoc ipsum credere, quia Filius genitus est: Spiritus autem de Patre procedens est, cujus processio qualia aut quanta sit, nulli conceditur scire, sicut & de Filio dictum est: *Generationem ejus quis enarra-* Esai. 53. 8. *bit?* Sed arctius propter incredulos requirendum est, & interroganti mihi responde. *Hæret.* Respondeo. *Ath.* Certe confiteris Deum esse & creatorem, id est, conditorem rerum omnium, & ab eo conditum, nihilve medium. *Interr.* Quid confiteor quod ambigi non potest? *Resp.* Convertibile omne conditum, quia initium habet, & fine non caret. Inconvertibile & incommutabile omne quod æternum est nec initium habere, nec finem confiteris? *Hær.* Utique sic ajo, quia sic habet. *Ath.* Creator creaturis commiscibilis, an non? *Hær.* Communicat quidem

creatu-

creaturæ femet, miscetur tamen numquam, ne mutabilis & convertibilis & corruptionis particeps esse reperiatur. *Resp.* Recte dixisti. Et quomodo legis: Matth. 28. 19. *Ite baptizate omnes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* si creatura est Spiritus sanctus, quomodo creatori unitur in nomine, in virtute, in redemptione, in sanctificatione? Et quod tu in tertio loco nominari putas, in primo id Petrus Apostolus collocat, qui Trinitatem gradibus non dividit, numerum nescit, sed tertium primum ponit, cum dicit Ananiæ: *Quare complevit Satanas cor tuum, ut* Actor. 5. 3. 4. *mentireris Spiritui sancto?* Et post paululum: *Non es hominibus mentitus, sed Deo.* Ergo qui Spiritui sancto mentitur, Deo mentitur; quia Spiritus est Deus: audi & Paulum Apostolum dicentem: 1. Cor. 2. 11. *Nemo enim scit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui est in eo: ita & quæ in Deo sunt nemo scit, nisi spiritus ejus, qui est in eo.* Qui utique si esset creatura, ut credi studes, quid in creatore esset scire non poterat. Unde idem Paulus: Rom. 11. 34. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Si ergo de Patre procedit Spiritus sanctus, ut legimus; si liberat, si sanctificat, si consolator est, si bonus est ut Deus, sicut scriptum est: Psal. 142. 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Si abluit, si justificat, si is qui eum blasphemaverit, sicut scriptum est, non habet remissionem, neque in hoc sæculo, Matth. 12. 32. neque in futuro, quæ utique nulli nisi Deo proprio sunt, quid ergo amplius quærendum de illo est, vel dubitandum? Cum per operum magnitudinem, quod est ipse, manifestet. Non utique alienum esse a Patris, & Filii majestate, qui non est ab operum virtutibus alienus: frustra illi nomen divinitatis negatur, cujus potestas non potest abnegari. Est & illud, quod omnis creatura capax est divinarum virtutum, & eget gloria Dei: Spiritus enim capabilis est, non capax & nullius eget, sed egentibus se largiter infundit. Nam de Filio scriptum est: Cant. 1. 2. *Unguentum effusum nomen tuum.* Item de Spiritu sancto Deus loquitur: Joel. 2. 28. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Ubi aliquando legisti: Effundam Angelum, vel aliam quemlibet cælestium creaturarum, sicut de spiritu? Legimus repletos quoque fuisse Apostolos Spiritu sancto, & quam terrarum partem ob ædificationem Ecclesiæ unusquisque ageбat, eum singulis utique totus erat. Angeli cum singulis singuli sunt, & dum mittitur, dum ibi est, alibi utique deest. Spiritus cum omnibus ubique totus est, quod non nisi solius Dei est. Adoremus ergo Patrem, adoremus & Filium, adoremus & Spiritum sanctum, una eademque veneratione. Si ille nobis cum Patre & Filio confert remissionem peccatorum, sanctificationem & vitam perpetuam, simul utique cum Patre & Filio referamus & gloriam. Aut si non est cum Patre colendus & Filio, ergo nec confitendus in baptismo. *Heret.* Paulo ante confessi sumus ambo Deum Patrem invisibilem, incomprehensibilem, immutabilem, sine fine sempiternum. *Resp.* Sic habet. *Interr.* Et quomodo de ejus substantia Filium confiteris, qui sæpe a patribus visus est convertibilis atque mutabilis? Et in variis figuris singulis quibusque sæpe demonstratus. Qui si de ipsa substantia esset, carnis utique assumptione nec visibilis cerneretur. Quin potius in ea æqualitata, qua Pater est, permansisset, ex cujus substantia erat: quia quod de Patre est, nec videri, nec mutari, nec converti posse credendum est. *Resp.* Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arrianæ, dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt: quibus in primo respondendum est: Filium Dei, non ita visum, ut Deus erat, sed ut homo capi poterat.

A Deinde hoc esse potentiæ Dei, ut cum singulis, prout voluit, revelari dignatus est, habitum mutaret, non substantiam verteret, nec proprietatem qualitatis amittens, sed juxta meritum videntis temperamentum majestati adhibuit. Ipse tamen ut semper idem est, in substantiæ suæ proprietate permansit, sicut scriptum est: *Mutabis eos, & mutabuntur: tu autem ipse idem es, & anni tui non deficient.* Psal. 101. 28. Nam & Angeli in figura hominum sæpe visi, tamen aliud non sunt, quam quod esse se norunt, neque substantiam mutant, cum formam corporis humani sumunt: quanto magis auctor Angelorum non mutabitur, qui Angelis ut hoc facere possint sua liberalitate concessit? B Vides ergo dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant in eo per imaginem patribus præostensam, non tamen ipsum Deum, ut est proprie, visum. *Interr.* Quid de incarnatione dicturus, & ejus mutabilitatem qua ratione excusabis non intelligo, siquidem legimus: *Verbum caro factum est.* Joan. 1. 14. Tunc utique Virginis uterum opplevit: tunc aliud, quam quod venerat, natum est. Unde jam commixta substantia statum vertit, ordinem perdit in mutatione ipsa: de Deo homo, de C Spiritu caro factum est. Et utique translatio omnis, interjectio est pristini status. Idcirco Filium ex alia substantia credendum non dubium est, quæ converti, & mutari, & videri potest. Quia hoc de Patris substantia credi fas non est, quia ait: *Ego sum, ego sum, & non mutabor.* Malac. 3. 6. Et Filius in Euangelio: *Deum nemo vidit umquam.* Joan. 1. 18. *Resp.* Commixtio quidem sive concretio, naturæ mutatio est: mutatio naturæ translationem facit: & translatio perdit quod erat, & incipit esse quod non erat. Hoc nativitas Christi non habet, Gabriele Angelo teste, quem interrogatum de Mariæ possibilitate conceptus respondisse D Euangelista refert: *Spiritus sanctus superveniet in te, & Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. 35. Qui utique, nec in utroque dicto commixtionem, sed superventum Spiritus sancti, & obumbrationem Altissimi nominavit. Legis: *Verbum carum factum est.* Joan. 1. 14. Quomodo autem sit factum, mens utique nostra non attingit: quia quod credimus excedit mentem nostram; sed fide attingimus: & sic hoc modo totum tenemus fide, quod credimus: etsi mente non totum complectimur. Scire ergo debemus, quid, & quantum sensu attingere nobis concessum sit, quid fide suscipere. Nam legimus: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de* Joan. 3. 13. E *cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Quomodo filius hominis, qui in terra loquebatur, esse dicebatur in cælo? Et quemadmodum inde descendisse refertur, qui nec ibi factus, nec adhuc ascenderat? Quia nondum passus resurrexerat; sed quia Deus Verbum hominem assumpturus descenderat, homo divinitati copulatus, illuc ascendit, unde caro utique non descenderat, sed Verbum. Sed & Dominum ad Joannem loquentem in Apocalypsi legimus: *Ego sum primus & novissimus, & vivus fui & mortuus, & ecce vivus sum in sæcula sæculorum.* Apoc. 1. 17. Si primus, quomodo novissimus? si vivus, quia ipse est vita omnium, F quomodo mortuus, cum vita mori non possit? Quod si mortuus, quomodo vel Deus, vel vita dicendus est? Et utique non tenebit perfectam veritatem quisquis aliquam veritatis exeluserit portionem. Sed tu qui creatoris tui & redemptoris causaris incarnationem, tuæ, si potes, ante investiga nativitatis rationem. Certe fateberis hominem ex duabus substantiis subsistere, anima, & carne: & tamen non duo, sed unus dicitur homo. Et cum unita sit ejus natura, incommiscibiles tamen substantiæ permanent. Si ergo ita in homine a Deo collatæ immiscibiles permanent substantiæ, quid de creatoris tui incarnatione

ne sentire cogaris, adverte; qui utique dignatione homini admiscetur, non commiscetur. Et Verbum caro sic factum, hoc est unigenitum Dei Filium, sic factum esse hominis filium, ut neutro in alterum verso, sed utroque in sua substantia permanente, sic Deus in homine pateretur humana, ut in seipso integra divina servaret, non ut conversione, aut mutabilitate aliqua cœperit esse quod non erat, sed ut potentia divinæ dispensationis Verbum Patris numquam a Patre discedens, homo proprie fieri dignaretur, incarnatusque sit unigenitus secreto illo mysterio, quod ipse novit. Nostrum namque est credere, illius nosse. Ac sic ipse Deus Verbum totum suscipiens in se, quod est hominis, homo fit. Et assumptus homo totum accipiendo, quod Dei est, aliud quam Deus esse non possit. Non ergo de visibilibus conjectura facienda est, quasi æqualibus invicem creaturis putemus Deum hominemque commixtum: & tali confusione Carnis & Verbi, quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere: hujusmodi enim commixtio, partis utriusque corruptio est. Deus enim capax, non capabilis est: penetrans, non penetrabilis: implens non implebilis: qui ubique totus simul est, & ubique diffusus est, per infusionem potentiæ suæ dignanter naturæ est immixtus humanæ: non humana natura naturæ est mixtus divinæ. Caro igitur profecit in Verbum, non Verbum profecit in carnem. Verissime ergo Verbum caro factum est: sed ut diximus, solum proprie personaliter, non cum Patre aut Spiritu sancto naturaliter, quia unigenitus Dei Filius, Deus verus, qui cum Patre & Spiritu sancto unus est in natura, alter est in persona. Non enim ipsum Patrem dicimus esse, quem Filium: nec iterum eumdem Filium dicimus esse, quem Patrem: aut rursus Spiritum sanctum Patrem vel Filium nuncupamus, sed distinguentes personas in proprietatibus suis, Patrem Deum, Patrem proprie nominamus: & Filium Deum, Filium proprie dicimus: & Spiritum sanctum Deum, Spiritum sanctum proprie confitemur. Et cum ter numero dicimus Deum, non tres deos credimus, sed unum in omnipotentiæ suæ Trinitate perfectum. Idcirco una persona accipienda est, carnis & Verbi: unum eumdemque Deum & hominem, inseparabilem semper geminæque substantiæ, vere semper omnia gessisse, quæ sunt hominis, &
2. Cor. 13. 4. vere semper possedisse, quæ Dei sunt: *Quoniam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, vivit ex virtute Dei*. Quapropter non pertimescimus secundum hominem Deum natum, eumdemque secundum hominem Deum passum, Deum mortuum: sed gloriamur dicere Deum natum, eumdemque secundum hominem passum. Qui cum in forma Dei esset, non propter se, sed propter nos formam servi suscepit, & semetipsum exinanivit. Quomodo exinanivit semetipsum? dum forma Dei, formam servi accepit: dum

A principaliter Dominus ea, quæ sunt famuli, dignanter assumit: dumque per indulgentiam, & miserationem nostri, gerendo inferiora se videlicet vel agendo, Verbum caro factum evacuatur in persona, quod possedit in natura. Et in Verbo humanitatis habitu factus obediens in homine, illud in se per humilitatem & obedientiam naturæ nostræ restituit, quod per inobedientiam perierat in Adam. Et in carne mortuus, qui semper vivit in Spiritu: vivificans cum Patre omnia, jam numquam de cetero moriturus. Is suscitatus a Patre in carne, & fit nobis primogenitus ex mortuis, qui est unigenitus Dei vivi, ac di-
B versa sæcula propter nos pauper in tempore, indigens in homine, nobis accipit, quod abundans sibi semper habebat in Patre. *Int.* Firmata in corde meo non nescias superiora rationabiliter & vere exposita, sed ad cumulum fidei quæso exponas: cur personis & nominibus dividuntur, cum sit una substantia Patris, & Filii, & Spiritus sancti? *Resp.* Ignoras, quia Pater Deus unus est, & Filius unus Deus, & Spiritus sanctus unus Deus est? Unitum nomen est, quia una est eorum substantia. Unde & Joannes in epistola sua ait: *Tres sunt, qui testimonium dicunt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus: & in Christo* 1. Joan. 5. 7.
C *Jesu unum sunt:* non tamen unus est, quia non est eorum una persona. Numquid aliud sentiendum est, quam Pater verus unus, qui genuit, idem non sit, qui & genitus ab ipso est; & Filius unus, qui non genuit, Pater non sit; & Spiritus sanctus, qui nec Pater, nec Filius, alter sit in persona: præterea qui nec genuit, nec natus referatur. *Interr.* Quare nominas significanter? *Resp.* Proculdubio Pater vere genuit, hoc primum nomen est ejus: Filius vero de eo natus est, hoc unicum nomen est ei: Spiritus autem sanctus, qui de Patre processit, naturale no-
D men est ei. Dum ergo nomina in personis distinguuntur, propria nomina osteoduntur: dum secundum deitatem refertur, unitum nomen in his indicatur: quia substantivus est Pater, substantivus est Filius, substantivus est & Spiritus sanctus. Sit ergo nobis secuodum salutaris baptismi confessionem fides integra Trinitatis, sit una devotio pietatis; nec more gentilium potestatum diversitates opinemur, sed potius perfectam Trinitatem adorantes, & magnificantes, sicut in mysteriis ore nostro dicimus, ita conscientia teneamus: *Sanctus, Sanctus,* Esai. 6. 3.
Sanctus Deus omnipotens. Ter dicens, Sanctus, u-
E nam omnipotentiam confiteris. Vel illud Apostoli: *Unus Spiritus. Dominus Jesus Christus in gloria Dei* Ephes. 4. 4.
Patris. Unum autem: quia una est religio, una glo- Philipp. 2. 11.
rificatio Trinitatis. Et deinceps pacem dilectionemque sectantes semper novis operibus abundemus, ut audiamus ab Apostolo: *Gratia Domini Je-* 2. Cor. 13. 13.
su Christi, & dilectio Dei, & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis, amen.

IN DISPUTATIONEM S. ATHANASII

CONTRA ARRIUM.

ADMONITIO.

VIGILIO *Tapsensi hoc opus jamdiu vindicavit Georgius Cassander in edit. Colon. anno* 1555. *& post eum eruditus vir Chiffletius, ex aperto scilicet ipsius Vigilii testimonio, qui in Libro V. adversus Eutychem cap. 2. hæc habet:* Et quamquam, *inquit*, de Conciliorum diversis sanctionibus, & nominum religiose additis novitatibus, plenissime in eis libris, quos adversus Sabellium, Photinum, & Arrium, sub nomine Athanasii tamquam si præsentes cum præsentibus agerent, ubi etiam cognitoris persona videtur inducta, conscripsimus, &c. *Hujusce vero operis duæ sunt nec modicum inter se discrepantes formæ. Prior quæ in prius editis Athanasii comparet, altercationem refert Athanasium inter & Arrium solum: posterior priore longe auctior a Chiffletio edita disputationi interserit Sabellium & Photinum;*

& in

& in fine adjicit sententiam judicis Probi. Ambas illas integras reddere visum fuit. Putat Chiffletius, priorem a Vigilio, tum editam fuisse cum adhuc Vandalorum jugo premeretur, adeoque ejus auctor agnosci nollet; posteriorem vero, cum extra eorum potestatem esset: quippe in qua se & Athanasii personam ementitum esse, & Maribadum ac Palladium Arrianos scriptis libris confutasse palam profitetur. Sed palam est hæc conjectando tantum dici. Nec quæ causa sit tantæ inter utramque formam varietatis, satis compertum habetur.

DISPUTATIO ATHANASII CUM ARRIO
coram Probo Judice.

(1) *Incipit qualiter res a principio gesta est.*

1. CUM apud Nicæam urbem Bithyniæ a trecentis decem & octo Episcopis ex Euangelicis Apostolicisque doctrinis, spirituali vigore præditis, fides Ecclesiæ confirmaretur: ibi Arrii perfidia, Constantino Imperatore præsente, detegitur. Et cum ejus perfidiæ dogma eorumdem Episcoporum sententia refutaretur, Arrius ab Ecclesia separatur, ne tam impia doctrina diu in Ecclesia latens, eunctorum insereret mentes. Sed ubi Imperator comperit integram ab Episcopis fidem Ecclesiæ, ut est ab Apostolis tradita, sanctius confirmari, præcepit eumdem Arrium, ut rebellem sacræ Fidei, exilio relegari. Sed sicut Evam serpens in Paradiso dolosis persuasionibus laqueavit, ita quoque Constantiam germanam ejusdem principis per quemdam satellitem, Arrii perfidia irretivit. Et latuit in ea diaboli virus, donec tempus erumpendi, quo eam repleverat, inveniret. Hæc igitur cum in ultimo sui obitus die fratris visitatinne perfruitur, statim ab ea innocenti fratri veneni pomum verbo porrigitur. Et illico, exemplo primi hominis, nescius per transgressionis viam dilabitur, (2) qui viperinis postulationibus sensum accommodans, Arrius, qui dudum ab eo, tanquam sacrilegus, fuerat relegatus, ad necem fidelium animarum de exilio revocatur, & fidem suam Principi callidis seductionibus pandens, frustra se affirmabat ab Episcopis fuisse damnatum. Ea scilicet causa, idem Imperator præcepit apud Alexandriam Synodum congregari, ut si vera ejus assertio doceretur, venia post sententiam subsecuta, Ecclesiæ redderetur. Et ut omnes de ejus correctione gaudentes exsisterent & exinde ad dedicationem Hierosolymitanæ Ecclesiæ pacatius pergeretur. Denique cum causa ejus ab Episcopis diutius contrectaretur, idem Constantinus Imperator in suburbio quodam, cui Nicomedia nomen est, finali ordinato judicio, trigesimn primo Imperii sui anno, diem clausit extremum.

2. Quam ordinatinnem prædicto satelliti tradidit, Constantio reservandam. Qui dum post sui genitoris obitum adveniens suscepisset imperium, sicut a Constantino delegatum fuerat, eidem Constantin testamentum contradidit. Quin nb hujus rei gratiam, in tanta apud eum idem Presbyter familiaritate est habitus, ut non jam Presbyter, sed Pater imperii vocaretur. Et qui ob imperandum Imperator fuerat elevatus, sub hujus Presbyteri imperio videbatur addictus. Ad cujus jussionem Arrius est in Ecclesiam revocatus, cujus doctrinam rudis princeps impiis sensibus retinens, fidem Catholicam respuit, & a paternis traditionibus sacrilego more descivit. Qui temporibus suis non levem Ecclesiæ Dei vel Sacerdotibus insecutionem intulisse videtur. Quo etiam tempore plurimos Martyres, multosque Confessores fecit. Alios quoque effossis oculis, ac poplitibus amputatis semivivos reliquit. Nonnullos vero rabido furore arreptus insaniæ, propriis sedibus relegando damnavit. In quibus Domini dictum videtur esse completum: *Si me*, inquit, *persecuti sunt, & vos persequentur*. Hic igitur priusquam Ariminum vel Seleuciam ex universo orbe dolo congregaret Domini Sacerdotes, totum unum facere cupiens, quemdam judicem, nomine Probum, sua auctoritate suffultum, arbitrum inter eumdem Arrium atque Athanasium adesse præcepit. Illum utique, quem fidelem in regno suo, & omnium mundanarum literarum artiumque, præ ceteris hominibus probaverat eruditum. Qui nmnibus curis publicis procul amotis, injuncta sibi omni celeritate maluit adimplere, ut jussis imperialibus pareret, & fidem veracissimam suo examine comprobaret. Hic itaque cum apud Laodiceam urbem Syriæ secundo Constantii imperii anno venisset, pro tribunali in auditorio sedens, turbis hinc atque inde astantibus, Arrium atque Athanasium his alloquitur verbis.

Joan. 15. 20.

(*Antedictæ disputationis Laodiceæ habitæ initium, in qua interloquuntur Probus judex, Athanasius, & Arrius, & iterum qui hæc traduxit Auctor.*) (Hæc desunt in mss. quæ scilicet hic clauduntur parenthesi.)

3. *Probus judex dixit*. Gloriosi ac piissimi Imperatoris Constantii epistola sacra commonitus, præcepi inter vos negotium fidei ventilari. *Athanasius dixit*. Et quis tam vecors audeat principalia præcepta abnuere? *Probus judex dixit*. Ergo venerandi Augusti sacra legatur epistola, & recitavit ita.

CONSTANTII EPISTOLA.

Constantinus Constantius pius, perpetuus, victor ac triumphator semper Augustus, Probo judici salutem. Divino munere paternum adeptis imperium, illud est nobis primitus enitendum, ut hæretica conversatinne deleta, sacræ nostræ fidei conjunctus orbis gaudeat universus. Qunniam qui a perversn itinere convertit impium, salvat animam ejus. & suorum multitudinem peccatorum cooperit. Et quoniam nunc plerosque reperimns hujus sceleris socios, hanc perfidiam ritu sacrilego percolentes, asserentes se integram fidei regulam retinere, qui non snlum homines impia seductinne fallunt, verum etiam & ingenitæ majestati injuriam irrogant, Filii creatam substantiam ejus divinitati jungentes. Monemus itaque, ut nostræ mansuetudinis, auctoritate percepta, inter Arrium venerabilem Presbyterum, & Athanasium ejusdem auctorem erroris Episcopum, hujus negotii examen facias agitari. Præcipue suadens ut animi perversitate deposita, veræ fidei ae probatæ colla submittant, ne nostræ pietatis ac mansuetudinis præcepta, solita temeritatis audacia contemnentes, ad gravem nos provocent iracundiam. Et licet hujus fidei

(1) Sic omnes mss. excepto Remig. qui prologo caret, & subsequentibus hunc titulum præmittit: *Incipit disputatio fidei inter Arrium & Athanasium*. Editi habent: *Ejusdem Disputationis introductio, originem ejus & Arrii perfidiam declarans*. Omnes mss. sic ordiuntur: *Cum apud Nicæam urbem*. Editi, *Dum apud Nicænam urbem*.

(2) Ita tres mss. & Chiffiet. Editi vero, *qui viperinis expostulationibus sensum accommodare videtur. Arrius ergo qui &c.*

dei munus necdum perceperis: sapientia tamen, qua præ ceteris polles, cuncta te credimus posse sine cujusquam susceptione personæ, fideliter definire, Deo plusquam homini placiturum. (*Et alia manu*) Optamus te bene valere. Datum Constantinopoli die XII. Kalendas Januarii.

4. Cumque recitaretur, *Probus judex dixit*. Venerandi Principis sacra, quæ lecta est, gestis indatur. Et adjecit: Perspiciens in idolorum cultura nullam veri numinis majestatem consistere, Christianis memetipsum dogmatibus subjicere volo, quibus astruitur unus & verus Deus esse, qui universa, quæ videntur, & quæ non videntur, virtute Verbi sui creavit. Et quoniam cum plures Christiani nomiois titulo censeantur, a veritate ejus fidei procul aberrare dicuotur, diversa scilicet sentiendo & varia dogmatum instituta sectando, scire nuoc magnopere desidero, quæ sit recti dogmatis fides, cui remotis dubietatibus ambagibusque omoibus, tenaciter inhærere queam, oe erroris cæcitate exui cupiens, majoribus tenebrarum erroribus implicer, si passim, & sine ullo examinis discrimine alicujus sectæ, quæ prima occurrerit, imitator existam. Quæ utrum prava sit necne, vel veritate fulta, ignoro. Et ideo si placet, imo quia placere debet, unusquisque vestrum in conspectu nostro fidei suæ sententiam pandat, ut examinatione habita, quæ firmior cunctis & verior reperta fuerit, huic omnes jure credamus, & huic indubitanter spreto falsitatis errore, obsequamur. *Arrius & Athan. dixerunt*. Quomodo tibi tanti mysterii secreta committere possumus, & rei inexpertæ arbitrium collocare, cum nec dum gentilitatis maculam veri dogmatis perceptione ablueris? *Probus judex dixit*. Hoc est utique, quod totis viribus cognoscere cupio, quod sit rectum & veridicum dogma, in quo me oporteat occulti mysterii sacramenta percipere. Neque enim modo mihi profunda mysteriorum arcana patefieri desidero, sed illa nunc flagito demoostrari, quæ io vestra fide extriosecus habentur & publice prædicantur, id est, quod unus idemque verus sit Deus visibilium & iovisibilium conditor rerum. Et quia hoc vos uno ore profiteri non nescio, quid causæ exstiterit, ut io tam varias dividamini sectas, ut quæ sunt vera, & quæ sunt falsa, intelligi a nobis omnino non possit, priusquam vestro certamine digno patientiæ moderamine habito, quid sit congruum, diligentius cognoscamus.

5. *Athanasius dixit*. Cum sis omni literarum genere imbutus, & Philosophicis disciplinis admodum eruditus: mirari usquequaque noo debes, plurima penes nos & varia novitatum dogmata exitisse, cum & apud vos tot sententiarum novitates emerserint, quot pene nomina ipsorum continentur auctorum. Nam cum tres sint in muodo religiones, Judæorum, Paganorum, & Christianorum, multis & longe discretis sententiarum diversitatibus, unaquæque religio a se ipsa discedens, io varias propriæ institutionis sectas divisa est; dum unusquisque suavitate recentioris seotentiæ, non veritatem, sed veritatis similitudinem præfereotis, illectus antiquitus a Patribus traditam lineam derelinquit, eo irremediabiliter per avia prave oberrans, quo novitate pro vetustate utitur, tamquam antiqui limitis, & a Patribus traditi viam incedens. Aut enim multum sentit, & minus credit, & ideo medium & rectum iter incedere nescit. Hæc idcirco præfatus sum, ut tibi clarissima veritatis explorandæ indicia demonstrarem, ut agnoscere facillime queas, illum pravitatis errore involvi, qui prisca Apostolicæ fidei instituta derelinquens, ipse sibi pro suæ voluntatis arbitrio fidem, quam sequi debeat, somniat. *Arrius dixit*. Optime Athanasius errorem perfidiæ, in abjectis & nuper inventis rerum novitatibus consistere profitetur, Apostolico in hoc ipsum congruente testimonio, quo ait, *Profanas autem vocum novitates devita*. Unde obsecro, ut ab hoc 1. Tim. 6. 20.
inquisitionis tramite non recedas, diligentius atque attentius iovestigando, quis novo, quis antiquo utitur fidei sacramento. *Probus judex dixit*. Ut hæc, quæ asseritis facile innotescant, & ad lucem veritatis, remota omoi ambiguitatis caligine veniant, antiquæ fidei regulam pandite, & ita ut est ab Apostolis tradita, nostris auribus intimate. *Arrius & Athanasius dixerunt*. Credimus io Deum Patrem omoipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum. Hæc est fidei nostræ regula, quam cælesti magisterio Dominus tradidit Apostolis, dicens: *Ite baptizate omnes gentes*, Mat. 28. 19.
in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.

6. *Probus judex dixit*. Magno miraculi stupore attonitus hæreo, tres a vobis deos prædicari conspicieos, a quibus ad unius Dei singularis potentiæ majestatem confugiendum esse credideram. Unde, quæ sit hujus ratio fidei, vel quid ista trium rerum, triumque vocabulorum nomina indicent, nos breviter informare dignemini. *Arrius & Athan. dixerunt*. Non quod tres deos numero io fidei professione fateamur, sed credere nos in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum fideliter confitemur. *Probus judex dixit*. Satius fidem vestram exponite, & quæ vel qualis sit in eadem fide vestra credulitas declarate. *Arrius dixit*. Ego enim confiteor, ingenitum Patrem ante omoia tempora, Filium ineffabiliter genuisse, per quem, & in quo, visibiles creaturas, atque invisibiles fecit. Qui novissimis temporibus propter humani generis salutem, a Patre missus, verum hominem io mundo gestavit, quem inviolabiliter de Maria Virgine sine humani pudoris permixtione suscepit. Qui cum sit creaturæ suæ Deus & Dominus, noo tamen potest genitori suo, aut io omoibus conferri, aut in aliquo coæquari. Quem & Deum, & suæ originis profitetur auctorem. Nec tamen ideo duo dii, quia & hic Deus, nec ideo non Deus, quia solus Pater Deus. Sicut non ideo non boous, quia solus Pater bonus, cum sit & Filius, ooo solum bonus, sed & bonorum creator. Et sicut ei non adimitur, ut non bonus sit, cum solus Pater ipsius Filii professione sit bonus: sic ei non aufertur, ne Deus sit, cum solus Pater sit Deus. Et sicut bonitas Filii non præjudicat singularitati paternæ bonitatis, sic deitas ejus noo officit Patri, ne unicus ac singularis sit Deus. Et hoc modo unum Deum profitemur, non negando, ut dixi, Filium Deum, sed penes solum Patrem unius divinitatis auctorem constituentes. *Athanasius dixit*. Bene Patrem ex se Filium ineffabiliter ante omnia tempora genuisse Arrius sua professione definivit, sed utrum Filium ex ipsa Patris esseotia vel natura, vel aliunde genitum velit asserere, hæc interim sua prosecutione reticuit. Ego enim Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius esse substantiæ, uniusque naturæ confiteor; ita ut non ex nihilo neque ex aliquo, sed de Patre Filium genitum, & de Patre Spiritum sanctum credam procedere. Et licet tres io sua proprietate subsistentes profitear esse persooas, horum tamen natura una est, unaque divinitas comprobatur.

7. *Probus judex dixit*. Quamquam hæc varia, & longe dissimilis sententiarum vestrarum diversitas, magnam confusionis caliginem mentibus nostris incutiat, tamen ot cito his ambagibus exuamur, & quæ sit veræ fidei professio cognoscamus, dignamini evidentioribus Scripturæ divinæ testimoniis assertionum vestrarum seoteotias commuoire. Et ne longo orationis

tionis ambitu ipsius permixtæ disputationis confusione procul evagemini, sigillatim fidem vestram, ut dixi, edicite. Sed nunc Arrius prosequatur, & suam fidem veridicis testimoniis astruere non gravetur. *Arrius dixit*. Quoniam me primitus congredi præcepisti, respondeat Athanasius, utrum simplicis naturæ sit Deus? *Athanasius dixit*. Quis hoc impius negaverit? *Arrius dixit*. Respondeat, utrum etiam omnia, quæ de Deo dicuntur, secundum essentiam accipienda sunt? *Athanasius dixit*. Non temere pronuntiaverim, universa, quæ de Deo dicuntur, secundum essentiam debere accipi, præter nonnullos relativos nominum casus, secundum usitatum humani sermonis eloquium prolatos, qui non proprie Deo, sed personis & temporibus, vel quibuscumque rerum generibus coaptantur: id est, cum se nescire, vel cum se iterum cognovisse fatetur. Aut cum rerum a se factarum pœnitudinem gerit, & nunc se iratum nunc etiam placatum ostendit. Quæ omnia si secundum essentiam volumus accipere, passibilem sine dubio & improvidam divinam profitebimur esse naturam, in quam aut ignorantia, aut ex tempore orta cogitatio cadat, quam & tristitia pœnitendo conficiat, & lætitia sublevet vegetando. Quod quid aliud erit, nisi mutari ac perpeti, & instabili mobilitate huc illucque defluere? Unde manifestissime comprobatur, non omnia de Deo secundum essentiam debere intelligi: sed aliquanta dispensationi respondentia, non naturæ ejus convenientia certo certius profitemur. *Probus judex dixit*. Licet sufficienter & doctius, laudabiliterque responderis, non omnia de Deo secundum essentiam dici, latius tamen hæc abs te audire desidero, cum tuis loci disputationis tempus affuerit. Nunc interim ut antea fatus sum, Arrius ut cœperat, prosequatur.

8. *Arrius dixit*. Si ea, quæ in principio prosecutus sum, diligenter advertas, illic omnem fidei nostræ credulitatem invenies. *Athanasius dixit*. Subsistere ante sæcula Filium, veraciter Arrius profitetur. Quod autem de Patre natus sit, sono tantummodo vocis, & simulata verborum confessione, non veritatis proprietate concedit, dum eum a paternæ naturæ substantia separat, & conditione naturæ, non dispensationis ratione, Patri subjectum affirmat. *Probus judex dixit*. Clarissimum fidei vestræ indicium date, & quemadmodum credatis, recenti prosecutione signate, quo possit ad normam propositæ confessionis, disputationis quoque materia coaptari. *Athanasius dixit*. Ne vestros gravem oratione longissima sensus, fidem meam brevi sermone concludo. Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum deitate, potestate, magnitudine, natura unum esse protestor. Nec aliquid in hac Trinitate novum extraneumve, ac si antea non fuerit, postea vero adjectum sit, assero: sed, ut dixi, unius eam naturæ, uniusque substantiæ credo. *Arrius dixit*. Ego sicut tres personas in sua proprietate manentes, ita tres substantias Patris, & Filii, & Spiritus sancti confiteor. Alia enim Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti substantia. Nec potest ullo modo ingenitæ substantiæ Patris, aut genita Filii, aut creata Spiritus sancti conferri natura. Unde nec potestate æquales, nec magnitudine similes, nec natura consortes, a nobis fideli confessione creduntur. *Probus judex dixit*. Si hoc totum est, in quo a vobis invicem dissentire videmini, id est quod unus diversas, alius Trinitatis unam dicit esse substantiam, id nunc disputationis ratio poscit, ut assertiones vestras non subtilitate argumentorum de industria dialecticæ artis venientium, sed simplicibus & puris divinæ Scripturæ documentis robustius fulciatis.

9. *Arrius dixit*. Credo, quod memorabilibus prudentiæ vestræ sensibus Athanasii prosecutionem, nequaquam subtraxit oblivio, qua id elegantius peroravit illum debere pravitatis errore notari, qui nova & inusitata verborum commenta sectatur, adjiciens Apostolicis dogmatibus, quod ab iisdem constat traditum non fuisse. *Probus judex dixit*. Ita memini. *Arrius dixit*. Ergo Nicæni concilii decreta lectione pandantur, & agnosces Athanasium, vel ejus auctores, Apostolicam fidem novorum adjectione verborum eatenus corrupisse, ut & eos, qui antiquis Patrum inhæsere doctrinis, ambitione regia usi, censuerint feralibus relegandos edictis. *Probus judex dixit*. Si præsentis negotii ratio postulat, ut decretum Nicæni recitetur concilii, hoc quoque Athanasius sua prosecutione designet, ut ex utriusque voluntatis assensu, si quid illud est quod refertur, extrinsecus recitetur. *Athanasius dixit*. Causæ congruit, ut rerum gestarum lectionis copia non negetur. *Probus judex dixit*. Ergo ut desiderat, præfati decreti lectio ventiletur. Et lectum est ita: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, unius substantiæ cum Patre (quod Græci dicunt homousium) per quem facta sunt omnia, sive in cælo, sive in terra. Qui propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, in cælos ascendit, inde venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat, quando non erat, & antequam nasceretur non erat, & quod de non extantibus, vel ex alia substantia aut essentia; dicentes mutabilem aut convertibilem Deum, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

10. *Arrius dixit*. Pervides, virorum optime Probe, istius decreta concilii, in sugillationem Apostolicæ fidei, ausu temerariæ assumtionis fuisse conscripta. Quid enim opus erat novum hoc homousion vocabulum antiquis dogmatum regulis inseri? Numquid enim Apostoli, vel eorum discipuli, atque omnes per ordinem successores, qui usque ad illud tempus viventes in Christi confessione homousion vocabulum ignorabant, impietatis sacrilegium in fidei veritate secutos esse dicemus, pro eo scilicet, quod hujus nominis notione privati, sine ipsius prædicationis assertione perrexerunt ad Christum? Si enim a nobis, ut isti penitus mentiuntur, nova introducebatur contra Apostolorum statuta doctrina, id utique conveniens erat, novæ a nobis ingestæ doctrinæ antiquis Apostolorum obviare doctrinis, & novitati vetustat præscribere, non vetustatem novitate pervertere? Ut quid hoc mihi nomen sequendum imponit? Ut quid me ad hujus rei novitatem violentius trahit? Ut quid hoc Apostolicæ fidei superadjicit verbum, cujus nec Prophetæ quidem, nec Apostoli uspiam faciunt mentionem? Quod illud quæso nomen est, sine quo fides integra esse non possit, sine quo Christiani Christianæ religionis abdicantur honore? Unum enim e duobus in hac causa sequi necesse est. Si vera est homousii assertio, falsa erit Apostolorum prædicatio, quæ sine hoc nomine longa per tempora floruerat: si vero Apostolica fides hujus nominis expers vera est, sicuti & est; hæc sine dubio falsa erit, quæ antiquæ fidei nominis novitatem adjecit. Revolve cuncta novi & veteris Testamenti volumina, utrum alicubi homousion sacris inditum paginis poteris reperire.

11. *Probus judex dixit*. Quid his refertur? *Athanasius dixit*. Nominis tantum offenderis novitate, an etiam ipsius rei virtutem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? *Arrius dixit*. Quid dicas non satis intelligo. *Athanasius dixit*. Quoniam res antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novo novæ rei virtus accessit, hoc utique requiro, utrum res quæ antiqua est, simul ante cum nominis novitate damnetur? *Arrius dixit*. Res loqueris tortuosas, & omni stultitiæ miraculo dignas. Si enim homousion novum nomen est, non dubium, quin & res nova sit, quam significare videtur. *Athanasius dixit*. Ergo pariter rem nomenque condemnas? *Arrius dixit*. Ita plane. *Athanasius dixit*. Igitur si demonstravero rei antiquæ, & ab Apostolis traditæ novum nomen attributum fuisse, victum te tandem fateberis? An etiam sic rem antiquam simul cum nominis novitate condemnas? *Arrius dixit*. Hoc non ostendes. *Probus judex dixit*. Et quæ ratio causæ flagitabat, ut res antiqua nomen acciperet novum? Numquid enim priusquam hujus nominis vocabulum sortiretur, sine nominis proprietate manebat? Hoc mihi nullam rationis consequentiam habere videtur. *Arrius dixit*. Optime. *Athanasius dixit*. Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum nova doctrina exsurgit, contra insolentes quæstionum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare, & significantius rerum naturas exprimere, quæ tamen exsistentium causarum virtutibus congruant, & quæ magis easdem antiquitus fuisse demonstrent, non ortus novitatem insinuent. Et ut quod dico, planius fiat, utor exemplo in ipso Christianæ religionis prædicationis initio: omnes, qui credebant Domino nostro Jesu Christo, non Christiani, sed discipuli tantummodo nominabantur. Et quia multi novorum dogmatum auctores extiterunt, doctrinæ obviantes Apostolicæ, omnesque sectatores suos discipulos nominabant, nec erat ulla nominis discretio inter veros falsosque discipulos, cum sive qui Christi, sive qui Dosithei, sive Theodæ, sive Judæ cujusdam, sive etiam Joannis sectatores, qui se quasi Christo credere fatebantur, uno discipulorum nomine censerentur. Tunc Apostoli convenientes Antiochiam, sicut eorum (Luca narrante) testantur Acta, omnes discipulos novo nomine, id est, Christianos appellant, discernentes a communi falsorum discipulorum vocabulo, ut & divini per Esaiam oraculi sermo impleretur, quo ait: *Servientibus vero mihi vocabitur nomen novum*.

Esai. 65. 15. juxta 70.

12. Hanc ergo ab Apostolis traditam, novis utendi nominibus formam, Ecclesia retinens, contra diversos hæreticos, ut sanæ fidei ratio postulabat, diversas edidit nominum novitates. Denique Patri novum innascibilitatis nomen Ecclesia imposuit. Cum enim Sabelliana hæresis genitum ex Virgine Patrem voluisset asserere, ingenitum contra hanc confitendo Ecclesia tradidit Patrem. Utique in divinis Scripturis ingenitum nusquam legimus Patrem. Potest ergo Sabellius audaciam suam in hujus calumniæ obvertere quæstionem, & simili ut tu propositionis genere uti, quo dicat: Cur divinis Scripturis, sine ullo prospectu pudoris, violentiam facitis, profitendo innascibilem Patrem, quod scriptum ostendere non valetis? Item quia eum non solum genitum, sed & passum impio dogmate idem Sabellius profitetur, vobis in unum convenientibus, inter ceteras, quas promulgastis, fidei sanctiones, dixistis Patrem impassibilem esse, quod religiose, sancteque vos statuisse probamus. Sed hoc idem ille proclamat. Quousque vestræ licentiæ audaciam protendetis, profitendo quod scriptum non legistis, impassibilem Patrem, quod nec Prophetæ tradiderunt, nec symboli authentici tradidit auctoritas, sed hoc & vestra est temeritate præsumtum, prosequuntur iidem ipsi, qui Sirmio convenerant. Et hanc religiosæ confessionis fidem de Filio statuistis, Deum eum dicentes ex Deo, lumen de lumine. Jam hic Photino, qui ex humanæ generationis natura initium tribuit Filio, quanta calumniandi occasio pateat, ipsum te quoque metiri non pigeat. Cur enim non similes querimoniarum causas intentat? cur non simili vociferatione ipse quoque insaniat, dicens: Quid dicitis, quid statuitis, quid sequendum vestro judicio posteris traditis, confitendo Filium Deum ex Deo, lumen ex lumine? Ostendite mihi utrum in eadem Filii Dei forma, id est, in authentico symbolo quod Apostoli tradiderunt, hoc scriptum legeritis. Sed contentus sum, cum ibi scriptum non fuerit, saltem mihi de Prophetis legatur, de Apostolorum litteris ostendatur. Quis has vocum toleret novitates? Quis hoc suis admittere sensibus patiatur, quod neque Prophetæ, neque Apostoli tradiderunt?

Longe aliter legitur apud Chifflet.

13. Item similem Patri Filium multis & * creberrimis conciliorum vestrorum decretis statuistis. Exsurgat nunc Eunomius, qui dissimilem confitetur, & dicat: Ubi hoc legistis, ubi hoc reperistis, utrumne Pater aut Filius hac de se usus est voce? Ergo tu, Arri, qui me hodie tali constringis articulo, ut homousion proprie positum in Scripturis ostendam, aut fatere contra insolentes & furtivas hæreticæ intelligentiæ pravitates, quædam confessionis nomina non temere præsumta, sed ex consequenti ratione collecta, fidei auctoritatibus fuisse inserta, ita ut tot novorum verborum religioso intellectui exstiterint absolutiones, quot fuerint quæsitæ vel subministratæ perfidiæ occasiones; aut si id fateri nolueris, tuis tecum objectionibus agam. Ostende mihi non ex conjecturis, non ex verisimilibus rebus, non ex ratione vicini sermonis, non ad profitendum pietate fidei suadente, sed pura & nuda verborum proprietate; ostende scriptum ingenitum, aut impassibilem Patrem, Filium vero Deum ex Deo, lumen de lumine, aut Patri Filium similem esse. Nolo mihi dicas: hoc fidei ratio poscit: hoc pietas docet: ad hanc me nominis professionem Scripturarum consequentia provocat. Nolo inquam mihi talia obtendas, quia & in me similia de homousii probatione respuis proferentem. Sed ferto in manibus divinorum voluminum codices, & eodem sono, iisdemque syllabis prædictorum vocabula nominum indita lege. Aut ostende scriptum, Filium Patri similem: aut fatere dissimilem. Quo hinc erumpas, quo rursus evadas non est: tuis te implicitum propositionis nexibus enodandi facultas nulla suppeditat. Aut concede mihi ex consequentibus probare homousion, id est, unius substantiæ fidem: aut si concedere nolueris, neganda sunt tibi universa, quæ ipse fateris, quia ea nude posita invenire nusquam utique poteris.

** Chifflet. celeberrimis.*

14. *Probus judex dixit*. Si Ecclesiasticæ consuetudinis mos est, ut aliqua verborum vocabula pro coercendis hæreticorum motibus in fidei auctoritate nuda ponantur, quæ tamen ratione ex consequentia rerum exsistentium vestiantur, dum eorum veritas, ex qua originem sumunt, divinis contineri litteris invenitur: quid dicis, Arri, concedis homousium sicut Athanasius dicit de divinis Scripturis per convenientes professionum qualitates probari, an non? *Arrius dixit*. Iste nescio qua syllogisticæ artis versutia, objectionem meam conatur eludere. Ego enim hoc mihi ostendi desidero, utrum homousion in dominicæ sit lectionis auctoritate conscriptum, & ideo aut pro-

prie

prie positum legat, aut ab ejus confessione recedat. *Probus judex dixit*. Vides quemadmodum in te tuam referat quæstionem, & iisdem te, quibus uteris, constringat articulis, professionis tuæ manifestiore, ut ipse exigis, documento: nt ei de canonicis literis nude positum ostendas, innascibilem, aut impassibilem Patrem, aut Deum ex Deo, aut lumen de lumine, aut Patri Filium similem esse. Quæ omnia, si proprie posita minime demonstrare valueris, negandi tibi necessitas imminebit: cui discrimini illa, ut videtur mihi, sola poterit ratio subvenire, ut concedatis vobis ea, quæ in conciliis vestris nude sunt posita, de Scripturarum fontibus emanasse. Nam hoc contentionis vitio deputabitur, ut documentum nudi sermonis exigas, cujus fidei sensum in Scripturis copiosius noveris redundare. Sensum igitur quære, unde vocabuli hujus natura traxit originem. Et cum sensum inveneris, nomen te pariter invenisse non dubites.

15. *Athanasius dixit*. Quantiscumque rationibus agat, nullatenus potest ab hac intentione removeri. Novit enim certissime, quia si ad hoc descensum fuerit, remota hujus nominis intentione, ut ex consequentia Scripturarum unam esse Patris & Filii substantiam, quod est homousion, doceatur, facillime se posse superari, & ideo diffidentiæ ac timoris periculo actus, nudi sermonis flagitat documentum. Sed suis est iterum professionibus constringendus. Exigis a me, ut unam Patris & Filii substantiam, id est, homousion scriptum ostendam. Tu autem tres usias, id est, tres substantias confiteris. Ostende igitur mihi, ubi legisti tres usias? Si enim ego unum, hoc est, homousion, ideo negare debeo, quia hoc nude scriptum non invenio; tu quemadmodum audes tres usias confiteri, cum hoc scriptum nusquam poteris demonstrare? *Probus judex dixit*. Si exstat aliquod ex auctoritatibus divinis documentum proprie & specialiter positum, quo approbetur Patris, & Filii, & Spiritus sancti tres usias, tresque ut fateris esse naturas, proferatur; quo possit Athanasius a confessione unius substantiæ, quod est homousion, declinare. Cum enim triousion proprie in Scripturis ostenderis positum, apparebit Athanasium temeritate pertinacissimæ obstinationis in homousii confessione hactenus perdurasse, quod proprie positum non potuit demonstrare. Si vero nec tu ipse tres usias demonstrare valueris, pari mihi conditionis necessitate astrictus esse videberis. *Athanasius dixit*. Doceat tres usias proprie positas, & facio unius substantiæ, quæ est homousion, cessionem. *Arrius dixit*. Si tres sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, necessario tres sunt & substantiæ, in quibus unaquæque persona separatim & distinctius proprie subsistere cognoscatur. *Athanasius dixit*. Hic nulla prosunt argumenta, hic veritas ex consequenti ratione colligitur, testimoniorum proprietas flagitatur, lege specialiter triousion positum, & noli conjiciendo dicere, si tres sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, necessario tres sunt & substantiæ, quia & ego simili conjectura possum veracius opinari: Si unum sunt Pater, & Filius, quia ipse ait: *Ego & Pater unum sumus*, quomodo non est una substantia? Sed hanc disputationis viam ingredi penitus noluisti, dum a me specialiter positum homousion demonstrandum exigeres testimonium. Simili ratione, tres usias specialiter & proprie positas doce. Si enim ideo homousii vocabulum negare debeo, quia hoc scriptum nude demonstrare non valeo, necessario tunc triousion fateri debeo, si proprie positum hoc, te ostendente, cognovero.

16. *Arrius dixit*. Subsistit proprie Pater, an non?

A *Athanasius dixit*. Nisi mihi tres usias proprie positas legeris, nullum tuis interrogationibus dabo responsum. Quis enim non videat, quo tua tendat objectio? Vis enim argumento callidæ interrogationis diversas approbare Patris & Filii substantias: sed hic argumentis non opus est, ubi manifestiore testimonio proprietatis substantiarum exigitur documentum. Sed si a proprietate testimoniorum, ad rerum consequentiam transire desideras, hoc ipsum publicæ conscientiæ innotescat, non te potuisse tres usias proprie positas demonstrare. Et cum * utriusque hoc articulo solveris, objectionibus vel interrogationibus B tuis satisfaciam necesse est: *Probus judex est*. Quantum vestræ disputationis intentio monstrat, nec tu homousion, nec iste triousion proprie & specialiter positum valetis ostendere. Unde ne puerili concertatione in rebus superfluis diutius immoremini, ab hac puri exactione documenti tandem utrique desinite, & ex consequenti ratione aut homousion, aut triousion de Scripturarum auctoritate colligite. Non enim fas erit, de nominis appellatione dubitare, quod testimoniorum copiosa congestio firmius poterit roborare. *Arrius*. Quoniam hoc tua decrevit senten- C tia, debere nos rationum persuasionibus ex rerum consequentium causis prædictorum nominum virtutes colligere, ne id Athanasio videatur difficultate demonstrandæ veritatis, nudi me vocabuli proprietatis documenta quæsisse, ita faciam, ut tui est decreti sententia promulgatum. Ego enim compendio magis nti volebam, ne longius orationis intentio evagata, ambiguis sensibus veritatem obumbraret. *Athanasius dixit*. Non potest fides venire in dubium, quæ veritatis fulta præsidio, crassiora mendaciorum nubila, fulgidæ claritatis lumine dissipat. Non enim potest propriis carere viribus, quæ non D eget extrinsecus suffragiorum adminiculis adjuvari.

* lege utraque.

Huc usque Acta prima, incipiunt Acta secunda.

LIBER SECUNDUS.

1. PRobus judex dixit. Quoniam vos initi fœderis pacta indeclinabili sententia servare non dubito, quibus id vobis invicem concessisse videmini ut unius substantiæ, vel trium substantiarum professionem, ex divinarum consequentia litterarum luculento disputationis examine comprobetis, omissa sci- E licet quæstione documentum puri vocabuli atque proprie positi exigente; id jam nunc & ipsius placiti ratio poscit, nt cuncta humanæ argumentationis cavillatione remota, de sacris divinarum auctoritatum voluminibus, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, aut unam ant diversas proferatis esse substantias. Ad quam rei probationem, non tantum (ut opinor) mea, sed cunctorum pene mortalium mens ita est pendula expectatione suspensa, ut si tanti negotii merita paterentur, sine ullius diei comperendinatione, vel alicujus momenti intercapedine, ad summam veritatis atque ad calcem manifestissimæ notionis desideret pervenire. Unde ne tam religiosa fidelium, & veri- F tatis cupida frustretur intentio, omni lenocinio luxuriosæ orationis exploso, de re, de causa, de competentibus, de necessariis agite rebus, omnem, ut dixi, verborum ambitum, & procul a causa evagantes locutionum phaleras, leporemque sermonum cautius evitantes, ut disputationis vestræ narratio veritate magis, quam cothurno tumentis ornetur eloquii. *Athanasius dixit*. Licet jam dudum crebro ac sæpius de unitate substantiæ citra acta disputaverim, measque disputationes scripto mandaverim, quibus a me in hac disputatione aliquid amplius addi vix possit:

possit: tamen quia hæc extrinsecus nullo eminus adversante dicta sunt, necesse habeo hæc eadem rursus repetere, & in hoc publicæ actionis examine mittere, quo possint in judicii sententia roborari.

2. *Probus judex dixit*. Si non fuerint Arrii replicationibus tenuata, tunc nostra poterant firmari sententia. *Arrius dixit*. Ut quid hæ fraudum tendiculæ proponuntur? Ut quid in primordio nefandæ assertionis judicis sententia prænptatur? Agamus primum, quod nobis agendum necessitas demonstrandæ veritatis imponit. Inculcetur humano auditui fidei nostræ professio, percipiant judicia, quibus modis, quibusque rationibus, quibus denique documentis nostra fulciatur assertio, & tum demum promulgationem sententiæ, quæ in nostro utique nequaquam pendet arbitrio, de judice postulabimus. *Probus judex dixit*. Præfationis meæ nuper in hoc actionis principio habitæ, & sponsionis vestræ dudum præteritis gestis insertæ, meminisse oportet. Quibus id peroratum est, omissis superfluis, ad arcem negotii debere descendi, quod debetis tandem aliquando actitare. *Arrius dixit*. Doceat Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius esse substantiæ, unius potestatis, unius deitatis, unius majestatis, unius virtutis, unius honoris, quod satis improvide, nimisque incauta professinne solet populus jactitare. *Athanasius dixit*. Profiteris Filium vere de Patre natum, an nnn? *Arrius dixit*. Profiteris ipse, Patrem alicujus derivationis vel divisionis vitio subjacere non posse, an non? *Athanasius dixit*. Valde profiteor. *Arrius dixit*. Ego quoque profiteor, Filium ex Patre natum esse. *Athanasius dixit*. Id esse arbitraris natum ex Patre, quod & etiam natum de Patre? *Arrius dixit*. Sufficit tibi, quod ex Patre dixerim natum, quod etiam facillime ostendo. Quid callidis uteris argumentis? Ceterum de Patre natum nusquam mihi interim ad præsens occurrere potuit. Ex Patre vero scriptum esse recolo, Joanne Apostolo dicente: Qui diligit Patrem, diligit eum, qui natus est ex eo. *Athanasius dixit*. Ergo nihil interesse putas, utrum ex ipso an de ipso natus, dicatur? *Arrius dixit*. Si mihi demonstrare valueris, proprie positum Filium de Patre natum, tunc quid inde sentire debeam, æstimabo. Verum, quia in plerisque exemplaribus varie positum esse non nescio, ut iisdem locis, quibus *de ipso* legitur, in aliis codicibus *ex ipso* legatur. Sed utrum hoc interpolantium fraude, an unius rei significatione, (id est, ut hoc sit *ex ipso*, quod est etiam *de ipso*) factum sit, non satis video. Nec hoc nostræ fidei aliquod potest afferre præjudicium.

Athanasius dixit. In hac tua prosecutione diligenti admodum certa ex posita ratione adverti. Sed quod tantum fidei nostræ dixeris, & non utrorumque designaveris, non posse præjudicium in his verbis afferri, satis miratus sum, & arbitror, quod fidem tuam munire festinans ita posueris, sperans, me exinde leviter sine aliquo documento posse transire.
Joan. 4. 24. In Evangelio quoque de Patre Dominus dixit: Spiritus est. Et ut se de Patre natum ostenderet, ait:
Joan. 3. 6. *Quod natum est de carne, caro est; & quod natum est de Spiritu, spiritus est*, quia Deus Spiritus est. Et,
Joan. 16. 27. *Ego de Deo Patre exivi*. Ecce Filium de Patre natum, ipso Filio docente, ostendi. *Arrius dixit*. Satis callidis & suspiciosis uteris disputationibus, quo dicas, quod ad fidei meæ munitionem hoc dixerim. Sed ut de sensibus tuis omnis suspicionis ambiguitas auferatur, ut superius fatus sum, utrorumque fidei, sive ex ipso, sive de ipso natus dicatur, nullum potest penitus afferre in aliquo præjudicium. *Athanasius dixit*. Generans Pater Deus ex se, id est, de seipso Filium, hoc genuit, quod est ipse, an aliud aliquid? *Arrius dixit*. Hoc utique, quod ipse est, genuit, quia Deus Deum genuit, lux lucem genuit, perfectus perfectum genuit, omnipotens omnipotentem genuit. *Athanasius dixit*. Ergo non extrinsecus, neque ex nihilo, neque ex aliqua præcedente, aut subsequente materia, sed ex seipso genuit. Et non aliud, quam id, quod ipse est, genuit. *Arrius dixit*. Alius alium genuit. *Athanasius dixit*. Et nos confitemur, quia alius alium genuit, id est, Pater Filium: sed sic de seipso, id est, de eo, quod ipse est; & hoc quod ipse, genuit: quia alterius substantiæ, vel diversi generis Filius esse non potest, ac sic unius atque ejusdem cum Patre substantiæ erit. *Arrius dixit*. Si nosses, in quantos perfidiæ errores, unius substantiæ professio vergat, nunquam profecto inter Patrem & Filium hujus nominis faceres mentionem. Nec disputationem tuam, quibusdam interrogationum gradibus incisam, tali conclusisses articulo, ut ad hunc eam impiæ professionis deduceres finem. *Athanasius dixit*. Quod sit impium atque sacrilegum, diversas Patris, & Filii profiteri substantias, & quod pium sit atque religiosum, unius eos religiosæ ac piæ substantiæ confiteri, scias me, o Arri, penitus ignorare non posse. Et hoc non humana opinione collectum, nec conjecturis & argumentis inventum, sed cælestis doctrinæ magisterio traditum demonstrabo.

4. *Probus judex dixit*. Prius mihi vim qualitatemque rerum assignate, tum demum poterit demonstrari, utrum Patri Filioque conveniat. *Athanasius dixit*. Substantia quidem duobus appellationum generibus distinguitur. Et est quidem unius generis qualitas hæc, quæ existentis naturæ essentiam indicat. Aliud vero est substantiæ genus, quo ille qui habet, ab his quæ habet, dirimatur. Et ut planius fiat quod dico, manifesta expositione assigno. Verbi gratia Homo generis sui ac naturæ substantia est. Rursus si quid illi est, quod extrinsecus est, id est, in materia auri, vel argenti, aliarumque specierum possidendarum, substantia ejus dicitur. Et cum ejusdem vocabuli una videatur appellatio, duas tamen res significari videtur. Sed nos de illo substantiæ genere disputamus, quo unaquæque natura, ob id, quod est vel subsistit, substantia nuncupatur. Et quicquid ex se de seipsa genuerit, non aliud esse potest, quam id, quod ipsa est. Denique homo pater generans filium, sui generis, id est, suæ substantiæ hominem generat, quia homo hominem generat. Et recte unius substantiæ esse dicuntur: quia veritas nativitatis substantiarum diversitatem non recipit. Diversitas autem substantiæ est, ut exempli gratia dixerim, si homo pecudem gignat, vel si cujuslibet generis pecus, alterius generis pecudem generet, id est, si bos generet asinum, vel si ovis generet capram: quæ, quoniam in diversitatem generis pergit, monstruosa generatio erit, suæ naturæ proprietatem minime servans. Rursum in elementorum qualitatibus, quæ sit substantiarum diversitas vel proprietas operæ pretium est advertere. Verbi gratia: uniuscujusque ignis vel luminis natura, id ex se, quod ipsa est, ministrare videtur; ut lux fulgorem, ut ignis incendium, & in hoc officii sui genere subsistens, substantiæ suæ intemeratam videtur servare naturam. Si vero lux ex se tenebras gignat, mutationi obnoxia erit, alterius a se generis materiam tribuens, quia in hoc immutabilitatis suæ illibatam poterit servare substantiam, si hoc, quod ipsa est, ministret ex sese. Ceterum si, ut dixi, id quod ex sese tribuit, aliud erit quam ipsum quod tribuit, tunc alterius substantiæ dici poterit,

terit, quod omnino naturarum omnium qualitas, vel ordo, vel ratio non admittit. Age nunc, si videtur, jam a terrenis ac visibilibus, in superiora mentis oculum erigamus, ut ex his quæ facta sunt, infectæ virtutis substantiam cognoscamus, apostolicæ auctoritatis edocti magisterio, quo ait, invisibilem divinitatis virtutem, per ea quæ facta sunt, intelligi debere. Dixit ergo Arrius Filium ex Patre natum esse, & Deum Deum genuisse, lucem lucem, in qua professione unum erit e duobus proculdubio retinendum. Aut enim ex seipso generans, id quod ipse est genuit, & ob hoc Filius unius cum Patre substantiæ erit; aut si alterius a se generis Deum genuit, vera nativitas dici non poterit, quæ proprietatem substantiæ generantis servare non potuit. Et eo disputationis ratio deducitur, ut aut omnino natus non sit, aut degener natus sit, quod utrumque fateri perabsurdum & impium esse videtur.

5. *Probus judex dixit.* Si quid sibi contra hæc Arrius competere novit, edicere non moretur. *Arrius.* Simplicis atque immutabilis naturæ Deum esse non reor Athanasium ignorare, qui si, ut idem asseruit, de sua substantia generavit, mutabilis proculdubio erit. Necesse est enim ex sese generando, aut partem substantiæ per derivationis generationem perdidisse, aut divisionis vitium perpeti potuisse. Ego enim Dei Patris substantiam, neque ex se aliquid dedisse, neque in partium qualitates derivatam fuisse, neque accessionis, vel detractionis, aut aliquid hujusmodi, quod sit passioni obnoxium, sensisse, vel sentire potuisse, confiteor. *Athanasius dixit.* Sed neque nos his passionum conditionibus divinam credimus subjacere naturam, sed impassibilem Patrem impassibiliter de seipso, id est, de eo quod ipse est, Filium generasse fideliter confitemur. Nec nos divisionum, vel derivationum, ac partium cunctarumque rerum, vel passionum genera, quæ inani solicitudinis timore avectus objicere noluisti, a professionis veritate deflectunt, ut negemus Deum ex seipso ob hoc generare non potuisse, ne videatur his passionibus subjacere. Quid igitur religiosius, quidve sanctius, ac divinis sit magis congruum legibus, æqua, obsecro vos, o auditores, judicii lance pensate, erigite mentis oculos, & terrificum futuri examinis diem metuentes, quid magis Catholicæ & Apostolicæ veritati congruat, religiosa mentis intentione respicite, utrum fateri omnipotentem Deum impassibiliter ex seipso Filiū generasse, an illud potius opinari debeamus, ne passionis vitio subjaceret, ex seipso, id est, ex sua substantia filium generare non potuisse. Ego enim id adstruo, id clarissima vocis professione assevero, quod, sicuti Deus impassibilis, ita & omnipotens est. Credo ergo eum de sua substantia potuisse filium generare, nec tamen alicujus passionis vitio subjectum fuisse, quoniam divisio ac derivatio, contractio, accessio, fluxio, vel si qua hujusmodi esse possunt genera passionum, corporeis & contrectabilibus, atque ex diversitate compositis conveniunt rebus. Deus vero, qui nullis corporeis schematum circumscribitur signis, nec aliquibus distinguitur membrorum lineamentis, vitio subjacere non potest passionis. Et recte in eodem generationem profiteor, quia genuit: & recte impassibiliter nihilominus confiteor, quia passibilis numquam fuit.

6. *Arrius dixit.* Num igitur, quia in Deo omnipotenti negari non potest, idcirco ea eum perpeti non posse fatendum est, quæ omnino incorrupta ejus divinitatis substantia non recipit? Unde valde inhonestum, & satis impietate plenum esse videtur, ut per unius professionem substantiæ, nec Patrem proprie subsistere, nec Filium in sua proprietate exstare credamus. Illuc enim nefandæ perfidiæ hujus vergit intentio, ut permixtis & in unius rei copulationem e diverso collectis atque confusis Patris & Filii personis, in sua (ut dixi) proprietatis singularitate minime subsistere valeant. Illud etiam nimis horrendū & procul a fidelium mentibus amovendum, in hac tuæ professionis perfidia continetur, inviolabilem Patrem de sua substantia generando, corruptionis ac divisionis vitium declinare minime potuisse. *Athanasius dixit.* Veritate divinæ generationis, velut nodis indissolubilibus arctius obligatus, per nescio quæ nefandæ intentionis molimina, quibus divinam certum est carere naturam, evadendi suffugium quæris. An corruptionem incorrupto, passionem impassibili, impotentiam objicis omnipotenti? Sed hæc crebro ac sæpius repetens, nullatenus divinæ majestatis reverentia a tam nefandis objectionibus arceris: sed quantum video, sine ullo pudoris intuitu, in injuriam venerandæ Filii nativitati obvius properare contendis. Sed te effrenatius evagantem, & velut undoso æquoris gurgite, naturali quadam licentia fluctuantem, divinæ auctoritatis testimonia coercebunt, & intra certos divinæ professionis limites coarctatum, legalium constitutionum metas egredi non sustinebunt. Inculcatur igitur humanis sensibus sacro illo professionis suæ oraculo divina majestas, ac se Filium de occultis substantiæ suæ arcanis ineffabiliter genuisse testatur, & dicit: *Ex utero ante luciferum genui te.* Unum est *Psal. 109.3.* ergo in hac divinæ professionis contestatione tenendum. Aut enim de sua ineffabili substantia Filium incorruptibiliter genuit: aut ne corrumperetur, omnino non genuit. Sed ego hanc integræ fidei partem eligo, quæ religiosius contestanti de se Deo suadet famulandum, nec me ulla humanæ passionis obstacula ex infidelitatis sacrilegio descendentia ullatenus poterunt revocare, ut merito non credam Deum generare potuisse, ne humanæ consuetudinis more corruptioni potuerit subjacere, cum hoc mihi satis non esse dubitem profitendum, de Dei substantia natum esse, quem constat de Patris utero processisse.

Arrius dixit. Quantum tuæ prosecutionis intentio monstrat, compositum nobis & corruptioni obnoxium vis introducere Deum, qui etiam in eum corporalem uteri appellationem accipere non metuis. Necesse ergo erit, ut aut membris compositus sit, si uterum haber, aut corruptioni, ut dixi, obnoxius, si de sua substantia generavit. *Athanasius dixit.* Recte me hoc sensisse argueres, si ego Deum habere uterum, propriæ temeritatis præsumtione, sine ullo legis divinæ testimonio affirmassem. At cum ipse Deus ad refellendam credere nolentium insaniam, hoc de se ipso pronuntiare dignatus sit, quo evidentius per uteri nuncupationem, non extrinsecus, non aliunde, sed de seipso, id est, de sua substantia se Filium generasse doceret, cur mihi vitiosæ credulitatis notam infigis, cum potius Deo dicere possis: Si habes uterum, compositus eris; si de teipso genuisti, corruptioni obnoxius eris? Nam ita in Deo uterus sine aliqua membrorum compositione accipitur, sicut oculi, & aures, & manus, & pedes, sine ullis distinctionum lineamentis inesse referuntur. Sicut ergo oculos, quia omnia videt: aures, quia omnia audit: manus, quia omnia operatur: pedes, quia ubique est: ita uterum, quia de ipso ineffabiliter genuit, accipere debes. Nec te oportet infideliter opinati: quia & si de seipso genuit, corrumpi utique non potuit, quem ut omnipotentem & incorruptibilem generare potuerit, & ne hac ipsa generatione corrumpi potuerit, fideliter convenit profiteri. Nam si mirabiliter ex Virgine contra rerum naturam incorruptibiliter creditur natus, quanto magis ex Patre credendus est incorruptibiliter genitus? Si enim substantialis natura Vir-

ginis, quæ ex seipsa utique corruptibilis naturæ conditione passioni & corruptioni potuit subjacere, intemerata pudoris integritate, & infractis virginalibus claustris, mirabili incorruptionis integritate filium genuit; cur non magis, ut dixi, incorruptibilem Deum, genito ex se incorruptibiliter Filio, corrumpi non potuisse credamus? O novum atque infandum monstruosæ opinionis damnabilem metum, fateri Virginem partu non potuisse corrumpi, & formidare Deum, ne corruptionis vitio subjaceret, si de sua substantia generaret. Volente igitur Deo, corruptibilis naturæ Virgo, sine ullo pudoris damno, filium generavit, & qui incomparabiliter cunctis naturis incorruptibilior permanet, hoc sibi præstare non potuit, ut de sua substantia filium incorruptibiliter generare potuerit? Ergo quia Deum de seipso, filium generasse, & divinarum Scripturarum testantur eloquia, & in sua Arrius superiori prosecutione fassus est, judica, virorum optime Probe, quis magis cum divinis conveniat Scripturis, utrumne ego, qui ob hoc unius substantiæ cum Patre Filium esse confiteor, quod videlicet ex ipso, & non aliunde dignoscitur natus, & ob hoc rursus incorruptibiliter genuisse profiteor, quia excellentissima divinæ majestatis substantia, per suam ineffabilem potentiam corruptioni subjacere nullatenus potuisset; an iste, qui in tanto ancipitis intelligentiæ discrimine positus, quo fidei suæ pedem referat, nescit. Nolens enim confiteri Deum de sua substantia incorruptibiliter genuisse, in ea confessionis necessitate attrahitur, ut neget omni modo genuisse. Sed hoc ipsum negare obviantibus undique, & clara vociferatione exclamantibus, sive propheticis sive Apostolicis vocibus, nunquam sine dubio poterit.

8. *Probus judex dixit*. Quidquid in hac prosecutionum vestrarum assertione agnoscere potui, ultima examinis nostri sententia retinebit. Nunc vero, si qua vobis adhuc de divinis Scripturis fidei vestræ congruentia superesse putatis, proferre dignemini, quo facillime queamus processu disputationis, quid veri ratio contineat, indagare. *Arrius dixit*. Quod tam brevibus & exiguis quæstionibus in omni illa disputationis meæ narratione usus sum, Christiani pudoris, ac verecundiæ fuit, ut disputationis nostræ trames levibus inchoaretur initiis. Sed quia video Athanasium, perspicuæ veritatis robustissimam firmitatem, quibusdam arietantium impulsionibus quatere, acrius contra eum & validius opinor dimicandum. Dic ergo Patrem & Filium unius esse substantiæ. Sed illa intemerata ineffabilisque essentia, quæ Pater est, nec redundans unquam in seipsa fuit, ut merito, quasi exuberatione quadam, sine damno suis, in eadem substantia genuerit Filium, cum ejus essentiæ, quæ aliis omnibus infinita atque immensa sit & incorporea, nihil esse possit exuberans, siquidem determinatorum sit exuberare, quod est quasi extra se effluere. Deus autem, qui universa complectitur, nihil extra se habet, aut quod effluere potest, aut infinitus est, quo poterit redundare, tunc quid affluere eorum est, qui accipiunt incrementa. Qui si accipiunt aliquando, necesse est ut semper accipiant, & nihilominus pari exuberatione semper generent. Sin autem incrementa non accipit, quod ipsi etiam fatemur, nec effluit, nec redundat, quod æquale cum Patre esse dicatur, cum Filium genuit ax sese, substantiam utique divisit in Filium, & paternam tantummodo ante substantiam pro rata parte secretam a sese, ac resectam, Filium nominavit, tantumque sibi detraxit Pater, quantum in Filium contulit, quo tamen ipso, quicquid ast Filius aut hodie caret Pater, & perfectus non est; aut eo si non indiget, quasi superfluo abundavit. Quod utrumque in Deum non cadit, cum & in hoc ipso quidem Patris, & Filii nomen esse non possit, ubi non habita generatio est, sed potius facta desciffio. Tunc quidem necesse est, omne quod dividi potest, posse corrumpi. Quæ si, ut manifestum est, in Deo esse non possunt, cur non potius voluntatis & charitatis esse Filium confitemur? Quæ quidem voluntas Dei in hominibus quidem non libera est, nedum in Deo aliqua lege teneatur. Qui si non est filius voluntatis, superest, ut coactus Deus quasi aliqua lege naturæ filium edidisse videatur. In qua quidem generatione id genitum, quod erat Pater, quædam Patris pars Filius nominatur, incertumque est, quid Pater, quid Filius debeat nominari, cum in duas partes Dei sit divisa substantia. Illud vero quod quasi ad proprietatem substantiæ naturalis demonstrandam, paterni oraculi testimonium protulit, ut merito Patrem ex eo, quod ipse est, Filium generasse credamus, quia dixit: *Ex utero ante luciferum genui te*, quam id absurdum, quamque ineptum sit, apertissime demonstrabo. Siquidem non solum aliquanta in ordine rationabilium creaturarum consistentia; sed in sensibili elementorum qualitate subsistentia, de Dei utero legimus processisse. Ait enim: *Quis est pluviæ pater, vel de cujus utero procedit nix?* Num igitur quia hæc rigentis & torpidi elementi qualitas, divino legitur utero procedere, idcirco unius ejusdemque cum eo creditur esse substantiæ? Aut quia rursus homines Deum legimus genuisse, ut ipse ait: *Filios enutrivi & exaltavi*: Et iterum: *Primogenitus meus Israel est*: Ac rursus: *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat*. Idcirco rectius opinabimur, homines cum Deo unius esse substantiæ. Aut quia idem Apostolus totius creaturæ universitatem generali pronuntiatione comprehendens, ex Deo asserit esse, dicens: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Ob hoc prudentius conjiciemus, universitatem creaturæ hoc esse quod Deus est, aut unius cum eo esse substantiæ, quod videlicet ex ipso legitur substitisse. Sic ergo & Filium cum ex Dei Patris utero processisse fatemur, non ad judicium naturæ, sed ad investigabilium secretorum arcana multum competenter debemus accipere.

9. *Athanasius dixit*. In ludis theatralibus hi, qui figurarum varietate mutantur, diversi quidem alii apparent oculis intuentium. Nam idem ipse, qui aptatæ imaginis specie rigidus quondam incesserat, iterum vultu in hoc ipso aptato alterius membrorum motibus ludens, in mollitiem resolvitur fœminarum: ita nunc videtur mihi Arrius, quæstionum imaginibus immutatis, velut diversa injiciens similitudinis varietate formari. Nam hoc, quod dudum comtis & brevissimis disputationum objectionibus intentaverat, sub alterius prætextu imaginis, iterum ac sæpius repetens, a proprietate quæstionis illatæ omnimodo non recessit. Neque enim, quia nunc latius & diffusius perplexa verborum ambage seriem propositionis extendit, idcirco aliud egisse videndus est, quam superius convincitur actitasse. Dixit enim ob hoc Patrem & Filium unius non posse esse substantiæ, quod eadem paterna substantia, nec exuberatione amplissimæ derivationis in augmenti copiam effluere possit, utpote quæ nullis metarum terminis aucta, finalibus nequeat modis arceri, quoniam ejus est exuberationis copia redundare, quæ certo, ut diximus, concluditur fine: nec rursus, velut integram & intemeratam portionis defectionem aliquam pertulisse. Sed hæc omnia passionis genera divinæ naturæ non convenientia, jam superius calumniosius magis, quam verius dignoscitur

inten-

Ab hinc quæ sequuntur usque ad num. 12. desunt apud Chiffl.

locus vitiosus.

Psal. 109. 3.

Esai. 1. 2.

Hier. 3. 9.

1. Joan. 3. 8.

1. Cor. 6.

intentasse. Quibus nos religioso fidei intellectu, competenter constat dedisse responsum. Neque enim exuberatione substantiæ redundantem Filium dicimus, neque rursus defectæ naturæ portiunculam nominamus, sed perfectum Patrem, perfectum Filium, non ex his, quæ in eo superfluis exuberationibus redundabant, (quod dictu nefas est) sed ex seipso, id est, ex eo quod ipse est impassibiliter, indivisibiliter, incorruptibiliter, sine diminutione, sine discissione, sine affluentis copiæ redundatione, sine ullo omnino passionis genere ineffabiliter credimus natum. Et idcirco fatemur unius esse substantiæ, quia non aliunde, non ex nihilo, non ex subjacentibus vel præcedentibus materiam qualitatibus, sed proprie Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, sapientiam de sapientia, extitisse fideliter fatemur. Nam si alterius ac diversæ substantiæ, ut Arrius arbitrabatur, Filius esset, non diceret, sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Nam sicuti est Pater, ita & Filius, & si idem habentes se, unius sunt proculdubio substantiæ. Neque aliud est vivere Patris, & aliud vivere Filii, sed hoc est vivere Filii, quod & esse, id est, non aliud est ipse Pater, aliud vita ejus, sed vita essentiæ. Alioquin compositus videbitur, ex diversitate subsistens, si aliud ipse, aliud vita ejus significare videatur. Quia ergo apparet, vitam Patris hoc esse, quod ipse est, (Sicut enim habet vitam in se, sic dedit Filio habere vitam, id est, sic est esse Filii, sicut est esse Patris) non dubium est, Patrem & Filium unius essentiæ, atque unius esse naturæ. Nam & quod ait: Sicut novit me Pater, & ego novi Patrem, unitatem proculdubio voluit indicare substantiæ. Quia secundum superioris disputationis intelligentiam, non aliud est nosse Patris, & aliud esse: hoc ipsum enim, quod est, novit; & quod novit, est: quia non aliter novit & aliter est, & quia Filius sic novit Patrem, sicut Pater eum novit: notionem vero in Deo essentiam esse diximus. Non dubium, quod sicuti est pater, ita & filius, ac si diversitatem non admittat, resque uno ac simili modo subsistat. Denique ut hanc Patris & Filii unitatis substantiam plenius nosceremus, quædam nobis divinæ Scripturæ rerum visibilium exempla posuerunt, quibus nos ad invisibilium intelligentiam religiosius provocarent. Nam paterni luminis splendorem, & bonitatis ejus imaginem Filium posuere. Non quod res divinas metiendas corporalium satisfaciant exempla specierum, sed quia ineffabilis illa natura exprimi non potuit, quædam ex his quæ videntur, similitudinis proferuntur testimonia. Ut sicut splendor & ignis diversæ non sunt substantiæ, vel sicut imago ab eo, cujus imago est, in aliquo differre non potest, nec fictum in se aliquid, aut diversum retinens perfecta & vera esse non possit: ita Pater & Filius, non diversæ, sed unius credantur esse substantiæ. Et quia nonnulla exempli gratia protulit testimonia, quibus astrueret, ita esse omnia ex Deo, ut non tamen de ejus credantur processisse substantia, interrogo, utrum sic Filium ex Patre asseret extitisse, sicut universa ex ipso extitisse narrantur? Quid ergo dicis? Sic ne debemus accipere Filium de Patris utero processisse, vel ex Patre genitum esse, sicut homines ex Deo natos, vel sicut nix ex ejus utero legitur procedere, an longe aliter? Sed quæso unum e duobus respondeas, aut similiter aut non similiter dicas.

10. *Arrius dixit*. Non similiter universa ex Deo extiterunt, vel genita sunt, sicut Filius. Aliter enim Filius, aliter extitit creatura. *Athanasius dixit*. Si Filium longe aliter, quam creaturam extitisse fateris, cur in ejus nativitatis generatione rerum factarum exempla protulisti? Hi enim, qui disparibus modis propriæ originis sumsere principia, non æquo intelligentiæ sensu corporari mihi videntur. Quod quia illuc prosecutionis tuæ intentio vergit, apparet te Photiniani dogmatis errorem sacrilegum defensare. Namque & ipse cum Filium Dei Patre genitum abnegaret, atque talibus testimoniorum documentis coarctaretur, quibus luce clarius demonstratur, Filium Dei, Deum vere, & proprie de Patris substantia genitum; illuc impietatis suæ molimina vertit, ut iisdem modis, eodemque rationis ordine, Filium de Patre assereret natum, sicut homines per adoptionis gratiam in divinæ generationis prolem legimus consecratos. Quo tu quoque, licet aliis viarum indiciis gradiens, ad eundem tamen infidelitatis compitum pervenisti, asserens non ob hoc de illa ineffabili Patris substantia Filium natum debere intelligi, quod ex Deo genitus, vel ex Patris utero legitur processisse, cum ratione consimili non solum homines ex Deo nati, verum etiam insensibilium elementorum qualitates paterni uteri generatione processisse legantur. Et licet etiam prosecutionis tuæ narrationes unius sermonis pronuntiatione dissolveris, quod dixisti longe aliter Filium, quam creaturam, divinitus extitisse, tamen quia brevitate sermonis obscurius & perplexius probati, intentionem legentium tetris quibusdam nebulis obruisti: idcirco nunc ego lucidius & planius, quæ obscura sunt, & veritatem adumbrant, in lucem manifestissimæ clarissimæque proferam notionis. Ostendam igitur, quantum ad proprietatem divinæ generationis pertinet, hoc esse ex Deo nasci quod est de ipso generari. Et ut manifestioribus divinarum Scripturarum testimoniis utar, Euangelicum proferam documentum. Angelus ad Mariam loquitur, dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. (Luc. 1. 35) Et item Apostolus: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege*. (Gal. 4. 4) Num igitur, quia Angelus Mariam sic affatus est, non de ipsa, sed ex ipsa gignendum diceret Filium, & quia Apostolus ex muliere, non de muliere, natum asseruit Filium, ob hoc in Christo veri hominis nativitatem nequaquam profitebimur, aut extrinsecus, & non proprie, virginali credemus utero processisse? Cernis igitur superflue te in divinę generationis nativitate visibilium creaturarum exempla protulisse: cum evidentioribus testimoniorum documentis appareat, id esse ex ipso, quod est etiam de ipso generari. Unde mirari me fateor, cum creaturæ nomen in Filium refugias, & non factum, sed vere, sicuti est profitendum, ex Patre genitum credas, Photini te quodammodo, & si non integris, verisimilibus tamen prosecutionum generibus impietatis fuisse dogmata imitatum.

11. *Arrius dixit*. Quis potius Photini sectetur perfidiam, utrum ego, qui ea, quæ Filius ad demonstrandam divinitatis suæ longe inferiorem, & non in omnibus similem naturam locutus est, secundum suam deitatem dicta accipio; an ipse tu, qui ponis cuncta humilitatis exempla, non fucatis verbis, nec simulata operis efficientia peractis, homini reputas assumto? Namque ut non solum alterum se, verum etiam inferiorem Patre ostenderet, ait: *Pater major me est*. (Joan. 14. 28) Qua professione evidentius declarat, Patris & Filii diversas esse substantias. *Athanasius dixit*. Duas profiteris in Christo esse naturas, an non? *Arrius dixit*. Quis hoc impius negaverit, Christum Deum & hominem confitendum? *Athanasius dixit*. Debemus igitur eorum, quæ Christus locutus est, aliquanta

divini-

divinitati, aliquanta humanitati adscribere, an fine ullo partitionis discrimine, universa aut Deo, aut homini assignare? *Arrius dixit*. Hoc non solum irreligiosum, sed summæ putabitur esse dementiæ, ut omnia eum, aut secundum divinitatem, aut secundum humanitatem locutum fuisse putemus. *Athanasius dixit*. Si ergo secundum professionis tuæ sententiam, aliquanta divinitati, nonnulla vero humanitati adscribenda sunt, cur non hoc, quod ait: *Pa-*
Joan. 10. 30. *ter major me est*, humanitati; & quod ait: *Ego & Pater unum sumus*, divinitati reputamus? Namque, ut noveris, secundum id, quod homo erat, eum di-
Joan. 14. 28. xisse, *Pater major me est*, ait: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*. Rogo itaque, cum Filius secundum divinitatis suæ potentiam universa impleat, nec sit aliquis locus eadem divinitate vacuus, utpote qui cælum & terram atque inferna pari omnipotentia impleat, quomodo ait, *vado ad Patrem*, cum quo & semper erat, & a quo nunquam recesserat? Ejus enim est ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circumscribitur, & cum, in quo erat, deserens locum, ad eum, ubi non erat, veniat. Nisi quia utique de illo, quem assumserat, homine loquebatur, quod erat iturus ad Patrem, a quo & venturus est judicare vivos & mortuos. Ceterum Verbi divinitas universa implens, nullis locorum terminis separatur: sicut nihil est, unde discedat, ita nihil est, quo veniat. Et hoc modo apparet, secundum id, quod homo est, non solum Patre, verum etiam Angelis minorem. Nam si secundum quod Deus est, eum minorem accipere volueris, pari conditionis necessitate etiam Angelis, secundum divinitatis naturam minor esse videtur. Denique Apostolus ait, nec non Psalmogra-
Psal. 8. 6. Hebr. 2. 7. phus: *Minorasti eum paulo minus ab Angelis*. Si ergo nulla ratione admittitur, ut secundum id, quod Deus est, major Angelis habeatur, apparet hoc minorationis officium, non Deo Verbo, sed homini reputandum assumto. *Probus judex dixit*. Ut tua in omnibus fulciatur assertio veritate, convenit a tuis partibus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum divinorum testimoniorum lectione unius approbare substantiæ.

12. *Athanasius dixit*. Quoniam excellentiam tuam perspicio huic rei instantissime ac fideliter imminere, ut Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius esse substantiæ demonstremus, atque Filium de Patris substantia natum, ex divinis voluminibus approbemus: quanquam omnium profectionum mearum sententia ita se habere monstratur, ut sicuti hominum, vel quorumlibet animalium genus, suæ substantiæ similes gignat, nec homo bovem, nec bos hominem generet, sed ad suam similitudinem, id est suæ substantiæ, unaquæque res procreet, mirari utique non debeo, Deum potuisse de sua substantia Filium generare, cui totum posse subjectum est. Sed, ut scripturarum testimonio mea oratio pervagetur, aggredior ipsius opitulatione munitus, Filium de Patris substantia ineffabiliter natum esse, divinis oraculis approbare, ut dum luculento disputationis tramite non ex argumento Philosophicæ artis veniente, sed ut dixi, de divinis scripturis demonstravero documentis, tum demum Arrius obmutescat, cum Filium de paterna substantia genitum, legalibus eloquiis me docente cognoverit. Paulus
Hebr. 1. 3. Apostolus de Filio ad Hebræos scribens, ait: *Cum sit*, inquit, *imago invisibilis Dei, & figura substantiæ ejus gerens*. Jeremias quoque prudentissimus Prophetarum, de Dei Patris persona concionatur, & di-
Jer. 23. 22. cit: *Si stetissent in substantia mea, & audissent verbum meum, averterem eos a studiis eorum pessimis*. Et ut eum de Filio dixisse probaret, subjungit idem Propheta, & dicit: *Quis stetit in substantia mea & vidit verbum meum*? Verbum enim esse Filium de Patris substantia David Propheta testatur, dicens: Ibid. 18.
Eructavit cor meum verbum bonum. Joannes quoque Euangelista sciens apud Patrem Verbum, id est, Filium a principio apud Patrem esse, & a Patre Verbum nunquam separatum fuisse, in principio Euangelii, id est, annunciationis suæ posuit, dicens: Ps. 44. 2.
In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Idem alio loco scriptura tradit: *Initium operis verbum*. Non quod in creatione Verbi, id est, a Filii creatione ceteras cœperit facere creaturas, sed quia per Verbum Dei, id est, per Filium, omnia creata noscuntur. Unde David Propheta ponit, & dicit: *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Et ut Spiritum sanctum hujus operis socium ostenderet, ait: *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Multa sunt enim, quæ de Filio scripturæ divinæ perhibent testimonia, quod de substantia Patris, id est, de eo, quod ipse est, genitus demonstretur, de qua substantia non tantum similis, sed coæqualis Patri Filius comprobatur. Hæc fides est, quam Christus Apostolis tradidit, & ab Apostolis ad nos usque pervenit. Nec possumus eam in aliquo immutare, quam constat nos debere ab initio, ut data est, fideliter conservare. Joan. 1. 1. Eccli. 37. 20. Ps. 32. 6.

13. *Arrius dixit*. E superiori profectione mea ita exorsus sum, quod Athanasium perfidia cæcitatis præcipitet in profundum. Dum enim vult facundiam sui sermonis ostendere, nescius in crimine versatur scripturæ divinæ, dicendo quod in substantia Dei coæquetur Filius genitori, cum ipse Filius de se protestetur, & dicat: *Pater major me est*. Et, *qui me misit, ipse mihi mandatum dedit*. Et, *non ego veni, sed ille me misit*. Et, *non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui me misit*. Et, *sicut dixit mihi Pater, sic loquor*. Et, *quod dedit mihi servavi*. Et, *omnia quæ dedit mihi, nemo aufert a me*. Et, *rogabo eum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum*. Et, *si hic calix non potest transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. Et, *transeat a me calix iste: non sicut ego volo, sed sicut tu*. Et, *quæ sunt ei placita, facio semper*. Et, *sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis*. Et, *dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Et, *exaltavit puerum suum*. Et, *propterea unxit te Deus, Deus tuus*. Et, *excitavit eum a mortuis*. Et, *sedere fecit ad dexteram suam*. Et multa his similia, quæ studio brevitatis omitto. Si ergo majorem habet, si missus est, si spontanea voluntate non venit, si voluntatem suam non fecit, si, quod ei dicitur, loquitur, si sibi data custodit, si rogat, si pro calice deprecatur, si nomen ab alio accepit, si ab alio exaltatur, si sedes discipulis petentibus propria potestate non tribuit, si quæ sunt Patri placita facit, & ab ipso a mortuis suscitatur; æquum non videtur, ut qui de sua subjectione tanta ac talia dicit, Patri efficiatur æqualis. *Probus judex dixit*. Si adversum tam copiosa divinæ auctoritatis testimonia, quæ ab Arrio de Filii subjectione prolata sunt, aliquid Athanasio competere videtur, edicere non moretur, ut superstructione sermonis exclusa, & ex divinis potius voluminibus, aut similis, aut dissimilis Patri Filius, vel coæqualis demonstretur, ut agnita veritate, quæ sanæ fidei ac rationi conveniunt, roborentur. Joan. 14. 28. Joan. 12. 49. Joan. 8. 42. Joan. 6. 38. Joan. 12. 50. Joan. 6. 39. Joan. 17. 11. Matt. 26. 53. Matt. 26. 42. Matt. 26. 39. Joan. 8. 29. Matt. 20. 23. Philip. 2. 9. Act. 3. 13. Psal. 44. 9. Ephes. 1. 20.

14. *Athanasius dixit*. Quantum velit, percurrat in elatione sermonis Arrii calliditas, & sibi de auctoritate divinæ legis plaudat testimoniis, quibus videlicet

delicet nititur ab æqualitate Patris Filium sequestrare, & cuncta, quæ ab eo prolixius inserta noscuntur, iisdem etiam testimoniis a nobis ejus intentio absque ulla difficultate prosternetur. Christus igitur Filius Dei in forma servi, quam assumpsit ex virgine, Patri dicitur esse subjectus, Apostolo Paulo nihilominus affirmante: (Gal. 4. 4.) *Ubi venit*, inquit, *plenitudo temporis*, *misit Deus filium suum natum ex muliere*, *factum sub lege*. Ille itaque dicitur esse subjectus, qui sub lege ex muliere noscitur generatus, & in ea forma minorem se indicat Patre, quam assumsit ex Virgine. Nam in forma Dei Patris Angelicus ei chorus probatur præbuisse ministerium. Ita (Mat. 4. 11.) enim in Euangelio scriptum est: *Et discessit ab eo diabolus*, *& venerunt Angeli & ministrabant ei*. Objicit, quod voluntatem Patris fecerit, & non suam. In hoc magis laudabilis hujus verbi dicto debet agnosci. Quia qui Patris voluntatem facit, æqualitatem ostendit, (1. Thess. 5. 18.) Apostolo confirmante: *Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu*. (Joan. 12. 50.) Nam quia addidit: *Sicut dixit mihi Pater*, *sic loquor*. Quare hominum genus, quod rectum est intelligens, audito hoc verbo turbetur? Si enim aliter Christus, quam Deus Pater loqueretur, tunc magis Patri inæqualis vel dissimilis diceretur: si vero, quæ loquitur Pater, ea loquitur Filius, nunquam inæqualis Patri aut dissimilis invenitur: *Quod dedit mihi*, inquit, *servavi*. Et, *omnia*, *quæ mihi dedit*, *nemo aufert a me*. Dona enim divina hoc modo intelligenda sunt Filio attributa. Dedit enim Filio Pater potentiam omnipotenti, majestatem majestati, virtutem dedit virtuti, prudentiam dedit prudenti, præscientiam præscienti, æternitatem æternitati, divinitatem divinitati, coæqualitatem æqualitati, immortalitatem immortalitati, visibilitatem invisibilitati, regi regnum, vitã vitæ, & non aliam ab ea, quam habet, dedit, & quantam habet, tantam dedit; vel si qua alia, quæ Pater Filio indivisibiliter & inseparabiliter contulisse monstratur. Sed hæc omnia habenti potiusquam indigenti dedisse probatur, cui a Filio dicitur: (Joan. 17. 10.) *Omnia mea tua sunt*, *& omnia tua mea sunt*.

15. Si ista omnia, quæ perhibetur Pater Filio contulisse, alia videntur esse in Filio, mendacem sine dubio faciamus Filium, qui dicit sua esse, quæ Patris sunt: Sed si in his, quæ dixit, mendax Filius invenitur, & Euangelista qui dicit, Æqualem se faciens Deo, omni veritate falletur. Ac ita erit, ut nec Pater Filio integre, aut veraciter aliquid contulisse monstretur, nec verus Deus Filius cognoscatur. Sed si vera sunt, sicuti sunt, quæ Pater Filio inseparabiliter & indiscrete contulit, conticescant dementium hominum linguæ, quæ nituntur Filium a paterna substantia separare. Rogat Filius Patrem, ut hominem verum se gestare ostendat. Nam ut divinitatis suæ intimaret potentiam, mari imperavit & ventis, & quinque millia hominum de quinque panibus saturavit. Calicem Passionis, ut homo tristis accepit; ut Deus autem fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam credentibus propinavit. Accepit nomen, ut in hoc nomine cælestia & terrestria & inferna eum adorent. Exaltatus est de imis ad superiora, id est de carne humanæ fragilitatis, ad eum conscendens, sedet ad dexteram majestatis, ut eum non dubitet humana infirmitas sequi, ubi caput suum viderit gloriari. Unctus est, ut chrismatis ipsius unctione malo prioris hominis delicto purgemur. Excitatus a mortuis est, ut nos exemplo suæ resurrectionis, a mortis aculeo liberaremur. Sed & discipulis petentibus, non se posse dare testatur, ne inter eos divortium nasceretur. Nam qui ait: Non est meum dare vobis, ipse jam dudum discipulis duodecim judicandi tradidit potestatem. Quæ sunt Patri placita, fecit, quia contraria facere nescit. Nam qui ait: *Veni*, *non ut faciam voluntatem meam*, *sed voluntatem ejus*, *qui me misit*, dixit: (Joan. 6. 38.) (Psal. 39. 9.) *Ut faciam voluntatem tuam*, *Deus meus volui*. (Psal. 53. 8.) Et, *voluntarie sacrificabo tibi*. Qui ait: (Joan. 14. 28.) *Pater major me est*, dixit: (Joan. 10. 30.) *Ego & Pater unum sumus*. Et, (Joan. 17. 21. 22.) *sint in nobis unum*, *sicut ego & tu sumus unum*. Et, (Joan. 17. 10.) *omnia mea tua sunt*, *& tua mea sunt*. Et, (Joan. 14. 11.) *creditis*, *quia ego in Patre*, *& Pater in me est*. Et, (Joan. 5. 17.) *quæ Pater meus operatur justissime*, *& ego operor*. Et, (Joan. 5. 21.) *sicut Pater suscitat mortuos & vivificat*, *sic & Filius*, *quos vult*, *vivificat*. Et, (Joan. 14. 9.) *qui me videt*, *videt Patrem*, *quia ego & Pater unum sumus*. Et, (Joan. 15. 23.) *qui me odit*, *& Patrem meum odit*. Et, (Joan. 17. 1.) *clarifica filium tuum*, *ut Filius tuus clarificet te*. Et, (Ibid. v. 4. 6.) *ego te clarificavi super terram*, *& manifestavi nomen tuum hominibus*. Et ut omnis humanæ cavillationis quiescat intentio, Joannem Euangelistam: cujus superius usus sum testimonio, proferam testem, qui ait: (Joan. 1. 1.) *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum*, *& Deus erat Verbum*. Si hæc tanta divinitati convenientia, quibus Patrem & Filium unum esse docuimus, perfidis non sufficiunt, alia si videtur, superadjiciam.

16. *Probus judex dixit*. Si huic tam validæ & tam certæ persecutioni Arrius nisus fuerit obviare, certum est, eum non rationem sequi, sed per verborum irrationalium campos effrenatius evagari, qui usque nunc trium substantiarum rationem, ut superius fassus est, (sicut Athanasius per multum unius substantiæ documentum ostendit) per, nescio quam, nebulosam caliginem circuiens assertionem suam nequiverit demonstrare. *Arrius dixit*. Numquid quia ex divinis oraculis Athanasius, nescio quibus jam articulis, Filium unius substantiæ & Patri coæqualem Desse, ausu temerario nisus est affirmare, & Spiritum sanctum, qui Patris vel Filii minister est, iisdem debet æquali confessione conferre, cum ipse Filius dicat: (Joan. 16. 14.) *Ille me clarificabit*, *quia de meo accipiet*. Et, (Joan. 15. 26.) *mittam vobis Spiritum veritatis*. Et, *Spiritus a me procedit*. Et, (Joan. 16. 15.) *quem Pater mittet in nomine meo*. Et Pater ad mortuorum ossa dicit: (Joan. 4. 26.) (Ezech. 37. 5.) *Dabo Spiritum meum in vos*, *& vivetis*. Numquid is, qui a Patre mittitur vel procedit, iisdem debet æquari, cum Propheta in Psalmo de eo testatur, dicens: (Amos. 4. 13.) *Ecce Dominus firmans tonitrum*, *& creans Spiritum*. Prorsus numquam mihi ulla ratio poterit persuadere, quod creatura poterit coæquari Creatori, aut una cum eodem possit potestate potiri. *Athanasius dixit*. Si judicis clementia permissum tribuit, & largitur, ex divinis auctoritatibus etiam Spiritum sanctum non creaturam esse, sed Deum, & creatorem, cum Patre & Filio breviter demonstrabo. *Probus judex dixit*. Ut tua professio continet, approba breviter, quod ratio exigit documentum. Non ex argumento sermonis, sed ex divinarum Scripturarum testimoniis, Spiritum sanctum Patri vel Filio coæqualem esse, aut sicut fassus es, Deum, vel creatorem communis operis esse ostende. Ut cum hæc veridicis testimoniis approbaveris, Arrius a sua intentione veræ fidei professione convictus, abscedat.

17. *Athanasius dixit*. Priusquam Spiritum sanctũ Deum esse perdoceam, eundem creatorem esse cunctorum verbis legalibus approbabo. Scriptum est enim: (Psal. 32. 6.) *Verbo Domini cæli firmati sunt*, *& Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Et in Salomone: (Eccli. 1. 9.) *Et ipse*, inquit, *creavit ea per spiritum suum*. Et in Psalmo: (Ps. 103. 30.) *Emitte spiritum tuum*, *& creabuntur*, *& innovabis faciem terræ*. Et in libro Job: (Job 33. 4.) *Spiritus divinus*, inquit, *creavit me*. Et in libro Judith: (Judith 16. 17.) *Tibi*, inquit, *serviet omnis creatura*, *quoniam dixisti*, *& facta*

sunt, misisti Spiritum tuum, & ædificavit. Tantæ A
enim potestatis, vel creationis Spiritus sanctus osten-
ditur, ut ipso cooperante corpus Domini Jesu Chri-
sti, quod nobis in Sacrameoto fidei datum est, in
Matth. 1. 20. utero Virginis formaretur, Euangelista dicente: *Ne
timeas Joseph accipere Mariam conjugem tuam. Quod
enim iu ea natum est, de Spiritu sancto est*. Et item:
Matth. 1. 18. *Priusquam*, inquit, *convenirent, inventa est in utero
habens de Spiritu sancto*: oon quod Salvatoris nostri
Pater dicendus est Spiritus sanctus, ut duo credan-
tur Patres, sed cum Patre & Filio idem Spiritus san-
cti cooperarius & unius potestatis est cum iisdem so-
Mat. 28. 19. cius invenitur, Domino affirmante: *Ite* (inquit di- B
scipulis) *baptizate omnes gentes in nomine Patris, &
Filii, & Spiritus sancti*. Ergo si minister est (ut tua
sacrilega continet professio) quomodo absque eo in
Sacramento fidei nihil confertur credentibus? Nam
sicut Dominus Apostolos ad prædicandum destina-
vit: pari etiam modo Spiritus sanctus facere decla-
ratur. Ita enim in Actibus Apostolorum reperimus
scriptum. Petro enim cogitante de visione, dixit ei
Act. 10. 19. Spiritus sanctus: *Ecce viri tres quærunt te, exur-
gens vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi eos*
Actor. 13. 2. *ad te*. Et iterum: *Segregate mihi Barnabam &* C
Actor. 20. 28. *Paulum in opus, quo assumsi eos*. Et iterum: *At-
tendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus
sanctus constituit Episcopos*. Si Apostolos mittit &
Episcopos constituit, & universa cum Patre, &
Filio, ut superius ostensum est, procreavit, io
quo minoris vel ministri personam, ut ipse fa-
teri non metuis, tanta majestas habebit?

18. Sed & Deum esse, sicut me promisisse memini,
his testimoniis approbabo, David Propheta dicen-
Psal. 84. 9. te: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*.
Nulli itaque dubium est, quod omnes Prophetæ
non nisi per Spiritum annuntient vel loquantur, D
sicut in Euangelio scriptum est: *Cum venerit*, in-
quit, *Spiritus ille sanctus, quem mittet Pater in nomi-
ne meo, ipse vos docebit, & ventura annuntiabit vo-
bis*. Et item per Prophetam, Dominus dicit: *No-
luerunt audire sermones meos, quos mandavi in Spi-
ritu meo per os Prophetarum priorum, dicit Dominus*.
Sed ne per pastifera prata divinæ legis testimonia
percurreotes, longius a nostra propositione evage-
mur, ad id, quod promisimus, revertamur. Ad He-
bræos quoque Paulus gentium prædicator scribens
Hebr. 10. 15. ait: *Testificatur autem nobis Spiritus sanctus, & hoc
est testamentum, quod dispono ad eos post dies illos*, E
dicit Dominus. In Actibus Apostolorum, ad Ananiã
dixisse Petrum meminimus: *Ut quid Satanas imple-
vit cor tuum, mentiri te Spiritui sancto*, & ostendens
Actor. 5. 3. eumdem Deum esse in subsequentibus dicit: *Non
es mentitus hominibus, sed Deo*. Et Paulus ad Corin-
thios: *Divisiones autem donationum sunt, idem vero
Spiritus: Et divisiones ministeriorum sunt, idem ipse*
1. Cor. 12. 4. 5. *Dominus: Et divisiones operationum sunt, idem ve-
ro Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Ecce Spi-
ritus sanctus, prædicante Apostolo, idem Deus, idẽ
Dominus declaratur. In Euangelio, sicut jam dictum F
Joan. 4. 24. est, ipse Dominus dicit: *Spiritus est Deus*. Item ad
2. Cor. 3. 17. Corinthios Paulus scribens, ait: *Dominus autem*
Ephes. 4. 5. *Spiritus est*. Et ad Ephesios: *Nolite*, inquit, *contri-
stare spiritum Dei*. Item ad Corinthios: *Nescitis*,
inquit, *quia corpora vestra templum in vobis est Spi-*

ritus sancti, quem habetis a Deo. Et ostendens eum
in humanis corporibus habitantem, adjungit & di-
cit: *Glorificate ergo, & portate Deum in corpore ve-* 1. Cor. 6. 19. 20.
stro, nam ut Deus & Dominus esse manifestissime
Spiritus sanctus demonstretur, ad Mariam Ange-
lus dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, &* Luc. 1. 35.
*virtus Altissimi obumbrabit tibi, propterea & quod
nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*.

19. Ecce quantis divinorum testimoniorum docu-
mentis Spiritum Sanctum Deum, & unius potestatis
vel societatis cum Patre & Filio esse docuimus: quid
adhuc perfidis remaneat responsionis, ignoro. Pau-
lus itaque Apostolus, Spiritum sanctum cum Patre
& Filio unam societatem habere apertissime demon-
stravit, dicens: *Gratia Domini nostri Jesu Christi,
& charitas Dei & societas Spiritus sancti cum omni-
bus vobis*. *Probus judex dixit*. Si post innumerabilia
testimonia remansisse aliquid Arrio videtur, propo-
nere noo gravetur. Quamquam, ut reor, oihil illi
responsionis remanserit, qua videlicet possit Athana-
sium de unius substantiæ, id est, homousii ratione
depellere. Sed ne postmodum de aliqua oppressione
causetur, a nobis nullus ei ad respondendum adimi-
tur locus. *Arrius dixit*. Nulli dubium est, quin ma-
gicis artibus Athanasius non desinat judicum perver-
tere sensus, ut rectæ fidei tramitem erga eos, qui
eam religiose sectaotur & colunt, tenere non possit.
Et idcirco quod io examine tui culminis explicare
non valeo, Principis judicio reservabo, ubi verita-
tis indago præpollet, & magicas artes ob veræ fidei
observantiam prævalere non posse credendum est.
Athanasius dixit. Qui suis assertionibus adesse non
possunt, quibuslibet fallacibus argumentis vel ca-
villationibus excusationem sibi inveoire non desi-
ount, sicut nunc facere Arrium plenius vestra
perspicit magnitudo. Mihi vero ad omnia, quæ
ab eo in culminis vestri præsentia posita sunt,
veram fidem vendicanti respondisse sufficiat.

20. *Probus judex dixit*. Imperitioris & minus de
scientia præsumentis est, pravitati potius studium da-
re, quam veritati patientiam commodare, cum id
assertoribus fidei conveniat, veritatem potius sequi,
quam erroris vel falsitatis compede præpediri. Ho-
rum igitur mos est, qui cum suæ perfidiæ causam
ad finem usque venire conspexerint, metuentes ne
cunctis hominibus eorum perfidia innotescat, ad po-
tioris se conferre præsentiam, ignorantes, quoniam
& illic veritati victoria tribuitur, ubi potentiæ li-
beralis sententia promulgatur. Frustra igitur Arrius
videtur de nostro judicio ad Principis appellare præ-
sentiam, cum in conflictu certaminis, nihil adversus
se senserit pravitatis, qui suam ignaviam, quibuslibet
modis obtegere cupiens, nisus est ad Principis con-
ferre præsentiam, quem constitit Athanasium, ab
homousii defensione, quod est unius substantiæ, di-
vellere penitus non potuisse. Sed, ut ejus super-
flua decrevit intentio, eum ne faciat, nullo mo-
do refrænabo, ne victi personam non sustinens,
de ademto sibi temporis spatio glorietur. Meæ
vero solertiæ erit universa, quæ ab utrisque in
oostra cognitione prolata sunt, gloriosi sensibus
Principis intimare, ut falsidicis ambagibus pro-
cul amotis, ad victoriæ palmam Athanasius, pu-
ræ fidei assertor, valeat pervenire.

ALTERCATIO SANCTI ATHANASII EPISCOPI,

contra Arrium, Sabellium, vel Photinum hæreticos.

Cum in manus ſtrenui lectoris, beatiſſime Papa Materne, liber iſte a Catholico Sacerdote, & probatiſſimæ vitæ beato Athanaſio contra hæreticos, id eſt, Sabellium, Photinuin & Arrium diſputatus pervenerit, illico reſpondebit: Et quomodo fieri poteſt, ut cum ſancto Athanaſio ſucceſſore beati Alexandri Epiſcopi habuerit Arrius conflictum, cum conſtet eum, ſicut in Eccleſiaſtica hiſtoria legitur, turpiſſima morte, id eſt exemplo Judæ traditoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, fuiſſe fuſum, ut quod fœtida mente conceperat, fœtido terminaret fine. Sed ſi illud recolat, quod in Chronica ſua beatæ memoriæ Sulpitius Severus poſuit, dicens: Duo Arrii tamquam duo ſerpentes ex uno ore ſibilabant: duos Arrios fuiſſe evidenter reperiet. Unde intelligitur, aut cum Arrio ſuperſtite, non cum illo, qui fuſus eſt, aut cum aliquo (1) Arriomanita, ſanctum Athanaſium habuiſſe conflictum. Quapropter oportet, opus, ut credimus, a Domino impletum, a Catholicis ſæpe relegatur, ut cognoſcant, qualiter hæreticorum poſſint vitare venena, & fidem ſuam abſque ulla hæſitatione, Domino auxiliante, valeant cuſtodire.

PRÆFATIO VIGILII.

Dum mecum de fidei veritate diu multumque tractarem, atque Scripturæ conſideratione requirerem, quonam modo multiplices & numeroſas hæreticorum quæſtiones, reſponſionis brevitate refellerem; & eorum ſacrilega dicta variis & longis diffuſa tractatibus, compendioſo diſputationis luctamine ſuperarem; ne prolixioribus prolixiora referens, interminabilem & nimis laborioſam legentibus materiam reliquiſſem, utile hoc & valde commodum apparuit, ut uniuſcujuſque hæretici perſonam cum ſui dogmatis profeſſionibus, quaſi præſentes cum præſentibus agerent, introducerem. Et ne ſingulorum proſequutiones in dubium nullo examinante venirent, arbitrum quemdam nomine Probum, anctoritate judiciaria functum, intereſſe feci, quo de ſingulis quibuſque probabiliter diſcernente, impiæ pravitatis caſſaretur intentio. Sabellium ergo, Photinum, Arrium, atque ad noſtras partes Athanaſium introduxi: ut veritas ſummo confligentium certamine eliquata, ad omnium notitiam perveniret: & diverſitate perſonarum vel reſponſionum, ac interloquutionum hujus operis variata digeſtio, faſtidium legentibus amputaret.

DIALOGI LIBER PRIMUS.

1. Probus Judex dixit. Perſpiciens in idolorum cultura nullam veri numinia conſiſtere majeſtatem, Chriſtianis memetipſum dogmatibus ſubjicere volo, qnibus adſtruitur unus & verus eſſe Deus, qui univerſa quæ videntur & quæ non videntur, virtute Verbi ſui creavit. Et quoniam cum plures Chriſtiani nominis titulo cenſeantur, a veritate ejus fidei procul aberrare dicuntur, diverſa ſcilicet ſentiendo & varia dogmatum inſtituta ſectando; ſcire nunc magnopere deſidero, quæ ſit recti dogmatis fides, cui remotis omnibus dubietatis ambagibus tenacius inhærere queam; ne erroris cæcitate exui cupiens, majoribus tenebrarum erroribus implicer, ſi paſſim, & ſine ullo examinis diſcrimine, alicujus ſectæ quæ prima occurrerit, imitator exiſtam, quæ utrum prava ſit necne, vel veritate ſuffulta ignoro. Et ideo ſi placet, imo quia placere debet, unuſquiſque veſtrum in conſpectu noſtro fidei ſuæ ſententiam pandat; ut examinatione habita, quæ firmior cunctis & verior reperta fuerit, huic omnes jure credamus, & hanc indubitanter, ſpreto falſitatis errore, ſequamur. *Omnes dixerunt*. Quomodo tibi tanti myſterii ſecreta committere poſſumus, & rei inexpertæ arbitrium collocare; cum necdum gentilitatis maculas veri dogmatis perceptiones ablueris? *Probus judex dixit*. Hoc eſt utique quod totis viribus cognoſcere cupio, quod ſit rectum & veridicum dogma, in quo me oporteat occulti myſterii ſacramenta percipere. Neque enim modo profunda myſteriorum arcana mihi pateſieri deſidero; ſed illa nunc mihi flagito demonſtrari, quæ in veſtra fide extrinſecus habentur, & publice prædicantur; id eſt, quod unus idemque verus ſit Deus viſibilium & inviſibilium conditor rerum. Et quia hoc vos uno ore profiteri non neſcio, quid cauſæ exſtiterit ut in tam varias dividamini ſectas, ut quæ ſit vera, quæve falſa, intelligi omnino a nobis non poſſit; priuſquam veſtro certamine digno patientiæ moderamine habito, quid ſit congruum diligentius cognoſcamus.

2. *Athanaſius dixit*. Cum ſis omni litterarum genere imbutus, & philoſophicis diſciplinis admodum eruditus, mirari uſquequaque non debes, plurima penes nos & varia novitatum dogmata exſtitiſſe, cum & apud vos tot ſententiarum novitates emerſerint, quot pæne nomina ipſorum continentur anctorum. Nam cum tres ſint in mundo, Judæorum, Paganorum, & Chriſtianorum religiones, multis & longe diſcretis ſententiarum diverſitatibus unaquæque religio a ſeipſa deſciſcens, in varias propriæ inſtitutionis ſectas diviſa eſt: dum unuſquiſque ſuavitate recentioris ſententiæ, non veritatem ſed veritatis ſimilitudinem præſerentis illectus, antiquitus a patribus traditam lineam derelinqnit; eo irremeabiliter per avia oberrans, quo novitate pro vetuſtate utitur, tamquam antiqui limitis & a Patribus traditi viam incedens. Aut enim multum ſentit, aut minus credit, & ideo medium & regium iter incedere neſcit. Hæc idcirco præfatus ſum, ut tibi clariſſima explorandæ veritatis indicia demonſtrarem; nt agnoſcere facillime queas, illum pravitatis errore involvi, qui priſca apoſtolicæ fidei inſtituta derelinquens, ipſe ſibi pro ſuæ voluntatis arbitrio, fidem quam ſequi debeat, ſomniat. *Arrius dixit*. Optime Athanaſius errorem perfidiæ in adjectis & nuper inventis rerum novitatibus conſiſtere profitetur; apoſtolico in hoc ipſum congruente teſtimonio, quo ait: *Propbanas autem vocum novitates devita*. Unde obſecro, ut ab hoc inquiſitionis tramite non recedas, diligentius atque attentius inveſtigando, quis novo, quiſve antiquo utitur fidei teſtimonio. *Probus judex dixit*. Ut hæc quæ aſſeris facillime innoteſcant, & ad lucem veritatis remota omni ambiguitatis caligine veniant, antiquæ fidei regulam pandite, & ita ut eſt ab Apoſtolis tradita, noſtris auribus intimate.

3. *Omnes dixerunt*. Credimus in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus Dominum noſtrum, & in Spiritum ſanctum. Hæc eſt fidei noſtræ regula, quam cæleſti magiſterio Dominus

(1) Sic mſſ. pene omnes. Editi vero, *Arrianita*. Mox, duo mſſ. *habuiſſe conflictum*. Editi, *iniſſe*.

Mat. 28. 19. minus tradidit Apostolis, dicens: *Ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. *Probus judex dixit*. Magno miraculi stupore attonitus hæreo, tres a vobis deos prædicari conspiciens, a quibus ad unius Dei singularis potentiæ majestatem confugiendum esse credideram. Unde quæ sit hujus rationis fides, vel quid ista trium rerum, triumque vocabulorum nomina indicent, quæso nos breviter informare dignemini. *Sabellius dixit*. Plane a nobis tres prædicari deos non audisti, sed credere nos in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sicut nobis est ab Apostolis traditum, simpliciter professi sumus. Cum enim Patrem nominamus, non alium Patrem, alium volumus intelligi Filium, sed hunc eumdem & Patrem, & Filium prædicamus. Deus enim ineffabili virtutis potentia, qua omnia implet, Mariæ Virginis uterum implens, atque ex se ob humana piacula expianda, carnalis materiæ substantiam sine sui immutatione suscipiens, visibiliter sese humanis obtutibus demonstravit: & in eo ipso homine quem assumsit, Filius nuncupatur; cum non alius atque alius, sed idem Pater intelligatur. Et hac ratione unum Deum colimus, non alium, ut dixi, atque alium intelligentes, sed hunc eumdemque unum & verum profitentes.

4. *Photinus dixit*. Impie Sabellius professus est, Deum Patrem per Virginem natum, nescio quod protensionis vitium tantæ ingerens majestati; ut per id quod extensus est in Virgine, ipse sibi Pater, ipseque sit Filius, quod nullus Christianorum ei concesserit. Unde magis ego dico, Deum Patrem Filium habere Dominum Jesum Christum, ex Maria Virgine initium sumentem; qui per sanctæ conversationis excellentissimum atque inimitabile beatitudinis meritum, a Deo Patre in Filium est adoptatus, & eximio divinitatis honore donatus. Ceterum Deus inviolabilis & immensus, nec ex se alium genuit, nec ipse umquam genitus fuit, ut merito aut de se Filium habere, aut ipse sibi Filius esse credatur. Sed est unicus & singularis, nec generando passioni obnoxius, nec seipsum protendendo cumulatus, nec suam in Virgine portionem derivando divisioni subjectus. *Arrius dixit*. Ego enim confiteor ingenitum Patrem ante omnia tempora ineffabiliter Filium genuisse, per quem & in quo visibiles creaturas atque invisibiles fecit: qui novissimis temporibus propter humani generis salutem a Patre missus, verum hominem gestavit in mundo, quem inviolabiliter de Virgine Maria sine humani pudoris permixtione suscepit. Qui cum sit creaturæ suæ Deus & Dominus, non tamen potest genitori suo aut in omnibus conferri, aut in aliquo coæquari, quem & Deum suum & suæ originis profitetur auctorem. Nec tamen ideo duo dii, quia & hic Deus; nec ideo non Deus, quia solus Pater Deus. Sicut non ideo non bonus, quia solus Pater bonus, cum sit & Filius non solum bonus, sed & bonorum creator. Et sicut ei non adimitur ut bonus sit, cum solus Pater ipsius Filii professione sit bonus; sic ei non aufertur ne Deus sit, cum solus Pater sit Deus. Et sicut bonitas Filii non præjudicat singularitati paternæ bonitatis; sic deitas ejus non officit Patri, ne unicus ac singularis sit Deus. Et hoc modo unum profitemur Deum, non negando, ut dixi, Filium Deum; sed penes solum Patrem unius divinitatis auctoritatem constituentes.

5. *Athanasius dixit*. Bene Patrem ex se Filium ineffabiliter ante omnia tempora genuisse, Arrius sua professione definivit; sed utrum Filium ex ipsa Patris essentia vel natura, an aliunde genitum velit adserere, hac interim sua prosequutione reticuit. Ego enim Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unius A substantiæ, uniusque naturæ esse confiteor: ita ut non ex nihilo, neque ex aliquo, sed de Patre Filium genitum, & de Patre Spiritum credam procedere sanctum. Et licet tres in sua proprietate subsistentes profitear esse personas, harum tamen una natura, unaque divinitas comprobatur. *Probus judex dixit*. Quamquam hæc varia & longe dissimilis sententiarum vestrarum diversitas, magnam confusionis caliginem nostris mentibus incutiat; tamen ut cito his ambagibus exuamur, & ut quæ sit veræ fidei professio, cognoscamus, dignamini evidentioribus divinæ Scripturæ testimoniis adsertionum vestrarum sententias B communire. Et ne longo orationis ambitu ipsius permixtæ disputationis diffusione procul evagemini, singillatim unusquisque vestrum adversus ceteros dimicet: ita ut omnes contra unum, quæstionum arma sumentes, in his quæ vobis esse communia nostis, contra dissentientem vobis invicem suffragemini. Porro si fidei nihil commune habetis, suis unusquisque nitatur professionibus: ut facile clarescat utrum in his quæ in alio damnat, ipse penitus non impingat. Si placet igitur, cum Sabellio inite conflictum, & ille contra vos suas vindicet partes: ita ut si eum C superare quiveritis, victus abscedat. Post quem Photinus sese certamini dare debebit, & suam veridicis tueri testimoniis fidem. Contra quem, omnes conflictionis aciem obfirmare debetis; ut si & hic cesserit superatus, disputationis locum ceteris sequentibus derelinquat. Et hoc modo arbitror nos ad indaginem veritatis posse quantocius pervenire. Permittatur itaque, ut dixi, Sabellius suam fidem documentis cælestibus approbare.

6. *Sabellius dixit*. Quoniam me cum omnibus congredi præcepisti, respondeant, utrum simplicis naturæ Deum esse fateantur. *Arrius dixit*. Quis hoc D impius negaverit? *Sabellius dixit*. Respondeant etiam utrum omnia quæ de Deo dicuntur, secundum substantiam accipienda sint. *Arrius dixit*. Ista nostræ fidei propria esse noscuntur. *Photinus dixit*. Assentior cuncta de Deo secundum substantiam dici. *Athanasius dixit*. Non temere pronuntiaverim, universa quæ de Deo dicuntur secundum substantiam debere accipi; propter nonnullos relativos nominum casus, secundum usitatum humani sermonis eloquium prolatos; qui non proprie Deo, sed personis & temporibus vel quibuscumque rerum generibus coaptantur. Id est, cum se nescire dicit, vel cum se iterum E cognovisse fatetur, aut cum rerum a se factarum pœnitudinem gerit, & nunc se iratum, nunc placatum ostendit. Quæ omnia si secundum essentiam velimus accipere, passibilem sine dubio & improvidam divinam profitebimur esse naturam, in qua aut ignoratio, aut ex tempore orta cognitio cadat; quam & tristia pœnitendo conficiant, & læta sublevent vegetando. Quod quid aliud erit, nisi mutabilia perpeti, & instabili mobilitate huc illucque diffluere? Unde manifestissime comprobatur, non omnia de Deo secundum substantiam dici debere; sed aliquanta dispensationi respondentia, non naturæ e F jus convenientia certo certius profiteri. *Probus judex dixit*. Licet sufficienter & doctius laudabili brevitate responderis, non omnia de Deo secundum substantiam dici, latius tamen hæc audire abs te desidero, cum tui loci disputationis tempus adfuerit. Nunc interim (ut ante fatus sum) Sabellius ut cœperat prosequatur.

7. *Sabellius dixit*. Fidei nostræ professio, ut superius dixi, hunc eumdemque & Patrem, & Filium prædicat Deum; ne gentili errore duos deos adserere convincamur, si alius Pater alius a nobis Filius prædicetur. Unde ex iis ipsis, quæ non intelligentibus,

vel

vel minus sentientibus, adversa nobis esse putantur, apertissime demonstrabo summi atque omoipotentis Dei unam esse personam. Nam quid aliud est: (Joan. 14. 10.) *Pater in me manens facit opera*, nisi, ego in me manens facio opera: &, (Joan. 14. 9.) *qui me videt, videt & Patrem*, id est, ego sum ipse Pater qui Filius; ut per unam divinitatis contemplationem, unam intelligas esse personam; sed & quod ait: *Ego in Patre, & Pater in me:* vel quod Esaias ad eumdem loquitur, dicens: (Esaiæ 45. 14.) *In te est Deus, & non est Deus præter te;* id procul dubio manifestius voluit indicare, sine alterius permixtione personæ, in seipso ineffabiliter permanere. Si enim, ut ipsi quoque concedunt, & ut superius fassi sunt, simplex est divina natura; non fieri potest ut velut ipsa intrinsecus vacua, alterius in se naturæ personam contineat, & ipsa vicissim contineatur ab altera. Necesse est enim ut seipsa aut minuendo contrahat, aut evacuando exinaniat, aut dilatando diffundat: quoniam receptorum, vel recipientium conditio ista est, ut aut recepturus spatio dilatetur ad alterum recipiendum, aut recipiendus, contractione aliqua minuatur, ut intra evacuatam ad suscipiendum se naturam valeat contineri. Quæ quoniam tam impia, tamque absurda, simplici illi & ineffabili naturæ congruere minime possunt; id sine dubio restat intelligi, ut unus idemque in seipso manens de seipso singulariter dicere videatur: (Joan. 10. 38.) *Ego in Patre, & Pater in me*. Et, (Joan. 14. 9.) *Qui me videt, videt & Patrem*. Ne si de duobus dictum accipere volueris, duos nihilominus deos separatim distinctos adserere convincaris, aut si ita eos in se invicem permanere defendis, ut horum unam dicas esse naturam, nescio quam personarum biformitatem, portento alicui similem, ex unius rei initio prominentem; aut in unius naturæ substantia confusius & permixtius habitantem videberis profiteri; & hac ratione simplicem & intemeratam divinæ virtutis naturam indignis compositam qualitatibus desensare. Recurre magis ad illa singularia cælestium præconia Sanctorum, quibus unius in una persona manentis divinitas prædicatur: ut Moyses admonet, dicens: (Deut. 6. 4.) *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est*. Et ut ipse quoque Deus sæpenumero contestatur: (Deut. 32. 39.) *Videte, videte quoniam ego sum Deus, & non est alius absque me*. Et iterum: (Esaiæ 43. 10.) *Testes vos estis, si est alius Deus præter me*. Non debemus tantæ auctoritatis cælitus nobis sententiam depromptam, alterius Dei confessione frustrare, ne in nostri perniciem tanti præconii cassantes imperium, debita deorum cultoribus tormenta subeamus.

8. *Probus judex dixit*. Si huic tam validæ prosecutioni, posse aliquid referri putatis, perorare dignemini. *Arrius dixit*. Dum unius Dei probabili quidem & admodum utili confessione, bifariæ deitatis errore Sabellius semetipsum conatur exuere, nefandam Judaici sensus impietatem incurrit, Filium Dei, Deum in sua manere substantia, & propriam habere personam, mente sacrilega denegando. Cujus insanissimi furoris audaciam, quantocumque brevitatis compendio uti potuero, cælestium testimoniorum auctoritate frænabo, ad demonstrandam proprie subsistentem Filii personam: non illa quæ quidem homini suscepto congruere cavillantur assumens, sed illa in medium proferens testimonia, quæ sine ullo ancipitis intelligentiæ scrupulo, divinitati ejus competere omnes pariter confitentur. In Genesi Dominum dixisse legimus: (Genes. 1. 26.) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Ecce, pluraliter dixit, *faciamus*, alium videlicet indicans, ad quem loquentis Dei factus est sermo. Non enim tam absurde intelligendum est fuisse locutum, ut sibi ipse diceret, *faciamus*, quod proprie illorum est, qui amentiæ

A passionem incurrunt. Namque ut alterum ad alterum locutum fuisse Scriptura monstraret, continuo subjecit, dicens: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illam*. (Genes. 1. 27.) Si unus esset, ad imaginem suam fecisse diceretur; nunc autem alius ad alterius imaginem apertius fecisse describitur. Item cum ob multa nefandi sceleris facinora, Sodomitis cum suis incolis terras igneis divinitas imbribus sanxisset urendas, ita refertur: *Pluit*, inquit, *Dominus a Domino ignem & sulphur*. (Genes. 19. 24.) Nihil tam evidentius ad ostendendum Patrem, & demonstrandum Filium legaliter potuit intimari, ubi alius ab altero, non unus a seipso sul-B phureas cælitus jaculatus est flammas.

9. Item ipse Filius ad Jacob loquitur, dicens: *Ego sum Deus, qui visus sum tibi in loco Dei*. (Genes. 31. 13.) Posset dicere, qui visus sum tibi in loco meo, si una loquentis intelligeretur esse persona. Item, *Ascende*, (Genes. 35. 1.) inquit, *in Bethel, & fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi*. Nec istud singulari umquam personæ congruere potest, ubi tam distinctus alius alteri sacrarium imperat constituendum; id enim solitarium dicere conveniens erat: *Fac altare mihi Deo, qui apparui tibi*. Item Deus Pater de salvandis in Deo Filio po-C pulis, per Osee Prophetam loquitur, dicens: *Et salvabo eos in Domino Deo ipsorum*. (Osee 1. 7.) Item David ad Filium Dei loquens: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis virga regni tui: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. (Psalm. 44. 7.) Quid hoc ad confessionis errorem submovendum, manifestius potuit dici, ubi Deus Deum unxisse perscribitur. Hæc interim pauca de veteri Testamento decerpsi: nam plura & manifestiora studio brevitatis omisi, quibus luce clarius comprobatur, & Patrem, & Filium distinctis & separatis substantiarum proprietatibus existere. Quod autem D Sabellius ex hoc quod ait: *Ego in Patre, & Pater in me*, (Joan. 10. 38.) unam nisus est demonstrare naturam, sive personam; quod videlicet alia intra aliam sine confusionis permixtione, vel præter cetera vitiorum genera, quæ more sophismatum quæstionum voluit intentare inesse non possit, ita non unam indicant esse substantiam vel personam, sicut non una Dei & hominum potest esse natura; de quibus dicitur, quod ipsi in Deo & Deus in eis est. Denique idem ad Patrem de credentibus loquens Filius ait: *Ut sicut tu Pater in me & ego in te, ita & ipsi in nobis sint*. (Joan. 17. 21.) Et iterum: *Qui edit carnem meam, & bibit meum* (Joan. 6. 56.) E *sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Apostolus quoque de idiota; *Et prostratus*, inquit, *confitebitur quia vere Deus in vobis est*. Sicut ergo cum Deus in nobis, & nos in Deo sumus, non confusione personæ, non unitate naturæ, non augmenti accessione, non detrimenti subtractione, non qualibet composita vel ordinata mutabilis substantiæ qualitate, sed puræ & simplicis fidei sanctitate, Domino in nobis habitaculum præparamus, & ille nos in suam recipit mansionem, dum ejus voluntatem faciendo, in ipso manemus; ita Pater & Filius pro indissolubili fœdere voluntatis, in se invicem F manere noscuntur.

10. *Probus judex dixit*. Quoniam tam clarissimis testimoniorum documentis, Patrem, & Filium proprie subsistere demonstrasti, quod Sabellius humanis mentibus quæstionum nebulas offundendo negabat; id nunc a tuis quæritur partibus, quomodo & Deum Patrem, & Deum Filium separatim & distinctius profitendo, non pluralem divinitatis numerum introducere videaris, & quanquam de hoc superiore prosecutione breviter pauca perstrinxeris; lata tamen & propria quæstionis hujuscemodi debet esse probatio: quam tunc copiosius expedire debebis, dum inter

te atque Athanasium disputationis examen cœperit A agitari. Et quoniam nunc, ut dixi, adsertione veridica, Sabellii est perfidia refutata, fidei suæ Photinus certis, si valet, testimoniis adsit. *Photinus dixit*. Ego Domino nostro Jesu Christo initium tribuo, purumque hominem fuisse affirmo, & per beatæ vitæ excellentissimum meritum, divinitatis honorem fuisse adeptum. Quis enim fœmineo portatus utero per partum egeritur? Quis puerperiæ cunas expertus, & lactei poculi alimento nutritus, maternis gestatus est ulnis? quis profectum accepit ætatis? quis universas corporeæ fragilitatis conditiones implevit, dum esuriem patitur, dum nequissimi spiritus tentatione per- B cellitur, dum lassitudine fatigatur, dum in somnos resolvitur, dum comprehensus nexibus alligatur, dum flagellis verberatur & palmis, dum ludibriis insultantium agitatur, dum crucis patibulo suspenditur, & mortis dispendia perpetitur, quem humana conditio parentibus subdidit, eujus fraterna utriusque sexus sunt nomina designata, qui de locorum cognitione fallitur, qui de mali spiritus nomine sciscitatur, qui judicii diem se ignorare fatetur, qui tribuendarum sedium potestatem non se habere testatur, qui se in cruce derelictum conqueritur, qui C passionis formidine, & mortis terrore concutitur, propter quod & calicem a se transferri precatur, & quam multa (quæ commemorare longum est) humanitati convenientia patitur; quis tam insipiens est, ut hæc Deo congruere arbitretur?

11. Nam illa virtutum miracula, non propria perpetrasse virtute, sed Deum per eum fecisse credendum, sicut ipse ait: *Pater in me manens facit opera*. (Joan. 14. 10.) Et iterum: *Non potest a se Filius facere quicquam*. (Joan. 5. 19.) Quia enim multum Deo acceptus fuit, quicquid voluit, orationibus impetravit. Nam si mortuis reddita est vita, si cæcis lumen, si debilibus virtus, si D leprosis munditia, si mare, ventique cesserunt, si alimentorum creatura multiplicati fœnoris sensit augmentum; non nisi hæc omnia orationis munere elicita esse noscuntur. Similique modo perfecta quædam Prophetæ in Dei nomine perfecerunt. Verum quia hic in tantum se Deo dignum, carioremque perseverando in mandatis ejus exhibuit, ut ipse ait: *Ego quæ placita sunt ei facio semper*. (Joan. 8. 29.) Et ut Pater quoque ad eum per Angelum loquitur, dicens, sicut in Zacharia scriptum est: (Zachar. 3. 5.) *Angelus*, inquit, *Domini stabat, & contestabatur Jesum, hæc dicit Dominus Deus exercituum, si in viis meis ambulaveris, & custodiam meam* E *custodieris, tu quoque judicabis domum meam*. Et ut mortem pro mundi salute æquanimiter tulit; ob hoc, inquam, quod se tantum ac talem exhibuit, dedit illi Deus universorum potestatem ac Deum illum totius creaturæ constituit, sicut Apostolus docet, dicens: (Philip. 2. 8.) *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus illum exaltavit, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*. Unde & ipse post passionem, quæ ei tale contulit meritum, ajebat: (Matth. 28. 18.) *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Quod utique, si ante tem- F pora Deus esset, potestatem ex tempore non accepisset, quam semper habuisse constabat: sed, ut dixi, ob præclarum obedientiæ ac passionis meritum, divino est honore donatus, & super omnia exaltatus, sicut & Petrus loquitur, dicens: (Actor. 3. 13.) *Deus patrum nostrorum exaltavit puerum suum Jesum*. Et iterum: (Actor. 2. 33.) *Dextera igitur Dei exaltatus*. Ac rursus: *Certissime*, inquit, *sciat omnis domus Israel, quia & Dominus illum & Christum Deus fecit, hunc Jesum quem vos crucifixistis*. Ostendens evidentius propter passionem crucis, ex tempore Deum fuisse factum, non Deum ante tempora natum: unde & Paulus: *Tanto*, inquit, *Angelis melior factus, quanto excellentius præ illis nomen accepit*. (Hebr. 1. 4.) Quod enim fit vel accipitur, ex tempore sumit initium: nam ex semine David originis sumsisse principium divina ubique testantur eloquia, sicut Deus ad David loquitur, dicens: *Filius qui egredietur de renibus tuis ipse ædificabit mihi domum*. (3. Reg. 8. 19.) Et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem meam*. (Psal. 131. 11.) Et Esaias: *Ecce radix Jesse exurget regere Gentes*. (Esai. 11. 10.) Et Apostolus: *De Filio*, inquit, *suo, qui factus est ei ex semine David*. (Rom. 1. 3.) Et iterum: *Memor esto Christum Jesum exsurrexisse a mortuis, ex semine David*. (2. Tim. 2. 8.) Et Angelus ad Mariam: *Dabit illi*, inquit, *Deus sedem David Patris sui*. (Luc. 1. 32.) Ex his igitur atque aliis quam pluribus demonstratur evidentius, non Deum ante sæcula fuisse, sed in Deum bonæ actionis merito profecisse.

12. *Probus judex dixit*. Intentatis a Photino quæstionibus e diverso venientium responsionibus occurratur. *Athanasius dixit*. Si ea quæ Arrius contra Sabellium prosecutus est, diligenter advertas, ibi etiam Photini perfidiam pariter cognoscis exclusam. *Probus judex dixit*. Ut puta? *Athanasius dixit*. Sabellius unam confitendo personam, Filium ante cunctorum originem sæculorum subsistere denegavit, quod ipsum quoque Photinus impiis asseverare commentis aggreditur, dum Filio ex humani ortus nativitate initium tribuens, omnino eum non fuisse testatur, quæ sacrilega opinionis sententia, Arrio copiosius prosequente cassata est. Aperte enim & lucidius demonstravit, Filium Dei Deum ante tempora substitisse. *Probus judex dixit*. Memini equidem Arrium de proprietate personæ Filii subsistentis contra Sabellium satis egisse; sed disputationis ordo vel ratio poscit ut Photini quoque adsertio proprio debeat contra nitentium refutationis obice submoveri; ne dum nimis brevitati studetis, res necessarias omittere videamini. Non enim parvam intulit suæ fidei quæstionem, multis adseverando documentis, Filium Dei ex Maria initium accepisse, & in Deum clarissimæ actionis merito profecisse. *Athanasius dixit*. Non pigebit aut me, aut Arrium, Photini dementiam divinæ Scripturæ auctoritatibus arguere, qui in tantum prorupit insaniæ, ut Propheticis atque Apostolicis dictis, vesano furoris sui animo repugnans, nescio quæ vilissima derogationis exempla, quæ Deus pro nostræ redemptionis salute voluntario subiit affectu, in injuriam tantæ protulerit Majestatis.

13. *Arrius dixit*. Tolerabilius Judæorum Christo insultantium voces, aut crucifixi latronis blasphemiæ audiuntur, quam nefanda hujus Photini perfidia sustinetur. Quis enim ferat purum hominem prædicari, aut ex Maria sumsisse initium eum, qui se de cælo venisse & ante sæcula genitum protestatur; sicut idem de Patre loquens, & æternæ nativitatis mysterium pandens ait: *Ante sæcula fundavit me, & ante omnes colles genuit me, cum pararet cælos, aderam illi*. (Prov. 8. 23.) Sed & Pater ad eumdem loquitur, dicens: *Ex utero ante luciferum genui te*. (Psal. 109. 3.) Quia enim stellæ in signis temporum positæ sunt, nativitatem Filii sui Deus Pater ante astrorum originem, id est, ante omnium temporum seriem exstitisse testatur, sive spiritaliter dictum intelligamus: *Ante Luciferum*, id est, ante Angelorum creaturam; (Psal. 109. 3.) quoniam de Angelo dictum est: *Lucifer qui mane oriebatur*. (Esai. 14. 12.) *Photinus dixit*. Hoc secundum prædestinationis veritatem dictum accipitur, Apostolo contestante atque dicente: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*. (Rom. 1. 4.) Nam sic dictum est: *Ante colles genuit me*, vel, *Ante Luciferum genui te*. (Prov. 8. 25. Psal. 109. 3.) Cum tamen novissimis temporibus fuerit natus; quomodo & Apostolus electionem Sancto-

ctorum ante exordium factam adserit sæculorum: Ephes. 1. 4. *Qui nos*, inquit, *elegit ante constitutionem mundi*. Et utique non sunt nisi in fine mundi electi. Sicut ergo Apostoli qui ante sæcula non subsistebant, tamen in prædestinatione electi esse dicuntur: eodem intelligentiæ genere & de Christo quod ante sæcula dictus est natus, in prædestinatione dictum accipitur. Moris est enim divinæ Scripturæ, id quod pro certo futurum est, ac si jam factum sit enarrare, unde & Esai. 45. 11. Propheta ait: *Qui fecit quæ futura sunt*. Id est, in prædestinatione facta, in re autem necdum exsistentia. Ita & Filii nativitas ante sæcula prædestinata, in fine vero est temporum veraciter orta. *Probus judex dixit*. Illa quæ ante mundum prædestinatur Filii nativitas, ex Dei Patris utero processisse describitur, tu vero Filium ex Maria initium accepisse testaris.

14. *Photinus dixit*. Sed non ideo intelligendum est Christum de Deo Patre esse natum, quia aut ipse se de Patre genitum, aut Pater genuisse fatetur. Hoc enim Deus Pater de adoptatis vel adoptandis filiis Esai. 1. 2. dicere consuevit, sicut per Esaiam dicitur: *Filios ge-* Exod. 4. 22. *nui, & exaltavi*. Et iterum: *Primogenitus Filius* 1. Joan. 5. 18. *meus Israel*. Et Joannes: *Omnis qui natus est*, inquit, *ex Deo non peccat: & non potest*, inquit, *peccare, quoniam nativitas Dei servat illum*. Num igitur quia homines fideles de Deo nati esse dicuntur, idcirco eis humanæ nativitatis aufertur origo? aut priusquam de hominibus nascerentur ante mundi principium, per divinæ nativitatis commemorationem exstitisse credendi sunt? *Arrius dixit*. Quoniam manifestissimæ veritati callida disputationis arte Photinus obnititur, evidentissima est Scripturæ auctoritate frangendus. Joannes enim Apostolus istius (credo) insaniam longe ante in Spiritu sancto conspiciens, ante principium sæculorum substantialiter apud Patrem, Deum Filium exstitisse testatur, ac sic Photinum alto imperitiæ sopore demersum & lethali quiete sepultum, clarissimæ suæ vocis præconio excitat, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat* Joan. 1. 1. *apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum*. Ergo ei, qui in principio erat apud Deum, non relinquitur ut novissimo tempore originis suæ principium ab homine sumserit, & ne hoc Verbum, quod in principio erat apud Deum, divi- Joan. 1. 1. næ vocis transeuntem existimet sonum, ait: *Et Deus erat Verbum*. Quod si hoc Verbum Deus erat, substantia manens, non sonus transiens erat: fundatæ enim naturæ virtus ostenditur, quæ fuisse vel esse substantialiter prædicatur. Et quoniam nunc quoque Sabellium in hoc auditorio nobiscum adstare conspicio, in utrosque testimonii hujus tela vibrabo, & inde Photinum occido unde Sabellium perimo. Audiat ergo Sabellius Deum apud Deum fuisse, & desinat ab unitate personæ. Audiat Photinus hoc Verbum Deum in principio exstitisse, & Joan. 1. 1. desinat de Maria Virgine initium tribuere: *Hoc*, inquit, *erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil, in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est*. Antecedit Creator creaturæ suæ opificium, annon?

15. *Probus judex dixit*. Constat operis sui fabricam antecedere Creatorem: Neque enim potest ulla ratione admitti, ut postea ipse cœperit, qui facti auctor exstitit. *Arrius dixit*. Si ergo omnia per Filium facta sunt & mundus per eum factus est; apparet, ante mundum, vel ante omnia quæ facta sunt Filium exstitisse. *Probus judex dixit*. Nihil hac probatione manifestius poterit demonstrari. *Arrius dixit*. Sed ne forte unius Apostoli probatio insufficiens esse perfidis videatur; alia, si præcipis, testimonia Filium Dei ante sæcula subsistentem contestantia, brevi prosecutione subnectam. *Probus judex dixit*. Licet (ut reor) utilius & validius hoc testimonio nihil sit, tamen ut diversis probationum testimoniis assertioni tuæ cumules fidem, pauca, ut ais, circumscripta brevitate prosequere. *Arrius dixit*. Domini nostri Jesu Christi vox est in Euangelio dicentis: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de* Joan. 3. 13. *cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo*. Et iterum: *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem* Joan. 6. 38. *meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris*. Apparet ergo jam fuisse, qui de cælo descenderat, ut Photinus erubescat & alium esse a Patre, dum non suæ voluntatis arbitrio præsumit aliquid faciendum, sed mittentis se Patris in omnibus exsequitur voluntatem, ut Sabellius, & ei similes conticescant. Item, *Pa-* Joan. 17. 5. *ter*, inquit, *glorifica me illa gloria, quam habui apud te antequam mundus fieret*. Ecce, ante mundi constitutionem honoris gloria præditum penes Patrem sese fuisse testatur. Audiat ergo Sabellius alium apud alterum, audiat Photinus gloriam ante mundi possedisse principium. Item Apostolus in propria eum divinitatis forma fuisse ostendens, priusquam naturæ servi formam susciperet, ait, *Qui cum in forma Dei* Philip. 2. 6. *esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Jam igitur Deus erat, qui ut homo esset, Dei se formam exinanisse docetur. Item Hieremias Deum, fuisse priusquam hominis formam dignaretur adsumere, evidentius aperit, dicens: *Hic est Deus noster, & non* Baruch. 3. 36. *deputabitur alter ad eum. Qui invenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel electo suo. Post hæc in terris visus est & inter homines conversatus est*. Hæc tam firma, tamque robustissima de divinis auctoritatibus elicita probamenta qualibet Photinus (si valet) argumentatione dissolvat.

16. *Probus judex dixit*. Si adhuc tam manifestis, tamque perfectis documentis Photinus obvius ire desiderat, certum est eum morbidæ contentionis vitio agi, qui tantæ non subjicitur veritati. Sed ne studio dilatandi certaminis, nebulosæ falsitatis quæstiones intendat, & in superfluis rebus necessarium tempus absumat, utilem suis prosecutionibus finem imponat. Arrius vero, atque Athanasius, qui Filium Dei ante mundi ortus principia de Patre genitum confitentur, (quod videlicet Sabellius pariter, Photinusque negabant) quomodo in una eademque sententia fidei diffidium faciant, secumque non conveniant, edicere non morentur. *Athanasius dixit*. Subsistere ante sæcula Filium veraciter Arrius profitetur, quod autem de Patre natus sit, sono tantummodo vocis, & simulata verborum confessione, non veritatis proprietate concedit; dum eum a Paternæ naturæ substantia longius separat, & conditione naturæ, non dispensationis ratione, Patri subjectum affirmat. *Probus judex dixit*. Clarissimum fidei vestræ indicium date, & quemadmodum credatis recenti prosecutione signate; quod possit ad normam propositæ confessionis, disputationis quoque materia coaptari. *Athanasius dixit*. Ne vestros gravem oratione longissima sensus, fidem meam brevi sermone concludo. Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, deitate, potestate, magnitudine, natura, unum esse confiteor; nec aliquid in hac Trinitate novum, extraneumve ac si antea non fuerit, postea vero adjectum sit, adsero; sed, ut dixi, unius eam naturæ, uniusque substantiæ credo. *Arrius dixit*. Ego sicut tres personas in sua proprietate manentes, ita tres substantias Patris, & Filii, & Spiritus sancti confiteor. Alia est enim Dei Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti substantia, nec potest ullo modo ingenitæ substantiæ Patris aut genita Filii, aut creata Spiritus sancti conferri natura:

unde,

unde, nec potestate æquales, nec magnitudine similes, nec natura consortes a nobis fideli confessione creduntur.

17. *Probus judex dixit*. Si hoc totum est, in quo a vobis invicem dissentire videmini, id est, quod unus diversas, alius Trinitatis unam dicat esse substantiam, id nunc disputationis ratio poscit, ut adsertiones vestras non subtilitate argumentorum de industria dialecticæ artis venientium, sed puris & simplicibus divinæ Scripturæ documentis robustius fulciatis. *Arrius dixit*. Credo quod memorabilibus prudentiæ tuæ sensibus Athanasii prosecutionem nequaquam subtraxit oblivio, qua id elegantius peroravit, illum debere pravitatis errore notari, qui nova & inusitata verborum commenta sectatur; adjiciens Apostolicis dogmatibus, quod ab eisdem constat traditum non fuisse. *Probus judex dixit*. Ita memini. *Arrius dixit*. Ergo Nicæni decreta Concilii lectione pandantur, & agnosces Athanasium vel hujus auctores Apostolicam fidem novorum adjectione verborum eatenus corrupisse, ut & eos qui antiquis Patrum inhæsere doctrinis, ambitione regia usi, censuerint feralibus relegandos edictis. *Probus judex dixit*. Si præsentis negotii ratio postulat ut decretum Nicæni recitetur Concilii, hoc quoque Athanasius sua prosecutione designet, ut ex utriusque voluntatis assensu (si quid illud est quod offertur) extrinsecus recitetur. *Athanasius dixit*. Causæ congruit ut rerum gestarum lectionis copia non negetur.

18. *Probus judex dixit*. Ergo, ut desideratis, præfati decreti fidei Nicænæ lectio ventiletur, & lectum est ita.

Exemplar fidei Nicænæ.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem, & in unum Dominum nostrum Jesum Christũ Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est, de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt, homousion. Per quem facta sunt omnia quæ in cælo, & quæ in terra: qui propter nostram salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cælos, venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum: Eos autem qui dicunt; Erat quando non erat, & antequam nasceretur non erat, & quod de non exstantibus vel ex alia substantia aut essentia, dicentes mutabilem & convertibilem Deum, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

19. *Arrius dixit*. Pervides, virorum optime Probe, istius decreta Concilii in sugillationem Apostolicæ fidei, ausu temerariæ præsumtionis fuisse conscripta. Quid enim opus erat novum hoc, Humousion, vocabulum, antiquis dogmatum regulis inseri? Numquid enim Apostolos vel eorum discipulos, atque omnes per ordinem successores, qui ad illud usque tempus in Christi confessione viventes, Homousion vocabulum ignorabant, impietatis sacrilegium in fidei veritate secutos fuisse dicemus, pro eo scilicet quod hujus nominis notione privati, sine ipsius prædicationis assertione perrexerunt ad Christum? Si enim a nobis, ut isti penitus mentiuntur, nova introducebatur, contra Apostolorum statuta, doctrina; id utique conveniens erat, novæ a nobis ingestæ doctrinæ, antiquis Apostolorum obviare doctrinis, & novitatem vetustate proscribere, non vetustatem novitate pervertere. Ut quid mihi hoc nomen sequendum imponit? Ut quid me ad hujusmodi novitatem violentius trahit? Ut quid hoc Apostolicæ fidei superadjicit verbum, cujus ne Prophetæ quidem, nec Apostoli uspiam faciunt mentionem? Quod istud, quæso, nomen est, sine quo fides integra esse non possit? sine quo Christiani christianæ Religionis abdicantur honore? Unum enim de duobus in hac causa sequi necesse est: Si vera est Homousii assertio, falsa est Apostolorum prædicatio, quæ sine hoc nomine longo tempore floruit. Si vero Apostolica fides hujus nominis expers, vera est, sicuti & est; hæc sine dubio falsa erit, quæ antiquæ fidei, nominis novitatem adjecit. Revolve cuncta novi & veteris Testamenti volumina utrum alicubi Homousion sacris inditum paginis poteris invenire.

20. *Probus judex dixit*. Quid his refertur? *Athanasius dixit*. Nominis tantum offenderis novitate, an etiam ipsius rei virtutem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? *Arrius dixit*. Quid dicas non satis intelligo. *Athanasius dixit*. Quoniam res antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novo novæ rei virtus accessit, hoc utique requiro; utrum res quæ antiqua est, simul a te cum nominis novitate damnetur? *Arrius dixit*. Res loqueris tortuosas, & omni stultitiæ miraculo dignas. Si enim Homousion novum nomen est, non dubium quod & res nova sit quam significare videtur. *Athanasius dixit*. Ergo pariter rem nomenque condemnas. *Arrius dixit*. Ita plane. *Athanasius dixit*. Igitur cum demonstravero rei antiquæ & ab Apostolis traditæ nomen novum attributum fuisse, victum te tandem fateberis, an etiam sic rem antiquam simul cum nominis novitate condemnas? *Arrius dixit*. Plane hoc non ostendis. Et quæ ratio causæ flagitabat, ut res antiqua novum acciperet nomen? Numquid enim priusquam hujus nominis vocabulum sortiretur, sine nominis proprietate manebat? Hoc nullam mihi rationis consequentiam habere videtur. *Athanasius dixit*. Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum nova doctrina exurgat, contra insolentes quæstionum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare, & significantius rerum naturas exprimere, quæ tamen existentium causarum virtutibus congruant, & quæ magis easdem antiquitus fuisse demonstrent, non ortus novitatem insinuent. Et ut quod dico planius fiat, utor exemplo. In ipso christianæ Religionis prædicationis initio, omnes qui credebant Domino nostro Jesu Christo, non *Christiani*, sed *Discipuli* tantummodo nominabantur: & quia multi dogmatum novorum auctores exstiterant, doctrinæ obviantes apostolicæ, omnesque, sectatores suos discipulos nominabant: nec erat ulla nominis discretio inter veros falsosque discipulos, sive qui Christi, sive qui Dosithei, sive Theodæ, sive Judæ cujusdam, sive etiam Joannis sectatores, qui se Christo credere fatebantur; noluerunt ut uno discipulorum nomine censerentur. Tunc Apostoli convenientes Antiochiam, sicut eorum, Luca narrante, indicant Acta, omnes discipulos novo nomine, id est, *Christianos* appellant, discernentes eos a communi falsorum discipulorum vocabulo, ut & divini per Esaiam oraculi sermo impleretur, qui ait: *Servientium* Esai.65.15.
vero mihi vocabitur nomen novum.

21. Hanc ergo ab Apostolis traditam in novis utẽdo nominibus formam Ecclesia retinens, contra diversos hæreticos, prout sanæ fidei ratio postulabat, diversas edidit nominum novitates. Denique Patri novum innascibilitatis nomen Ecclesia imposuit. Cũ enim Sabelliana hæresis, genitum ex Virgine Patrem voluisset asserere, ingenitum contra hanc confitendo Ecclesia tradidit Patrem. Et utique in divinis Scripturis, *ingenitum* numquam legimus Patrem. Potest

ergo

ergo Sabellius audaciam suam in hujus calumniæ vertere quæstionem, & simili ut tu propositionis genere uti, quo dicat. Cur divinis Scripturis sine ullo prospectu pudoris violentiam facitis, profitendo innascibilem Patrem, quod scriptum ostendere non valetis? Item, quia eum non solum genitum, sed & passum impio dogmate idem Sabellius profitetur, Episcopi vestri dudum Sirmium convenientes in unum, inter ceteras fidei, quas promulgaverunt sanctiones, dixerunt Patrem impassibilem esse: quod religiose eos sancteque statuisse probamus. Sed hoc itidem ille proclamat: Quousque vestræ licentiæ audaciam protenditis, profitendo (quod scriptum non legistis) impassibilem Patrem; quod nec Prophetæ tradiderunt, nec Symboli authentici tradidit auctoritas, sed vestra est remeritate præsumptum? Rursum prosequuntur iidem ipsi, qui Sirmio convenerant, & hanc religinsæ confessionis fidem de Filio statuunt: *Denm*, inquiunt, *de Deo, lumen de lumine*. Jam hic Photino, qui ex humanæ generationis natura initium tribuit Filio, quanta calumniandi occasio pateat ipse tu quæso meti e. Cur enim non similes querimoniarum causas intendat? Cur non simili vociferatione ipse quoque insaniat, dicens: Quid dicitis? quid statuitis? quid sequendum vestro ex jodicio posteris traditis, confitendo Filium Denm ex Deo, lumen ex lumine? Ostendite mihi utrum in eadem fidei forma, id est, in authentico Symbolo quod Apostoli tradiderunt, hoc scriptum legeritis. Sed contentus sum, cum ibi scriptum non fuerit, saltem mihi de Prophetis legatur, de Apostolorum literis ostendatur. Quis has vocum toleret novitates? Quis suis admittere sensibus patiatur, quod neque Prophetæ, neque Apostoli tradiderunt?

22. Item similem Patri Filium, multis & creberrimis Conciliorum vestrorũ decretis statuistis. Exurgat nunc Eunomius qui dissimilem confitetur, & dicat. Ubi hoc legistis? ubi scriptum reperistis? utrumne Pater, an Filius, hac de se usus est voce. Ergo tu, Arri, qui me hodie tali constringis articulo, ut Homousion proprie scriptum ostendam, aut fatere contra insolentes & furtivas hæreticæ intelligentiæ pravitates, quædam confectionis nomina non temere præsumta, sed ex consequenti ratione collecta, fidei auctoritatibus fuisse inserta, ita ut tot novorum verborum religioso intellectu exstiterint absolutiones, quot fuerant quæsitæ vel subministratæ perfidiæ occasiones. Aut si id fateri nolueris, tuis tecum objectionibus agam. Ostende mihi non ex conjecturis, non ex verisimilibus, non ex ratione vicinis, non ad intelligendum provocantibus, non ad id profitendum pietati fideli suadente, sed pura & nuda verborum proprietate scriptum ostende, ingenitum aut impassibilem Patrem, Filium vero Deum ex Deo, lumen ex lumine, aut Patri similem esse. Nolo mihi dicas: Hoc fidei ratio poscit, hoc pietas docet, ad hanc me nominis professionem Scripturarum consequentia provocat. Nolo, inquam, mihi talia obtendas; quia & me similia de Homousii probatione respuis proferentem. Sed forte in manibus divinorum voluminum codices, & eodem sono, iisdem syllabis prædictorum vocabulorum nomina indita lege. Aut ostende scriptum Filium Patri similem, aut fatere dissimilem. Quo hinc erumpas, quorsum evadas non est. Tuis te implicitum propositionis nexibus enodandi facultas nulla suppeditat. Aut concede mihi ex consequentibus probare Homousion, id est, unius substantiæ fidem. Aut si concedere nolueris, neganda sunt tibi universa quæ ipse fateris, quia ea nude posita invenire nusquam utique poteris.

23. *Probus judex dixit*. Si Ecclesiasticæ consuetudinis mos est, ut aliqua verborum vocabula pro coercendis hæreticorum motibus in fidei auctoritate nuda ponantur, quæ tamen ratione ex consequentia rerum existentium vestiantur, dum eorum veritas ex qua originem sumunt, divinis contineri literis invenitur, quid dicis Arri? Conoedis Homousion (sicut Athanasius dicit) de divinis Scripturis per convenientes professionis qualitates probari, an non? *Arrius dixit*. Iste nescio qua syllogisticæ artis versutia objectionem meam conatur eludere. Ego enim hoc mihi ostendi desidero, utrum Homousion dominicæ sit lectionis auctoritatè conscriptum. Et ideo aut proprie positum legat, aut ab ejus confessione recedat. *Probus judex dixit*. Sed vides quemadmodum tuam in te referat quæstionem, & iisdem te, quibus uteris constringat articulis, professionis tuæ manifestius & ipse exigens documentum, ut ei de canonicis nude positum litteria ostendas innascibilem, aut impassibilem Patrem, aut Deum ex Deo, aut lumen ex lumine, aut Patri Filium similem esse. Quæ omnia si proprie posita demonstrare minime valueris, negandi tibi necessitas immmebit. Cui discrimini illa, ut mihi videtur, sola ratio poterit subvenire, ut concedatis vobis ea quæ in Conciliis vestris nude sunt posita, de Scripturarum fontibus emanasse. Nam hoc contentionis vitio deputabitur, ut documentum nudi sermonis exigas cujus fidei sensum in Scripturis copiosius noveris redundare. Sensum igitur quære, unde hujus vocabuli natura traxit originem, & cum sensum inveneris, nomen te pariter invenisse non dubites.

24. *Athanasius dixit*. Quantiscumque cum eo rationibus agas, nullatenus potest ab hac intentione revocari. Novit enim certissime quia si ad hoc descensum fuerit, ut ex consequentia Scripturarum una Patris esse substantia & Filii (quod est Homousion) doceatur, facillime se posse superari, & ideo diffidentiæ & timoris periculo actus, nudi sermonis flagitat documentum. Sed suis est iterum professionibus constringendus. Exigis a me ut unam Patris & Filii substantiam, id est, Homousion, scriptum ostendam. Tu autem tres usias, id est, tres substantias confiteris. Ostende igitur mihi ubi legisti tres usias. Si ego enim unam, hoc est, Homousion, ideo negare debeo, quia hoc nude scriptum non invenio; tu quemadmodum audes tres usias profiteri, cum hoc scriptum nusquam poteris demonstrare? *Probus judex dixit*. Si exstat aliquod ex divinis auctoritatibus documentum proprie & specialiter positum, quo approbetur Patris, & Filii, & Spiritus sancti, tres usias tresque (ut fateris) esse naturas, proferatur, quo possit Athanasius a confessione unius substantiæ, quod est Homousion declinare. Cum enim Triusion proprie in Scripturis positum ostenderis, apparebit Athanasiũ temeritate pertinacissimæ obstinationis in Homousii confessione hactenus perdurare, quod proprie positum nequiverit demonstrare. Si vero nec tu ipse tres usias demonstrare valueris, pari mihi conditionis necessitate obstrictus esse videberis.

25. *Athanasius dixit*. Doceat tres usias proprie positas, & facio unius substantiæ, quod est Homousion, cessionem. *Arrius dixit*. Si tres sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, necessario tres sunt substantiæ, in quibus unaquæque persona separatim & distinctius proprie subsistere cognoscatur. *Athanasius dixit*. Hic nulla prosunt argumenta, hic veritas ex consequenti ratione colligitur, testimoniorum proprietas flagitatur. Lege specialiter Triusion positum, & noli conjiciendo dicere: Si tres sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, necessario tres sunt & substantiæ: quia & ego simili conjectura possum veracius opinari.

ri. Si unum sunt Pater & Filius, quia ipse dicit: *Ego & Pater unum sumus*, quomodo noo est una substantia? sed hanc disputationis viam ingredi penitus noluisti, dum a me specialiter positum (Homousion demonstrando) exigis testimonium. Simili ergo & tu ratione tres usias specialiter & proprie positas lege. Si enim ideo Homousion negare debeo, quia hoc scriptum nude non ostendo; necessario Triusion tunc fateri debeo, si proprie positum te demonstrante cognovero. *Arrius dixit*. Subsistit proprie Pater, annon? *Athanasius dixit*. Nisi mihi tres usias proprie positas legeris, nullum tuis interrogationibus dabo responsum. Qnis eoim non videat, quo tua tendat objectio? Vis enim argumento callidæ interrogationis diversas approbare Patris & Filii substantias; sed argumentis hic non est opus, ubi manifestiore proprietatis testimonio, trium substantiarum exigitur documentum. Sed si a proprietate testimoniorum ad rerum consequentiam transire desideras, hoc ipsum publicæ conscientiæ innotescat, non te potuisse tres usias proprie positas demonstrare: & cum nos utrique hoc articulo solverimus, objectionibus vel interrogationibus tuis satisfaciam necesse est.

26. *Probus judex dixit*. Quantum vestræ disputationis intentio monstrat, nec tu Homousion, nec iste Triusion proprie & specialiter positum valetis ostendere. Unde ne puerili concertatione in superfluis rebus diutius immoremini, ab hac puri exactione documenti tandem uterque desinite, & consequenti ratione, aut Homousion, aut Triusion de Scripturarum auctoritate colligite. Non enim fas erit de nominis appellatione dubitare, quam testimoniorum copiosa congestio firmius poterit roborare. *Arrius dixit*. Quoniam hoc tua decrevit sententia, debere nos rationum persuasionibus & rerum consequentium causis, prædictorum nominum virtutes colligere, ne id Athanasio videatur difficultate demonstrandæ veritatis nudi me vocabuli proprietatis documenta quæsisse, ita faciam ut tui est decreti sententia promulgatum. Ego enim compendio magis uti volebam, ne longius rationis intentio evagata, ambiguis sensibus veritatem obumbret. *Athanasius dixit*. Non potest fides venire in dubium, quæ est veritatis fulta præsidio. Crassiora mendaciorum nubila, fulgidæ veritatis lumen dissipat. Non enim potest propriis carere viribus, qui non eget extrinsecus suffragiorum adminiculis adjuvari.

Huc usque prima Propositio, incipit secunda.

LIBER SECUNDUS.

1. ET alia die. *Probus judex dixit*. Quoniam vos initi fœderis pacta indeclinabili sententia servare non dubito, quibus id vobis invicem concessisse videmini, ut unius substantiæ, vel trium substantiarum professionem ex divinarum consequentia litterarum, luculento disputationis examine comprobetis: omissa scilicet quæstione, documentum puri vocabuli, atque proprie positi exigente; id jam nunc ipsius placiti ratio poscit, ut cuncta humanæ argumentationis cavillatione semota, de sacris divinorum auctoritatum Voluminibus, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, aut unam, aut diversas doceatis esse substantias. Ad quam rei probationem, non tantum (ut opinor) mea, sed cunctorum pene mortalium mens, ita est pendula expectatione suspensa; ut si tanti negotii merita paterentur, sine ullius diei compendinatione, vel alicujus momenti intercapedine ad summam veritatis, atque calcem manifestissimæ notionis desideret pervenire. Unde ne tam religiosa fidelium & veritatis cupida frustretur intentio, omni lenocinio luxuriosæ orationis exploso, de re, de causa, de competentibus, de necessariis agite rebue, omnem (ut dixi) verborum ambitum & procul a causa vagantee locutionum phaleras, leporemque sermonum cautius evitantes: ut disputationis vestræ narratio, veritate magie quam cothurno tumentis adornetur eloquii.

2. *Athanasius dixit*. Licet jamdudum crebro ac sæpius de unitate substantiæ citra acta disputaverim, measque disputationes scripto mandaverim, quibus a me in hac disputatione aliquid addi amplius non possit: tamen quia hæc extrinsecus nullo eminus adversante dicta sunt, necesse habeo hæc eadem repetere, & in hoc publicæ actionis examine mittere, quo possint tui judicii sententia roborari. *Probus judex dixit*. Si non fuerint Arrii replicationibus tenuata, tunc nostra poterunt firmari sententia. *Arrius dixit*. Ut quid hæ fraudum tendiculæ proponuntur? Ut quid in patrocinio nefandæ assertionis, judicis sententia præoptatur? Agamus primo quod nobis agendum necessitas demonstrandæ veritatis imponit; inculcetur humano auditui fidei nostræ professio. Percipiant judicia, quibue modie, quibusque rationibus, quibus denique documentis nostra fulciatur adsertio: & tunc demum promulgationem sententiæ quæ ex nostro utique nequaquam pendet arbitrio, de judice postulabimus. *Probus judex dixit*. Præfationis meæ, ouper in hoc actionis principio habitæ, & sponsionis vestræ dudum præteritis gestie insertæ, meminisse oportet, quibus id peroratum est, omissis superfluis, ad arcem negotii debere descendi. Quod debetis tandem aliquando factitare. *Arrius dixit*. Doceat Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum uoius esse substantiæ, unius potestatis, unius dignitatis, unius gloriæ, unius majestatis, unius virtutis atque honoris; quod satis improvida & nimis incauta professione solet populis jactitare. *Athanasius dixit*. Profiteris Filium vere de Patre natum, an non? *Arrius dixit*. Profiteris ipse Patrem alicujus derivationis vel divisionis vitio subjacere non posse, an non? *Athanasius dixit*. Valde profiteor. *Arrius dixit*. Et ego quoque profiteor Filium ex Patre natum esse.

3. *Athanasius dixit*. Id esse arbitrarie, natum ex Patre quod est etiam natum de Patre? *Arrius dixit*. Sufficit tibi, quod ex Patre dixerim natum, quod etiam facillime scriptum ostendo. Quid callidis uteris argumentis? Ceterum de Patre natum nusquam mihi interim ad præsens scriptum occurrere potuit. Ex Patre vero, scriptum esse recolo, Joanne Apostolo dicente: *Qui diligit Patrem, diligit eum qui natus est ex eo*. *Athanasius dixit*. Ergo nihil interesse putas, utrum ex ipso, vel de ipso oatus dicatur? *Arrius dixit*. Si mihi demonstrare valueris proprie positum, Filium de Patre natum, tunc quid inde debeam sentire æstimabo. Verum quia in plerisque exemplaribus varie positum esse non nescio, ut iisdem locis quibus *ex ipso* legitur, in aliie codicibus *de ipso*, legatur; sed utrum hoc interpolantium fraude, an unius rei significatione (id est, ut hoc sit *ex ipso*, quod est etiam *de ipso*) factum sit, non satis hoc nostræ fidei aliquod potest adferre præjudicium. *Athanasius dixit*. In hac tua prosecutione diligenti admodum certa ex adposita ratione adverti. Sed quod tantum nostræ dixeris, & noo utrorumque designaveris fidei noo posse præjudicium in his verbis afferri, satis miratus sum; & arbitror quod fidem tuam munire festinans ita proposueris, sperans me exinde leviter sine aliquo documento posse transire.

In

In Euangelio quoque de Patre, Filius dicit: *Joan. 4. 24.* *Spiritus est Deus*. Et ut se de Patre natum ostenderet, ait: *Joan. 3. 6.* *Quod natum est de carne, caro est, & quod natum est de Spiritu, spiritus est*. *Joan. 16. 27.* Et ego de Deo Patre exivi. Ecce Filium de Patre natum, ipso Filio dicente ostendi.

4. *Arrius dixit*. Satis callidis & suspiciosis uteris disputationibus, quo dicas quod ad fidei meæ munitionem hoc dixerim. Sed ut de sensibus tuis omnis suspicionis ambiguitas auferatur, ut superius fassus sum, utrorumque fidei, sive *ex ipso*, sive *de ipso* natus dicatur, nullum potest penitus in aliquo adferre præjudicium. *Athanasius dixit*. Generans Pater ex seipso Filium, hoc genuit quod est ipse, an aliud aliquid? *Arrius dixit*. Hoc utique quod ipse est genuit, quia Deus genuit Deum, lux lucem genuit, perfectus perfectum genuit, omnipotens omnipotentem genuit. *Athanasius dixit*. Ergo non extrinsecus, neque ex nihilo, neque ex aliqua præcedente aut subsequente materia, sed ex seipso genuit, & non aliud quam quod ipse est genuit. *Arrius dixit*. Alius alium genuit. *Athanasius dixit*. Et nos confitemur, quia alius alium genuit; sed si de seipso, id est, de eo quod ipse est, genuit; quia alterius substantiæ, vel diversi generis Filius esse non poterit: ac sic unius, ejusdemque cum Patre substantiæ erit. *Arrius dixit*. Si nosses in quantos perfidiæ errores, unius substantiæ professio vergat, numqnam profecto inter Patrem & Filium hujus nominis faceres mentionem, nec disputationem tuam quibusdam interrogationum gradibus incisam tali conclusisses articulo, ut ad hunc eam impiæ professionis duceres finem. *Athanasius dixit*. Quod sit impium atque sacrilegum diversas Patris, & Filii, & Spiritus sancti substantias profiteri, & quod pium sit ac religiosum, unius eos substantiæ credere, scias me, Arri, ignorare non posse; & hoc non humana opinione collectum, nec conjecturis, atque argumentis inventum, sed cælestis doctrinæ magisterio traditum demonstrabo.

5. *Probus judex dixit*. Prius mihi vim qualitatemque sermonis assigna, & tunc demum poterit demonstrari, utrum Patri, Filioque conveniat. *Athanasius dixit*. Substantia quidem duobus appellationum generibus distinguitur: & est quidem unius generis qualitas, hæc quæ exsistentis naturæ essentiam indicet. Aliud vero est substantiæ genus, quo ille qui habet, ab his quæ habet dirimatur. Et ut planius fiat quod dico, manifestiori utor expositione: Verbi gratia. Homo generis sui ac naturæ substantia est: Rursus si quid illud est quod extrinsecus, id est, in materia auri vel argenti aliarumque specierum possidet, substantia ejus dicitur. Et cum ejusdem vocabuli una videatur appellatio, duas tamen res significare videtur. Sed nos de illo substantiæ genere disputamus, quo unaquæque natura ob id quod est, vel subsistit, substantia nuncupatur. Et quicquid ex sese, id est, de seipsa genuit, non aliud esse potest, quam id quod ipsa est. Denique homo pater generans filium, sui generis, id est, suæ substantiæ hominem generat, quia homo hominem generat, & recte unius substantiæ esse dicuntur, quia veritas nativitatis substantiarum diversitatem non recipit. Diversitas autem est substantiæ, ut exempli gratia dixerim, si homo pecudem gignat, vel si cujuslibet generis pecus alterius a se generis pecudem generet, id est, si bos generet asinum, vel si ovis gignat capram, quæ quoniam in diversitatem generis pergit, monstruosa generatio erit, suæ naturæ proprietatem minime servans. Rursum in elementorum qualitatibus, quæ sit substantiarum diversitas vel proprie- A tas, operæ pretium est advertere: verbi gratia uniuscujusque ignis vel luminis natura, id ex se quod ipsa est, ministrare videtur, ut lux fulgorem, ut ignis incendium, & in hoc officii sui genere subsistens, substantiæ suæ intemeratam videtur servare naturam. Sin autem lux ex se tenebras gignat, mutationi obnoxia erit, alterius a se generis materiam tribuens, quia in hoc immutabilitatis suæ illibatam poterit servare substantiam, si hoc quod ipsa est, ministret ex sese. Ceterum, si, ut dixi, id quod ex se tribuit, aliud erit, quam ipsa quæ tribuit, tunc alterius substantiæ dici poterit; quod omnino naturarum B omnium qualitas, vel ordo, vel ratio non admittit. Age nunc, jam si videtur a terrenis, ac visibilibus in superiora mentis oculum erigamus, & ex his quæ facta sunt, infectæ virtutis substantiam cognoscamus, apostolicæ auctoritatis edocti magisterio, quo dicit invisibilem divinitatis virtutem ex his quæ facta sunt debere intelligi. Dicit ergo Arrius, Filium ex Patre natum esse, & Deum Deum genuisse, lucem lucem. In qua professione unum erit e duobus proculdubio retinendum. Aut enim ex seipso generans, id quod ipse est genuit, & ob hoc Filius cum Patre unius substantiæ erit: aut si alterius a se C generis Deum genuit, vera nativitas dici non poterit, quæ proprietatem substantiæ generis servare non potuit, & eo disputationis ratio deducitur, ut aut omnino natus non sit, aut degeneratus sit. Quod utrumque fateri absurdum & impium esse videbitur.

6. *Probus judex dixit*. Si quid sibi contra hæc Arrius competere novit, edicere non moretur. *Arrius dixit*. Simplicis ac immutabilis naturæ Deum esse, non reor Athanasium ignorare. Qui si, ut idem asseruit, de sua substantia generavit, mutabilis proculdubio erit. Necesse est enim, ex sese quod ipse D est generando, aut partem substantiæ per derivationis generationem perdidisse, aut divisionis vitium perpeti potuisse. Ego enim Dei Patris substantiam, neque ex sese aliquid edidisse, neque in partium qualitates derivatam fuisse, neque accessionis aut detractionis, vel aliquid hujusmodi, quod sit passioni obnoxium, sensisse, vel sentire potuisse confiteor. *Athanasius dixit*. Sed neque nos his passionum conditionibus divinam credimus subjacere naturam. Sed in his impassibilem Patrem, impassibiliter ex seipso, id est, de eo quod ipse est, Filium genuisse fideliter confitemur. Nec nos divisionum vel derivationum E ac partium, cunctarumque rerum passionis genera, quę inani sollicitudinis timore actus objicere voluisti, a professionis veritate deflectunt; ut negemus Deum ex seipso ob hoc generare non potuisse, ne videatur his passionibus subjacere. Quid igitur religiosius, quidve sanctius, ac divinitati congruentius (obsecro vos, o auditores) judicii æqua lance pensate. Erigite mentis oculos, & terrificum futuri examinis diem metuentes, quid magis Catholicæ atque Apostolicæ congruat veritati, religiosa mentis intentione perspicite; utrum fateri omnipotentem Deum impassibiliter ex seipso Filium generasse, an illud po- F tius opinari, ne passionis vitio subjaceret, ex se ipso, id est, ex substantia sua Filium generare non potuisse. Ego enim id astruo, id clarissima vocis professione adsevero, quod sicut Deus impassibilis, ita & omnipotens est. Credo de sua potuisse substantia generare, nec tamen alicujus passionis vitio subjectum fuisse. Quoniam divisio, derivatio, contractio, accessio, fluxus, vel si qua hujusmodi esse possunt genera passionum, corporeis & contrectabilibus, atque ex diversitate compositis conveniunt rebus. Deus vero qui nullis corporeis schematum circumscribitur signis, nec aliquibus distinguitur membrorum lineamen-

mentis, vitio subjacare non potest passionis.; & recte in eo generationem profiteor, quia genuit.; & recte impassibiliter nihilominus confiteor, quia passibilis nunquam fuit.

7. *Arrius dixit*. Num igitur quia in Deo omnipotentia denegeri non potest, idcirco ea eum perpeti non posse fatendum est, quæ omnino incorrupta ejus divinitatis substantia non recipit? Unde valde inhonestum & satis impietate plenum videbitur, ut per unius professionem substantiæ, nec Patrem proprie subsistere, nec Filium in sua proprietate stare credamus. Illuc enim perfidiæ ejus pergit intentio, permixtis, & in unius rei coagulatione ex diversis collectis atque confusis, Patris, & Filii personis, in sue, ut dixi, proprietatis singularitate minime subsistere valeant. Illud etiam nimis horrendum, & procul a fidelium mentibus removendum, in hac tuæ professionis perfidia continetur, inviolabilem Patrem, de sua substantia generando, corruptionis ac divisionis vitium declinare minime potuisse. *Athanasius dixit*. Veritate divinæ generationis, velut nodis insolubilibus arctius obligatus per nescio quæ nesandæ intentionis molimina, quibus divinam certum est carere naturam, evadendi suffugium quæritans, corruptionem incorrupto, passionem impassibili, impotentiam objicis omnipotenti, & hoc crebro ac sæpius repetens nulla te divinæ majestatis reverentia a tam nefandis objectionibus arcere (quantum video) potest; sed sine ullo pudoris intuitu, in injuriam venerandæ Filii nativitatis obvius properare contendis. Sed te effrænatius evagantem, & velut undosi æquoris gurgite naturali quadam licentia fluitantem, divinæ auctoritatis testimonia coercebunt, & intra certos divinæ professionis limites coarctatum, legalium constitutionum metas egredi non sinent. Inculcat igitur humanis sensibus sacro illo professionis suæ oraculo divina majestas, quo se Filium de occultis substantiæ suæ arcanis ineffabiliter genuisse
Psal. 109, 3. testatur & dicit: *Ex utero ante luciferum genui te*. Unum est ergo in hac divinæ professionis contestatione retinendum. Aut enim de sua ineffabili substantia Filium incorruptibiliter genuit; aut ne corrumperetur omnino, non genuit. Sed ego hanc integræ fidei partem eligo, quæ religiosius contestanti de se Deo suadet famulandum: nec me ulla humanæ passionis obstacula, ex infidelitatis sacrilegio descendentia ullatenus poterunt revocare, ut merito non credam Deum generare potuisse, ne humanæ consuetudinis more, corruptioni potuerit subjacere: cum hoc mihi satis esse non dubitem profitendum, de Dei substantia natum esse quem constat de Patris utero processisse.

8. *Arrius dixit*. Quantum tuæ prosecutionis intentio monstrat, compositum nobis & corruptioni obnoxium vis introducere Deum, qui etiam in eo corporalem uteri appellationem accipere non metuis. Necesse ergo erit, ut aut membris compositus sit, si uterum habet, aut corruptioni, ut dixi, obnoxius, si de substantia sua generavit. *Athanasius dixit*. Recte me id sensisse argueres, si ego Deum uterum habere, propria temeritatis præsumptione, sine ullo divinæ legis testimonio affirmassem. At cum ipse Deus ad refellendam credere nolentium insaniam, hoc de seipso pronuntiare dignatus est, quo evidentius per uteri nuncupationem non extrinsecus, non aliunde, sed de se ipso, id est, de sua substantia Filium generasse doceret: cur mihi vitiosæ credulitatis notas infigis, cum hoc potius Deo dicere possis: Si habes uterum, compositus eris: si de teipso genuisti, corruptioni obnoxius eris? Nam ita in Deo uterus sine aliqua membrorum compositione accipitur, sicut oculi, & aures, & manus, & pedes, sine ullis distinctionum lineamentis inesse referuntur. Sicut ergo oculos, quia omnia videt; aures, quia omnia audit; manus, quia cuncta operatur; pedes, quia ubique est: ita uterum, quia de seipso ineffabiliter genuit, accipere debes.

9. Nec te oportet infideliter opinari, quia si de seipso genuit, corrumpi utique potnit, quem ut omnipotentem & incorruptibiliter generare potuerit, nec hac ipsa generatione corrumpi potuerit, fideliter convenit profiteri. Nam si mirabiliter ex Virgine contra rerum naturam incorruptibiliter creditur natus, quanto magis ex Patre credendus est incorruptibiliter genitus? Si enim substantialis natura Virginis, quæ ex ipse utique corruptibilis naturæ conditione, passioni & corruptioni potuit subjacere, intemerata pudoris integritate, & infractis virginalibus claustris, mirabilis incorruptionis integritate Filium generavit; cur non magis, ut dixi, incorruptibilem Deum, genito ex se incorruptibiliter Filio, corrumpi non potuisse credamus? O novum atque infandum monstruosæ opinionis damnabilem metum, fateri Virginem partu non posse corrumpi, & formidare Deum, ne corruptionis vitio subjaceret, si de sua substantia generare potuisset. Volente igitur Deo, corruptibilis naturæ Virgo, sine ullo corruptionis vitio generavit, & ipse qui incorruptibilior cunctis naturis incorruptibiliter præstitit generare, hoc sibi præstare non potuit ut de sue substantia Filium incorruptibiliter generare potuerit? Ergo quia Deum de seipso Filium generasse & divinarum Scripturarum testantur eloquia, & in sua id Arrius superiore prosecutione fassus est, judica, virorum optime Probe, quis magis cum divinis conveniat Scripturis, utrumne ego, qui ob hoc unius substantiæ Filium cum Patre esse profiteor, quod videlicet ex ipso, & non aliunde dignoscitur natus, & ob hoc rursum incorruptibiliter genuisse profiteor, quie excellentissima divinæ Majestatis substantia per sui ineffabilem potentiam corruptioni subjacere non potest? An iste qui in tanto ancipitis intelligentiæ discrimine positus est, ut quo fidei suæ pedem ponat, nesciat. Nolens enim confiteri Deum de sue substantia incorruptibiliter genuisse, in eam confessionis necessitatem adtrahitur, ut neget omnimodis genuisse: sed hoc ipsum negare, obviantibus undique & clara vociferatione exclamantibus, sive Propheticis, sive Apostolicis vocibus, numquam sine dubio poterit.

10. *Probus judex dixit*. Quicquid in hac prosecutionum vestrarum essertione cognoscere potui, ultima examinis nostri sententia retinebit. Nunc vero si qua vobis adhuc de divinis Scripturis fidei vestræ congruentia superesse putatis, proferre dignamini; quo facillime queamus processu disputationis quid veri ratio contineat indagare. *Arrius dixit*. Quod tam brevibus & exiguis quæstionibus omni illa disputationis meæ narratione usus sum, Christiani pudoris ac verecundiæ fuit, ut disputationis nostræ trames levibus inchoaretur initiis. Sed quia video Athanasium perspicue veritatis robustissimam firmitatem quibusdam arietantium quæstionum impulsionibus quatere, acrius contra eum, & validius opinor dimicandum. Dicit ergo Patrem & Filium unius esse substantiæ, sed illa intemerata ineffabilisque essentia, quæ Pater est, nec redundans umquam in se ipse fuit, ut merito quasi exuberatione quadam, sine damno sui, in eadem substantia genuerit Filium, cum ejus essentiæ quæ alita omnibus infinita atque immensa sit & incorporea, nihil esse possit exuberans. Si quidem determinatorum sit exuberare, quod est

est quasi extra se fluere. Deus autem qui universa **A** complectitur, nihilque extra se habet, aut quo difluere potest, aut infinitus quo poterit redundare; dum difluere eorum est, qui accipiunt incrementa. Qui si accepit aliquando, necesse est ut semper accipiat, & nihilominus pari exuberatione semper & generet: sin autem incrementa non accepit, quod ipsi etiam fatemur, nec fluit, nec redundat. Quod tale cum Patre esse dicatur cum Filium genuit ex sese, substantiam suam utique divisit in Filium, & paternam tantummodo ante substantiam pro rata parte secretam a sese, ac resectam, Filium nominavit: tantumque sibi detraxit Pater, **B** quantum in Filium contulit. Quo tamen ipso, quicquid est Filius, aut hodie caret Pater, & perfectus non est, aut eo si non indiget, quasi superfluo abundavit. Quod utrumque in Deum non cadit, cum & in hoc ipso quidem Patris, & Filii nomen esse non possit, ubi non habita generatio est, sed potius facta discissio, tum quod necesse est, omne quod dividi potest posse corrumpi. Quæ si, ut manifestatum est, in Deo esse non possunt, cur non potius voluntatis & caritatis esse Filium confitemur? Quæ quidem voluntas, ne in hominibus quidem minus libera est, nedum in Deo **C** aliqua lege teneatur. Qui si non est Filius voluntatis, superest ut coactus Deus quasi aliqua lege naturæ Filium edidisse videatur. In qua quidem generatione, si id genitum est, quod erat Pater, quædam Patris pars Filius nominatur: incertumque est quid Pater, quid Filius debeat nominari, cum in duas partes adæque sit divisa substantia.

11. Illud vero quod quasi ad proprietatem naturalis substantiæ demonstrandam, paterni oraculi testimonium protulit, ut merito Patrem ex eo quod ipse est, **Psal. 109.3.** Filium genuisse credamus, quia dixit: *Ex utero ante luciferum genui te*. Quam id absurdum, quamque **D** ineptum sit apertissime demonstrabo. Siquidem non solum aliquanta in ordine rationabilium creaturarum consistentia; sed & in sensibili elementorum qualitate subsistentia, de Dei legimus utero processisse, **Job. 38.28.** ait enim: *Quis est pluviæ Pater? vel de cujus utero procedit nix?* Num igitur quia hæc rigentis & torpidi elementi qualitas divino legitur utero procedere, idcirco unius ejusdemque cum Deo creditur esse substantiæ? aut quia rursus homines Deum legimus ge- **Esai. 1. 2.** nuisse, ut ipse ait: *Filios genui & exaltavi*; & ite- **Exod. 4.22.** rum: *Filius meus primogenitus Israel*; ac rursus: **1. Joan. 3.9.** *Omnis qui natus est ex Deo non peccat*; idcirco re- **E** ctius opinabimur homines cum Deo unius esse substantiæ? Aut quia item Apostolus, totius creaturæ universitatem generali pronuntiatione comprehen- **Rom. 11.36.** dens, ex Deo asserit esse, dicens: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*; ob hoc prudentius conjiciemus, universitatem creaturæ hoc esse quod Deus, aut unius cum eo esse substantiæ, quod videlicet ex ipso legitur substitisse? Sic ergo & Filium cum de Dei Patris utero processisse fatemur, non ad indicium unius naturæ, sed ad investigabilium secretorum arcana dictum competenter debemus accipere.

12. *Athanasius dixit*. In ludis theatralibus, hi qui **F** figurarum varietate mutantur, diversi quidem atque alii apparent oculis intuentium. Nam idem ipse, qui aptatæ imaginis specie rigidus quondam incesserat, iterum vultu in hoc ipsum aptato, alternis membrorum motibus ludens, in mollitiem resolvitur fœminarum. Ita nunc videtur mihi Arrius quæstionum imaginibus immutatis, velut diversa conjiciens, similitudinis varietate formari. Nam hoc quod dudum comptis & brevissimis disputationum objectionibus intentaverat, sub alterius prætextu imaginis, iterum ac sæpius repetens a proprietate quæstionis illatæ omnimodis non recedit; neque enim quia nunc latius & diffusius perplexa verborum ambage, seriem propositionis extendit, ideo aliud egisse videndus est, quam quod superius convincitur actitasse. Dixit enim, ob hoc Patrem, & Filium unius non posse esse substantiæ, quod eadem paterna substantia, nec exuberatione amplissimæ derivationis in augmenti copiam effluere possit; utpote quæ nullis metarum terminis acta, finalibus queat modis arceri, quoniam ejus est exuberationis copia redundare, quæ certo, ut diximus, concluditur fine: nec rursus velut integram, & intemeratam portionis defectionem aliquam pertulisse. Sed hæc omnia passionis genera, divinæ naturæ non convenientia, jam superius calumniosius magis quam verius cognoscitur intentasse. Quibus nos religiosæ fidei intellectu competenter constat dedisse responsum.

13. Neque enim exuberationem substantiæ redundantis, Filium dicimus, neque rursus defectæ naturæ portiunculam nominamus; sed perfectum Patrem, perfectum Filium, non ex iis quæ in eo superfluis exuberationibus redundabant (quod dictu nefas est) sed ex seipso, id est, ex eo quod ipse est, impassibiliter, indivisibiliter, incorporaliter, sine diminutione, sine discissione, sine affluentis copiæ redundatione, sine ullo omnino passionis genere, ineffabiliter credimus natum. Et idcirco unius fatemur esse substantiæ, quia non aliunde, non ex nihilo, non ex subjacentibus vel præcedentibus materiarum qualitatibus; sed propria Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, sapientiam de sapientia fideliter extitisse fatemur. Nam si alterius ac diversæ substantiæ, ut Arrius arbitratur, Filius esset, non diceret: *Sicut habet* **Joan. 5.26.** *Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*. Et iterum: *Sicut Pater novit me,* **Joan. 10.15.** *& ego novi Patrem*. Quid est ergo: *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*; nisi, sicuti est Pater, ita est Filius? Et si idem habent esse, unius sunt proculdubio substantiæ. Neque enim aliud est esse Patris, & aliud vivere, sed hoc est vivere, quod est & esse; id est, non aliud est Pater ipse, & aliud vita ejus; sed vita essentia, & essentia vita. Alioquin compositus videbitur, ex diversitate subsistens, si aliud ipse, aliud vita ejus significare videtur. Quia ergo apparet vita Patris hoc esse quod ipse est, sicut habet vitam in se, sic dedit Filio habere vitam; id est, sic est esse Filii, sicut esse Patris; non dubium est Patrem & Filium unius essentiæ, atque unius esse naturæ.

14. Nam & quod ait: *Sicut novit me Pater, &* **Joan. 10.15.** *ego novi Patrem*, unitatem proculdubio voluit indicare substantiæ; quia secundum superioris disputationis intelligentiam, non aliud est nosse Patris, & aliud esse. Hoc ipsum enim quod est novit, & quod novit est; quia non aliter novit, & aliter est. Et quia sic Filius novit Patrem, sicut eum Pater novit, notionem vero in Deo essentiam esse diximus. Non dubium quod sicuti est Pater, ita est & Filius; ac sic diversitatem essentiæ non admittit res, quæ uno ac simili modo subsistit. Denique ut hanc Patris, & Filii unitatis substantiam plenius nosceremus, quædam nobis divinæ Scripturæ rerum visibilium exempla posuerunt, quibus nos ad invisibilium intelligentiam religiosius provocarent. Nam paterni luminis splendorem, & bonitatis ejus imaginem Filium posuere; non quod ad res divinas metiendas corporalium satisfaciant exempla specierum; sed quia ineffabilis illa natura exprimi non potuit, quædam ex his, quæ videntur similitudinis proferuntur indicia. Ut sicut splendor & ignis diversæ non sunt substantiæ; vel

sicut imago ab eo cujus est imago, in aliquo differre non potest; (ne sic aliquid in ipsa diversum retinens, perfecta & vera esse non possit:) ita Pater & Filius non diversæ, sed unius credantur esse substantiæ. Et quia nonnulla exempli gratia protulit testimonia, quibus adstrueret, ita esse omnia ex Deo, ut non tamen de ejus credantur processisse substantia, interrogo utrum sic Filium ex Patre asserit, exstitisse, sicut universa ex ipso exstitisse narrantur? Quid ergo dicis? Sic debemus accipere Filium de Patris utero processisse, vel ex Patre genitum asse, sicut homines ex Deo natos, vel sicut nix ex ejus utero legitur procedere, an longe aliter? Sed quæso ut unum e duobus respondeas; id est, aut similiter, aut non similiter dicas.

15. *Arrius dixit*. Non similiter universa ax Deo exstiterunt, vel genita sunt sicut Filius. Aliter enim Filius, aliter exstitit creatura. *Athanasius dixit*. Si Filium longe aliter quam creaturam exstitisse fateris, cur in ejus nativitatis generatione rerum factarum exempla protulisti? Hi enim qui disparibus modis propriæ originis sumpsere principia, non æquo intelligentiæ sensu comparari videntur. Quo quia prosecutionis tuæ intentio vergit, apparet te Photini dogmatis, quod dudum repudiabas, errorem sacrilegum defensare. Nam & ipse cum Filium Dei de Patre genitum abnegaret, atque talibus testimoniorum documentis coarctaretur, quibus luce clarius demonstratur Filium Dei Deum vere & proprie de Patris substantia genitum, illue impietatis suæ molimina vertit, ut eisdem modis eodemque rationis ordine, Filium de Patre assereret natum, sicut homines per adoptionis gratiam, in divinæ generationis prolem legimus consecratos. Quod tu quoque, licet aliis viarum indiciis gradiens, ad eumdem tamen infidelitatis compitum pervenisti; adserens non ob hoc de illa ineffabili Patris substantia, Filium natum debere intelligi, quod ex Deo genitus, vel ex Patris utero legitur processisse; cum ratione consimili non solum homines ex Deo natos, verum etiam insensibilium elementorum qualitates, paterni uteri generatione processisse legantur. Et licet jam totius prosecutionis tuæ narrationem unius sermonis pronuntiatione dissolveris, quo dixisti longe aliter Filium quam creaturam divinitus exstitisse, tamen quia brevitate sermonis obscurius & perplexius prolati, intentionem legentium tetris quibusdam nebulis obnubilasti; idcirco nunc ego lucidius, & planius quæ obscura sunt & veritatem obumbrant, in manifestationem clarissimæ proferam notionis.

16. Ostendam igitur, quantum ad proprietatem divinæ generationis pertinet, hoc esse ex Deo nasci, quod est de ipso generari. Et ut manifestioribus divinarum Scripturarum testimoniis utar, euangelicum proferam documentum. Angelus ad Mariam ita loquitur, dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit sibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. (Luc. 1. 35.) Et iterum Apostolus: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege*. (Gal. 4. 4.) Num igitur quia Angelus Mariam sic affatus est, ut non de ipsa sed ex ipsa gignendum diceret Filium; quia Apostolus ex muliere natum adseruit Filium; ob hoc in Christo veri hominis nativitatem nequaquam profitebimur? Aut extrinsecus, non proprie virginali credimus utero processisse? Cernis igitur superflue te in divinæ generationis nativitate visibilium creaturarum exempla protulisse, cum evidentioribus testimoniorum documentis appareat id esse ex ipso quod est etiam de ipso generari. Unde mirari me fateor, quomodo cum creaturæ nomen in Filio refugias, & non factum, sed vere (sicuti est profitendum) ex Patre genitum credas, Photini quodammodo, etsi non integris, verumtamen similibus prosecutionum sententiis, ejus fueris impietatis dogma imitatus. *Arrius dixit*. Quis potius Photini sectatur perfidiam, utrum ne ego, qui ea, quæ Filius ad demonstrandam Divinitatis suæ longe inferiorem, & non in omnibus similem naturam locutus est, secundum Deitatem suam dictum accipio; an ipse tu qui pene cuncta humanitatis exempla, non fucatis verbis, nec simulata operis efficientia peracta homini reputas assumto? Namque ut non solum alterum verum etiam inferiorem a Patre ostenderet, ait; *Pater major me est*. (Joan. 14. 28.) Qua professione evidentius declaratur, Patris & Filii diversas esse substantias.

17. *Athanasius dixit*. Profiteris Filium Dei Deū, servilem nostri generis formam subiisse, an non? *Arrius dixit*. Quis hoc impius negaverit, Christum scilicet Deum, ita quoque verum hominem confitendum? *Athanasius dixit*. Debemus igitur eorū quæ Christus locutus est, aliquanta divinitati, aliquanta humanitati adscribere; an sine ullo partitionis discrimine universa aut Deo, aut homini assignare? *Arrius dixit*. Hoc non solum irreligiosum, sed & summæ reputabitur esse dementiæ; ut omnia eum aut secundum divinitatem, aut secundum humanitatem locutum fuisse putemus. *Athanasius dixit*: Si ergo secundum professionis tuæ sententiam, aliquanta divinitati, nonnulla vero humanitati adscribenda sunt, cur non hoc quod ait; *Pater major me est*, humanitati; & quod ait: *Ego & Pater unum sumus*, divinitati reputemus? (Joan. 14. 28. Joan. 10. 30.) Namque ut noveris, secundum id quod homo erat, eum dixisse: *Pater major me est*, ait: *Si diligeretis me gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*. (Joan. 14. 28.) Rogo itaque cum Filius secundum Divinitatis suæ potentiam universa impleat, nec sit aliquis locus eadem divinitate vacuus (utpote qui cælum & terram atque inferna pari omnipotentia impleat:) quomodo ait: *Vado ad Patrem*; cum quo & semper erat, & a quo nunquam recesserat? Ejus est enim ire & venire qui aliquibus locorum terminis circumscribitur; ut eum in quo erat deserens locum, ad alium ubi non erat, veniat; nisi quia utique de illo quem adsumserat homine loquebatur, quod ipse erat iturus ad Patrem, a quo & venturus est judicare vivos & mortuos? Ceterum ubi Divinitas, quæ, ut diximus, universa implens, nullis locorum spatiis terminatur; sicut nihil est unde discedat, ita nihil est ubi veniat.

18. Et hoc modo apparet secundum id quod homo est, non solum Patre, verum etiam Angelis esse minorem. Nam si secundum id quod Deus est, enm minorem accipere volueris, pari conditionis necessitata, etiam Angelis secundum Divinitatis naturam minor esse videbitur. Denique Apostolus ait: *Minorasti eum paulo minus ab Angelis*. (Hebr. 2. 7.) Si ergo nulla ratione admittitur, ut secundum id quod Deus est, minor Angelis habeatur, apparet hoc minorationis officium, non Deo Verbo, sed homini reputandum assumto. *Probus judex dixit*. Ut tua in omnibus fulciatur assertio veritate, convenit a tuis partibus Patrem & Filiū & Spiritum sanctum divinorum testimoniorum lectione, unius approbare substantiæ. *Athanasius dixit*. Quoniam Excellentiam tuam perspicio, huic rei instantissime ac fideliter imminere, ut Patrem & Filium & Spiritum sanctum unius esse substantiæ demonstremus, atque Filium de Patris substantia natum ex divinis voluminibus approbemus; quamquam omnium prosecutionum mearum sententia ita se habere monstratur, ut sicut hominum vel cujuslibet animalium genus suæ substantiæ similes gignat, & nec homo bovem, nec bos hominem generet; sed ad suam similitudi-

tudinem, id est, suæ substantiæ unaquæque res procreet. Mirari utique non debeo, Deum potuisse de sua substantia filium generare, cui totum posse subjectum est. Sed ut neque Scripturarum testimonio mea oratio pervagetur, aggredior ipsius opitulatione munitus, Filium de Patris substantia ineffabiliter natum, ex divinis oraculis approbare, ut dum luculento disputationis tramite, non ex argumento philosophicæ artis veniente, sed, ut dixi, ex divinis monstravero documentis, tunc demum Arrius obmutescat, cum Filium de paterna substantia genitum, legalibus eloquiis, me docente cognoverit.

19. Paulus Apostolus de Filio ad Hebræos scribens,
Hebr. 1. 3. ait: *Cum sit*, inquit, *imago invisibilis Dei, & figuram*
Col. 1. 15. *substantiæ ejus gerens.* Jeremias quoque prudentissimus
Prophetarum, de Dei Patris persona concionatur, &
Jere. 23.22. dicit: *Si stetissent in substantia mea, & audissent verbum meum, averterem eos a studiis suis pessimis:*
Ibid. 18. & ut eum de Filio dixisse probaret, subjungit idem
Propheta & dicit: *Quis stetit in substantia mea & vidit verbum meum?* Verbum enim esse Filium, David Propheta de Patris persona protestatur dicens:
Psal. 44. 2. *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Joannes quoque Euangelista, sciens apud Patrem Verbum, id est, Filium, a principio apud Patrem esse, & a Patre Verbum numquam separatum fuisse, in principio Euan-
Joan. 1. 1. gelii, id est, annuntiationis suæ posuit dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,*
Eccli. 37.20. *& Deus erat Verbum.* Et iterum alio loco Scriptura tradidit dicens: *Initium operis Verbum.* Non quod in creatione Verbi, id est, a Filii creatione, ceteras cœpit facere creaturas, sed quia per Verbum Dei, id est, per Filium omnia creata noscuntur. Unde
Psal. 32. 6. David Propheta canit & dicit: *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Et ut Spiritum sanctum hujus operis socium esse ostenderet, secutus est dicens: *Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Multæ sunt denique de Filio Scripturæ divinæ perhibentes testimonium, quo de substantia Patris, id est, de eo quod ipse est genitus demonstraretur: de qua substantia non tantum similis Patri Filius comprobatur. Hæc fides est, quam Christus Apostolis tradidit, & ab Apostolis ad nos usque pervenit; nec possumus eam in aliquo immutare, quam constat nos debere fideliter ab initio, ut data est, conservare.

20. *Probus judex dixit.* Licet congruo disputationis ordine per varia quæstionum diverticula, orationis vestræ feratur intentio, & velut a proposita rectitudinis linea paululum necessario devians, in obliquum tortuosi tramitis pergat anfractum, ob hoc scilicet avia quæque perlustrans, ut nihil penitus inexploratum, nihil relinquat intactum: tamen quoniam Arrii prosecutio, quam dudum arctioribus quæstionum nodis illigaverat, ancipitem hunc dubietatis sensum auditoribus derelinquit; dum non omnia, sed certa quæque objectionis capitula Athanasii videntur responsionibus dissoluta; consequens mihi esse videtur, ad reliqua ejus expedienda, in quibus maxime auditorum hæret intentio, Athanasium debere orationis suæ reflectere cursum. Siquidem illud nobis majorem hæsitationis scrupulum movet, quod idem Arrius dixit Patrem non naturaliter Filium genuisse, ne scilicet naturalibus videatur conditionum necessitatibus subjacere: sed voluntario caritatis affectu edidisse, quo per hæc in Deo liberæ potestatis demonstretur indicium; atque ita extrinsecus magis & aliunde quam de se ipso intelligatur generasse: & jure paternæ voluntatis affectu, & caritatis potius quam naturæ Filium esse credendū; quem (ut dictum est) voluntate, & non naturali lege dignoscitur edidisse. Cum ergo hanc, ut dixi, non nodosæ quæstionis solutionem, utrum oblivione an difficultate Athanasium liqueat omisisse, nunc si videtur, contra ea, quæ orationem ejus ob sui prolixitatem forsitan effugerunt, responsionis ejus intentio dirigatur.

22. *Arrius dixit.* Bene solertissima mentis intentione, utpote vigilantissimus cognitor, cautioribus uteris provisionibus. Nam mihi memoria pene elapsum fuerat hoc artieulum quæstionis. Edicat igitur Athanasius quomodo si naturaliter genuit Filium Pater, naturæ necessitatibus non teneatur obstrictus, ubi non voluntas, sed jus naturæ copiam tribuit generandi. Necesse est enim ea quæ naturalibus aguntur motibus libera esse non posse, tantoque Patrem in suæ voluntatis affectu minus liberum, quanto & naturæ suæ jura dominantur. *Athanasius dixit.* Istis, quæ Arrius garrulatur, tanquam inexpugnabili quæstione, nihil ineptius, nihil absurdius umquam poterit inveniri: & ob hoc ea responsione quoque pulsare indignum credideram, quandoquidem solet interdum stultitiæ notam incurrere, quisquis mavult stultissime dicta refellere. Quia ergo in eadem quæstione plurimum sibi opitulationis inesse confidit, quam velut inevitabile syllogisticæ artis tendiculum, petulantis satis jactantiæ supercilio infligendam putavit, respondeat, utrum mutabilem Deum, an immutabilem profitetur. *Arrius dixit.* Immutabilem profiteor. *Athanasius dixit.* Bonum igitur eum, sapientem, justum, omnipotentem confiteris atque perfectum. *Arrius dixit.* Etiam. *Athanasius dixit.* Voluntate immutabilis, an natura permanet invertibilis? *Arrius dixit:* Quid dicas non satis intelligo.

22. *Probus judex dixit.* Apertum valde est quod inquirit, & nullo obscuritatis tegmine obvelatur. Interrogat enim, utrum voluntate Deum, an naturaliter immutabilem dicas. Id est, hoc ipsum quod bonus & sapiens creditur Deus, voluntate talis est an privilegio majestatis, & quodam jure naturæ his virtutum affectibus pollet? *Arrius dixit.* Nihil horum temere audeo pronuntiare. *Probus judex dixit.* Delibera igitur quod debeas dare responsum. Si utrumque diffiteris, neutrum tenes; ac sic eris a divinæ professionis pietate extorris, si nullam de Deo religiosæ fidei opinionem retentas. Aut si unum eligis e duobus, ne divina professione vacuus habearis, dic utrum voluntate, an natura Deus sit immutabilis profitendus? *Athanasius dixit.* Quibus responsionis æstibus, tantis coarctatus angustiis agitetur, manifestius auditorum sensibus patet. Pervidens enim se inenodabilibus sciscitationis meæ laqueis irretitum, neque voluntate Deum, neque natura immutabilem voluit profiteri, sed de utroque industrioso astu siluit, qui se in utroque capiendum agnovit. Sed videamus quomodo, is qui sibi arrogantius loquendo præscripsit, consultius reticendo prospexerit. Dixit enim Patrem nequaquam natura, sed voluntate Filium generasse, ne scilicet aliquibus videatur naturæ necessitatibus subjacere. A quo dum quærerem obnixius, utrum voluntate Deum, an natura diceret immutabilem, ob id de utroque reticuit. Quia si diceret natura immutabilem; omnem suam quam intentaverat funditus subverteret quæstionem, aut certe in eam velut in quoddam altioris præcipitii barathrum decidisset: necesse erat sua nos in eum spicula quæstionis retorquere, illicoque referre. Si natura Deus est immutabilis, nec bonus nec malus sine dubio est profitendus; quia omne quod secundum te naturalibus fertur motibus, libertatis caret arbitrio, quod finalis naturæ terminus intra metas conditionis tenet inclusum: eritque sicut unum quodlibet elementorum, sicut aqua vel terra, quæ nihil aliud esse potest quam id quod est: dum neque meliori-

lioribus augeri profectibus, neque in deterius relabi arcentibus naturæ legibus potest.

23. Quia vero Deum voluntate potius quam natura asserit profitendum, dum Filium voluntate Paterni affectus atque necessitudine, non naturali virtute genitum credit, audiat quam absurdi sensus ratiocinatio istius professionis intelligentiam consequatur. Necesse ergo erit Deum profectu melioris electionis augeri, dum bona rerum electione, perfectarumque ratione virtutum, prosperiore successu tendit ad summa: esseque aliquem eo superiorem, cui per bonæ voluntatis effectum placere contendat. A quo metuendum est, ne aliquo desciscat, si forsitan eum bonæ voluntatis intentio deserat, quandoquidem necesse est, ut eum qui nullo subsidii naturalis adminiculo fruitur, sinistræ interdum voluntatis affectio interpellet. Hæc quantum irreligiosius de Deo dicuntur, tanto nequius cogitantur. Pervides ergo, optime Judicum, summæ quodam impietatis instinctu, divinæ jura naturæ, virtutisque infectæ substaotiam, rerum factarum naturis voluisse Arrium comparare; ut scilicet ob hoc non natura Pater, sed voluntate, Filium generaverit, ne creaturarum sive ratinnabilium sive ratione carentium, modo naturalibus videatur necessitatibus subjacere. Sed habeat, quisquis talia sentit, opinationis suæ arbitrium, a majestata laturus pœnale judicium, tam inepta, tam sacrilega judicando. Nos varo divinarum eruditi magisterio literarum, hanc de Deo religiosæ opinioois sententiam retinemus, ut non aliud ejus voluntatem, aliud credamus esse naturam.

24. Namque quod eum sapientem, bonum, omnipotentem, perfectumque fatemur, non tanquam ex diversitate virtutum subsistentem, & distinctæ rei alicujus qualitata compositum adserimus Deum; quia non aliter sapiens, nisi quia omnipotens, nisi quia perfectus habetur; id est, non aliud io eo est bonitas, aliud sapientia, non aliud omnipoteotia quam quod perfectio: sed omnia hæc in Deo, uno eodemque modo habentur; sed singulari modo definiri non possunt. Observa tameo, ne, quia in Deo modum diximus, quibusdam terminis modificatum intelligas, qui suæ virtutis immensitate universa excedit. Sicut enim cum immensum dicimus, non immoderatum volumus intelligi: vel cum perfectum prædicamus, non proficientem inducimus, id est, non per aliquas virtutum efficientias paulatim experiendo gradientem ad summa perfectionis fastigia adserimus pervenisse: ita etiam hoc dictum debes accipere. Sed ad propositum redeamus: Ergo Deum qui proculdubio simplex est, vide quantis vocabulorum nominibus apellamus, sapientem, bonum, omnipotentem, providum, atque perfectum. Et hæc quidem ad seipsum: ad nos vero, misericordem, pium, justum, atque beoignum; nec tamen virtutum multiplici qualitate compositum quisquam audebit adserere eum, qui singulari virtutis omnipotentia subsistens, puræ ac simplicis creditur esse naturæ. Sed hanc unam eamdemque naturæ virtutem humanæ conditionis intelligentia, naturalibus imperitiæ obstaculis præpedita, uno explicare sermone noo potuit, & ideo variis & multiplicibus nominum appellationibus utitur, ut hinc qualis quantave sit divinæ virtutis natura facilius conjiciatur. Quæ cum una sit, eademque simplex, uno tamen verbo non penitus explicatur. Nam si, verbi gratia, per diversas divinæ operationis species percurramus, & inquiramus qua virtute convexum tanta sublimitate cælum extenderit, terramque immobili stabilitate fundaverit, atque æquora per solubiles camporum latices fuderit; qua sapiens, an qua omnipotens. Refertur profecto, qua sapiens & qua

A omnipotens. Et numquid diversitate virtutum compositus erit? Nequaquam, sed uoius virtutis multæ significationum species: quia non aliud in eo agit sapientia, aliud omnipotentia, aliud providentia.

25. Denique scriptum est: *Deus sapientia sua fundavit terram, stabilivit autem cælos prudentia, sensu ejus abyssi dissiluerunt.* Prov. 3. 19. Num igitur eousque desipiemus ut dicamus, quod cælum quidem una virtute, id est, prudentia; terra vero alia, id est, sapientia subsliterit; alia quoque Dei virtute, id est sensu ejus abyssi dissiluerint? Sed vide quemadmodum divina Scriptura, ut istius absurdæ opinionis abdica-
B ret errorem, id quod per species nominum partita fuerat, in unam iterum recolligit, & counit appellationis virtutem, dicens: *Omnia in sapientia fecisti.* Et iterum: *Omnia hæc manus mea fecit.* Psalm. 103. 24. Vides ergo in Deo cujus natura simplex est, sive maoum, sive sapieotiam, sive prudentiam, sive sensum, noo rerum diversitatem, sed unam indicare virtutem. Quod cum ita sit, nullus jam iotentatæ quæstionis relinquitur locus, qua quæritur utrum voluntate Deus Pater, an natura Filium generaverit, cum in Deo, ut perdocuimus, non aliud sit voluntas, quam sapientia; nec aliud sapientia, quam natura, quæ virtus etiam ap-
C pellatur. Et cum hæc omnia Christus sit, sicut ait Apostolus: *Nos autem prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam,* 1. Cor. 1. 23. apparet eum libera naturalis virtutis omnipotentia ex Patre genitum esse; quoniam natura in Deo, non ut Arrius ridicule opinatur, necessitatis conditione putatur, (ne & ipse Pater, qui naturaliter subsistit, ex necessitate subsistere videatur;) sed est liberæ potestatis, & nullis juncta necessitatibus virtus; quæ, quia non aliunde accepit ut esset, idcirco natura dicitur tanquam fons & origo cunctorum. In hac ergo natura Filius est & in
D hoc origiois fonte subsistens processit tanquam ex sapiente sapientia, ex forti virtus, ex lumine splendor. Quæ processio vel nativitas, id est, Filius, id io se virtutis inesse demoostrat, ut & semper io Patre fuerit, & editus nunquam a Patre recesserit: sicut sapieotem sapientia non deserit, sicut fortem sua virtus non relinquit, sicut splendor sese a lumine proprio non secernit.

26. *Arrius dixit.* Iotentatæ a me quæstionis nodum nunquam, ut mihi videtur, vales exsolvere. Nam superius (ut hoc ita repetam) dixisse ma memini, Deum qui universa complectitur, nihilque extra se
E habet, nusquam per generationis augmentum defluere posse, & infinitum minime redundare, aut certe substantiam suam divisisse io Filium, & paternam taotummodo ante substantiam pro rata parte secretam a se ac resectam, Filium nominasse; tantumque sibi detraxisse, quantum in Filium contulisse videtur. Ad hæc nullum te constat dedisse responsum. *Athanasius dixit.* Vide in quantum laberis amentiæ, ut divinæ nativitatis arcanum, nec supernis quidem virtutibus cognitum, philosophicis rationibus vestigari magis, quam fidei veneratione posse conspici abitrareris, & soli Filio Patrique & Spiritui sancto pro sui miraculi di-
F gnitate solummodo cognitum, intra humani sensus rationem concludis, & ac si vulgatam & nullius secreti rem, audaci disputationis manu contrectas. Et cum ne de creaturis quidem, quæ sub humani conspectus intuitu sitæ sunt, ratio reddi possit, quoniam iovestigabili miraculorum opere subsistunt; tu creatorem eorum, qui his multo mirabilius præstat, quæstione discutis, circumscribis argumento, indignis & profanis rationibus vulgas. Sed dum non vis fidei deservire, dum dedignaris miris & ineffabilibus subjici rebus, dum impatieotiæ æstibus agitaris, & immensa atque infinita metiris, eo intentionis tuæ

per-

perducis articulum, ut Deus aut omnino non genuerit, aut si genuit, omnibus a te objectis conditionum necessitatibus subjacuerit.

27. Sed qui tales nugas ore sacrilego garris, & mole corporea subsistentem vis introducere Deum: quia quæ a te objiciuntur, non nisi visibilibus & palpabili materia exstantibus conveniunt rebus. Dum enim conaris ostendere Filium extrinsecus, & non de Patris substantia genitum ad inanis philosophicæ artis quæstiones, relicta fidei simplicitate transisti; ut quia divina natura ex sui infinitate decidere non potest, nec per fluentes exuberatioonum copias amplius redundare, stolidæ atque crassioris materiæ simillima B judicetur, quæ sine sui damno ex sese quicquam tribuere non potest. Ergo quia augmentum res corporea sumit, detrimentum res morti obnoxia sentit; videamus utrum Deus, qui in nullo est horum, ex seipso Filium generando, nec substantiam suam pro rata parte diviserit, ut Arrius inani metu & superflua timoris formidine opinatur, nec sibi aliquid detraxerit, quod conferret in Filium, ut hoc ipso aut hodie careat, & perfectus non sit, aut eo si non indigeat, videatur superflue abundare. Primo ergo recedentes ab omni corporalium passionum perscriptione, C & cunctis visibilium naturarum conditionibus derelictis, de spirituali nativitate spiritualiter disputemus, nec quicquam de ea sensus nostri opinemur præsumtione. Scriptura itaque divina ut impassibilitatem paternæ generationis ostenderet, sensum, sapientiam, virtutem, Verbum, lumen, Filium esse narravit. Sensum scilicet, quo cuncta cogitantur; Sapientiam, qua cogitata disponuntur; Virtutem, qua disposita perficiuntur; Verbum, quo perfecta nuntiantur; Lumen, quo nuntiata clarescunt: & hæ omnes nominum species, non diversæ, sed una est virtus.

28. Quia enim unius sermonis enuntiatione ma- D gnitudo ejus nosci non potuit, idcirco multiplici vocabulorum appellatione distinguitur, ut ex diversitate vel qualitate nominis, quantitatem virtutis agnoscamus. Quia ergo consilium ab eo, cujus consilium est, non separatur; quia virtus a forti non scinditur; quia sapientia a sapiente non discernitur; quia sensus a sensato non divellitur; quia Verbum a paterno ore non aufertur; quia splendor a suo lumine nulla secretione discriminatur; manifestum est Patrem nec augmentum suscepisse, nec detrimentum Filium generando sensisse; quia hæc in Deo & naturaliter insunt, & ipse in eis naturaliter inest: sicut ipse Fi- E
Joan. 10. 38. lius apertius declarat, dicens: *Ego in Patre, & Pater in me.* Esse enim & inesse, nec copia est exuberans, id est, extra redundans, quia ipsum inesse, id est, in Patre esse, non recipit Arrius, cavillatur extra fluere: nec detrimenti jactura est, dum cor sapientiam gignit; dum intellectus consilium generat; dum os sermonem profert; dum lumen splendorem emittit. Inest enim splendor in lumine, & lumen in splendore, & ita in se utrumque natura subsistit, ut neutrum sine altero esse possit: quia ubicumque lumen est, illic & splendor pari radiantis luminis claritate resulget. Ergo Pater non est, copia superfluæ redun- F dationis, tamquam extra se effluens, sed ex se atque in se ut sapiens sapientiam genuit Filium, & idcirco ex suæ infinitatis magnitudine nusquam omnino recessit; sed neque substantiæ suæ portiunculam, pro rata parte, secrevit a se, quia lumen splendorem gignendo, separationi obnoxium non est. Atque ita singula prosequendo reperies Patrem in sua generatione, nec copia redundantis cumuli auctum, nec divisæ portionis detrimento diminutum, nec separatæ substantiæ divisione sejunctum: quia rerum natura, cui sacra illa & ineffabilis generatio comparatur, ni- A hil in se tale recipit, quod aut exuberationi, aut diminutioni, aut jacturæ obnoxium esse possit.

29. *Probus judex dixit.* Certum est quidem naturam luminis, vel Verbi ac sapientiæ, aliarumque virtutum abs te commemoratarum efficientias, his conditionibus teneri non posse. Sed utrum, ut ais, paternæ generationis nativitas talibus comparetur exemplis, divinis te convenit testimoniis edocere. *Arrius dixit.* Superiore prosecutione mea ita exorsus sum, quod Athanasius perfidia cæcitatis præcipitatur in profundum; dum enim vult facundiam sui sermonis ostendere, nescius in crimine versatur, Scripturæ B divinæ dicendo esse, quod in substantiis Dei coæquet Filium genitori, cum ipse Filius de se testetur, & dicat: *Pater major me est.* Et, *Qui me misit mandatum dedit.* Et, *Non ego veni, sed ille me misit.* Et, *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit.* Et, *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Et, *Quod dedit mihi servavi.* Et, *Omnia quæ dedit mihi Pater, nemo auferet a me.* Et, *Rogabo eum & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* Et, *Hic calix si non potest transire nisi illum bibam, fiat voluntas tua.* Et, *Transeat a me calix iste. Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et, *Quæ* C *sunt ei placita, ego facio semper.* Et, *Sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis.* Et, *Dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Et, *Exaltavit puerum suum.* Et, *Benedixit te Dominus Deus tuus.* Et, *Excitavit eum a mortuis. Sedere fecit ad dexteram suam.* Et multa his similia, quæ studio brevitatis omitto. Si ergo majorem habet, si ab eo missus est, si spontanea voluntate non venit, si voluntatem suam non fecit, si quod ei dicitur loquitur, si sibi data custodit, si rogat, si pro calice deprecatur, si nomen ab alio accepit, si ab D alio exaltatur, si sedes discipulis petentibus propria potestate non tribuit, si quæ sunt Patri placita facit & ab ipso a mortuis suscitatur; æquumne videtur, ut qui de sua subjectione tanta & talia dicit, Patri efficiatur æqualis?

Joan. 14. 28. Joan. 12. 49. Joan. 8. 42. Joan. 6. 38. Joan. 12. 50. Joan. 17. 12. Joan. 6. 39. Matth. 26. 53. Joan. 8. 29. Matth. 20. 23. Phil. 2. 9. Psal. 44. 8. Ephes. 1. 20.

30. *Probus judex dixit.* Si adversus ista copiosa divinæ auctoritatis testimonia, quæ ab Arrio de Filii subjectione prolata sunt, aliquid Athanasio competere videtur, edicere non moretur, ut amota superstructione sermonis, ex divinis potius luminibus, aut dissimilis, vel coæqualis Patri, Filius demonstretur; ut agnita veritate, quæ sanæ fidei ac rationi conve- E niunt, roborentur. *Athanasius dixit.* Quantum velit percurrat in elatione sermonis Arrii calliditas, & sibi de auctoritate divinæ legis prolatis plaudat testimoniis, quibus videlicet nititur ab æqualitate Patris Filium sequestrare. Cuncta quæ ab eo prolixius inserta nascuntur, iisdem etiam testimoniis a nobis ejus intentio absque ulla difficultate frustrabitur. Christus igitur Filius Dei, in forma servi, quam sumsit ex Virgine, Patri dicitur esse subjectus, Apostolo Paulo nihilominus affirmante: *Ubi venit,* inquit, *plenitudo temporum, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Ille itaque di- F citur esse subjectus, qui sub lege ex muliere noscitur generatus, & in ea forma majorem se indicat Patrem, quam voluntarie sumsit ex Virgine. Nam in forma Dei Patris Angelicus ei chorus probatur præbuisse ministerium. Ita enim in Euangelio scriptum est: *Et discessit ab eo diabolus, & venerunt Angeli & ministrabant ei.* Objicit quod voluntatem Patris fecerit & non suam: in hoc magis laudebilis hujus verbi dicto debet agnosci, quia qui Patris voluntatem æquanimiter fecit, æqualitatem ostendit, Apostolo confirmante: *Hæc est,* inquit, *voluntas Dei in Christo Jesu.* Nam quia addidit: *Sicut dixit mihi*

Gal. 4. 4. Matth. 4. 11. 1. Thess. 5. 18. Joan. 12. 50.

Pater sic loquor, quare hominum genus, quod rectum est intelligens, audito hoc verbo turbetur? Si enim aliter Christus quam Deus Pater loqueretur, tum magis Patri inæqualis vel dissimilis monstraretur. Si vero quæ loquitur Pater, ea loquitur Filius, numquam inæqualis Patri, aut dissimilis invenitur. [Joan. 17. 12.] *Quod dedit mihi*, inquit, *servavi*. Et, *Omnia quæ* [Joan. 6. 39.] *mihi dedit, nemo aufert a me*. Dona enim divina hoc modo intelligenda sunt Filio attributa.

31. Dedit enim Pater Filio, omnipotens omnipotentiam, majestatem tribuit majestati, virtutem dedit virtuti, prudentiam dedit prudentiæ, præscientiam dedit præscientiæ, divinitatem divinitati, æternitatem æternitati, coæqualitatem coæqualitati, immortalitatem immortalitati, invisibilitatem invisibilitati, regi regnum, vitam vitæ, & non aliam ah ea quam habet dedit, & quantum habet tantum dedit, vel si quæ alia quæ Pater Filio indivisibiliter & inseparabiliter contulisse monstratur. Sed hæc omnia, babenti potius quam indigenti dedisse pro- [Joan. 17. 10.] batur, cui a Filio dicitur: *Omnia mea tua sunt, & tua omnia mea sunt*. Si ista omnia quæ perhibetur Pater Filio contulisse, alia in eo, & alia videntur esse in Filio, mendacem sine dubio facimus Filium, qui dicit sua esse quæ Patris sunt; sed si in his quæ dixit mendax Filius invenitur, & Euangelista, qui [Joan. 5. 18.] ait: *Æqualem se faciens Deo*, omni virtute fallitur, ac sic nec Pater Filio integre ac veraciter aliquid contulisse monstratur. Sed si vera sunt, sicut sunt, quæ Pater Filio inseparabiliter & indiscrete contulit, conticescant dementium hominum linguę, quę nituntur Filium a Patris substantia separare. Rogat Filius Patrem, ut hominem verum se gestare contendat. Nam ut deitatis suæ intimaret potentiam, mari imperavit & ventis, & quinque millia hominum de quinque panibus saturavit: calicem passionis ut homo tristis accepit; ut Deus autem fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam credentibus propinavit. Accepit nomen, ut in hoc nomine cælestia, terrestria & inferna adorent. Exaltatus est de imis ad superiora, id est, de carne humanæ fragilitatis, ad Deum conscendens. Sedet ad dexteram Majestatis, ut eum non dubitet humana infirmitas sequi, ubi caput suum viderit gloriari. Unctus est, ut Chrismatis ipsius unctione, a labe prioris hominis delicti purgemur: excitatus a mortuis est, ut nos exemplo resurrectionis ejus a mortis aculeo liberemur: sedes discipulis petentibus se non posse dare testatur, ne [Mat. 19. 23.] inter eos divortium nasceretur. Nam qui ait: *Non est meum dare vobis*, ipse jam dudum discipulis duodecim sedium judicandi tribuit potestatem. Quæ sunt Patri placita fecit, quia contraria facere nescit. Nam quia venit non ut faceret voluntatem suam, sed vo- [Psal. 39. 9.] luntatem ejus qui misit illum, dixit: *Ut faciam vo-* [Psal. 53. 8.] *luntatem tuam, Deus meus volui*. Et, *Voluntarie sacri-* [Joan. 14. 22.] *ficabo tibi*. Qui ait: *Pater major me est*, dixit, *Ego &* [Joan. 10. 30.] *Pater unum sumus*: &, *Sint in nobis unum sicut ego,* [Joan. 17. 21.] *& tu unum sumus*: &, *Omnia mea tua sunt, & tua* [Joan. 17. 10.] *mea sunt*: &, *Creditis quia ego in Patre & Pater in me est?* & *Pater meus operatur & ego operor*: &, *Sicut* [Joan. 14. 10.] *Pater suscitat mortuos, & vivificat, ita & Filius,* [Joan. 5. 27.] *quos vult vivificat*: &, *Qui me videt, videt & Patrem*: &, *Qui me odit, & Patrem meum odit*: &, [Joan. 5. 21.] *Clarifica Filium tuum, ut & Filius tuus clarificet te*: [Joan. 14. 9.] &, *Ego clarificavi te super terram, & manifestavi nomen tuum hominibus*. Et ut omnis humanę cavillationis quiescat intentio, Joannem Euangelistam, cujus superius usus sum testimonio, proferam testem, qui [Joan. 1. 1.] ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Si hæc tanta divinitati convenientia, quibus Patrem & Filium unum esse docuimus, perfidis non sufficiunt, alia si videtur, superadjiciamus.

32. *Probus judex dixit*. Si huic tam validæ & certæ prosecutioni Arrius nisus fuerit obviare, certum est eum non rationem sequi, sed per verborum irrationabilium campos effrenatius evagari, qui usque nunc trium substantiarum rationem ut superius fassus est, (sicut Athanasius unius, permultis ostendit documentis) per nescio quam nebulosam caliginem circuiens, adsertionem suam nequiverit demonstrare. *Arrius dixit*. Numquid quia ex divinis oraculis Athanasius, nescio quibus articulis, Filium unius esse substantiæ, & Patri coæqualem, ausu temerario visus est adfirmare, & Spiritum, qui Patris & Filii minister est, iisdem debet æquali confessione conferre: cum ipse Filius dicat: *Illo me glorificabit, quia de meo* [Joan. 16. 14.] *accipiet*. Et, *Mittam vobis Spiritum veritatis*. Et, [15. 26. 16. 13. 14. 26.] *Spiritus a me procedit, quem Pater mittet in nomine meo*. Et Pater ad mortuorum ossa dicit: *Dabo Spiritum meum in vos, & vivetis*. Numquid is, qui a Patre mittitur vel procedit, eidem debet æquari? cum Propheta de eo testatur, dicens: *Ecce Dominus* [Ezech. 37. 5.] *firmans tonitruum & creans Spiritum*. Prorsus numquam mihi videbitur creatura suo creatori æquari, aut una cum eodem posse potestate potiri. *Athanasius dixit*. Sapientiam & virtutem Dei, Filium esse, jam quidem superius demonstravi, ubi Apostolum dixisse probavi: *Christum Dei virtutem & Dei sa-* [1. Cor. 1. 24.] *pientiam*. Sed & nunc verius & plenius, si necessarium judicas, de hac eadem probatione replico testimonia.

33. Ipsa sapientia, id est Filius, per Salomonem clamitat, dicens: *Ego ex ore Altissimi processi*; & [Eccli. 24. 5.] ante, inquit, colles genuit me. Et quod eadem sapientia paterni luminis splendor sit, prædicti Salomonis pariter & David atque Apostoli testimonio comprobatur. Salomone quoque ita dicente: *Splen-* [Sap. 7. 26.] *dor lucis*, inquit, *æternæ, speculum sine macula*. Per quod & in quo sine dubio Pater videtur, ut ipse in Euangelio ait Filius: *Qui me videt, videt & Pa-* [Joan. 14. 9.] *trem*. Quod etiam David apertius declarans, ad Patrem loquitur, dicens: *Apud te est fons vitæ, & in* [Psal. 35. 10.] *lumine tuo videbimus lumen*. Audis lumen in lumine cerni, id est, Patrem in Filio contemplari? Paulus quoque congruentia his prædicat, dicens: *Qui* [Hebr. 1. 3.] *cum sit splendor & imago substantiæ ejus*. Verbum etiam nominatur; sicut Pater ad demonstrandam generationis suæ impassibilitatem pronuntiat, dicens: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Et, *Verbo Do-* [Psal. 44. 2.] *mini cæli firmati sunt*. Et, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Deus*, inquit, *erat Verbum*, non prolativum, & sono vocis transiens, sed substantialiter in sua virtute manens, intelligas Verbum. Sed & quod consilium sit, Esaias testis est, dicens: *Vocabitur magni consilii An-* [Esai. 9.] *gelus*; id est, paternorum tractatuum, vel consolationum dispensator & auctor; imo ipsa consolatio & tractatus; sensus etiam paterni pectoris demonstratur, ut Salomon ait: *Dominus sapientia sua fundavit terram: stabilivit autem cælos prudentia, sensu ejus abyssi dissiluerunt*. De quo sensu Esaias & Apostolus dicit: *Quis cognovit sensum Domini?* Secundum [Esai. 40. 13.] illud Euangelicum: *Quia nemo scit Filium nisi Pa-* [Rom. 11. 34.] *ter*. Claruit igitur quantum arbitror, Patrem, Filium ex se generando, & eumdem in semet habendo, nec auctum & diffusum, nec fuisse penitus diminutum; dum qui generat in nascentis perfectæ naturæ substantia dignoscitur permanere; nec extra se uterque diffunditur, dum uterque in se invicem manere cognoscitur, sicut Esaias, non extra infinitatem paternę naturæ tamquam ultra se effluentem Filium, sed in

se

se per communis substantiæ unitatem habitantem Patrem & Filium declarat, cum ad ipsum Filium loquitur, dicens: *In te est Deus*. Et: *Non est Deus extra te*. Esai. 45.14.

34. *Probus judex dixit*. Quantum facultatis percipiendæ rationis humani sensus capacitas præstat, plenissime reor Athanasium superioris quæstiunculæ nodosa, totaque scrupulosæ opinionis ambigua, in quibus nostra hærebat intentio penitus amputasse. Si hoc ipsum etiam Arrio claruit, edicat apertius, & de his ad alia (si tamen, adhuc aliqua superesse putatis) tandem aliquando transeatur, quo celerius valeamus B operis hujus terminare negotium. *Arrius dixit*. Si mente pervigili, & sensu sagacissimo, summatim, particulatimque questionum a me propositarum dicta rimeris, profecto reperies, Athanasium non ad omnia dedisse responsum. *Probus judex dixit*. Quænam illa sunt, in quibus tibi satisfactum non esse arbitraris? designa manifestius. *Arrius dixit*. Quid opus est eadem rursus repetendo longum disputationis funem trahere, cum jam conveniat, ultimam te de cognitione sententiam promere. *Probus judex dixit*. Semiplenam non oportere sententiam inferre, vestra etiam prudentia mecum pariter recognoscit; ob hoc de C sancto etiam Spiritu aliqua vos convenit disputando proferre. *Arrius dixit*. Ego Spiritum sanctum non solum Patre & Filio minorem, verumetiam voluntatis eorum ministrum & obsecundatorem confiteor, utpote creaturam Creatori reverentissimum famulatus obsequium præbentem. Qui tamen cunctis creaturis & melior, & post Filium primus sit. Nam si æqualis cum Patre (ut Athanasius profitetur) honoris privilegio insignitur, non diceret Filius, quia non loquetur a semetipso, sed quæcumque audierit loquetur: qui enim nihil ultronea potestatis auctoritate loquitur, jubentis imperio per obsequium mini- D sterii famulatur.

35. *Athanasius dixit*. Si judicis clementia permissum tribuit & largitur, ex divinis auctoritatibus, etiam Spiritum sanctum, non creaturam esse, sed Deum & Creatorem cum Patre & Filio, breviter demonstrabo. *Probus judex dixit*. Ut tua professio continet, approba breviter quod ratio exigit documentum, non ex argumento sermonis, sed ex divinarum Scripturarum testimoniis Spiritum sanctum Patri & Filio coæqualem esse. Aut (sicut ipse fassus es) Deum eum vel Creatorem communis operis esse ostende, ut dum hæc veridicis testimoniis approba- E veris, Arrius eadem a sua intentione veræ fidei professione convictus abscedat. *Athanasius dixit*. Multo magis ex hoc apparet Spiritum sanctum a Patris & Filii substantia non esse alienum, dum non a seipso tamquam alienus & extraneus, sed utpote unius ejusdem naturæ socius, quæ Patris, & Filii communia sunt agit, & loquitur. Nam si de propriis loqueretur, non solum a Patre alienus, sed & fallax & deceptor proculdubio haberetur; quoniam, ut ait Joan. 8. 44. Filius: *Omnis qui loquitur mendacium, de propriis loquitur*. Et ideo hic verum loquitur, quia non de proprio, id est, non a seipso, sed de Patris & Filii, F Joan. 16. 14. quæ loquenda sunt, loquitur: *De meo*, inquit, *accipiet, & adnuntiabit vobis*. Et ut ostenderet hoc esse accipere quod est etiam de Patre sumsisse, ait: Joan. 16. 15. Ideo dixi, de meo accipiet, quia *omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Vides ergo Spiritum sanctum a Patre & Filio non esse discretum, dum ea loquitur quæ Patris & Filii propria esse noscuntur. Sed & Fi- Joan. 14. 10. lius tale aliquid profitetur, dum dicit: *Non enim a meipso loquor, sed quæ audivi a Patre meo, nota vobis feci*. Qua sententia Filium & Spiritum sanctum, etiamsi Patre minor est (ut falso opinaris) sibi tamen A ostendit æqualem, quod impie refugis. Si enim utrique nihil auctoritate propria loquendum præsumunt, nullo se invicem dignitatis honore præcellunt.

36. Adhuc tamen audi manifestius, quomodo Patri æquales habeantur. Dicit itaque Filius: *Opera quæ ego facio ipsa testificantur de me*. Joan. 10. 25. Et iterum: *Ego ex me nihil facio, sed Pater in me manens ipse facit opera*. Joan. 14. 10. Quomodo nunc sua, quomodo paulo post, non sua dicit esse opera quæ facit? Sed volens utique unius naturæ demonstrare virtutem, perpetrandorum operum efficientiam, ad paternæ dignitatis retulit unitatem; ut dum opus Patris & Filii est, & opus Filii, Patris, (quia quæcunque Pater facit, eadem & Filius facit similiter) ex communi gestorum opere, communio cognoscatur esse naturæ. Sicut ergo sua opera non sua dicit, quæ tamen ipsius esse probantur, sic & verba non sua se loqui testatur, quæ profecto ejusdem esse noscuntur. Et quod de Filio, hoc etiam conjice de Spiritu sancto qui sic a seipso propter demonstrandam unius naturæ Deitatem, non loquitur, ut tamen quæ loquitur, ejus esse, & non aliena, credantur. *Et loquebantur*, inquit Lucas de Apostolis, *variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Act. 2. Et in Euangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Matt. 10. 20. Habet ergo ipse propriam fandi auctoritatem qui liberam ceteris loquendi tribuit facultatem. *Arrius dixit*. Quibus Scripturæ auctoritatibus docere poteris Spiritum sanctum Deum esse, quem ego creaturam esse confiteor? *Athanasius dixit*. Hinc præcipue declaratur Spiritum sanctum Deum esse, quia ubique est, & nullo continetur loco, sicut Propheta dicit ad Patrem: *Quo ibo a Spiritu tuo?* Psal. 138. Et commonet: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Sap. 1. 7. Esse enim ubique & uno eodemque momento cælos, terras, maria, infernaque replere, (ut David ait: *Si ascendero in cælum, tu illic es, & si descendero ad infernum ades*;) Psal. 138. 8. non creaturæ, sed solius Dei est proprium.

37. Denique quia idem est incompositæ, id est simplicis naturæ: nam creatura omnis, quantum ad naturæ ordinem pertinet, composita est. Si itaque Spiritum sanctum compositum ex diversitate formarum valueris ostendere, tunc demum consequens erit, ut eum creaturam esse nullus audeat dubitare. Tunc autem necesse erit, ut si creatura est, doceas eum communem esse cum ceteris, vel Angelis, vel Archangelis, aut Potestatibus & Principatibus, & unum esse ex illis, ac sic unicum & singularem non esse demonstres, quod nequaquam utique, obnitentibus & undique reclamantibus Prophetis atque Apostolis, poteris demonstrare, Salomone quidem ita dicente: *Spiritus sanctus simplex unicus, & cetera*. Sap. 7. 22. Et Apostolo contestante, *Unus Spiritus*. Ephes. 4. 4. Et iterum: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*. 1. Cor. 12. 11. Ac rursus: *Quoniam per ipsum*, inquit, *habemus accessum, utique in uno Spiritu*. Ephes. 2. 18. Cernis igitur eum qui unicæ ac simplicis naturæ est, Deum potius quam creaturam esse. Denique si creatura & non Deus est, quo utilitatis beneficio, in nomine ejus lavacri vitalis regeneratio celebratur? *Baptizate*, inquit Dominus, *gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Matt. 28. 19. Quid enim nobis præstare potest, si Deus non est? Qualis quæso est ista creatura, quæ unum cum Patre possidet nomen? Quem si in baptismate non nominaveris, frustra videbitur mysterium omne, perfectum non erit Sacramentum. Incassum quippe Patris & Filii nomine uteris, illo non nominato. Creaturam ego creatricem esse non posse nulli est omnino ambiguum.

38. Hunc autem Spiritum creatorem esse, Scripturæ divinæ ubique loquuntur, sicut in Job volumine legi-

Pater sic loquor, quare hominum genus, quod rectum est intelligens, audito hoc verbo turbetur? Si enim aliter Christus quam Deus Pater loqueretur, tum magis Patri inæqualis vel dissimilis monstraretur. Si vero quæ loquitur Pater, ea loquitur Filius, numquam inæqualis Patri, aut dissimilis invenitur. [Joan. 17. 12.] *Quod dedit mihi*, inquit, *servavi*. Et, [Joan. 6. 39.] *Omnia quæ mihi dedit, nemo aufert a me*. Dona enim divina hoc modo intelligenda sunt Filio attributa.

31. Dedit enim Pater Filio, omnipotens omnipotentiam, majestatem tribuit majestati, virtutem dedit virtuti, prudentiam dedit prudentiæ, præscientiam dedit præscientiæ, divinitatem divinitati, æternitatem æternitati, coæqualitatem coęqualitati, immortalitatem immortalitati, invisibilitatem invisibilitati, regi regnum, vitam vitæ, & non aliam ab ea quam habet dedit, & quantum habet tantum dedit, vel si quæ alia quæ Pater Filio indivisibiliter & inseparabiliter contulisse monstratur. Sed hæc omnia, habenti potius quam indigenti dedisse probatur, cui a Filio dicitur: [Joan. 17. 10.] *Omnia mea tua sunt, & tua omnia mea sunt*. Si ista omnia quæ perhibetur Pater Filio contulisse, alia in eo, & alia videntur esse in Filio, mendacem sine dubio facimus Filium, qui dicit sua esse quæ Patris sunt; sed si in his quæ dixit mendax Filius invenitur, & Euangelista, qui ait: [Joan. 5. 18.] *Æqualem se faciens Deo*, omni virtute fallitur, ac sic nec Pater Filio integre ac veraciter aliquid contulisse monstratur. Sed si vera sunt, sicut sunt, quæ Pater Filio inseparabiliter & indiscrete contulit, conticescant dementium hominum linguę, quę nituntur Filium a Patria substantia separare. Rogat Filius Patrem, ut hominem verum se gestare contendat. Nam ut deitatis suæ intimaret potentiam, mari imperavit & ventis, & quinque millia hominum de quinque panibus saturavit: calicem passionis ut homo tristis accepit; ut Deus autem fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam credentibus propinavit. Accepit nomen, ut in hoc nomine cælestia, terrestria & inferna adorent. Exaltatus est de imis ad superiora, id est, de carne humanæ fragilitatis, ad Deum conscendens. Sedet ad dexteram Majestatis, ut eum non dubitet humana infirmitas sequi, ubi caput suum viderit gloriari. Unctus est, ut Chrismatis ipsius unctione, a labe prioris hominis delicti purgemur: excitatus a mortuis est, ut nos exemplo resurrectionis ejus a mortis aculeo liberemur: sedes discipulis potentibus se non posse dare testatur, ne inter eos divortium nasceretur. [Mat. 19. 23.] Nam qui ait: *Non est meum dare vobis*, ipse jam dudum discipulis duodecim sedium judicandi tribuit potestatem. Quæ sunt Patri placita fecit, quia contraria facere nescit. Nam quia venit non ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum, dixit: [Psal. 39. 9.] *Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui*. Et, [Psal. 53. 8.] *Voluntarie sacrificabo tibi*. Qui ait: [Joan. 14. 28.] *Pater major me est*, dixit, [Joan. 10. 30.] *Ego & Pater unum sumus*: &, [Joan. 17. 21.] *Sint in vobis unum sicut ego, & tu unum sumus*: &, [Joan. 17. 10.] *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*: &, *Creditis quia ego in Patre & Pater in me est?* & *Pater meus operatur & ego operor*: &, [Joan. 14. 10.] *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat, ita & Filius, quos vult vivificat*: &, [Joan. 5. 17.] *Qui me videt, videt & Patrem*: &, *Qui me odit, & Patrem meum odit*: &, [Joan. 5. 21.] *Clarifica Filium tuum, ut & Filius tuus clarificet te*: [Joan. 14. 9.] &, *Ego clarificavi te super terram, & manifestavi nomen tuum hominibus*. Et ut omnis humanę cavillationis quiescat intentio, Joannem Euangelistam, cujus superius usus sum testimonio, proferam testem, qui ait: [Joan. 1. 1.] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Si hæc tanta divinitati convenientia, quibus Patrem & Filium unum esse docuimus, perfidis non sufficiunt, alia si videtur, superadjiciamus.

32. *Probus judex dixit*. Si huic tam validæ & certæ prosecutioni Arrius nisus fuerit obviare, certum est eum non rationem sequi, sed per verborum irrationabilium campos effrenatim evagari, qui usque nunc trium substantiarum rationem ut superius fassus est, (sicut Athanasius unius, permultis ostendit documentis) per nescio quam nebulosam caliginem circuiens, adsertionem suam nequiverit demonstrare. *Arrius dixit*. Numquid quia ex divinis oraculis Athanasius, nescio quibus articulis, Filium unius esse substantiæ, & Patri coæqualem, ausu temerario visus est adfirmare, & Spiritum, qui Patris & Filii minister est, iisdem debet æquali confessione conferre: cum ipse Filius dicat: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet*. [Joan. 16. 14.] Et, *Mittam vobis Spiritum veritatis*. Et, [15. 26. 16. 15. 14. 26.] *Spiritus a me procedit, quem Pater mittet in nomine meo*. Et Pater ad mortuorum ossa dicit: *Dabo Spiritum meum in vos, & vivetis*. Numquid is, qui a Patre mittitur vel procedit, eidem debet æquari? cum Propheta de eo testatur, dicens: *Ecce Dominus* [Ezech. 37. 2.] *firmans tonitruum & creans Spiritum*. Prorsus numquam mihi videbitur creatura suo creatori æquari, aut una cum eodem posse potestate potiri. *Athanasius dixit*. Sapientiam & virtutem Dei, Filium esse, jam quidem superius demonstravi, ubi Apostolum dixisse probavi: *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*. [1. Cor. 1. 24.] Sed & nunc verius & plenius, si necessarium judicas, de hac eadem probatione replico testimonia.

33. Ipsa sapientia, id est Filius, per Salomonem clamitat, dicens: *Ego ex ore Altissimi processi*; & [Eccli. 24. 5.] ante, inquit, colles genuit me. Et quod eadem sapientia paterni luminis splendor sit, prædicti Salomonis pariter & David atque Apostoli testimonio comprobatur. Salomone quoque ita dicente: *Splendor lucis*, inquit, *æternæ, speculum sine macula*. [Sap. 7. 26.] Per quod & in quo sine dubio Pater videtur, ut ipse in Euangelio ait Filius: *Qui me videt, videt & Patrem*. [Joan. 14. 9.] Quod etiam David apertius declarans, ad Patrem loquitur, dicens: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. [Psal. 35. 10.] Audis lumen in lumine cerni, id est, Patrem in Filio contemplari? Paulus quoque congruentia his prædicat, dicens: *Qui cum sit splendor & imago substantiæ ejus*. [Hebr. 1. 3.] Verbum etiam nominatur; sicut Pater ad demonstrandam generationis suæ impassibilitatem pronuntiat, dicens: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Et, [Psal. 44. 2.] *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Et, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Deus*, inquit, *erat Verbum*, non prolativum, & sono vocis transiens, sed substantialiter in sua virtute manens, intelligas Verbum. Sed & quod consilium sit, Esaias testis est, dicens: *Vocabitur magni consilii Angelus*; [Esai. 9.] id est, paternorum tractatuum, vel consolationum dispensator & auctor; imo ipsa consolatio & tractatus; sensus etiam paterni pectoris demonstratur, ut Salomon ait: *Dominus sapientia sua fundavit terram: stabilivit autem cælos prudentia, sensu ejus abyssi diffluerunt*. De quo sensu Esaias & Apostolus dicit: *Quis cognovit sensum Domini?* [Esai. 40. 13.] Secundum illud Euangelicum: *Quia nemo scit Filium nisi Pater*. [Rom. 11. 34.] Claruit igitur quantum arbitror, Patrem, Filium ex se generando, & eumdem in semet habendo, nec auctum & diffusum, nec fuisse penitus diminutum; dum qui generat in nascentis perfectæ naturæ substantia dignoscitur permanere; nec extra se uterque diffunditur, dum uterque in se invicem manere cognoscitur, sicut Esaias, non extra infinitatem paternę naturæ tamquam ultra se effluentem Filium, sed in

se

se per communis substantiæ unitatem habitantem Patrem & Filium declarat, cum ad ipsum Filium loquitur, dicens: *In te est Deus*. Et: *Non est Deus extra te*. Esai. 45. 14.

34. *Probus judex dixit*. Quantum facultatis percipiendæ rationis humani sensus capacitas præstat, plenissime reor Athanasium superioris quæstiunculæ nodosa, totaque scrupulosæ opinionis ambigua, in quibus nostra hærebat intentio penitus amputasse. Si hoc ipsum etiam Arrio claruit, edicat apertius, & de his ad alia (si tamen, adhuc aliqua superesse putatis) tandem aliquando transeatur, quo celerius valeamus nperis hujus terminare negotium. *Arrius dixit*. Si mente pervigili, & sensu sagacissimo, summatim, particulatimque quęstionum a me propositarum dicta rimeris, profecto reperies, Athanasium non ad omnia dedisse responsum. *Probus judex dixit*. Quænam illa sunt, in quibus tibi satisfactum non esse arbitraris? designa manifestius. *Arrius dixit*. Quid opus est eadem rursus repetendo longum disputationis funem trahere, cum jam conveniat, ultimam te de cognitione sententiam promere. *Probus judex dixit*. Semiplenam non oportere sententiam inserre, vestra etiam prudentia mecum pariter recognoscit; ob hoc de sancto etiam Spiritu aliqua vos convenit disputando proferre. *Arrius dixit*. Ego Spiritum sanctum non solum Patre & Filio minorem, verumetiam voluntatis eorum ministrum & obsecundatorem confiteor, utpote creaturam Creatori reverentissimum famulatus obsequium præbentem. Qui tamen cunctis creaturis & melior, & post Filium primus sit. Nam si æqualis cum Patre (ut Athanasius profitetur) honoris privilegio insignitur, non diceret Filius, quia non loquetur a semetipso, sed quæcumque audierit loquetur: qui enim nihil ultronea potestatis auctoritate loquitur, jnbentis imperio per obsequium ministerii famulatur.

35. *Athanasius dixit*. Si judicis clementia permissum tribuit & largitur, ex divinis auctoritatibus, etiam Spiritum sanctum, non creaturam esse, sed Deum & Creatorem cum Patre & Filio, breviter demonstrabo. *Probus judex dixit*. Ut tua professio continet, approba breviter quod ratio exigit documentum, non ex argumento sermonis, sed ex divinarum Scripturarum testimoniis Spiritum sanctum Patri & Filio coæqualem esse. Aut (sicut ipse fassus es) Deum eum vel Creatorem communis operis esse ostende, ut dum hæc veridicis testimoniis approbaveris, Arrius eadem a sua intentione veræ fidei professione convictus abscedat. *Athanasius dixit*. Multo magis ex hoc apparet Spiritum sanctum a Patris & Filii substantia non esse alienum, dum non a seipso tamquam alienus & extraneus, sed utpote unius ejusdem naturæ socius, quæ Patris, & Filii communia sunt agit, & loquitur. Nam si de propriis loqueretur, non solum a Patre alienus, sed & fallax & deceptor proculdubio baberetur; quoniam, ut ait

Joan. 8. 44. Filius: *Omnis qui loquitur mendacium, de propriis loquitur*. Et ideo hic verum loquitur, quia non de proprio, id est, non a seipso, sed de Patris & Filii,

Joan. 16. 14. quæ loquenda sunt, loquitur: *De meo*, inquit, *accipiet, & adnuntiabit vobis*. Et ut ostenderet hoc esse accipere quod est etiam de Patre sumsisse, ait:

Joan. 16. 15. Ideo dixi, de meo accipiet, quia *omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Vides ergo Spiritum sanctum a Patre & Filio non esse discretum, dum ea loquitur quæ Patris & Filii propria esse noscuntur. Sed & Fi-

Joan. 14. 10. lius tale aliquid profitetur, dum dicit: *Non enim a meipso loquor, sed quæ audivi a Patre meo, nota vobis feci*. Qua sententia Filium & Spiritum sanctum, etiamsi Patre minor est (ut falso opinaris) sibi tamen ostendit æqualem, quod impie refugis. Si enim utrique nihil auctoritate propria loquendum præsumunt, nullo se invicem dignitatis honore præcellunt.

36. Adhuc tamen audi manifestius, quomodo Patri ęquales babeantur. Dicit itaque Filius: *Opera quæ ego facio ipsa testificantur de me*. Et iterum: *Ego ex me nihil facio, sed Pater in me manens ipse facit opera*. Joan. 10. 25. Joan. 14. 10. Quomodo nunc sua, quomodo paulo post, non sua dicit esse opera quæ facit? Sed volens utique unius naturæ demonstrare virtutem, perpetrandorum operum efficientiam, ad paternæ dignitatis retulit unitatem; ut dum opus Patris & Filii est, & opus Filii, Patris, (quia quæcunque Pater facit, eadem & Filius facit similiter) ex communi gestorum opere, communio cognoscatur esse naturæ. Sicut ergo sua opera non sua dicit, quæ tamen ipsius esse probantur, sic & verba non sua se loqui testatur, quæ profecto ejusdem esse noscuntur. Et quod de Filio, hoc etiam conjice de Spiritu sancto qui sic a seipso propter demonstrandam unius naturæ Deitatem, non loquitur, ut tamen quæ loquitur, ejus esse, & non aliena, credantur. *Et loquebantur*, inquit Lucas de Apostolis, *variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Act. 2. Et in Euangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Marc. 13. 20. Habet ergo ipse propriam fandi auctoritatem qui liberam ceteris loquendi tribuit facultatem. *Arrius dixit*. Quibus Scripturæ auctoritatibus docere poteris Spiritum sanctum Deum esse, quem ego creaturam esse confiteor? *Athanasius dixit*. Hinc præcipue declaratur Spiritum sanctum Deum esse, quia ubique est, & nullo continetur loco, sicut Propheta dicit ad Patrem: *Quo ibo a Spiritu tuo?* Psal. 138. Et commonet: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Sap. 1. 7. Esse enim ubique & uno eodemque momento cælos, terras, maria, infernaque replere, (ut David ait: *Si ascendero in cælum, tu illic es, & si descendero ad infernum ades;*) Psal. 138. 8. non creaturæ, sed solius Dei est proprium.

37. Denique quia idem est incompositæ, id est simplicis naturæ: nam creatura omnis, quantum ad naturæ ordinem pertinet, composita est. Si itaque Spiritum sanctum compositum ex diversitate formarum valueris ostendere, tunc demum consequens erit, ut cum creaturam esse nullus audeat dubitare. Tunc autem necesse erit, ut si creatura est, doceas eum communem esse cum ceteris, vel Angelis, vel Archangelis, aut Potestatibus & Principatibus, & unum esse ex illis, ac sic unicum & singularem non esse demonstres, quod nequaquam utique, obnitentibus & undique reclamantibus Prophetis atque Apostolis, poteris demonstrare, Salomone quidem ita dicente: *Spiritus sanctus simplex unicus, & cetera*. Sap. 7. 22. Et Apostolo contestante, *Unus Spiritus*. Ephes. 4. 4. Et iterum: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*. 1. Cor. 12. 11. Ac rursus: *Quoniam per ipsum*, inquit, *babemus accessum, utique in uno Spiritu*. Ephes. 2. 18. Cernis igitur eum qui unicæ ac simplicis naturæ est, Deum potius quam creaturam esse. Denique si creature & non Deus est, quo utilitatis beneficio, in nomine ejus lavacri vitalis regeneratio celebratur? *Baptizate*, inquit Dominus, *gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Matt. 28. 19. Quid enim nobis præstare potest, si Deus non est? Qualis quæso est ista creature, quæ unum cum Patre possidet nomen? Quem si in baptismate non nominaveris, frustra videbitur mysterium omne, perfectum non erit Sacramentum. Incassum quippe Patris & Filii nomine uteris, illo non nominato. Creaturam ego creatricem esse non posse nulli est omnino ambiguum.

38. Hunc autem Spiritum creatorem esse, Scripturæ divinæ ubique loquuntur, sicut in Job volumine

legi-

Job. 33. 4. legimus: *Spiritus divinus est qui fecit me*. Nam cunctam generaliter creaturam operasse Spiritus sanctus designatur, sicut David evidentius declarat, dicens:
Psal. 8. 4. *Quoniam videbo cælos, opera digitorum tuorum*, Verbi videlicet & Spiritus sancti. Digitum enim esse Spiritum sanctum, cujus opera esse cælorum fabricam sacro Propheta concinit ore: perspicue Dominus in
Luc. 11. 20. Euangelio demonstravit dicens: *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, supervenit in vos regnum Dei*. Quo digito lex Dei in duabus tabulis lapideis conscripta
Exod. 31. 18. refertur, ut in Exodo legimus: *Accepit*, inquit, *Moyses duas tabulas scriptas digito Dei*. Unde ostenditur
B hunc Spiritum sanctum legislatorem esse, cujus lex a peccatis homines liberat, secundum attestantis Pauli
Rom. 8. 2. præconium: *Lex Spiritus vitæ liberavit me a lege peccati & mortis*. Cujus virtutis potentiam Magi quoque Pharaonis mirabiliter confitentur, dicentes:
Exod. 8. 19. *Hic digitus Dei est*. Adhuc autem creatorem esse Spi-
Psal. 32. 6. ritum sanctum David apertius declarat dicens: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis*
Psal. 103. 30. *virtus eorum*. Et iterum: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*. Virtutes autem cælorum Angelos esse nemo dubitat, qui etiam secundum Apostoli testimonium, in hunc Spiritum tanquam in suæ originis au-
C ctorem reverentissime desiderant aspicere. Dicit e-
1. Pet. 1. 12. nim ita: *Ea quæ sunt vobis a Spiritu sancto missa de cælis: in quem concupiscunt Angeli prospicere*.

39. Si Deus non esset, faciendi quæ vult proprium non haberet arbitrium: at cum in dispensatione Sacramenti, libertate utitur voluntatis, nec exspectat jubentis imperium, apparet eum esse non creaturam, sed Deum. Apostolus enim cum de cælestium donorum diversitatibus loqueretur, ad extremum in-
1. Cor. 12. 11. tulit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem*
Heb. 2. 4. *Spiritus dividens singulis prout vult*. Et iterum: *Spiritus*, inquit, *Sanctus distribuit omnibus secundum vo-*
D
Joan. 3. 8. *luntatem suam*. Et Dominus in Euangelio ait; *Spiritus ubi vult spirat*. Si Deus non est, quomodo vivi-
2. Cor. 3. 6. ficat, Apostolo dicente: *Littera occidit, Spiritus au-*
Rom. 8. 11. *tem vivificat*? Et rursus de Deo: *Vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum suum*
Joan. 6. 64. *in vobis*. Et Dominus in Euangelio: *Spiritus est qui vivificat*. Unde & in Ezechiele: *Spiritus vitæ* appel-
Ezech. 10. 21. latur; *Spiritus*, inquit, *vitæ erat in rotis*. De quo Dominus in eodem Propheta, mortalium corporibus
Ezech. 37. 7. dicit: *Ecce ego intromittam in vos Spiritum meum, & vivetis*. Ergo qui vitam tribuit Deus est: nam si
E Deus non esset, quomodo mundum judicaturus venire prædicatur, Domino dicente in Euangelio:
Joan. 16. 8. *Cum venerit Paraclitus, ipse arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio*?

40. Audi aliud argumentum, quo clareat Deum esse Spiritum sanctum. Vocat Pater fideles in gratiam suam, vocat Filius, vocat Spiritus sanctus: qui si creatura esset, parem ac similem vocandi auctoritatem non
Gal. 1. 15. haberet. Nam de Patre Apostolus dicit: *Quando autem placuit Deo, qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit in gratiam suam*. Et de Christo,
Rom. 16. Romanis scribens: *In quibus estis & vos*, inquit,
F *vocati Jesu Christi*. De Spiritu sancto Lucas in Acti-
Act. 13. 2. bus Apostolorum dicit: *Jejunantibus & ministrantibus illis* (id est, Apostolis,) *dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod vocavi eos*. Revelatorem quoque esse mysteriorum
Act. 11. 28. Spiritum sanctum eadem Scriptura testatur: *Exur-*
Act. 10. 19. *gens*, inquit, *Agabus, significavit per Spiritum, famem magnam futuram*. Et iterum: *Cogitante autem Petro de visione, dixit Spiritus sanctus: Ecce viri tres quærunt te, surge, descende, & vade cum illis nihil dubitans, quia ego misi illos*. Sed ne multa in unum congerendo testimonia, in longum prosecutionis no-

A stræ tendatur oratio, breviter universa recolligo. Quid ergo tibi videtur, optime Judex, num Spiritus sanctus Deus non est, qui compositus non est, qui unicus ac singularis est, qui Creator ac vivificator est, qui cum Patre & Filio unum possidet nomen, qui peccata donat, qui sanctificat, qui gratiarum charismata pro sui voluntate dispensat, qui mysteria revelat, qui legem dat, qui auctoritate sua ad gratiam vocat, qui mundum judicat, qui tentatores suos condemnat, in quo irremissibiliter impii blasphemant? Si hic talis Deus non est, ostendat quid amplius habere possit qui Deus est.

B 41. *Arrius dixit*. Quanquam sit sermo omnis contradictioni obnoxius, & velut quodam responsionis clypeo objectionum tela repulsa frustrentur, tamen istam quam nunc intendimus quæstionem, quantacumque Athanasius ingenii subtilitate conetur eludere; nunquam valebit non dico totam, sed ne ullam quidem ejus particulam rationabilibus dissolvere argumentis. Dicit Spiritum sanctum Deum esse; quod quidem nusquam evidentius valuit demonstrare. Esto tamen, ut ei contra rerum veritatem concedam, ob hoc Spiritum sanctum Deum videri vel esse posse, quod talia operetur quæ non nisi Deo convenit operari. Ergo
C Deum Patrem, Deum Filium, Deum fatetur Spiritum sanctum; ac per hoc tres Deos, & si non aperta impietate, ipsa tamen professionis videtur conditione introducere, & per hoc nos ad eum unde digressi fueramus multorum deorum errorem quodammodo revocare incipit. Velim, optime Judex, (si tamen possibile sit) deprehendere novum istum egregium artis suæ magistrum, solutis præstigiorum fraudibus convenientium oculos illudentem. Ut enim trium deorum confessionis periculum evadat, subito eos, uti tres unus appareat, incomprehensibili phantasmate con-
D flat dicens: Sed hi tres unus Deus. Rursus quos nescio qua coagulatione permixtos & counitos in unum Deum redegerat, iterum eos separatos triformes ostendit, dicens: Et hic unus Deus Trinitas est. Vide si vales (oro te) inaudita hæc & invisa pessimæ imaginationis vestigare portenta. Ego enim comprehendere nequeo quemadmodum sit Deus nunc unus, nunc tripartitus; nunc ex tribus in uno confusus, nunc ex uno in tribus distinctus; nunc compositione quadam ex partibus conformatus, nunc derivatione nescio qua ex uno iterum in partes divisus. Ait enim: Tres sunt exstantes in sua substantia per-
E sonæ, & permisceri non debent, ne statum proprium perdant. Secundum meam, magisque veritatis sententiam, ait: Si una est persona, hoc ipsum simpliciter fateatur, & libere in Sabellii transeat dogma. Nam quid opus est ad illudendam veritatem diversis formis & imaginibus variari, & sic Sabellium fugere, ut in me incurrat; sic a me refugere, ut eum Sabellius capiat? Quia ut se impietate Sabelliana exuat, quem unum dicit, tres esse adfirmat. Sed ne ego eum in tribus teneam reum, de tribus nescio quo artificio unum conflat. Jam si aliquam verisimilem habet hæc fides rationem,
F æquitatis tuæ est judicare, optime Probe.

42. *Probus judex dixit*. Quem unum dixeris, eumdem rursus tres appellare; & quos tres credideris, eosdem iterum unum fateri Deum, quantum ad humani sensus pertinet rationem, multum inconsequens esse videtur: nisi forte hoc divina auctoritate credere jubeamur. Unde ad hæc tam valida, tamque invicta, quæ Arrius objicit, Athanasius respondere non differat. *Athanasius dixit*. Frustra visus es nodis (ut tibi videtur) insolubilibus verborum texere retia; non intelligens, neque prospiciens, te quoque his objectionum tendiculis posse involvi.

Nam

Nam quia mihi de tribus intendis, hanc tibi de duobus refero quæstionem. Si unum Deum colis, & non est alius præter unum, quomodo duos ad cultum venerationis inducis? Profitendo enim Patrem Deum, & Filium Deum, aut bipertitum Deum, aut duos diversos convinceris profiteri; ac per hoc geminæ Divinitati impium exhibes famulatum; dicente Domino: *Non potestis duobus dominis servire*. [*Matt. 6. 24.*] Sed ne ego quidem temeritatis notam incurram, si te de divina professione pari quæstione constringam, cujus præcipua veneratio silentium magis, quam callidas exigit quæstiones; illuc mihi necessario video festinandum, ut tres unum esse, & unum tres esse, & si non ratione qua homo sum, tamen auctoritate perdoceam. Ipsam itaque Trinitatem audiamus dicentem: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. [*Genes. 1. 26.*] Qui faciendum decernunt tres sunt, Pater & Filius & Spiritus sanctus. Sed hi tres unus est. Denique intulit: *Et fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem Dei*. [*Ibid. 27.*] Ut ergo Trinitatem agnoscas, pluraliter dictum est: *Faciamus*; & ut hanc Trinitatem unum Deum esse non nescias, adjecit singulariter: *Et fecit Deus hominem*. Et iterum: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*. [*Genes. 2. 18.*] Ecce & hic pluraliter dicitur, *faciamus*, in consequentibus autem singulariter infertur: *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei, masculum & feminam creavit eos*. [*Genes. 5. 1. 2.*] In consultatione tres, in opere unus refertur, ut non diversitas voluntatis, sed unitas appareat potestatis.

43. Et iterum: *Visus est Deus Abrahæ, ad quercum Mambre, aspexit, & ecce tres viri steterunt ante ipsum, & procidens adoravit, dicens: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ne transieris servum tuum*. [*Genes. 18. 1. 2. 3.*] Ecce & unus dictus est apparuisse, & tamen tres erant; & licet tres essent, tamen unus erat. Cum enim dicit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ne transieris servum tuum*; ostendit unum esse. Rursum cum dicitur: *Adferatur aqua, & laventur pedes vestri*; ostendit tres esse. Iterum cum dicit: *Apposuit eis mensam & manducaverunt: ipse vero stabat ante ipsos sub arbore*; [*Genes. 18. 4.*] ostendit tres esse. Et cum subjungit: *Dixit autem ad eum: Ubi est Sara uxor tua*, ostendit unum esse. Item cum dicit: *Surgentes inde viri, ibant ad faciem Sodomorum, Abraham autem comitabatur cum eis*; [*Ibid. 16.*] ostendit tres esse. Et cum repetit: *Dixit autem Dominus: Num celabo ego puerum meo Abrahæ quæ Sodomis facturus sum*; ostendit unum esse. Sed & sacra illa supernarum virtutum carmina, unum tres esse, & tres unum esse demonstrant. Isto enim resonant modulo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*: [*Esai. 6. 3.*] dum tertio repetunt, *Sanctus*, Trinitatem insinuant: dum semel dicunt, *Dominus*, hanc eamdem Trinitatem unum esse Deum designant. Huic etiam mysterio illud evangelicum congruit sacramentum, quod Dominus præcepit, *baptizandas gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. [*Matt. 28. 9.*] Ecce habes tres in uno deitatis nomine subsistentes. Nomen enim Patris & Filii & Spiritus sancti, Deus est, de quo nomine in Numerorum libro Dominus ad Moysem loquitur, dicens: *Vivo ego, & vivit nomen meum*. [*Num. 14. 21.*]

44. Nam & illud non tibi videatur otiosum quod idem Filius sub ingenti mysterio Trinitatis loquitur, dicens: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob*. [*Act. 7. 32.*] In eo enim quod ait: *Ego sum*, unum Deum ostendit, & id quod tertio repetit: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob*, Trinitatis apertius declarat sacramentum. Audi adhuc & intuere evidentius arcani hujus mysterium. Dicit Esaias: *Vidi Dominum sedentem in throno*. [*Esai. 6. 1. 8. 9.*] Et infra: *Et dixit, Quem mittam, quis ibit ex nobis?* Haud dubium quin ad prædicandum populo Judæorum. *Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et ait, Vade, & dices populo huic*. Cum ergo singulariter dicit: *Quem mittam?* unum indicat Deum, & dum infert pluraliter: *Quis ibit ex nobis?* aperte Trinitatem insinuat. Percipe adhuc manifestiorem, si mentis aures gestas apertas, hujus fidei veritatem. Conditorem cæli & terræ Patrem esse & Filium & Spiritum sanctum, ex iis quæ jam superius protulimus evidentius declaratur, cum pluraliter dictum fuisse docuimus: *Faciamus hominem*, [*Genes. 1. 26.*] ubi tota ipsa Trinitas intelligitur hominem fabricasse. Sicut hæc eadem rursus in baptismate creditur hominem reformare. Vel etiam illud quod Propheta ait: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. [*Psal. 32. 6.*] Et Salomon ex persona Sapientiæ pronuntiat, dicens: *Cum pararet cælos, aderam illi: cum fortia faciebat fundamenta terræ, ego eram cum illo componens omnia*. [*Prov. 8. 27. 29. 30.*] Constat igitur, ut dixi, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, id est, totam Trinitatem, mundi creatricem esse. Audiamus ergo per Esaiam Prophetam, quod tres unus sit Deus. Dicitur enim ibi: *Ego Deus firmans cælos solus & stabiliens terram & nullus mecum*. [*Esai. 44. 24.*] Utrum Patris an Filii volueris esse hanc vocem. Si non totam Trinitatem unum Deum credideris, hæc sententia non stabit. Ait enim: *Stabiliens terram & nullus mecum*. Et utique Filius cum Patre erat qui dicit: *Cum pararet cælos aderam, & cum fortia faciebat fundamenta terræ, ego eram penes illam*. [*Prov. 8. 27. 29. 30.*] Cum igitur clareat in conditione orbis solitarium non fuisse Patrem, quippe cui aderat Spiritus sanctus, & Filius, utpote unius divinitatis virtutisque consortes; quid est quod se solum, nec ullum alium secum fuisse testatur, nisi ut intelliges se ipsum & Filium, & Spiritum sanctum unum dixisse Deum, cum quo alius extraneus & a natura ejus alienus non fuit Deus? Et recte Moyses de Filiis Israel locutus est, dicens: *Solus ducebat eos, & non erat cum eo Deus alienus*; [*Deut. 32. 12.*] cum utique & Filium & Spiritum sanctum cum populo fuisse nec iste possit Arrius denegare. Sed Filius & Spiritus sanctus non est alienus, qui cum Patre unus est Deus.

45. Audiamus autem & beatissimum Paulum de hoc eodem mysterio apertius differentem, & tres unum Deum confirmantem, sicut in libro quem adversus Maribadum nefandæ hæreseos vestræ diaconum edidimus plenissime constat expressum, de quo nunc in hoc loco perpauca interserimus. Dum ergo ille objiceret quod unio excludat æqualitatis Trinitatem, æqualitas repellat unionem; inter alia multa hoc ego retuli. Audi, inquam, Apostolum hanc Trinitatis unionem calcatius prædicantem. Dicit in epistola ad Corinthios prima: *Divisiones donationum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus*. [*1. Cor. 3. 4. 5. 6.*] Quia Trinitas est, tres nominavit. Et quia ipsa Trinitas unus Deus est, cum tres connumerasset personas, non dixit pluraliter: *Qui operantur*; sed singulariter: *Qui operatur*. Et ne pravo, inquam, intelligentiæ sensu de Patre eum solo dixisse arbitreris, *qui operatur omnia*, & non etiam simul de Filio & Spiritu sancto, diligentius in subjectis quid dicat ausculta. Cum enim multa divinæ gratiæ opera numerasset, ait: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*. [*1. Cor. 12. 11.*] Cernis operantem Patrem, operantem Filium, operantem Spiritum sanctum? & cum simul tres operentur, non de eis dicitur, *qui operantur*, sed, *qui operatur*, ut unus Deus in Trinitate monstretur. Item Filium & Patrem idem Apostolus nomi-

1. Thess. 2. 15. minans: *Ipse Dominus noster Jesus Christus, & Deus* A *Pater qui dilexit nos*. Et cum de duobus nominasset & unum esse ostenderet, non dixit, *qui dilexerunt*, Ibid. 16. sed, *qui dilexit*; nec ait, *consolentur*, sed, *consoletur* 1. Thess. 3. 11. *corda vestra*. Item, *Ipse autem Deus Pater noster & Dominus Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos*. Nec hic ait, *dirigant*, sed, *dirigat*. Hactenus de illo opere mutuantes Trinitatem unum Deum esse apostolico sensu docuimus: ad reliqua festinemus.

46. Exemplis etiam naturalibus hoc fidei sacramentum posse maxime commendari Apostolorum edocent Acta, narrante Luca de credentibus: *Mul-* Act. 4. 32. *titudinis autem credentium erat cor unum & anima* B *una*. Si hoc fidelibus per baptismi regenerationem contulit gratia, ut multæ eorum animæ, una sit anima, cur non multo congruentius de Trinitate credatur, quod unus sit Deus? ut quod nos per gratiam, hoc illa Trinitas habeat per naturam. Nam & si diligentius perspiciamus, invenimus etiam in nobis quiddam naturæ, quod illi beatissimæ atque ineffabili adsimiletur, licet longe aliter, Trinitati. Neque Genes. 1. 17. 5. 1. enim frustra scriptum est: *Deum fecisse hominem ad imaginem & similitudinem suam*. Hominem ergo ex tribus constare, id est, ex corpore & anima & spi- C 1. Thess. 5. 23. ritu, Apostolus testis est, dicens: *Ut integer corpus & anima & spiritus in diem Domini nostri Jesu Christi servetur*. Si in corruptibili & composita natura, tantæ unitatis mysterium reperitur, ut unus tres sint & tres unus homo sit, quanto pulchrius & honestius de Trinitate accipitur, quod unus sit Deus, non confusionis permistione, sed unitate naturæ? His ergo & aliis quamplurimis testimoniorum documentis rerumque exemplis imbuti, nec Sabellium incurrimus, tres unum fatendo, nec tuæ perfidiæ laqueis irretimur, dum hunc Deum Trinitatem esse ingenue profitemur.

47. *Probus judex dixit*. Contra hæc quæ Athanasius prosecutus est, si quid tibi e diverso replicandum remansit in medium proferre curato. *Arrius dixit*. Sunt quidem quamplurima quæ Filium & alterius naturæ, & inferioris doceant esse Filium potentiæ; sed quoniam alibi a nostris contra istorum errores plenius objecta sunt, quid opus est hæc eadem rursus repetere, & laciniosam altercationis præbere materiam? Si placet igitur, de habitis inter nos disputationibus serto sententiam. *Probus judex dixit*. Jam superius interfatus sum semiplenam non oportere sententiam promere. Superest ut si quid vo- E bis remansit peragere dignemini. *Arrius dixit*. De his quæ cognitioni tuæ patuerunt pronuntiare digna- re. *Athanasius dixit*. Reliquarum quæstionum quibus Arrius opinatur posse Filium a Patre ostendi minorem, principale illud est, quod idem Filius ait, Joan. 6. 38. *Pater major me est*. Quod jam cognoscitur intentasse, & huic velut capiti cuncta quæstionum inhæ- Joan. 5. 19. rent membra. Nam quod ait: *Non veni facere vo-* Joan. 8. 28. *luntatem meam*. Et: *Non potest Filius a se facere quic-* Joan. 7. 16. *quam*. Et: *Sicut docuit me Pater sic facio*. Et: *Do-* Joan. 9. 4. *ctrina mea non est mea*. Et; *Me oportet operari ope-* Joan. 8. 42. *ra ejus, qui misit me*. Et: *Non a me veni: ille me* F Joan. 15. 1. *misit*. Et: *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est*. Joan. 6. 58. Et: *Ego vivo propter Patrem*. Vel quod diem igno- Matt. 24. 36. rare se fatetur, & quod Patrem suum vocet Deum, Marc. 13. 31. & de calicis translatione precatur, & se in cruce Joan. 5. 18. derelictum conqueritur, & quod Spiritum suum Pa- Mat. 26. 39. tri commendat, & si qua possunt alia hujusmodi esse, Mat. 27. 46. illo respiciunt, quæ a nobis cum omni metu & re- Luc. 23. 46. verentia, secundum dispensationem carnis, qua non solum Patre, verum etiam Angelis & hominibus minoratur, & dicta vel facta intelliguntur.

48. Tantoque nos beneficio ejus obnoxios cre- A dimus, quanto hæc & indigna esse ignoramus: qui nos tanto dilexit amore, ut ad ista tam vilia tam injuriosa semetipsum voluerit inclinare. Nam quia Angelis minoratus est, jam supra ut memini, plenius docuimus, ubi dicentis Apostoli verba posuimus. Hunc autem Jesum vidimus propter passionem mortis paulo minus ab Angelis minoratum. Quod vero & hominibus minor sit factus, Esaiam audi dicentem: *Vidimus eum & non erat species ei, neque* Esa. 53. 2. 3. *decor, sed species ejus despecta & deficiens super filios hominum*. Sed & Lucas Euangelista de eo ait: *Et* Luc. 2. 51. *erat subditus parentibus suis*. Quæ omnia si secun- B dum humanitatis formam accipiantur non solum Patre, sed & Angelis & hominibus inferior ejus divinitas invenitur. Verum quia utramque in se naturam habuit, Dei scilicet & hominis, utriusque naturæ res loquitur, atque agit. Neque enim ejusdem naturæ est dicere: *Pater major me est*, & dicere: *Ego* Joan. 14. 28. *& Pater unum sumus*. Dicere, *Non potest filius a se* Joan. 10. 30. *facere quicquam*; & dicere, *Omnia quæcunque Pater* Joan. 15. 19. *facit, hæc & Filius similiter facit*. Dicere, *Non ve-* Joan. 6. 38. *ni facere voluntatem meam*; & dicere, *Sicut Pater* Joan. 5. 21. *suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos* C *vult vivificat*. Unde & cum auctoritate liberæ vo- Mar. 1. 41. luntatis leproso ait: *Volo, mundare*.

49. Non ergo, inquam, unius naturæ est præsepis gremio contineri, & astrorum indiciis prodi: hominibus subjici, & ab Angelis ministrari: de loco ad locum fugere, & ubique sui præsentiam exhibere: terrena incolere, & cælestia non deserere: tentari a Diabolo; & ejus in abyssum mittere legiones: esuriem sustinere; & multa hominum millia saturare: aquam sitire, & fluenta laticia in vini naturam mutare: unius momenti ad extinguendam sitim putealis pocula poscere, & undosi amnis perennes mea- D tus tribuere: rate æquora transmittere, & eadem incessu mirabili sicco vestigio terere: ignorare diem, & Patrem scire: duas petentibus sedes non concedere, & sponte duodecim simul promittere thronos: mortem formidare, & morti illudere: capi, timere, & captivos reducere, totaque inferni jura penitus compilare: desolatum se conqueri, & mox latronem Patriarcharum consortio adsciscere: omnia ex nihilo condidisse, & eorum potestatem triumphata morte accipere. Vides ergo cognitorum optime Probe, in hac dispensatione carnis adsumtæ, divinitati nihil fuisse penitus derogatum, dum ubi E corpore humilitatis impletur officium, ibi divinarum coruscant miracula virtutum. Ergo æqualis est Patri, juxta id quod Deus est; & minor est Patre, juxta id quod homo factus est.

50. Hæc idcirco ego breviter in unum responsionis cumulum cuncta congessi, quoniam de his omnibus quæstionum capitulis latius & plenius Beatus noster disputavit Ambrosius, contra quem Palladius Arrianæ perfidiæ Episcopus, dum jam, credo, ille sanctus humanis rebus fuisset exemptus, in refutatione dictorum ejus quædam credidit conscribenda. Si quid ergo nunc a te objici potuit, ille jam suis objectio- F nibus occupavit; cui quoniam uno jam respondi libello, melius reor, si qua hic fortasse omissa videntur, ibi plenius divina opitulante gratia explicare, ut in illo se quoque Arrius superatum agnoscat. Quamobrem dignare (optime Probe) ultimam de cognitis ferre sententiam. *Probus judex dixit*. Si post innumerabilia testimonia cælesti magisterio promulgata, Arrio aliquid remansisse videtur, proponere non gravetur. Quamquam, ut reor, nihil illi responsionis remanserit, in quibus videlicet responsionibus possit Athanasium de unius substantiæ, id est Homousii, ratione depellere. Sed ne postmodum de ali-

aliqua oppressione causetur, a nobis nullus ad respondendum locus ei adimatur. *Arrius dixit*. Nulli dubium est, quod magicis artibus Athanasius non desinet judicum pervertere sensum, ut rectæ fidei tramitem, erga eos qui eam religiosius sectantur & colunt, tenere non possint, & idcirco quod in examine tui culminis explicare non veleo, Principis judicio reservabo, ubi veritatis indago præpollet, & magicas artes ob veræ fidei observantiam prævalere non posse credendum est. *Athanasius dixit*. Qui suis adsertionibus adesse non possunt, quibuslibet fallacibus argumentis vel cavillationibus excusationem sibi invenire non desinunt, sicut nunc id facere Arrium, plenius vestre perspicit magnitudo. Mihi vero ad omnia, quæ ab eo io vestri culminis præsentia proposita sunt, veram fidem vindicanti respondisse sufficiat.

Probi judicis sententia.

LIBER TERTIUS.

1. PRobus judex dixit. Amore veritatis & fidei inter sectatores christianæ religionis, id est Athanasium, Sabellinm, Arrium & Photinum, erbiter sedi. Qui quoniam diversitate dogmatum, & sententiarum varietate, longo discriminis intervallo a se invicem dirimuntur, studiosius explorare curavi, cujusnam eorum fides veris adsertionibus insigniretur. Quod ut facilius cognoscere possem, singillatim eos fidei suæ feci proferre sententias, easdemque documentis probabilibus roborare, mee interlocutione flagitevi; obviantibus sibi scilicet & refellentibus his, qui contravenirent: ut eliis defendentibus, aliis obnitentibus, lucidissimæ veritatis egnitio panderetur. Quod eos ite fecisse ipsarum prosecutionum lectione demonstratur.

2. Cum igitur Sabellio primum disputandi licentiam consultatione potius quam auctoritate tribuissem, talem de Deo fidei sententiam protulit, quod diceret Patrem ita solitarium & singularem sine ulla exstantis Filii, vel Spiritus sancti persona, subsistere; ut ipse magis Filii atque Spiritus nomine censeatur: trinomium adserens Deum, id est, tanquam si una species vel persona tribus vocabulorum nominibus nuncupetur, non distinctione generis, sed officii permutatione; ut Pater, non quia genuit, sed quia condidit habeatur: idemque ipse de paterni honoris dignitate decidens, per quædam naturæ eugmenta, aut potius detrimenta in Filii nomine, ex virginei ortus nativitate transierit. Sed hæc inepta esse & impia omnique fidei veritate carentia, eorum qui contraveniebant prosecutionibus manifestissime claruit. Ostensum namque est, multis & copiosis divinarum lectionum probamentis & Petrem, & Filiom & Spiritum sanctum suis specialiter & propriis exstere personis: alium esse genitorem, alium genitum, alium geniti etque ingeniti Spiritum sanctum, licet secundum Athanasii probabilem fidei veritatem, aliud esse non possint, cum alius etque alius credi possint, & profecto sint. Quia enimvero extremæ atque profundæ stultitiæ genus est, Patrem nominare eum qui non genuit, & Filium credere eum qui genitus non sit; seu per inania & rebus vacua falsorum oominum commenta, humanarum mentium sensus evocare, & ludicris sententiarum objectionibus fidei Christianæ inludere.

3. Postquem ergo istius erroris præstigia prodita patuere, & Photinum fidei suæ, si valeret, adesse mea interlocutione præcepi. Qui in ipso prosecutionis suæ exordio Dominum nostrum Jesum Christum A purum hominem & Verbi divinitate vacuum fuisse adseruit, & eo usque per quosdam beatæ vitæ profectus illustrius eminuisse, ut in Dei ac Domini appellationem jure transiret, non naturali dignitatis privilegio, sed accidentis probæ ec dignissimæ merito actionis: impium esse dicens neturam Divinitatis in eo eccipere, qui & meterni uteri gestamine vectus sollemnes feminei pudoris conditiones transierit, & natus vagitusque expertus, ætatis quoque sortierit incrementa: & io tantum nostræ fragilitatis communia non evaserit, ut & esurierit, & sitierit, ignoraverit, tentatus sit, mori timuerit, & mortuus sit. B Illa vero quæ in ejus gestis miraculis plene narrantur non ut Deus (quod non erat) egisse, sed munere patrocinantium meritorum divinitus asseruit impetrasse. Sed hæc etiam probrosæ infidelitatis doctrina, numerosis & multiplicibus documentis impia esse & inanis epparuit, & Deum quoque esse quem ille solum hominem contendebat, ex illo præcipue claruit testimonio, quod Joannes Euangelista testatus est dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* (Joan. 1. 1.) Per quod non solum ante C sæcula Deum epud Deum, verum etiam totius creationis exstitisse enctorem, declaratum est. Plura etiam & elie his similia sicut prosecutionum corpore tenetur expressum, prolata sunt testimonie, quibus dilucide epparuit hoc Verbum Deum, de Petris utero ante sæcula genitum, & in fine temporum ob emorem hominum, nostri generis suscepisse naturam, in qua, salva sui natura, in una tamen eademque persona omnes humanæ fragilitatis subierit passiones.

4. Excluso itaque etiam Photino & ejus errore meis interfatibus ebdicato, pondus omne negotii, D tota fidei summa ex Arrii atque Athanasii altercationis conflictatione pendebat. Quibus dum ineundi certaminis copiem tribuissem, hunc Athanasius fidei suæ tramitem pandit, ut Petrem & Filium & Spiritum sanctum unius essentiæ, uniusque diceret esse oaturæ. E contra vero Arrius referebat, in tantum unius eos non esse substantiæ, ut dignitate, potentie, honore Patrem Filio multum excellere; Filium vero intra hæc, & longe ioferius subsistere diceret; Homousii quoque vocabulum tamquam peregrinum, & ab Scripturis divinis alienum nuperque apud Nicæam argumento potius quam euctoritate repertum, E penitus repudiandum ajebat, eut certe divinis contineri litteris sibimet demonstrari poscebat. Alioquin nominis ipsius simul faciendam esse jacturam obnixissime perorabat. Sed Athanasius utrum nominis novitate an verbi virtute offenderetur, dum inquireret, utrumque sibi Arrius displicere respondit. Ex quo epparuit, eum non ob hoc Homousion suscipere nolle, quia novum erat, sed quia fidei ejus molimina destruebat. Sed dum iterum ac sæpius proprietatem vocabuli pure & specialiter in Scripturis positi flagitaret, id Athanasius ellegabat, Ecclesiasticæ consuetudinis esse, quando epostolicæ fidei terminos in- F solens & temeraria hæreticæ fraudis audacie præterisset, his propositionum nexibus inenodabiliter vinciretur, quibus ipsam catholici sensus libertatem intra perfidiæ suæ laqueos implicatam retinere putabat.

5. Et nt se Athanasius entiquorum auctoritate muniret talia priscæ consuetudinis exempla protulit, quæ Arrius non solum negare non posset, verum etiam pari cum eo fidei ratione defenderet. Proposuit igitur ad demonstrandam super nominum novitatibus antiqui moris regulam, quod contra Sabellium, qui Patrem genitum adserebat, ingenitum et-

que

que innascibilem debere Catholicos profiteri, præteritorum Conciliorum decreto fuisse initum, cum hoc ipsum evidentius positum Scripturæ divinæ auctoritate ostendi non posset; sed hoc profitendum, & ipsa rei veritas, & necessites hæreticæ professionis exigeret. Item Deum de Deo, lumen ex lumine, Filium confitendum, Episcopos religionis, quam Arrius tradidit, sectatores, in Sirmiensi Synodo tradidisse, quod ipsum etiam simpliciter & specialiter in Scripturis divinis positum inveniri non posse: & quam plura his similia protulit documenta, quæ gestorum serie tenentur expressa, quibus ostenditur, ad ostendendas hæreticorum insolentias, novorum nominum vocabula fuisse præsumta: nec tamen contra vetitum Apostolicæ sententiæ eos fecisse credendum, quæ prophanas vocum novitates præcepit evitandas. Sed prophanas, inquit, non religiosas. Nam religiosum esse, ingenitum dicere Patrem, & Filium Deum de Deo, lumen ex lumine, veros quoque Christianos Catholicos nuncupari, novi nominis docetur esse vocabulum. Simili ergo modo, ajebat Athanasius, etiam Nicæno evenisse Concilio. Utque Arrius contra fidem rerum Triousion, id est, tres substantias inducebat, Homousion, id est unius cum Patre Filium substantiæ confitendum, Episcopos censuisse. Et erat omnino consequens, ut si Homousii professio tanquam e lege peregrina censeatur, Triusiæ quoque inventio pari ratione consfrustretur. Aut certe doceret Arrius Triousion specialiter in lege conscriptum, sicut Athanasium de Homousii proprietate cogebat. Sed cum hoc penitus ostendere nequivisset, claruit eum superflua de Athanasio exegisse, quæ ipse minime potuit demonstrare.

6. Et cum se pari quæstionis vinculo arctatum cognosceret, tandem aliquando in eum sententiæ placitum reflexit adsensum, ut nudi sermonis probatione omissa, rebus atque rationibus edocerent, Patris & Filii aut unam aut diversas esse naturas. Sed hinc Athanasius clarius atque apertum unius substantiæ indicium dabat, quo Patrem ex ipso, & non extrinsecus Filium genuisse monstrabat, fierique non posse aliud eum, quam id quod ipse est, edidisse, cum & divinæ generationis verites pro sui honoris reverentia id esse credendum exigeret, & rerum naturalium consuetudinis auctoritas invitaret, non posse parentes dissimilis naturæ filios procreare. Et ideo secundum Arrii senteotiam, qui alterius substantiæ quam Pater est, Filium adserebat, hoc humano sensui intelligendum posse reliquit; ut si vere Filius in diversitate naturæ est, non tam genitus quam factus esse videatur; sitque vacua & inanis Filii Patrisque appellatio, dum specie tenus magis quam veraciter, aut ille genuisse aut hic natus prædicantur. Aut si vere quidem de Patre natus adseritur, nec tamen unius cum eo ejusdemque substantiæ creditur, degenerem eum & instar alicujus monstri, alias quam paterna natura dictabat, editum convenit profiteri. Quod cum sanctæ illi, & beatissimæ atque ineffabili non congruat Majestati, maxime cum, & animantes ab hoc pessimæ conditionis prodigio natura liberos reddiderit, ne aliud quam quod ipsa sunt, genereot; liquido comprobari, ejusdem Filium cujus Pater, esse naturæ.

7. Sed cootra hæc Arrius illud præcipue opponebat, Patrem non potuisse ex se Filium generare, ne per hoc divisionis alicujus vel corruptionis vitio videatur esse subjectus. Quia si ex semetipso, ut ajebat, id est, ex hoc quod ipse est, Filium genuisse credatur, aliquam utique substantiæ suæ portionem a seipso secrevisse putabitur, per quod sine dubio a suæ perfectionis plenitudine admodum descisoens, & divisus profecto & imminutus esse videbitur: quod objectionis capitulum tali Athanasius veritetis ratione submovit, esse impossibile dicens, Deum, qui incorporeus sit & invisibilis atque impalpabilis, id in se recipere vel habere, quod sit divisionis aut corruptionis vitio subjectum; quoniam scilicet dividi vel imminui, contrectabilium soleat, & corporalium esse materiarum; Deum vero qui in nullo est horum, tale aliquid perpeti omnino non posse; & ob id credendum quod genuerit, quia se genuisse testatur. Corruptum autem hac ipsa generatione omnino non fatendum, quia semper incorruptus. Maxime cum pleraque inveniantur in rebus corporeis & corruptioni subjectis, ita ministrari vel nasci, ut nullum suis, unde gignuntur materiis, adferant detrimentum. Sicut lumeo a lumine sumtum, vel accessu, & per quamdam profectus nativitatem ministratum, diminutionis damnum originali non possit adferre materiæ. Cum & divinus sacratissimæ Virginis partus, & tale aliquid in se miro atque inexplicabili sacramentorum mysterio fuisse demonstret, dum sine damno pudoris Deo plenus uterus vacuatur. Et si virginalis integritas, si natura corruptioni obnoxia, Deum pariendo non corrumpitur, quomodo natura incorruptibilis Patris eumdem Deum generando corrumpi potuisse credatur?

8. Sed iterum Arrius Patris & Filii longe imparem dissimilemque naturam hinc ostendere nitebatur, quod Filius minorem se dixerit Patre, & non suam, sed ejus in omnibus facere voluntatem. Multaque alia in hunc sensum convenientia de seipso fassum fuisse adseruit, quæ mihi ad demonstrationem dissimilis naturæ, satis imbecilla & multum videntur incongrua. Quasi vero si quilibet filius homo patris hominis faciat voluntatem, & eum sibi præstantem fateatur atque majorem, diversæ ab eo poterit esse naturæ: dum etsi possit pater honore præferri, non tamen natura discerni. Quod quidem ego lege atque conditione naturæ humanæ dixerim. Ceterum Athanasius manifestiore seotentia hujus nobis intelligentiæ viam aperuit, in qua omni cunctationis discussa caligine, clarum veritatis lumeo eduxit. Quid enim ad totius erroris nebulas effugandas, dici vel credi manifestius potuit, quam sicut in uno Christo duas credimus esse naturas, Dei scilicet & hominis, geminam quoque in ejus verbis vel actis rerum cognoscamus inesse virtutem. Ut ea quidem quæ sublimius loquitur, id est: *Ego & Pater unum sumus*, & cetera his similia, ad deitatis referantur naturam; quæ vero humilius, secundum hominem fuisse locutum. De Spiritu quoque sancto competens habita disputatio est, quem Arrius a communione naturæ Patris & Filii, per creaturæ confessionem longe secretum atque alienum esse putavit. Sed quod unius sit ejusdemque substantiæ, hinc præcipue Athanasius demonstravit, dum ea eum loqui atque agere, quæ nonnisi Deo possibile sit operari vel loqui, taliaque de eo referri quæ nulli conveniant creaturæ, perdocuit. Et ideo a Patris & Filii deitatis unitate extraneum, vel divisum esse non posse, quem similis atque eadem operum virtus demonstravit æqualem. Qui & re vera, detestabili pravitatis errore, Patris & Filii societate alienus putatur, quia parem nominis virtutisque honorem cum eisdem obtinere monstratur.

Joan. 10. 30.

9. Difficilem quoque illam &, ut Arrius autumabat, insolubilem quæstionem, quod tres unus Deus dici, & idem tribus distingui non posse personis intentaverat, ita Athanasius divinæ Scripturæ auctoritate dissolvit, ut majori sit absolutione veritatis enodata, quam fuerit per syllogismos versutiarum plectiles

les

les involuta. Manifestius namqne docuit, quod in Trinitate sit unus Deus secundum naturæ umonem, non secundum distinctionem personarum. Et idcirco tres unus est Deus, quia trium natura una est. Quia & cum multæ animæ, una anima; & cum omnes homines, unus homo dicitur; secundum naturæ conditionem, quæ omnibus una est, non secundum diversitatem adseritur personarum. Igitur qui natura unus est Deus, idem in personis tres sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: si itaque horum trium nomen commune requiras, Deus est, in quo uno ac singulari nomine baptismi mysterium celebratur: *Baptizate*, inquit, *gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Juxta quam nominis communionem & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus dicitur Deus: & cum unusquisque eorum singulariter Deus sit, deos tamen eos pluraliter dicere, naturæ unitas non admittit; quoniam naturæ nomen quod Deus est, non privatum unicuique & peculiare, sed commune est: & quod commune atque unum est, plura esse non potest: & ideo Trinitas, non pluraliter dii, sed unus dicitur Deus. Ubi vero peculiare aliquid, & quod in aliud non reciprocat inest, ibi & pluralitas & distinctio haberi potest. Quia ergo Pater proprie dicitur, & Filius propria nuncupatur, & Spiritus sanctus propria appellatione distinguitur, nec potest Pater Filius, nec Filius Pater, nec Spiritus sanctus aut Filius aut Pater intelligi: rectissime secundum distinctionem personarum tres nominantur, qui tamen secundum naturæ unionem numerari non possunt: & ideo tria sunt nomina in personis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: unum nomen in natura, Deus; & ob hoc tres unus Deus. Ergo nec confusio in tribus, nec diversitas in uno admittitur nomine: ac sic Trinitas unus Deus est, secundum naturæ unionem: & unus Deus Trinitas est, secundum personarum distinctionem. Hæc juxta Athanasii sensum verius adhuc & plenius potest quisque differere, cujus fidei adsertio tanta veritatis auctoritate, tantaque probabilium rerum adstipulatione fulcitur, ut novo atque inusitato actionis genere, suorum magis adversariorum testimonio comprobetur, & ipsis aliis rationibus constet atque subsistat, quibus destrui posse putatur.

Mat. 28.19.

10. Dixit enim idem Athanasius, tres esse personas, & unam eorum esse naturam; quæ sententia Sabellii quoque & Arrii testimonio comprobatur. Nam usque adeo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unius sunt potestatis, uniusque naturæ, ut Sabellius tantam vim conspiciens veritatis, unam & singularem esse personam putaverit. Sed in tantum non est una persona, sed tres distinctæ, ut Arrius eos inæquales, & natura dicat esse diversos. Ergo inæqualitas Arrii, distinctionem indicat personarum; confusio Sabellii, naturæ apertius unionem ostendit. Rursus dum Photinus ad confirmationem sententiæ suæ, qua putat Christum purum hominem esse, illa replicat testimonia quæ idem Christus humanæ conscius naturæ aut locutus est aut peregit; id est, dum Patrem sibi majorem, & non suam, sed ejus dicit se facere voluntatem, & cetera his similia, quę disputationis corpore plenius habentur expressa; evidentissime Athanasii comprobat fidem, qua Christum adseruit, hæc omnia, non secundum deitatis, sed secundum humanitatis, quam idem gestabat, naturam fuisse locutum. Sed & cum Arrius ex infirmitate dictorum vel gestorum ejus, creaturam eum vult intelligi; indignum videlicet judicans naturam in eo Dei omnipotentis accipere, quem conspicit tantis necessitatum conditionibus subjacuisse; non solum per hæc Athanasii sententiam robustius firmat, qua in Christo secundum dispensationem carnis accipienda esse definivit, quæque viriliter aut locutus est, aut peregit; verumetiam simili cum Photino perfidiæ vinculo tenetur adstrictus, dum & ipse pari sententia Filium Dei creaturam ausus est definire. At quamquam in eo sint dissimiles, quod Arrius cælestem creaturam, & meliorem ceteris Filium Dei opinatus sit; Photinus vero terrestrem, uterque tamen eorum creaturæ nomine copulatur, dum sive cælestem, sive terrenam dixerint, minime tamen a creaturæ confessione discedunt, adimentes utique Filio id quod de Patre natus est, & hoc solum ipso adsertionis genere, idonei utrique sunt Athanasio testes; sed & dum Christum creaturam fatentur errore consimili reperiuntur æquales.

11. Probabilis igitur & omni veritatis adsertione subnixa, utpote Apostolicis traditionibus communita, ex eorum veniens regulis, Athanasii fides apparuit. Evidentius namque nobis secundum normam fidei catholicæ unum Deum ostendit, non tripertitum, non singularem, non confusum, non divisum, non ex diversitate compositum, non quadam compositione unitum; sed ita Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum propriis exstare atque distingui personis, ut tamen secundum communis naturæ unionem unus sit Deus. Illa quoque anilium fabularum figmenta, quibus Arrius & Photinus, pariterque Sabellius dubia vocabulorum nomina Patri & Filio tribuebant; dum unus ipsum sibi Filium effectum, alii cum non tam genuisse quam creasse inanissime jactitabant, veritatis adsertione destructa cesserunt. Nam licet per varios errorum incesserint calles, ad unum tamen compitum pervenerunt. Toti enim Patrem non genuisse dixerunt; siquidem Sabellius & Photinus aperta hoc impietate adstruere nisi sunt; Arrius vero in prima quidem disputationis fronte subtilius eludendum putavit, sed processu certaminis, hoc ipsum pertinaci impudentia defensavit, adserens Patrem non ex seipso genuisse, sed extrinsecus Filium creavisse, ac per hoc secundum istorum nefandos errores, frustra dicitur Pater, si non genuit; incassum appellatur Filius, quem genitum non esse hæretica impietas definivit. Sed quod hæc commenta fuerint vanissimæ superstitionis, apertissima Athanasius veritate perdocuit, ostendens Patrem vere genuisse, & Filium ipsa paterni nominis veritate vere genitum esse.

12. Cessit igitur mendacium veritati, & omnis fucus adulterini dogmatis, integritate fidei manifestata, tandem aliquando evanuit: atque tota nebulosæ adsertionis caligo, quæ crasso perfidiæ velamine humanas obduxerat mentes, ita nitore fulgentis fidei usque ad purum discussa est, ut ne vestigium quidem sui potuerit erroris relinquere. Unde hortor & simul in commune suadeo cunctos qui se noverunt Sabellii, Arrii & Photini, vel cujuslibet alterius ficti dogmatis erroribus implicatos, si propriæ saluti consulunt, si lumini cæcitatem non præferunt, si sibi obesse nolunt, quod tamdiu a veritatis lumine per palpabiles inanium opinionum tenebras erraverunt, si sibi prodesse cupiunt quod Christiani dicuntur, omni verecundiæ pudore postposito, relinquentes noxia humani commenta erroris, quibus verum reperisse se fallebantur, & quibus sub prætextu Christiani nominis a Christi confessione procul extorres habebantur, totis viribus, totisque fidei nisibus, ad verum & rectum Apostolicæ fidei tramitem, cujus Athanasius idoneus & fidelis adsertor exstitit, retinendum ocyus festinare contendant, ut veræ integræque confessionis præmium indubitata sorte capessant, amen.

Finit Vigilii Tapsensis Episcopi, adversus Arrianos, Sabellianos & Photinianos Dialogus: Athanasio, Arrio, Sabellio, Photino, & Probo judice interlocutoribus.

IN SEQUENTES EPISTOLAS

MONITUM.

EN tibi, Lector erudite, sistimus Epistolas variorum Pontificum ad Athanasium, & vicissim Athanasii ad Pontifices, ab otiosis hominibus conscriptas. Duæ priores Græce jamdiu exstant in codicibus Athanasianis, iisque perantiquis, suntque imperiti Græculi opus: nam quæ de Trinitate istic prædicantur, ἀσύστατα plerumque sunt, & ab usitatis Athanasio loquendi formulis prorsus aliena. Prior Epistola, Liberii ad Athanasium, mutila videtur initio, ut indicat codex Segnerianus, qui habet ad marginem, ζήτει ἀρχήν, quære initium. *Secunda quæ est Athanasii ad Liberium, nullam præfert Epistolæ formam, sed est ceu inepta quædam, & admodum implicata fidei expositio. Estque utrumque opusculum, ut ex verbis conjectare licet, ab eodem Scriptore exaratum. Nemo autem, ut opinor, vel tantillum peritus, hæc aut Liberio aut Athanasio adjudicaturus est. Nam præter styli discrepantiam plane conspicuam, non levis est illud momenti, quod in tanta rerum Ecclesiasticarum perturbatione, quanta ineunte Liberio pontificatum, in toto Christiano orbe versabatur; nec de temporum conditione, nec de controversiis Catholicos inter & Arianos, quibus Oriens pariter & Occidens eo tempore conflagrabant, ullam faciant mentionem. In his etiam hæc formula usu venit: Patrem, Filium & Spiritum sanctum, unum esse ὑπόστασιν, quæ licet Athanasii tempore nondum proscripta esset, a sancto tamen Doctore numquam usurpatur. Eam nihilominus in confesso esse, ac inter veræ fidei clausulas locum habere, statuere videtur qui ementito Liberii & Athanasii nomine has edidit Epistolas.*

Reliquas autem Epistolas, quæ latine postea subsequuntur, hæsimus aliquando dubii, an ederemus, necne: quia nimirum, exceptis prioribus duabus, aliæ omnes a Commelinianis & Parisiensibus, quod nullius pretii, ac ne memorandæ quidem videantur, prætermittuntur. Et sane commentis sunt & mendaciis respersæ, exque variis locis consarcinatæ, ut ne umbram quidem γνησιότητος referant. Verum ne quid in nostra editione Lector vel ex spuriis desideraret, visum est eas denuo publicare.

Ut autem primo conspectu advertet eruditus Lector; non sunt isthæc nisi laciniæ, ex Historia Tripartita, ex multis synodalibus Epistolis, & decretis Conciliorum, hinc inde excerptæ, & a falsario quodam consarcinatæ, qui ut fucum legentibus faceret, nomina persæpe propria immutavit, annos arbitratu suo, & Consules adscripsit. Ad marginem nos undenam laciniæ ejusmodi prodeant, pro facultate significavimus.

LIBERII EPISCOPI ROMÆ

Epistola ad Athanasium Episcopum Alexandriæ. Quod Deus Verbum, perfectum hominem adsumserit.

HÆc igitur est nostra confessio, optatissime Athanasi, Verbum Dei Filius secundum naturam, ex Deo & Patre genitus, non creatus; sed semper sine initio una cum Deo & Patre, & sine fine imperium habens per infinita sæcula, amen. Item (credimus) Spiritum sanctum vere ex Deo secundum naturam & natura Deum, indivisum a Deo secundum sacras Scripturas; ita ut sit vere Pater, vere Filius, & vere Spiritus sanctus. Vetitumque est sub anathematis pœna quodlibet nomen a propria significatione transferre; ita ut Trinitas sit vere Trinitas in una deitate. in una potestate, in una essentia, & in una substantia. Nequaquam enim dividitur Filius, neque Spiritus sanctus a paterna substantia, quæ implet cælum & terram. Est igitur, uti supra dixi, Trinitas in una substantia: estque substantia unum, deitate unum, potestate A unum, regno unum, glorificatione unum, imagine unũ, Spiritu unum: Spiritus namque non dividitur. Anathema igitur pronuntio in Sabellii & Arrii dogma, necnon in antea proscriptas hæreses, ad sempiternum supplicium, juxta Salvatoris vocem. Si igitur, frater Athanasi, in hac confessione, quæ sola & vera fides est in sancta catholica & apostolica Ecclesia, mecum consentis; coram judice Deo & Christo, quæso, mihi rescribas, si perinde atque nos in vera fide sentias; ut confidenter & sine discrimine quæ rogas præstare possim. Illud etiam te non ignorare velim, dilecte, nimirum veritatis filios, impassibilem deitatem B confiteri, necnon adventum Verbi & Dei in carne; qui perfectum hominem adsumsit sine peccato, natus ex Spiritu sancto & ex Maria Virgine, secundum Euangelia: in Christo Jesu, amen.



SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

Rescriptum ad Liberium Romæ Episcopum. Quod perfectum hominem Deus Verbum adsumserit propter salutem nostram.

[Joan. 4. 24.] UNus Deus immortalis, qui nec videri, nec tangi potest. *Spiritus*, enim, *est Deus*. Ipse nullo loco potest comprehendi, nec ullus est locus a quo absit. Hujus Verbum immortalis est sapientia, incorruptibilis, invisibilis: Filius primogenitus, operum socius, principio carens, sub tactum non cadens, neque principium habens dierum, neque finem vitæ exspectans: [Joan. 1. 3.] *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Ipse est qui hominem efformavit. Hic est qui rationem fabricandæ arcæ monstravit: hic est qui promissionem dedit Abrahæ: hic est qui descendit, ut populum salvum faceret, qui Moysi legem dedit: hic est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, qui in Prophetis loquutus est, qui vetus & novum Testamentum disposuit, qui in novissimis diebus carnem sumsit ex Virgine, mortalem, licet non esset ipse mortalis: infirmam, licet non esset ipse infirmus: morti obnoxiam, licet non esset ipse morti obnoxius: visibilem, licet non esset ipse visibilis. Ipsa suspensa est, non autem ille: ipsa sepulta, non ille: ipsa humanas omnes passiones, ut homo sustinuit, non autem ille. Ille autem est virtus Dei, id est Deus. Qui cum ea quæ in inferno insolubilia e- A rant solvisset, imperiumque diaboli evertisset, ascendit eo unde descenderat, qui corpus suum a morte excitatum, postquam liberasset a morte qua detinebatur, Patri obtulit. In illo Patrem intelligimus. Una enim & ipse res est. deitate, virtute, substantia, hypostasi, gloria, Dei appellatione, & in Patre Filium quoque agnoscimus. Hic est qui postquam adsumsisset carnem, Jesus appellatus est, quatenus erat homo; hoc est, adsumsit hominem in seipso: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. [Coloss. 2. 9.] Illum credimus nec a Patre, nec a Spiritu sancto separatum: neque tamen dicimus Patrē descendisse, & in homine fuisse. Ita unus Deus Pater o- B mnipotens a nobis creditur: ideoque fides nostra est, in unum Deū Patrē omnipotentē, & in Filiū ejus Dominum nostrū Jesum Christum, & in Spiritum sanctum. Hæc autem ex unitate una, virtute una, substantia una, glorificatione una, dominatione una, regno uno, * imaginis Trinitatis consubstantiale: *Per quem omnia facta sunt*; [Joan. 1. 3.] ita & carnis resurrectionem credimus, hoc est, corporis nostri, secundum sacras Scripturas, commutato eo quod corruptibile & mortale erat, in incorruptibilitatem & immortalitatem, per Deum, amen.

INCIPIT ATHANASII EPISTOLA,

& Ægyptiorum Pontificum, ad Marcum Papam pro exemplaribus Nicæni Concilii, quia Arriani eorum exemplaria incenderant.

Domino Sancto, & Apostolici culminis venerando, Marco, sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, atque universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius & universi Ægyptiorum Episcopi.

AD vos pervenisse non dubitamus, quanta & qualia ab hæreticis, & maxime ab Arrianis, quotidie patimur. Quoniam in tantum ab eis persequimur, ut etiam vivere jam nos tædeat: nam instanti tempore, subito & insperate in nos irruentes, [Matth. 10. 23.] nosque juxta præceptum Domini, qui ait: *Si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam*; fugiendo propter cladem populi eos declinantes, nos comprehendere non valuerunt, sed omnia nostra depopulati sunt. In tantum etiam nostra vastaverunt, ut nec libros, nec vestimenta ecclesiastica, aliaque ornamenta, nec reliqua utensilia nobis dimiserint. Libros vero nostros usque ad minimum incendentes, nec iota unum relinquentes, propter veritatis fidem, Nicænam Synodum, qua clerus & populus imbuebatur, & maxime jam imbuti erant, in contumeliam nostram, & omnium Christianorum incenderunt. Quapropter precamur, Pater beatissime, quia non dubitamus apud vos plenaria esse Nicæni Concilii exemplaria, ut illa nobis, quæ sanctæ recordationis prædecessoris vestri Sylvestri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando prædictę Synodo cum Pontifice nostro, id est, Alexandrinæ magnæ civitatis Episcopo, in diaconatus interfuimus officio, sub [* Vitonem.] nostræ præsentiæ testimonio, per beatos viros, * Victorem & Vincentium presbyteros, Apostolicæ Sedis apocrisiarios, missa sunt prædicto Papæ Sylvestro cum astipulatione subnexa capitulorum septuaginta. Sane C præsentibus nobis, octoginta capitula in memorata tractata sunt Synodo semel, & quadraginta a Græcis Græca dicta lingua, & quadraginta a Latinis, similiter dicta Latina lingua. Sed visum est trecentis decem & octo Patribus, sancto Spiritu repletis, in prædicto concilio congregatis, & maxime jam dicto Alexandro, & Apostolicæ Sedis apocrisiariis, ut decem capitula adunarentur aliis, atque congruis in locis insererentur, & ad formam septuaginta discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum septuaginta, tanti & tam excellentis Concilii fierent capitula, quæ omnem Christianorum informarent orbem, & omnes sub sacerdotali nomine, & Christiano degentes, una D fides, & una sacerdotalis regeret norma, * nec quisque a suo diffideret capite. [* S. Leo. Ep. 84.] Nunc ergo, quia, ut prædictum est, inimici sanctæ Dei Ecclesiæ, & maxime Arriani, a quibus quotidie expugnamur & opprimimur, præfata septuaginta Nicæni Concilii capitula, quæ de præfata Synodo jam facta, jubente Domino meo Alexandro, omnium Episcoporum decreto attuli, quæ etiam coram omnibus recitavi atque transcripsi, sunt igne combusta; optamus ut a vestræ san- E ctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater & caput omnium ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem Fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur, quatenus vestra fulti auctoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi a memoratis æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, evadere,

Conc. Romanum anno 721. dere, nobisque commissos eruere valeamus. * Vere novimus apostolatus vestri cor gratia sancti Spiritus in taotum esse accensum, ut omnibus oppressis succurratis: quaoto magis uobis, qui licet exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis, & sumus, & esse semper volumus. Ideo decet, & oportet vos nobis hæc quæ rogamus, & alia quæ necessaria, juxta sapientiam quam vobis præstitit Altissimus, esse cognoveritis, absque tarditate præstare, ut tantæ miseriæ squallores a fidelium mentibus detergantur, & quasi vulnus corpori infixum, auditu tantæ miseriæ obseratο, salutari curetur antidoto, ut divino freti juvamine, vestraque auctoritate atque auxilio roborati, adversantium tergiversationes evadere valeamus, atque inconfuso vultu, non fraude cujusquam perculsi, assistere æterno judici mereamur, & vocem audire inquientem: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.* *Luc. 19. 17.* Et subscriptio: Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum longævis Dominus cooservet temporibus.

RESCRIPTUM MARCI PAPÆ,

de Missione Capitulorum Nicæni Concilii Athanasio, & omnibus Ægyptiorum Episcopis.

Dominis venerabilibus fratribus, Athanasio & universis Ægyptiorum Episcopis, Marcus sanctæ Romanæ, Apostolicæque Sedis, & universalis Ecclesiæ Episcopus.

DOLEO fratres, & nimium cootristor super afflictione vestra, sed oppido consolor, quod vento agitata noo estis arundo, sed recti io fide, inter omnes procellarum & turbinum afflictiones, inter omnes colluctationes, incessanter perduratis. Lectis ergo fraternitatis vestræ literis, vigorem coostantiæ vestræ, quam olim noveramus, agnovimus. Congratulantes vobis, quod ad custodiendum gregem, pastoralem curam vigilantes insequimini. Ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sævitia simplices quasque dilacerent. Qui noo ad hoc subintraruot, ut aliqua correctione proficiant, sed ut ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quapropter moneo & hortor dilectionem vestram, ut bonum quod cœpistis, adminiculante divina gratia, usque in finem perducere satagatis, veritatis voce manente: *Beatus qui perseveraverit in finem.* *Matt. 24. 13.* Unde enim beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Nam juxta Apostolum: *2. Tim. 3. 12.* *Omnes qui voluerint pie vivere in Christo, persecutionem patientur.* Quæ noo io eo tantum computanda est, quod contra Christianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis, cum persecutiooum sævitiam suppleant, sed dissimilitudines morum, & contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum, quibus conflictationibus ut communia semper membra pulsantur, ut oulla piorum portio conflictatione sit libera, ita ut nec periculis, nec otio careant, nec labore. Nam hæc, & omnia incrementa probabilium studiorum, & io cis usque in finem perseverantium, atque bonæ voluntatis incrementa, ad Christi gratiam semper sunt referenda, ut in omnibus quæ agimus, Deus omni perfecte laudetur tempore. De capitulorum namque veritate & numero Nicæni Concilii, quibus vos interfuisse, literis vestræ fraternitatis significastis, a nostris, qui una vobiscum ioterfuerunt, diligentioribus requisivimus collocutionibus. Qui ita, ut vestræ testatæ sunt literæ, omnem nobis ordinem exposuerunt, & vestram epistolam per omnia veram esse testati suot, non ut aliquid sinistrum vestra ex parte arbitremur, sed nos & vos, illosque absque ulla in posterum titubatione unum seotire optaremus, & sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata maosit, & Domino providente, & beato Apostolo Petro opem ferente, in futuro manebit, sine ulla hæreticorum insultatione, firma & immobilis omni tempore persistet. His itaque peractis, diligenter requirentes, in sancto nostræ & Apostolicæ Sedis scrinio, eadem quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Sylvestro sunt directa, septuaginta, sicut significastis, capitula iovenimus. Ipsa autem vobis, propter auctoritatem & subscriptionem tantorum Patrum, & ejus magoi Concilii, minime misimus, sed per eadem, coramque apocrisiariis vestris, alia similia, eumdem numerum, eademque verba, & ipsam subscriptionem continentia, vobis rescribere, & sub certa stipulatione & confirmatione mittere curavimus. Et quis est qui fratribus talia negare audeat? Nam non neganda nobis hæc sancti Spiritus dona Dominus docuit, sed fideliter exercenda, & fratribus contradenda, & docenda distribuit. * Hæc Apostolorum viva traditio, hæc est vera charitas, quæ prædicanda est, & præcipue diligenda ac fovenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda: ** Agatho ad Const. Augustum Act. 4. Concilii VI. Gen.* hæc sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum, Christi Ecclesia, quæ per omoipotentis Dei gratiam a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticorum novitatibus depravanda succubuit; sed ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine teous manet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui suorum discipulorum Principi in suis fatus est Evangeliis: *Petre,* *Luc. 22. 31.* inquiens, *ecce Satan expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra excellens prudentia, quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita, & in fide recta, atque hæreticis & æmulis Christi repugnare, & numquam a veritatis tramite declinare. Quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos suo sanguine redemit, qui fidem beati Petri noo defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit. Quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confideoter fecisse, semper cunctis est cognitum. Quorum & pusillitas mea, licet impar sit & infima, pro suscepta tamen divina dignatione, miosterio pedissequa cupit existere. Væ enim erit nobis, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Salvatoris nostri Jesu Christi, quam Apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Væ etiam erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare numulariis jubemur, id est, Christianos populos imbuere, & docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonis ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cum de commissis nobis animabus, & de officio suscepto, rationem justus judex Christus Deus distri-

ctam

ctam egerit? Ideo fratres, hortor dilectionem vestram, obtestor, & moneo, ut qua debetis solicitudine, vigiletis ad investigandos hæreticos, & inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ, & a sanis meotibus ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua potestis, pro viribus exstirpetis. Quantum enim habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, A qui diligentius quod ad salutem commissæ sibi plebis prosit, fuerit exsecutus; ita antè tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, quicumque plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire. Data viij. Kal. Novembris, Nepotiano & Secundo, viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA INCREPATORIA JULII PAPÆ

ad Orientales Episcopos, pro caussis Athanasii, & excessibus contra Romanam Ecclesiam.

Venerabilibus Fratribus universis Orientalibus Episcopis, Julius.

DECUERAT vos, fratres, alios Ecclesiasticis instruere disciplinis, & oon talibus arguere machinomentis, dicente Doaino: [Luc. 3. 4.] *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & reliqua.* De qua re Apostolus Paulus nos iostruit, dicens: [Galat. 6. 1.] *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris, & reliqua.* Et alibi Petrus Apostolus ait: [1. Pet. 3. 8. & seqq.] *Omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia sua, ne loquantur dolum. Declinet a malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & persequatur eam, quia oculi domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem domini, super facientes mala.* Quid pejus est, fratres, quam quod sacerdotes Domini, qui ob omni mala coinquinatione, & a nocumento omnium Christianorum alieni debent existere, quanto magis a fratrum & coepiscoporum iosidiis, quos tueri & sublevare debent, quos fovere & diligere summopere oportet, persequuotur eos, ejicere & communi re privare decertant? Nec recordamini sapientiam, quæ ait: [Sap. 1. 3.] *Perversæ enim cogitationes separant homines a Deo,* quanto magis opera iniqua? Quid enim nequius est, quam ut illos, de quibus Dominus ait: [Zach. 2. 8.] *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei,* quisquam evertere, persequi, destruere nitatur? Probata autem virtus portat, protegit, & consolatur oppressos, & docet insipientes. [Sap. 1. 6.] *Est enim testis humani cordis, scrutatorque verus singularum conscientiarum, & linguarum singularum auditor, quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Et alias idem ipse ait: [1 Joan. 4. 9. & seqq.] *Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus invicem diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, & testificamur, quoniam pater misit Filium suum Salvatorem mundi. Quisquis confessus, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii,* B *quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, quomodo Deum, quem non videt, potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Nam ipsa sapientia ait: [Prov. 15. 2.] *Lingua sapientium ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco* C *oculi Domini contemplantur bonos & malos. Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Domus justi, plurima fortitudo, & in fructibus impii conturbatio. Labia sapientium disseminabunt sapientiam, cor stultorum dissimile erit. Victimæ impiorum abominabiles sunt Domino, vota justorum placabilia. Qui sequitur justitiam, diligitur a Domino.* Item alibi: *Labia justi considerant placida, os impiorum perversa. Simplicitas* [Prov. 16. 29.] *justorum diriget eos, & supplantatio perversorum vastabit illos. Justitia rectorum liberabit eos, & in insidiis suis capientur iniqui. Justus de angustia liberabi-* D *tur, & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit* [Prov. 11. 3. & seqq.] *amicum suum, justi autem liberabuntur scientia. In bonis justorum exaltabitur civitas, & in perditione impiorum erit laudatio. In benedictione justorum exaltabitur civitas, & in ore impiorum subvertetur.* Nec consideratis, qui fratres persequi non cessatis, qualia Job patientissimus inter cetera exorsus, loquitur: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns te-* [Job. 29. 11.] *stimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esses adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum, justitia indutus sum, & vesti-* E *vit me, sicus vestimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & caussam quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius conferebam prædam.* Et paulo post: *Si negavi,* [Job. 31. 17.] inquit, *quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Nam si quis hæc recto omnia consideraverit oculo, nequaquam fratreo nocere, sed liberare festinabit. Quia nihil deterius est, quam cives F civibus invidere, & fratres fratribus iosidiari, aut calumnias facere. Talibus enim suffragari volentes insidiis Sancti, Synodum congregaverunt generalem in Nicæa, vitam corrigere hominum cupieotes in Ecclesia commorantium. Licet dudum instituta sanctorum patrum multa essent conscripta, posuerunt leges, quos sacros canones appellamus, quibus mul-

ta pernecessaria ad statum Ecclesiæ sanctæ Dei, & supplementum columnarum ejus, id est, Episcoporum, qui eam propriis humeris gestant, ut qui talia tentaverint, aut eis nocere præsumserint, siquidem clerici fuerint, e proprio gradu decident. Si vero monachi aut laici fuerint, anathematizantur. Quibus armati exemplis, oportere arbitrati sumus ab omnipotente Deo inspirati, ut hanc accensam discordiæ flammam exstinguere debeamus, apostolica auctoritate, & non concedere eam ulterius animas depasci humanas. Quapropter una cum omnibus Apostolicæ subjectis regulæ sancimus, ne quisquam deinceps Christianorum talia perpetrare, aut Episcopis talia asserere nocumenta, temere præsumat, cum Doctor gentium id ipsum prohibeat, dicens: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*, & reliqua. [1. Tim. 5. 1.] Bonum est namque proculdubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes, fratribus subvenire, & invicem non invidere, sed adjuvare. Audiatur, inquit, jam dicta in Nicæa civitate Synodus, cui & ego ipse conscientiæ meæ cultum decanter exhibui, nihil aliud volens, quam concordiam omnibus fabricare, & præ cunctis arguere, & removere hanc insidiantium altercationem. Quas prævidentes sancti Patres insidias & altercationes, unanimiter in prædicta Nicæna statuerunt Synodo, ut nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica auctoritate convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, judicetur, vel damnetur. Sin aliter præsumtum a quibusdam fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabuntur.

1. Ipsi vero primæ sedis Ecclesiæ, convocandarum generalium Synodorum jura & judicia Episcoporum, singulari privilegio, Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis, quæ semper * majores caussæ, ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. [* Innocent. Ep. 2.] Nec ullo modo potest major a minore judicari. Ipsa namque omnibus major & prælata est Ecclesiis. Quæ non solummodo canonum, & sanctorum patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce, singularem obtinuit principatum. [Matt. 16. 12.] *Tu es* (inquiens) *Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, & reliqua. *Et quæcumque ligaveris super terram, & solveris, erunt ligata & soluta in cælo, & in terra.*

2. Porro dudum a sanctis Apostolis, successoribusque eorum, in præfatis antiquis statutis decretum fuerat, quæ hactenus sancta & universalis apostolica tenet Ecclesia, [In decretali Epistola Eleutheri Papæ.] non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia suo nomine consecrata Domino instituente, prima & caput sit ceterarum: & ad eam, quasi ad matrem atque apicem, omnes majores Ecclesiæ caussæ, & judicia Episcoporum recurrant, ejusque juxta terminum sumant sententiam. Nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni Pontificem, quatinus non ita proterve, & pro libitu quisquam suo proprio arbitrio quibusque Metropolitanis, sicut agere solebat, liceat inconsulto Romano Pontifice, aut majores Ecclesiæ caussas deturbare, aut Episcopos damnare; sed communi sanctæ Romanæ sedis Episcopi consilio, & concordi actione, quæque sunt Christi zelo agenda, disponant unanimiter, recteque sentiant, & ea quæ senserint, non nobis sibimet discrepando, sed Deo placita perficiant.

3. Est etiam in jam fata Nicæna Synodo concorditer statutum, ut accusatores & accusationes, quas sæculi leges non admittunt, a sacerdotali funditus avertantur nocumento. *Ecce*, inquit Propheta, *quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*. Illi vero non in unum habitant, qui a fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant. Non aliter, fratres, voa patiamini peccato gravari, quia quod necesse est, nos dicere veremur, id est, ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reverenter aspicite, beati Petri gloriam, & cum ipso communes omnium Apostolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas, qui pro fratrum non destructione, sed confirmatione & veritate in Christo passi sunt.

4. Nos ergo qui Domini discipuli, & dici, & esse volumus, portare crucem Christi, & compati fratri debemus, & non persequi. Subtrahite fugamus, actus, cogitationesque a talibus nocumentis, si non vultis ipsam suscipere in vos ultionem, quoniam talionem meretur, qui fratri foveam præparat. Et vos scitote deinceps hunc * typhum non esse passuros, [* Africani PP. in Ep. ad Bonifacium.] ut ea, quæ ad hanc specialiter sanctam pertinent sedem, sicut judicia Episcoporum, & majores caussas, ut paulo superius prælibatum est, vos patiamini nobis inconsultis invadere absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die, & deinceps Episcopum præter hujus sanctæ sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore. Eosque qui absque hujus sedis sunt ejecti sententia, vel damnati fina hujus sanctæ sedis auctoritate, scitote pristinam recipere communionem, & in propriis restitui sedibus. Quoniam & prius a tempore scilicet Apostolorum hæc huic sanctæ sedi concessa sunt. Et postea in memorata Nicæna Synodo, propter pravorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutiones, & insidiantium molimina fratrum, sunt concorditer ab omnibus corroborata, ut magis singuli provideant, ne talia audeant perpetrare. Et caveant, si non propter Dominum & amorem fratrum, tamen propter opprobrium hominum ruborem suum, atque cannnicam ultionem, saltem hæc timore, & verecundia compressa silentio comprimantur, amputato scilicet totius * usurpationis excessu. [* S. Leo Ep. 84.] Quia nullus debet præsumere, quæ sibi non videntur esse concessa. Quam culpam potuissetis nullo modo incidere, si unde consecraiionem honoris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis. Et beati Petri apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis. Unde sicut nos multum ea, quæ vobis pie recteque sunt acta, lætificant, ita nimium ea, quæ sunt perperam gesta, contristant. Quoniam necesse est post multarum talium experimenta caussarum, hæc in posterum solicitius prospici, & diligentius præcaveri, quatinus ea quæ sunt ab Apostolis, eorumque successoribus statuta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur. [Rom. 12. 4.] *Nam sicut in uno corpore membra multa habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo. Singuli autem, alter alterius membra.* Contextio totius corporis, unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc quidem contextio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus & si dignitas communis non est, tamen ordo generalis est. Quoniam & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni

ta-

tamen datum ut ceteris præemineret. De qua forma Episcoporum, quædam exorta est distinctio, & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis provinciis singuli. Quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursum quidam in majoribus urbibus constituti, solicitudinem ejus susciperent ampliorem, per quos ad unam beati Petri sedem, universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse rependat. *Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi, doctrinis variis & extraneis nolite abduci*, at instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum, Canonesque habentes, his fruamini, his circumdemini, his delectemini, his armemini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula resistere valeatis. Satis enim indignum est quemquam, vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc regulam refutare, quam beati Petri fidem valeat & sequi & docere. Multum enim convenit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, dicente Scriptura: *Ordinavit in me charitatem*. Et item: *Omnia cum ordine fiant*. Iterumque Psalmista prædicante: *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra in virtute ejus, ut enarretis in progenies alteras: quoniam hic est Dominus Deus noster in æternum, & ipse reget nos in sæcula*. Officii enim nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacere liberum, quibus major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit, ne per taciturnitatem, aut favere, aut consentire videamur fratrum nocumentis. Datum Kalendis Octobris, Feliciano, & Maximiano viris clarissimis Consulibus.

Hebr. 13. 9. — Cant. 2. 4. — 1. Cor. 14. 40. — Ps. 47. 13.

EPISTOLA ORIENTALIUM AD JULIUM

Papam caussantium, quod in communionem receperit

Athanasium, & ceteros quos ipsi damnaverant.

*Domino beatissimo, & honorabili Patri Julio, Apostolicæ Sedis Venerabili Episcopo, Eusebius, Theogonius, * Theodorus, & Berinthus, una cum reliquis Fratribus & Coepiscopis nostris in Antiochia Congregatis.*

* Theodorus Perinthius.

Hæc ex Historia Tripartita.

LICET circa omnes Ecclesiam Romanam sciamus esse munificam, & Apostolicam habere curam, & matrem semper existere pietatis, quamquam ab oriente ad eam prædicatores pietatis advenerunt, tamen optaremus vos nobiscum concordare, & quos a communione suspendimus, a vobis esse suspensos. Et quos in ordine confirmamus Episcoporum, a vobis esse firmandos, nec nos secundo loco habendos, cum iis, qui ex his partibus ad vos usque dogmatizantes Apostoli pervenerint. Nec enim nos vobis reluctati sumus, quamvis hoc agere potuissemus, quando Novatianus a Romana pulsus est Ecclesia. Quoniam, uti juxta vulgarem consuetudinem loquamur, *inimicitias quærit omnis qui vult recedere ab amico*. Nec crimine carere potest, qui alterius excommunicatum absque ejus licentia, a quo communione est privatus, in communionem susceperit, Canonibus semel jubentibus, excommunicatus ab aliis, ab aliis non suscipiatur. Viventibus illis, a quibus communione privatus esse dignoscitur. Nec solum in his nobis contumeliam irrogatis, sed etiam in his quędam consilia nostra dissolvitis, neque ea recte definitis esse. Sunt namque a nobis, & maxime a totius orientis Episcopis damnati, Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Anciræ, Asclepius Gazæ, * Lucianusque Adrianopolites, pro certis criminibus, quibus adversarii sunt apud nos inscripti, quæ per præsentes hujus Epistolæ latores omnia sub certa relatione vestræ innotescere non omittimus sanctitati. Quibus agnitis, si nostris placitis magis quam eorum machinationibus assentire, & ordinatos Episcopos in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum, & communionem habere volumus. Si vero aliter egeritis, & eis amplius quam nobis consentire judicaveritis, contraria celebrabimus, & vobiscum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrisque favere volumus, sed per nos quicquid melius elegerimus agere conabimur. Nam nullus est in hac parte terrarum ætatem habens, qui ignoret prædictorum volumina seductorum. Propter eos enim multa sunt mala peracta, multa concilia, diversis & asperis temporibus celebrata, multæ seductiones, multæ machinationes, multa nobis opprobria illata, & alia multa, quæ enumerare perlongum est. Nam si his consentire eligitis, tunc liquet, quod nos perdere vultis, & non ut pater filios fovere. Dicunt enim & adfirmant, tam cives istorum, quam consacerdotes eorum, hos fovere vos velle, homicidas, sacrorum templorum eversores, virginum stupratores, sacrorum librorum incensores, sacrorumque vasorum, & ceterorum sacrorum ministeriorum fraudatores, officiorum neglectores, imperatorum infidos, gentis & patriæ proditores, & inter sacerdotes maximam generantes discordiam, eo quod substantialitatis vocem, quæ scripta non invenitur in fidei doctrina, posuerunt. Quid plura enumerare necesse est, cum propter eos nobis, & cunctis regionis hujus habitatoribus scientibus, tanta cædes hominum sit perpetrata, ut amplius quam mille homines sint prostrati? Talibus autem favere, quid aliud est, quam sceleribus eorum consentire? Cum sacra Scriptura hæc prohibeat, dicens: *Non solum qui faciunt culpabiles existunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Talibus enim vos obsistere totis viribus optimum, ne involvamini peccatis eorum, ne excommunicationem eorum suscipiatis. Tales enim a vobis procul abjicite, ne propter animositatem populi, sacrilega dissensione dispereant, itaque optimum vos improbis probe resistere. Quapropter si neglexeritis deturbare perversos, liquet quod eorum protegatis errorem. Nec vero caret scrupulo societatis occultæ, qui manifeste facinoribus desinit obvisre. Decet enim vos ad arguendam proterviam eorum, linguam vestram exacuere, & velut venenosos a vobis repellere, ne eorum veneno vos, vestrique in aliquo sauciemini. Sufficiant hæ vobis querimoniæ contra eos delatæ, quoniam derelinquet nos tempus, secundum quod ait Apostolus, si voluerimus omnium oblo-

Prov. 18. 1. — * Lucius. — Rom. 1. 32.

obloquentium oblatas contra eos prodncere querelas, maxime cum hæc nobis sufficiant, quæ superius dicta sunt. Nec nobis necesse iterum eorum divulgare mala, cum ipsa per se prodeant, & maxime omnes orientales testes super eorum malis existant. Mat. 18. 16. *In ore enim*, juxta quod scriptum est, *duorum vel trium testium stabit omne verbum*. Quanto magis in multitudine tantorum Sacerdotum, Populorum, Abbatum, vel Monachorum, & scripto & voce contra horum pravitatem quotidie acclamantium? Nos vero diu exspectavimus eos, per multam patientiam, ut facerent uvas, sed illi e contrario fecerunt labruscas. Vos ergo non optimum de cetero negligere, & differre tales, ne (quod absit) memorata crimina eorum subimitemini irrationabiliter Episcopos ponentes. Ipsi enim, nisi cito corrigentur, juxta quod beatus Apostolus protestatur, Rom. 2. *secundum duritiam eorum, & cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus*. Qui corrigendi sunt per temporalem delectationem, & per mendacia, atque figmenta sua, vobis eis assensum præbentibus, æterna perdent præmia, quæ per veram pœnitentiam consequi possunt. Nec hæc quæ prædicta sunt, solummodo Athanasio & sequacibus ejus irrogamus, sed etiam, quod contra regulam egerit, quam nos decreveramus. Quia non Decreto communis Concilii Episcoporum recepit Sacerdotium, sed sibimet arrogando, Ecclesiam fuit ingressus, & in sede resedit, eum dudum decretum fuisset nullum a pauciore numero restitui debere, quem depositum fuisse constaret. Deinde quoniam ejus adventu sit turba commota, plurimique seditione sint mortui, & non solum hæc per eum & propter eum sint peracta, sed etiam quidem a jam dicto Athanasio cæsi, judicibus dicuntur esse contraditi. Hæc, & alia innumerabilia sunt ab eo suisque sequacibus impudenter perpetrata, quos excommunicatos, communioni, ut audivimus, contra regulam in contumeliam omnium orientalium sociastis. Præfato itaque debitæ salutationis officio propter beati Petri honorem, impense postulamus, ut deinceps ad vestras hinc venientes aures non tam facile admittatis. Neque a nobis excommunicatos ultra velitis excipere, ne Canonum transgressores inveniamini, sed magis salva fraterna charitate, erratum hoc in posterum minime patiamini. Et subscriptio. Orantem pro nobis Apostolatum vestrum Dominus ævo custodiat longiore beatissime Pater. Amen.

RESCRIPTUM JULII PAPÆ CONTRA

Orientales pro Athanasio & ceteris.

Julius Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, Eusebio, Theogonio, Theodoro, Berintho, & ceteris Orientalibus Episcopis.

Hæc ex Historia Tripartita hinc & inde excerpta.

DECUERAT vos adversus sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam, limate, & non ironice loqui. Quoniam & ipse Dominus noster Jesus Christus eam decenter allocutus, ait: *Tu es*, inquit, Mat. 16. 18. *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum*. Habet enim potestatem singulari privilegio sibi concessam, aperire & claudere januas cælestis regni, quibus voluerit. Nam si ei detrahere, quæ Domini ore sacrata, atque desuper exaltata est, non timuistis, nec mirum si fratribus irrogare injurias minime cessatis. Unde jam silentio non teguntur, quæ vestro Concilio turbulento, atque cum potestate decreta sint. Apparet enim, quoniam quadam tumultuosa indisciplinatione veritas est oppressa. Hæc fere ad verbum in Ep. Constantini apud Athan. Vobis quippe non considerantibus quæ placent Deo, propter jurgia, quæ contra proximos vestros habetis, vota vestra inevitabilia esse contenditis. Sed erit opus divinæ providentiæ, quatinus e contrario a parte deprehensa possint evacuari. Et quicquid illic convenientes, sine ulla qualibet gratia, odio, aut inimicitiarum caussa gessistis, funditus repelli. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad hujus sanctæ sedis reverentiam volo concurrere, quatinus gestorum apud vos integritatem per vos ipsos possitis ostendere. Nam nec dubitare vos credo Athanasium, sacræ legis doctorem, non solum a nobis, sed etiam a Nicæna Synodo, veræ fidei cultorem esse comprobatum. Qui defuncto Alexandro mirabili sene, qui Arrii prostraverat blasphemias, post quinque menses Nicæni Concilii, Alexandrinorum Ecclesiæ suscepit præsulatum. Adversus quem ejusque sectatores, multa mendacia texentes, & nudas valde calumnias, quasi veras accusationes componentes, nobis multorum malorum cum caussam, tum caput esse perhibuistis. Et non solum apud Ægyptum, sed etiam apud Palæstinam, & Phœnicem, vicinasque gentes scriptis vestris illam perturbationem esse significastis. Qua de re Ecclesiasticam sequentes regulam, vos & illos, Romæ regulariter ad judicium die statuta, non sub angusto temporis spatio, ut excusatio locum non inveniat, literis & apocrisiariis evocavimus. Illique vocatione suscepta, ad diem præstitutum venere. Sed vos, ne vestris mendaciis caperemini, vestraque calumnia enudaretur, venire distulistis. Nec his machinationibus solummodo contenti estis, sed etiam videntes oves Pastoribus desolatas, lupos pro Pastoribus super eos posuistis. Decuerat ergo, ut ad regularem veniretis convocationem, quo de his, & de aliis vestris præsumtionibus redderetis rationem. Quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret. Et nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum qui est innocens, ut absolvatur, requirit. Nec suspicione caret, qui alium calumniis objurgat falsa dixisse, cum ipse ad judicium, ut probet quæ intulit, evocatus venire distulerit. Vellem enim vos magis ad jam dictam convenire vocationem, ut coram universali Concilio redderetis rationem, cur Synodum ad statum Ecclesiarum & fratrum in Antiochia subvertendum, & Nicæni magni Concilii destructionem fecistis, aut cur nobis inconsultis Episcopos ad eam convocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio. Canonibus quippe in Nicæna Synodo jubentibus, non debere præter sententiam Romani Pontificis, ullo modo Concilia celebrari, nec Episcopos damnari. Aut cur in prædictorum loco fratrum alios adulteros posuistis, antequam penes nos, aut apocrisiarios nostros, eorum caussa Canonice esset examinata, finemque perciperet rectum. Isti enim, qui ad memoratam regulam venere, vocationem videntes, vos a prædictis subtrahere calumniis, multa adversus vos lacrymabilia, & doloribus plena re-

fe-

ferunt. Accuſantes vos & dicentes, multa ſe importabilia a vobis eſſe paſſos. Vos ergo refugientes venire, illoſque perſeverantes in vera ratione, ſuaſque calumnias reclamantes, ſuper quibus & Ægyptiorum Epiſcopi literis nobis miſſis proteſtantur ſuis, ſalſa eſſe, quæ contra Athanaſium, ſuoſque ſectatores machinantur, cunctaque Arrianorum machinata blaſphemiis. Talibus namque figmentis liquet eos eſſe inculpabiles, voſque culpabiles. Quia ſi de vera conſideretis innocentia, nullo modo a jam dicta vos Canonica ſubtraheretis evocatione. Quæ non ſubito, ſed ſpatioſe denuntiata eſt. Sed omni ſubducta apologia, abſque tardatione venire, & cauſſas reddere feſtinaretis. Quibus ita geſtis, ſcripſi vobis, & omnibus qui in Antiochia contra Apoſtolicam canonicamque regulam nobis inconſultis fueratis. Arguens vos primum de injuriis literarum, demum cur Athanaſium, ſuoſque conſectatores ad veſtrum Concilium convocaſſetis; Canonibus ſemel præcipientibus, nihil extra Romanum decerni Pontificem; cui hæc, & majora Eccleſiarum negotia, tam ab ipſo Domino, quam ab omnibus univerſorum Conciliorum patribus ſpeciali ſunt, ut jam dictum eſt, privilegio tradita. Vobis ergo refugientibus, & ad Concilium toties convocatis adeſſe nolentibus, illis quoque in ſua reclamatione, & juſta ratione perſiſtentibus, veſtraque cognoſcentes crimina, & illorum juſtam examinantes rationem, omneſque eos Nicæno Concilio cooperantes, & noſtris Apoſtolicis juſſionibus obtemperantes, viſum eſt nobis, ac univerſo Concilio, ut nos divinis præceptis, & Apoſtolicis monitis informati, qui pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilare debemus effectu, ſi quicquam reprehenſioni uſquam invenitur obnoxium, celeri ſollicitudine ab ignorantiæ imperitia, aut a præſumtionis uſurpatione revocemus.

Canones ſubſequentes ex Sardicenſibus, & ex aliis conſarcinati ſunt.

1. His taliter conſideratis atque diſcretis, tanquam omnium curam gerentes, propter ſedis propriæ dignitatem, ſuſcepimus eos in orationem, ſinguliſque cum auctoritate hujus ſanctæ Sedis rebus, proprias reddidimus Eccleſias. Quoniam huic ſanctæ Sedi propter privatorum hominum inſidias, ipſo Domino inſtituente, & ſanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus per ſingula Concilia roborantibus, hoc ſemper licuit, licebitque Domino auxiliante in perpetuum. Unde, qui ſcit ſe aliis eſſe præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obtemperantiam, quam ab aliis requirit, gratis & ipſe rependat. Quapropter increpando vobis ſcribo. Quia non recte tractaſtis viros inculpatos, & a nobis minime examinatos de ſuis Eccleſiis communione privatos pellentes, & eccleſiaſticæ diſciplinæ injuriam irrogantes, conſtitutumque Nicæni Concilii minime ſervantes, talia indiſciplinate agere non formidaſtis. Idcirco quoniam dudum venire vocati renuiſtis, modo ad certum diem, id eſt, xv. Kal. Novembris, vos iterum regulariter litteris, miſſiſque evocamus, ut coram vobis oſtendamus nos juſtam in eos protuliſſe ſententiam, & de cetero non talia eſſe paſſuros. Eſt etenim in antiquis Eccleſiæ ſtatutis decretum, ut qui aliena invadit, non exeat impunitus, ſed cum multiplicatione reſtituat. Unde & in Euangelio ſcriptum
[Luc. 19. 8.] eſt: *Quod ſi aliquid defraudavi, reddo quadruplum.*
[Deut. 27. 17.] In lege quoque cautum eſt: *Maledictus omnis, qui transfert terminos proximi ſui, & dicet omnis populus, amen.* Quare miror vos tam audaces eſſe, & tam imprudenter egiſſe, & terminos, ac jura beati Petri Apoſtolorum principis invaſiſſe. Sui enim, ut paulo ſuperius comprobatum eſt, juris erat, ut abſque ejus ſanctæ Sedis auctoritate, nullus deberet aut concilia celebrare, aut Epiſcopos ad Synodum convocare, vel damnare eos, aut propriis pellere ſedibus, aut alios in eorum loco ordinare, quæ omnia vos temerare non timuiſtis. Quid ergo aliud eſt talis præſumtio, niſi quod Apoſtolorum, ſuorumque ſucceſſorum decreta tranſgredi, & maledictionem ſuperius comprehenſam, in lege ſemel cautam, quam populus uno ore, conſonaque reſponſione per amen, id eſt fiat, confirmavit, ſuſcipere non timuiſtis? Necnon, ut reor, talibus tranſgreſſionum funiculis conſtricti noſtrum, ne veſtra proderentur flagitia, examen declinaſtis, & ad ſupradictam vocationem venire diſtuliſtis. Sane manifeſtum eſt, ſuum eos confiteri crimen, qui toties evocati abſque inevitabili cauſſa venire diſtulerunt, & purgandi ſe voluntate non utuntur. Nam ſi de veſtris dictis confideretis, etiam in faciem probare non diſtuliſſetis. Tales inſidiatores, ſpiritu prævidentes ſancti Patres in Nicæa congregati, leges ſtatuerunt, quas nos canones appellamus, ne facile probi ab improbis damnarentur. E quibus nonnullas ſententias hic inſeri judicavimus, ut tantorum Patrum auctoritate, noſtra roboraretur epiſtola, atque omnes Orientales ſive reliquarum partium Epiſcopi, hæc audientes in tantam foveam non incidant, ne damnationem a Patribus decretam percipiant. Sequuntur enim ex prædicto Concilio Nicæno capitula, id eſt, xviii. xix. xxi. xxiii. xxvi. xxvii. xxviii. xxxiii. xli. & v. vii. & viii. ac li. lii. liii. liv. lv. lvii. lviii. lix. lx. lxi. lxii. lxvii.

2. Et omnes Epiſcopi qui in quibuſdam gravioribus pulſantur, vel criminantur cauſſis, quoties neceſſe fuerit, libere apoſtolicam appellent ſedem. Atque ad eam quaſi ad matrem confugiant, ut ab ea, ſicut ſemper fuit, pie fulciantur, defendantur, & liberentur. Cujus diſpoſitioni omnes majores eccleſiaſticas cauſſas, & Epiſcoporum judicia, antiqua Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, atque canonum auctoritas reſervavit. Quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam ejuſdem ſedis Papæ fieri placuerit.

3. Placuit ut accuſatus, vel judicatus a comprovincialibus, in aliqua cauſſa Epiſcopus, licenter appellet, & adeat Apoſtolicæ Sedis Pontificem. Qui aut per ſe, aut per vicarios ſuos, ejus retractari negotium procuret. Et dum iterato judicio Pontifex cauſſam agit, nullus alius in ejus loco ponatur, aut ordinetur Epiſcopus. Quoniam quamquam comprovincialibus Epiſcopis, accuſati coram eiſdem Pontificibus, acta ſcrutari liceat, non tamen definire inconſulto Romano Pontifice permiſſum eſt. Cum beato Petro Apoſtolo, non ab alio, quam ab ipſo dictum ſit Domino: *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* [Matth. 16. 19.]

4. Si quis putaverit ſe a Metropolitano gravari, apud primatem diœceſeos, aut penes univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Papam judicetur.

5. Accuſatores, & accuſationes, quas leges ſæculi non aſciſcunt, & nos unanimiter ſubmovemus, ne fiat indiſtricta probatione impietas, cum recta ſit judicii in electione ſententia.

6. Nullus Epiſcopus alterius parochianum præſumat retinere, aut ordinare, abſque ejus voluntate, vel judicare. Salva tamen in omnibus apoſtolica auctoritate. Quia ſicut irrita erit ejus ordinatio, ita & dijudicatio. Quoniam cenſemus nullam alterius judicis, niſi ſui ſententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit.

7. Si quis erga Epiſcopum, vel actores Eccleſiæ ſe proprium habere crediderint negotium, non prius adeat judices, quam ad eos recurrat, charitatis ſtudio, ut familiari colloquio commoniti ea ſanare

debeant, quæ in querimoniam deducuntur. Quod A si aliter egerit, communione privetur.

8. Nemo Pontificum deinceps aliquem Episcopum suis exspoliatum rebus, aut a sede pulsum, excommunicare aut judicare præsumat, quia non est privilegium quo spoliari possit jam nudatus.

9. Pari tenore decernimus, non credi accusatori, qui absente adversario caussam suggerit, atque utriusque partis discussionem, nec accusatores, vel testes suscipi, qui non sunt idonei.

10. Placuit, ut si accusatus vel damnatus Episcopus, appellaverit Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse juste censuerit. Et omnes, qui adver- B sus Patres armantur, infames esse censemus. Neque eos, qui cum inimicis morantur, ad accusationem, vel ad testimonium recipiendos.

11. Placuit ut semper in accusatione Clericorum, primo persona, fides, vita, & conversatio blasphemantium perscrutetur. Nam fides, omnes actus hominis præcedere debet. Quia dubius, infidelis est, nec eis omnino esse credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec recte conversationis vitam ducunt. Quoniam tales, & facile, & indifferenter lacerant & criminantur, recte & pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo & corrigenda. Neque ac- C cusatoribus suspectis, & de inimicorum domo prodeuntibus credendum.

12. Quod non aliæ Metropolitanæ Ecclesiæ, vel primates sint, nisi illi, qui prius primates erant, & post Christi adventum auctoritate apostolica & synodali, primatum habere meruerunt. Reliquæ non primates, sed Metropoles vocentur, eorumque Episcopi non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruantur.

13. Infames esse censemus omnes, qui suam, aut Christianam prævaricantur legem, aut canonicam D postponunt auctoritatem.

14. Salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus Metropolitanus absque ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum adstantia, aliquorum ex illis caussas, quia irritæ erunt, immo & caussam in Synodo pro facto dabit.

15. Alienis erroribus sociatum, vel a sui propositi tramite recedentem, aut sacris Canonibus inobedientem, suscipere non possumus. Nec impetere recte credentes, vel sanctorum Patrum sanctionibus obtemperantes permittimus.

16. Peregrina judicia generali sanctione prohibe- E mus. Quia indignum est ut ab exteris judicetur, qui provinciales & a se electos debet habere judices.

17. Salva Apostolicæ Ecclesiæ auctoritate, nullus Episcopus extra suam provinciam ad judicium devocetur, sed vocato en canonice, in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus comprovincialibus Episcopis audiatur, qui concilium super eum, canonicamque proferre debent sententiam. Quoniam si hoc minoribus, tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de Episcopis servari convenit? Nam si ipse Metropolitanum, aut judices suspectos habuerit, aut infensos senserit, apud F Primates diœceseos, aut apud Romanæ Sedis Pontifices judicetur.

18. Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum. Quoniam ejus atque omnis rei professio periculosa, & admitti adversus quemlibet non debet.

19. Incerta nemo unquam Pontificum judicare præsumat. Quia quamvis vera sint, non tamen credenda, nisi quæ manifestis judiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur.

20. Criminationes majorum natu per alios ne fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis docuerint publicis omnium se carere suspicione atque inimicitia, & irreprehensibilem fidem atque conversationem ducere.

21. Et Provincialis Synodus retractetur per vicarios urbis Romæ Episcopi, si ipse decreverit.

22. Placuit, ut a quibuscumque judicibus Ecclesiasticis, ad alios judices ecclesiasticos ubi est auctoritas major, fuerit provocatum, audientia non negetur.

23. Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, & quod egerit, irritum erit & vacuum. Sed quicquid de comprovincialium Episcoporum causis, suarumque Ecclesiarum, & clericorum, atque sæcularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur Pontificum. Non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare*. Et alibi: *Qui major est vestrum, erit minister vester*, & reliqua. Similiter & ipsi comprovinciales Episcopi cum ejus concilio, nisi quantum ad proprias pertinet parochias, agant juxta sanctorum constituta Patrum, & uno animo, uno ore, concorditer sancta glorificetur Trinitas in sæcula. Matth. 20. 28.

24. Caveant judices Ecclesiæ, ne absente eo, cujus caussa ventilatur, sententiam proferant. Quia irrita erit, & rationem pro actione reddent in Synodo. Et ut proditoris calumnia, nec eorum postea vox audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille, qui injuriam, ejusque sustinuit nequitiam.

25. Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit in provincia, in qua ille consistit qui pulsatur, suas exerceat exactiones. Nec existimet qui eumdem accusat, alibi, aut longius protrahendum ad judicium. Illi vero qui pulsatus fuerit, si judices suspectos habuerit, liceat appellare.

26. Primates accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quam apostolica freti auctoritate, aut reus per seipsum, aut per innocentes & canonice examinatos regulariter testes convincatur.

27. Irritam esse injustam Episcoporum damnationem, idcirco a Synodo retractando retractandam, ita ut oppresso ab omnibus in cunctis subveniatur caussis.

28. Detractores, qui divina auctoritate eradicandi sunt, & fautores inimicorum, ab Episcopali submovemus accusatione. Similiter ne summorum quispiam, minorum accusationibus impetatur aut dispereat, neque in re dubia certa detur sententia, nec ullum judicium, nisi prudenter habitum teneatur.

29. Plura de his ideo hic non inseruimus, ne vacuare, vilemve facere prædictam Synodum videremur, aut fastidium legentibus audientibusque prolixa faceret epistola. Si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostro Sedis Ecclesiæ scrinio, & ex quæ prædiximus, invenire poterit: verum me dicere, testis est divinitas. De receptione vero Sedis, & Sacerdotii, atque honoris, quæ dixistis Athanasium absque Concilii decreto suscipere, non ita invenimus, sicut calumniati estis. Sed quorumdam Episcoporum Concilio atque decreto recepit suum, quod injuste perdiderat,

facer-

sacerdotium, ac resedit in sede. Quod cum scripsistis, non posse eum a pauciore numero Episcnporum restitui, quam depositus fuerat, non ita est. Nec hæc regula orthodoxorum sanctæ Ecclesiæ est Episcoporum, sed Arrianorum, sociorum videlicet vestrorum hæc adinventio, ad perditionem orthodoxorum Episcoporum contexta est. Nam ut vobis a veracibus est testibus relatum, quandn Antiochiæ pro damnatione fidei de consubstantialitate prolata suistis congregati, odin prædicti Athanasii hanc regulam protulistis, quæ nullas habet vires, nec habere poterit. Quoniam nec ab orthodoxis Episcnpis hoc Concilium actum est, nec Rnmanæ Ecclesiæ legatio interfuit. Canonibus præcipientibus, sine ejus auctoritate concilia fieri non debere, nec ullum ratum est aut erit umquam Concilium, quod non fultum fuerit ejus auctnritate.

30. Igitur de fuga, super qua Athanasium reprehenditis, non recte agitis, cum ipse Dominus mandatum hoc nobis dederit: [Mat. 10. 23.] *Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Et ipse Dominus per semetipsum exemplum nobis demonstravit. Pharisæi concilium fecerunt adversus eum, ut eum occiderent: [Mat. 12. 15. Joan. 8. 59.] *Sciens autem Jesus, discessit inde*. Et alibi: *Tulerunt lapides Judæi, ut mitterent in eum. Jesus autem abscondit se, & exivit de templo*. Et, [Luc. 4. 30.] *Transiens per medium eorum abiit, & ita discessit*. Nec non & discipuli propter metum Judæorum recesserunt, celantes semetipsos. [2. Cor. 11. 33.] Et Paulus in Damasco a principe quæsitus gentis, de muro in sporta positus est, & manus quærentis effugit. Et alii quamplurimi & innumerabiles Sancti, tam in Veteri Testamento, quam in Nnvo, fugisse leguntur. Si ergo fugam improperatis fugientibus, erubescite potius persequi, & quiescite insidiari, quiescentque continuo fugientes. Nam sive perimatis eos, mnrs contra vos semper exclamat: sive rurlus exilia superponatis, ubique in vos mali memoriam destinare noscimur, & illi patiendo sibi proficiunt, unde & Dominus ait: [Mat. 10. 27.] *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam*. Multos enim cognovimus pessimis machinationibus injuste depositos. Ideo summopere mihi, cui vice Apostolorum principis universalis Ecclesiæ cura commissa est, providendum, auxiliante ipsn summo Apostolo, ne deinceps talia fiant. Nempe huic sanctæ Sedi præfata privilegia ideo specialiter sunt concessa, de congregandis Conciliis, tam de judiciis, ac restitutionibus Episcoporum, quam de summis Ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppressi auxilium, & injuste damnati restitutinnem sumant, & talia ab improbis, ne prælimantur absque ultione, nec exerceantur absque sua damnatione. Nnn ergo recte egistis, quod prædictos fratres calumniati estis, dicente Domino: [Levit. 19. 13.] *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum*. Non recte egistis quod nobis inconsultis Concilium celebrastis, eosque ad Concilium vocastis, & damnare præsumsistis. Canonibus, ut præmissum est; jubentibus nihil ex his, absque hujus sanctæ Sedis auctoritate fieri debere. Non recte egistis, quod regulariter a nobis ad Concilium vocati distulistis. Non recte egistis, quod de his rationem reddere, ut vestra erga eos, aut probaretur recta sententia, aut improbaretur, non venistis. Nec rationalem mandastis caussam propter quam hæc renuistis. His ergo omnibus perpensis, manifestum est vos reos existere, & illos innocentes remanere, & vos recte excommunicatos, illosque juste liberari. Noluit namque Dominus tam leviter suos tractari ministros, sicut facitis, aut a vobis damnari: sed sicut memoratum est, ab hac sancta Sede, cui commissi sunt, aut suo reservari judicio. Ait enim: *Qui vos contristabit, me contristabit. Qui fecerit vobis injuriam, recipiet id quod inique gessit*. [Luc. 10. 16. Coloss. 3. 25.] Et quanta pœna expectet eos, qui Domini scandalizant discipulos, Euangelium sufficienter exponit, ubi de scandalizantibus discipulos loquitur. Nam quod a vobis nnn sint damnandi, sed aut ab hac sancta, ut præfatum est, sede, aut sibi reservandi, ipse manifeste dat exemplum, quando peccantes sacerdotes, quorum locum modo in sancta Ecclesia Episcopi tenent, non per alium, *sed per semetipsum vendentes & ementes ejecit de templo, & mensas nummulariorum primo evertit flagello, & ejecit de templo*. [Mat. 21. 12.] Et ipse alibi ait: *Dominus stetit in Synagoga deorum, in medio autem, deos discernit*. [Psalm. 81. 1.] Et reliqua talia, hisque similia. Et alibi idem ipse ait: *Nolite judicare, ut non judicemini. Nolite condemnare, ut non condemnemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*. [Mat. 7. 1.]

31. Quapropter non tam temere, ut vos facitis, quisquam suam præsumat evomere iniquitatem, sed judicantem nportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere. Nec de illis quæ inconcessa sunt, ulln modo judicium præsumere, interrogandi ac proponendi audiendique patientia præbita ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter. Nec prius litigantibus sua velit sententia obviare, quam illi peractis omnibus, jam nihil amplius habuerint in quæstione quod proponant. Nec oportet quemquam judicari aut damnari, antequam suos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat spatiosum ad abluenda crimina.

32. Simile in jam fata Synodn statutum est, ut ultra provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur, nisi ad hanc Apostnlicam fuerit sedem provocatum. Ad quam omnes qui voluerint, libere & absque ullo impedimento in quibusdam agendis confluere debent.

33. Similiter in præfixa Synodo est decretum, ne suspecti, infames, vel criminnsi, aut gratiosi, aut calumniatores, vel affines; aut scelerati, aut facile litigantes suscipiantur accusatores, sed tales qui omni careant suspicione. Quia columnas suas Dominus firmiter stare voluit, nec a quibuscumque agitari.

34. Similiter fata statuit Synodus, ut nullum sententia non a suo judice dicta constringat. Judices autem alii esse non debent, nisi quos ipse qui impetitur elegerit, aut quos sua cum consensu hæc sancta sedes, aut ejus primates, auctoritate hujus sanctæ sedis delegaverint. In his autem & aliis, quæ tam in hac sancta sede, quam & ab Apostolis eorumque successnribus sunt statuta, nihil præfatis Episcopis concessistis, sed vim eis inferentes, injusteque, ut superius commemoratum est, eos damnantes, aliquos absentes expulistis, quod omni Christianæ Religioni est inimicum. In quibus apparet, quod nec Domino sua servastis jura, nec huic sanctæ Matri & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ ut præscriptum est, suo judicio, aut huic sedi voluit reservari, ne a tam pravis, sicut estis, hominibus damnarentur aut ejicerentur. In his omnibus vos stultos, & prævaricatores Euangeliorum & Canonum esse, nulli sane sapientum est absconditum.

35. Nec his contenti estis in vestra prævaricatione, sed etiam prius expulsos eos & suis exspoliatos rebus, vocastis atque damnastis, cum nullus regulariter damnandus sit, nisi fuerit restitutus, & sua omnia ei legibus sint integerrime restituta. Est namque in sæpe jam dicta sancta Synodo ab omnibus unanimiter decretum, & auctoritate apostolica roboratum, ut si quis Episcoporum suis fuerit rebus exspoliatus, & in

& in accusatione pulsatus, ordinatione Pontificum oportet & decet sanctum propositum prima fronte * certare; ut omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, legaliter primo potestati ejus ab honorabili concilio redintegrentur, & præsul regulariter prius statui pristino reddatur, & ipse depositis ordinatisque rebus suis, tunc ad tempus veniat ad caussam. Et si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat. Quare ergo transgressi estis terminos patrum, judicantes & damnantes eos, quos non debuistis? Quare judicastis eos, quos non regulariter approbastis, quod in Regnorum libro scri- [1. Reg. 16. 7.] ptum est: *Non quomodo videt homo, videt Deus, quia homo videt in facie, Deus autem in corde vi-* [2. Paral. 28. 9.] *det*. Et in Paralipomenis: *Omnia corda scrutatur Deus, & omnem cogitationem novit*. Et alibi scri- [2. Cor. 24.] ptum est: *Non potest humano condemnari examine, quem Deus sua reservat judicio*. Hæc omnia summopere præcavenda sunt, nec accusatio Episcopo- [Exod. 23. 1. 1. Tim. 5. 19.] rum facile est recipienda, dicente Domino: *Non suscipias vocem mendacii*. Et Apostolus inquit, Adversus Presbyterum inscriptionem non recipiendam absque duobus, vel tribus idoneis testibus. Si hæc de Presbyteris, vel ceteris fidelibus sunt præcavenda, quanto magis de Episcopis? Quibus cognitis, magis vos dominari velle manifestum est, quam consulere funeribus, aut sustentare eos. Quia honor inflat ad superbiam & quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat namque vos juxta præfatas regulas, si aliquid egissent contra suum ordinem, mandare nobis & exspectare quid ad vestra consulta rescriberemus, in tantum ut si etiam quicquam grave intolerandumque commisissent, nostra exspectanda censura, & nihil prius aut aliud decernere, quam quod nobis placere cognovissetis, ita ut a regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumtione recederetis. Cesset hujusmodi pressa auctoritate præsumtio, vitentur hujusmodi nocumenta, quia nequaquam talia patienter ferre possumus machinamenta. Quoniam convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Merito namque nos caussa respicit, si silentio faveamus errori.

36. Est insuper in prædicta sancta Nicæna Synodo statutum, ut nemo anathema in nostra suscipiatur accusatione, nec illi, qui nos in sua nolunt recipere querela vel accusatione: cum nos super illos sciamus a Domino constitutos, non illos super nos. Et sicut major non potest a minore judicari, nec ita colligari, quia ratum est omne quod magnum est. Portamus onera omnium, qui gravantur; quinimo hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus, cujus vice fungimur legatione, & cujus regula informamur, quatinus ejus fulti auxilio, ab omnibus nunc & in perpetuo tueamur adversis. Data Kal. Novembris, Feliciano & Maximiano viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA ATHANASII ET ÆGYPTIORUM
ad eumdem Papam de oppressionibus Arrianorum.

Domino beatissimo, & honorabili sancto Patri Liberio Papæ, Athanasius, & universi Ægyptiorum Episcopi, in unum synodice apud Alexandriam congregati.

[Vide Victoris Carthaginensis Epist. ad Theodorum Papam.] VESTRÆ beatissimæ paternitatis jura penes Deū sint manifesta, dum prædicationibus scilicet Apostolicis, & doctrinis veræ Fidei cultura universa repleta sit terra. Per divinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur Orthodoxa Christi Ecclesia, Apostolica institutione fundata, & a fidelibus Patribus firmissime roborata. Ad quam omnes beatissimi Apostoli, pari honoris & potestatis consortio præditi, populorum agmina convertentes, pie sancteque de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram Fidem, de morte ad vitam homines divinæ prædestinationis gratia præscitos, salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum Apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens merita, & perfectius implens exempla, Ecclesiam Dei morum probitate & actuum sanctitate condecorat, & Fide sacra, Christianisque moribus augens, quæ fieri Deo placita præcipit, studiis pontificalibus indesinenter operatur & perficit, servans legis divinæ mandata: *Quia non le-* [Rom. 2. 13] *gis auditores, justi sunt apud Deum*, sicut narrat Apostolus, *sed factores legis justificabuntur*. Nos enim hæc meditari cupientes, & ea quæ a sancta sede vestra, Apostolorum eorumque successorum prædicatione suscepimus, atque quæ in Nicæna Synodo roborata cognovimus prædicare, & Arrianorum blasphemias, atque aliorum hæreticorum repellere. Qui quotidie ab his persequimur, & damnationi tradimur, atque morti destinamur. Qua de re precamur, ut vestris exhortationibus, tam per vos quam & apocrisiarios vestros adjuvemur. Ne dum illi crescunt, & nos minuimur, vera Fides destruatur, & eorum [Mat. 24. 12.] hæresis ultra Fidem nostram crescat. Quoniam timeo, ut postquam abundaverit iniquitas, refrigescat charitas multorum. Pro qua re, multa vestræ sacræ doctrinæ, tam apud Deum, quam apud cunctos fideles, merces & laus reposita est, si vestra resecentur auctoritate. Nostram enim Fidem, quam a sanctis Patribus accepimus & tenemus, atque docemus, subter inseruimus. Ut si aliquis vobis aliter nos credere, aut docere, aut accusando, aut mussitando retulerit, vel detrahendo scriptis mandaverit, per hanc manifeste nos ita credere & docere agnoscatis. Credimus namque in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, necnon & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei natum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non creatum, homousion, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ. Per quem omnia facta sunt, cælestia & terrestria. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die. Ascendit in cælum, inde venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, Erat tempus quando non erat: &, Priusquam nasceretur non erat: &, Quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia, dicunt esse convertibilem, atque mutabilem Filium Dei: hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. Hanc venerabilem Fidem trecenti quidem decem & octo, & cognoverunt & amplexi sunt, & consonantes & unanimes scriptis exclamaverunt. Sed modo quoniam contra hæc ex nostris talia exsurgunt, qualia non debent, venite & vos, dilectissimi fratres, cum Deo, & descendamus ad visitationem, id est, inquisitionem sermonum eorum, & confundamus per approbationem verissimam ibidem linguas eorum elevatas contra scientiam unigeniti Filii Dei, iniquita-

tem

[Psalm. 2. 3.] tem in altitudinem humanitatis ejus loquentes: *Disrumpamus vincula eorum*, per gladium spiritualem, quod est Verbum Dei, *& projiciamus a nobis jugum ipsorum*, per expugnationem profani sensus illorum. Tunc etenim ipse quoque *Dominus irridebit eos, & subsannabit, & tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*, secundum beatum Hieremiam, dicens: [Jerem. 14. 14.] *Falso Prophetæ isti vaticinantur in nomine meo. Non enim misi eos, & non præcepi eis, neque loquutus sum ad eos, visionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Ideo hæc dicit Dominus de Prophetis qui prophetant in nomine meo mendacium: erunt* B *projecti in viis Hierusalem, & conculcatio omnium pie confitentium me, & non erit qui sepeliat eos.* Nemo enim abscondere potest quibusdam subreptionibus commendatitiis, sicut nec foliis fici, antiquus transgressor præcepti Adam potuit, qui per propriam linguam inverecunde nudatur: [Prov. 6. 2.] *Laqueus enim fortis viro labia ejus, & captus propriis sermonibus, & opera manuum ejus, retributio autem laborum ejus dabitur ei, & impietatis reprehensio. Arguam te*, inquit, *& statuam contra faciem tuam, existimasti inique, quod essem tibi similis.* [Judic. 7. 4.] *Propterea*, sicut dicit Dominus ad Gedeon, A *deponamus eos ad aquam veræ discretionis, & probemus eos ibi regulari examinatione in idipsum pronos corruentes*, per ostensionem pravi intellectus eorum, utrum ne sint apud se sapientes divini Verbi scientiam ignorantes. Quoniam dicentes [Rom. 1. 22.] se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam Catholicæ Ecclesiæ propria novitate, sive per ea, quæ illicite in ejus defensione gesta sunt, hæreticam turbulentiam introducentes, illud competenter ad nos retinentes, quod bene ad Jesum Filium Sirachi dictum est: [Eccli. 4. 33.] *Usque ad mortem certa pro veritate, & Dominus pugnabit pro te.* Hujus rei gratia universalis vobis a Christo Jesu commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis: [Luc. 11. 21.] *Quia dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Ideoque tanta urgente necessitate, summopere comprimite vestra summa auctoritate infestos, relevate oppressos, ut absque gravi, Domino opitulante, difficultate, ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur illæsi. Et subscriptio: Æterna te servet divinitas, per multos annos, sanctissime Patrum Pater. Amen.

RESCRIPTUM LIBERII PAPÆ,

AD EOSDEM.

Dilectissimo Filio Athanasio, & omnibus in unum congregatis, & de Trinitatis Fide recte sentientibus Ægyptiorum Episcopis, Liberius Papa.

[Leo, Epist. 4.] OLIM & ab initio tantam percepimus a beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem pro universali Ecclesia ad rectam defendendam Fidem, quatinus nulli liceat statum sanctæ Ecclesiæ commovere ad læsionem recte credentium, absque sui periculo honoris. Epistolam siquidem vestram nobisque directam, ante nos recitari fecimus, tribulationes & persecutiones, quas pro recta Fide patimini, intelleximus. Super quibus & nos una vobiscum condolemus, & laborare pro vobis, ut pater pro filiis, parati sumus. Fidem vero Nicæni Concilii in eadem Epistola rectam reperimus, super qua & Deo gratias uberrimas retulimus. Pro qua non solummodo persecutiones, & passiones sustinere vobiscum parati sumus, sed etiam si necesse fuerit, mori pro Christi nomine, in quantum nostra sinit fragilitas, non respuimus. Igitur prædictum sanctum, ut legimus, Concilium definivit Nicænum, [* Ex Conc. Lateran. anno 649. multa.] * aliam Fidem nulli licere proferre aut conscribere, vel componere, aut sapere, vel docere aliter, nec quicquam in Fide sentire aut proferre, quod his patrum regulis possit obviare. Qui autem præsumserit aliam Fidem componere, aut proferre, vel docere, aut tradere aliud Symbolum, ad viam veritatis converti desiderantibus de quacumque hæresi, vel ex Judæis aut Paganis Christianos se fieri volentibus; hi si Episcopi fuerint aut Clerici, alienatos quidem Episcopos ab episcopatu, Clericos a clero. Si vero Monachi, aut laici fuerint, anathemate feriri. [2. Tim 2. 5.] Protestatur enim beatus Apostolus, dicens: *Si quis certat, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Et iterum Dominus ait: [Mat. 10. 22.] *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Videlicet certaminibus sacris propositis nobis, pro defensione Catholicæ Ecclesiæ, magnaque salute ex hoc sperata ab omnium bonorum datore Deo, non deficiant manus nostræ, dilectissimi fratres, per occasionem cujuslibet desidiæ C dissolutæ, sed fratres efficiamur per gratiam Domini, atque virtutem potentiæ ejus. [Psal. 17. 34.] *Quoniam perfecit pedes nostros tamquam cervorum, & super excelsa firmius statuit*, per intellectum summæ ejus humanitatis propter nostram salutem, maxime tamen habentes impositam sanctorum testium nubem: [Hebr. 12. 2.] *Deponentes ergo omne pondus, & circumstantem adversariorum novitatem, per patientiam curramus aspicientes in auctorem Fidei, & consummatorem Jesum*, qui proposito nobis propter eum negotio, Spiritum suæ veritatis condonet loquentem in nobis, atque perhibentem magnalia Fidei, per doctrinam sanctorum Patrum, quos adversarii calumniantur quotidie. In Prophetis namque habetur: [Esai. 62. 1.] *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Profecto Catholica Ecclesia, quæ vera consistit Sion, & civitas Christi cælorum regis, per annorum spatia expugnata ab adversantibus verbo Fidei, qui neque Deum timent, neque hominem reverentur, sed incassum perducentibus pias & canonicas de hoc verbo doctrinas, dum a diversis tantisque scripto, & sine scripto, contestationibus invitati fuissent, corrigere propriam & a se pellere hæresim. Sicuti & per anteriorem cognitionem luculentius demonstratum est, tam per libellos, quam per suggestiones reverendissimorum Sacerdotum, & venerabilium Abbatum, Apostolo protestante nobis, [Tit. 3. 10.] *ut hominem hæreticum, post primam & secundam correptionem, evitare debeamus. Scientes, quia subversus est hujusmodi, & deliquit proprio judicio condemnatus.* Nullo modo oportet nos deinceps tacere aut quiescere, ne quoquo modo iniqui judicemur, odibilem Deo partem amplectentes. Quoniam scriptum est: [Psalm. 68. 3.] *Zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns.* Et dicatur etiam de nobis: [Ezech. 22. 26.] *Sacerdotes mei contemserunt meam legem, & polluerunt sanctuaria mea*, in-

inter sanctum, & prophanum non habuere distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt. Sed consurgere nos convenit cum Deo, consistere promte, induentes arma Spiritus adversus malignantes contra Fidem ejus, ut approbemus Spiritus sapienter, id est, verba eorum, si ex Deo sunt. Scriptum [Jerem. 6. 27.] est enim in Jeremia: *Probatorem dedi te in populo meo robustum, & scies & probabis viam eorum*. Multa namque nobis necessaria est vigilantia, & tanta divinæ Sapientiæ rimatio, quæ occulta tenebrarum revelat ad requisitionem hujusmodi rei, & scrutationem, quæ latet quodammodo & absconditur, vixque comprehenditur, dolosa existens malitia, pro eo quod sibi pietatem callide blandiatur, ut valeat scrutantium mentem latere. Quod utique sciens beatus [2. Cor. 11. 13.] Apostolus, ait: *Nam hujusmodi pseudo-Apostoli, & operarii subdoli, transfigurant se in Apostolos Christi*. Sed non mirum, quoniam & *ipse satanas transfigurat se velut Angelus lucis*. Et ideo non mirum si non ministri ejus transfigurantur, velut ministri justitiæ, quoniam finis secundum opera eorum. Sed & [Mat. 7. 15.] Dominus in hoc præmuniens nos ait: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimento ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos*. Ergo in idipsum ex toto corde ferentes ante omnia super tali quæstione deprecationem, & dicentes cum David: [Psal. 118. 18. 105.] *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Lucerna* enim *pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis*, quoniam ipsius est, sicut ait beatus Daniel Propheta: [Dan. 2. 21. 22.] *Sapientia & fortitudo dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta, & lux cum eo est. Quia sapientiam*, inquit, *& fortitudinem dedisti mihi, & ostendisti mihi, quæ rogavi te*. Cum ope divina uniuscujusque personæ descripta, eorum qui pro novitatis commento accusati de venerabili nostro scrinio obsecundantibus, & nobis ordinabiliter offerentibus, solertius intendamus, ita ut qui hæc præsumserint prævaricari, primum quidem subjaceant judicio terribili omnipotentis Dei, deinde autem qualemcumque regalem indignationem revereantur. Per quam siquidem Episcopi, aut Clerici fuerint, a sui Sacerdotii, sive a sui Cleri ordine modis omnibus excidant. Sin autem Monachi sunt, segregentur, & alieni sint a suis locis. Sin autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis. Quod si privati, si quidem nobiles consistunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur. Sin autem ignobiles consistunt, non solum in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur, ut omnes timore Dei compressi, & comminata eis digna supplicia reverentes, immobilem & sine turbatione pacem sanctarum Dei Ecclesiarum custodiant. Data viii. Kal. Junii, Asclepio, & Deodato venerabilibus Coss. Explicit. Gloria Christo Jesu Domino nostro. Pax vobis. Amen.

EPISTOLA ÆGYPTIORUM PONTIFICUM

ad Felicem de infestationibus Arrianorum.

Domino ter beatissimo, & honorabili sancto Patri Felici sanctæ Sedis Apostolicæ urbis Romæ Papæ; Athanasius, universi Ægyptiorum Thebaidorum, & Libyorum Episcopi, in sancta Alexandrina Synodo gratia Dei congregati.

VESTRO sancto suggerimus apostolatui, ut nostri, more solito, sollicitudinem gerere dignemini, juxta vestram prudentissimam sapientiam, quę omnibus luce clarius manifesta est, quia apostolicis vestra beatitudo visceribus commota, super tribulatione nostra, nos omnes hortata est ad tuitionem Catholicę & Apostolicæ Ecclesiæ, in unum convenire, & de nostra canonice oppressione, & unanimiter tractare, dum constat nos una cum beato Paulo Apostolo eadem compassibiliter dicere: [2. Cor. 11. 29.] *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Satagentes, ne aliqua de iis, quæ vobis creditæ sunt rationabilibus ovibus, a bestiis capiatur. Ideo, Pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos a vestra apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos habere curam novimus, præfatam apostolicam & summam expetimus, juxta canonum decreta, sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes & dogmata, atque sublevationes traxerunt. Ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur, quoniam non potest mater oblivisci infantem suum. Sic & vos nolite oblivisci nos vobis commissos. Quoniam non levibus nos inimici nostri implicuerunt, & quotidie facere moliuntur afflictionibus, & apprehendere, ac * ferris nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus, quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus. Canonibus quippe jubentibus absque Romano Pontifice, nos de majoribus caussis nihil debere decernere. Ideoque ad propositum recurrentes, & ad bravium properantes, vestræ Apostolicæ Sedis imploramus auxilium. Quia, ut credimus, non despexit Deus preces cum lacrymis sibi oblatas servorum suorum, sed ob id vos prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet præsules, in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis, nosque tuentes, quibus omne Episcoporum judicium est commissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis. Nam scimus in Nicæna magna Synodo trecentorum decem & octo Episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec Episcopos damnare licet, hæc & synodica capitula alia complura pernecessaria, ab hæreticis, qui nos quotidie infestant & perdere nituntur, ut facilius nos capere possint, sint incensa, nobisque sublata. Qua de re hac inventa occasione, indifferenter omni canonica & apostolica postposita auctoritate, nos vi a propriis, vobis inconsultis, illicite expellunt sedibus, ovesque nobis a Christo Domino apostolica commissas graria, invadunt, gradibus privant: & quod pessimum est, & omnibus Christianis legibus inimicum, interficere decertant. Vos ergo ut semper vestræ sedi sanctæ consuetudo fuit, periclitantibus subvenite, oppressos roborate, tribulatis manum porrigite, taliaque prohibete, & leges imponite, ut Apostolica Doctrina, quæ in Deo est, cito ad victorum judicium perducere valeat nostrum, nosque Apostolorum Principe suffragante Petro, ab imminentibus periculis liberare. Novimus namque * in jam fata Nicæna Synodo generaliter esse decretum,

[* Stephanus Dorensis ad Martinum Papam.]

[* Habetur in Epist. Decret. Julii contra Orientales pro Athanasio.]

ut nullus passim, vageque Episcopos, aut præsumptive lacerare, aut accusare, & qui non sunt rectæ fidei vel bonæ vitæ, vel claræ conversationis, infamare præsumat. Sed prius si erga Episcopos, vel auctores Ecclesiæ quisquam causam habuerit, eos cum charitate mansuete conveniat, ut ab eis vulnus unde agitur, recte sanetur. Aut ipse, si secus egerit, accusator excommunicetur. Quod si ab eis nihil recte valuerit percipere, tunc primo summos adeat primates, & ipsi tempore congruo canonice eos convocare debebunt. Qui si aut suis rebus exspoliati, aut a propriis sedibus ejecti, aut exiliati, vel oppressi, aut inique tractati fuerint, primo eruantur, & canonice restituantur, atque omnia sibi sublata * integerrime eis legibus reddantur. Quoniam priusquam hæc fiant, ut in prædicto constitutum est concilio, nec canonice convocari, nec distringi a quocumque possunt. Quoniam nec sæculi leges hæc fieri permittunt, quanto minus ecclesiasticæ? Similiter & a supradictis Patribus est definitum consonanter, ut si quisquam Episcopum, aut Metropolitanum, aut comprovinciales, vel judices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellent sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi, ac absolvendi, speciali est privilegio super alios concessa. Ipsa enim * firmamentum a Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum titulorum lucidissimam Dominus Jesus Christus veram apostolicam constituit sedem. Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, levantur, & sicut in Christo Christiani, & in petra, id est Christo, Petrus, Petri renovantur Ecclesiæ: *Tu es* enim, sicut divinum veraciter testatur eloquium, *Petrus*, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columna, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & propriis humeris portare debent, sunt confirmati. Tibique claves regni cælorum commisit, atque ligare, & solvere potestative, quæ in terra & quæ in cælis sunt, promulgavit. Tu prophanarum hæresum, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, & Princeps, & doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ & immaculatæ fidei existis. Igitur ne despicias patrum tuorum, pater, pietatem, bonamque intentionem. Et sicut illi patres, & prædecessores nostros a multis liberaverunt oppressionibus & angustiis, ita nos liberare digneris. Nam fuit semper vestræ sanctæ & Apostolicæ Sedi licentia, injuste damnatos vel excommunicatos, potestative sua auctoritate restituere, & sua eis omnia reddere, & illos qui eos condemnaverunt, aut excommunicaverunt, apostolico punire privilegio: sicut etiam nostris, & antecessoribus cognovimus actum temporibus. Porro & ipsi primates, qui Episcoporum & summorum ecclesiasticorum caussas suscipere debent, in præfixa Nicæna Synodo sunt dinumerati, ne in posterum ex hoc contentio oriretur. * O sanctissime Pater Patrum, abscinde blasphemias & jactantium vaniloquorum & insidiantium infestationes, nos & fratres nostros opprimentium, atque perdere volentium, qui ad vos quasi ad caput confugimus, ut vestro suffulti auxilio liberemur, & vobis nobisque Christi commissas oves a luporum ore, Domino adminiculante, antequam deglutiantur, rapiamus. Nec enim * fas est supplicum Apostolicæ Sedis scripto, aut sine scripto, preces oblatas despicere, sed ut condecet, & privilegium vestræ sedis est, & nos, & illi canonicaliter convocemur, & ante vos de nostris objectionibus canonice cum omni probitate concertemus. Sicut prædecessores nostri penes vestros fecerunt antecessores, & sicut canonica in prædicta sancta Synodo docent constituta, & veluti paleati verbi per ventilabrum canonicæ examinationis, ple-

* Hadr. Coll. 35.

* Sergius

Cypri. Epist. ad Theod. Papam conc. 2. Concil. Lateran.

Matth. 16. 18.

* Idem Sergius.

* Martinus Papa, ibidem.

A nam purgationem in communi consistentes auditorio, de maturis & nutrientibus Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus, quæ confirmant cor hominis, per participationem paternarum consequamur institutionum. * Antiquis enim regulis sancitum est, ut quicquid, quamvis in remotis, aut in longinquis positis provinciis, super Episcoporum querelis aut accusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset, quam ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset pronuntiatio facta, qua infirmaretur, aut firmaretur. Indeque sumerent normam, unde Ecclesiæ sumsere exordium prædicationis, ne passim ab insidiatoribus B columnæ everterentur Ecclesiæ. Certum est enim eidem sanctæ Sedi vestræ in honorem beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem decrevisse reverentiam Dei, pro rebus inquirendis atque determinandis, quas sollicite decet, justeque ab ipso præsulum examinare vertice apostolico, cujus sollicitudo semper fuit & est, tam mala damnare, quam probare laudanda. Quoniam humillimum vestro apostolico culmini persolventes obsequium, ut ipse Dominus præcepit, & sanctorum decreta Patrum statuerunt, cum lacrymis suggerimus, quod sine gemitu cordis reticere non valemus. Nam in tantum a persecutoribus sanctæ C Dei Ecclesiæ, nostrisque inimicis persequimur, ut magis nos vivere, quam mori tædeat. Unde præ omnibus fatemur, in tantum cor esse nostrum vulneratum, ut Propheticum illum planctum exoptemus, dicentes: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut sedentes ploremus die ac nocte?* Ecce enim oves, quæ nimis infestantur, atque a pravis amoveri hominibus impelluntur. Christianorum vero voces ac gemitus Episcoporum longe lateque resonant, novitates insurgunt, calumniæ crescunt, persecutio grassatur, perditio fit po- D pulorum. Vestrum est nobis manum porrigere, vobis enim commissi sumus, vestrum est nos defendere atque liberare, nostrumque est a vobis auxilium expetere, & vestris parere jussionibus. Pro nimio ergo dolore, atque gemitu omnium, quæ nos infestant, necessario recordari, vobisque significare nequimus. Ideo almum vestrum exoramus apostolatum, ut super his legem, quæ in memorata Nicæna Synodo est promulgata, quamvis prædictorum insidiatorum, & aliorum malorum hominum, quo facilius Episcopos Dei Ministros valeant illaqueare, est suffocata, reparetis: & quæ necessaria fore cognoscitis, vestræ E sanctæ Sedis auctoritate nos cunctosque fratres informetis, ut malorum insidias hominum, vestra fulti auctoritate illæsi, Domino opitulante, evadere valeamus, quia insidias luporum prævidere, non ovium, * sed pastorum est. Scimus enim quod id semper vestræ Sedis præsules, primo Apostoli, deinde successores eorum fecerunt. Vos universalis Ecclesiæ, & maxime Episcoporum qui oculi Domini propter contemplationem & speculationem vocantur, curam gerere, ac de revelatione & lege nostra assidue cogitare debetis, sicut scriptum est: *Beatus qui meditatur in lege Domini die ac nocte.* Quæ meditatio, non F lectione per figuram litterarum tantum conspecta, sed uberante in vobis Christi gratia in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita, & nullatenus de vestro corde recedente lege Christi Dei sacrosancta, sicut in Psalmis dicit Propheta: *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium, lex Dei ejus in corde ipsius*, non atramento, sed spiritu Dei vivi vestris in arcanis conscripta, neque in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, sicut beatissimi Apostoli Pauli ad Corinthios missa nos docet Epistola. Quibus præmissis significamus Deo placitæ fraternitati vestræ die septimo Kalendarum Augusta-

* PP. Afric. in Ep. ad Theod. Papam Conc. Lateran. ann. 649.

Jerem. 9. 1.

* Conc. 3. Rom. sub Symmacho.

Victor. Carth. Ep. ad Theod. Papam, unde multa huc invecta sunt.

Psal. 36. 30.

gustatum, indictionis quartæ, nostram humilitatem divina gratia, suo ut præcepit munere præveniente, vestris Sanctis ac Deo dignis precibus, in sancta Romana Ecclesia pontificalis honoris accepisse consecrationem & stolam, in quo dignitatis fastigio ut Deo omnipotente altissimo regamur, & a malis omnibus liberemur. Ut non sacerdotale nomen tantum, sed Christi Domini nostri Dei protegente auxilio & meritum habeamus, vestris sanctis ac Deo acceptabilibus nos commendantes orationibus, poscimus quatenus & vestris deprecationibus pro nobis ad Deum effusis muniti, & eruditionibus bonis instructi, digni efficiamur cum omni nobis populo Christiano B commisso illæsi, protegi velamento divino. Ad salutationem ergo vestræ sanctæ & honorandæ fraternitatis, vice nostra, Benedictum humilem nostrum fratrem vestrum Episcopum, & Alexandrum presbyterum, Crispinum quoque diaconum, vestros famulos destinavimus. Propter quos postulamus celerius nobis a vestra beatitudine persolvi, ut vestris cohortationibus roborati, vestris regulis, inimicis videlicet compressis, informati, ad proprias prudenter consolari valeamus ecclesias ante hyemem Domino propitio remeare. Vestrum est quippe, Pater sanctissime, canonica instructione sollicite, C ecclesiasticæ regulæ adversantibus, & fratrum insidiatoribus obviare, nec permittere noviter dici, quod Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit. Nos enim humiles corde, sapientes, adjuvante Domino, quæ recta sunt uno vinculo caritatis vobiscum sumus constricti, veram fidem, ac Religionem Catholicam in omnibus fortiter defensantes. Studiosius itaque a Catholicis, improbis probe resistere nitendum est, ne torpentes, desidia oppressi, culpæ taciturnitatis teneamur obnoxii, & quasi favorem impendentes judicemur. Unde dictum est: Negligere, D cum possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Manifesta est, Doctor sanctissime, venenosa serpentum sine simplicitate astutia, dum manifesta est dolosa inimicorum fallacia. Succurrite, quæsumus, op-

A pressis, liberate nos de manu persequentium, ut cum beato Job cantetis: *Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum, justitia indutus sum, & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, causamque quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eorum auferebam prædam, & reliqua*. Nos enim quos tua maxima exspectat cura, id est, Episcopi omnes, præcipue tuum debemus mereri judicium, & non ab aliis devorari. Merito ergo nos Sacerdotes Domini caussa respicit, si B silentio * faveamus errori. Si quidem corripiantur hujusmodi, nec sit liberum eis pro voluntate habere judicium, desinatque novitas incessere vetustatem, desinat ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Nam omnes Metropolitani, vel reliqui Episcopi, sua odia aut vindictas in reliquos Episcopos exercere non valeant. Ideo nominatim in Nicæna Synodo expressi sunt primates, qui reliquos Episcopos audire & judicare debeant, ne ulla fraus in judicio Episcoporum possit irruere. Vos ergo qui in summo speculo gratiæ Dei estis depositi, attendere eos, & opprimere oportet, qui in fratres sedi- C tiones, * & scandala excitant. Ideoque exoramus, ut minime despiciatis humilitatis nostræ, & omnium Orientalium Orthodoxorum Sacerdotum, & populorum afflictiones & damnationes, cum lacrymis oblatas. Sed sicut luminaria universo mundo, verbum vitæ retinentes, introductas exstinguite tenebras nefandissimorum insidiatorum, temporibus etiam nostris procaciter germinatas: quatenus funditus exstincta hujusmodi caligine, Lucifer nobis resplendeat per vos, sanctissime Pater, & dogmatica definitio ubique omnes lætificans, qua gloriosi sancti Patres per propria piissime dogma- D ta in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicasse noscuntur. Et subscriptio: Incolumem te, & beneplacitum Deo, sanctissime Pater Patrum, orantem pro nobis Dominus custodiat in ævum, amen.

Job 29. 11. & sequent.

* Ex Epist. 6. Cælestini 1. ad Gallos.

* Stephan. Dorensis, ad Synodum Lateranensem anno 645.

RESCRIPTUM FELICIS PAPÆ,

AD EOSDEM.

Reverendissimis atque dilectissimis Fratribus Athanasio, & universis Ægyptiorum, Thebaidum, Libyorumque Episcopis in sancta Alexandrina Synodo congregatis, Felix almæ Romanæ urbis & universalis Ecclesiæ Episcopus, & sancta Synodus, quæ in urbem Romam convenit, in Domino salutem.

SACRAM vestram synodicam epistolam per gratiam Spiritus sancti, & Deo placitum studium conscriptam, vestræ a Deo honorandæ sanctitatis gratia libenter suscepimus, atque instanter nostra in Synodo recitare per singula jussimus, & omnes intente ejus colligere verba præcepimus. Super quæ dum lætari sperabamus & cupiebamus, *versa est in luctum cithara nostra*, & cantatio in plorationem, & omnino totius Synodi gaudium in mœrorem translatum est, quia non decuerat, ut ii qui corpus * Christi quotidie proprio conficiunt ore, tantam paterentur persecutionem. Quoniam Dominus Deus noster salutem providens generis humani, mandavit persecutiones non fieri, neque fluctuationes inferri, aut invideri laborantibus in agro Domini, neque dispensatores magni Regis vexari, aut expelli. Quiescite, inquit, sancta magna Nicæna Synodus, & nolite persequi eos, qui Deo perfecte ministrant, & sincera voluntate superni Dei mandata custodiunt, & nostris

Job. 30. 31.

* Hieronym. Epist ad Nepotianum.

E legibus subjugantur. Quia nec decet nec ordo patitur, ut iniqui & carnales, spirituales persequantur. Omnis enim qui resistit alicui, nunc vertendo, nunc celando veritatem, mentitur adversus eum contra quem litigat. Et qui infestus est alicui, omnia sicut hostis agit, & insuper loqui contendit. Vos enim monemus fratres in speculis esse debere, ut inquantum esse potestis & Dominus auxilium dederit, talibus nostra apostolica vestraque auctoritate resistatis, nec quisquam vestrum a fratris auxilio se subtrahat; sed pro viribus adminiculum præstet. Quoniam licet pauci sitis, si unanimes fueritis, nullatenus, justitia F suffragante, Domino quoque opem ferente, superabimini: *Quia funiculus triplex difficile rumpitur*. Nam si officiis sæcularibus * humana lex subvenit, quanto magis Ecclesiasticis, & Domini sacerdotibus, maximeque Pontificibus, qui pupillæ oculorum Domini appellantur, divina atque canonica lex suffragari debet? Ait enim divinum de Episcopis eloquium:

Eccles. 4. 12.

* S. Greg. Ep. 120. l. 7.

Qui

[Zach. 2. 8.] *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Et ſi ſæculares homines humana multipliciter explorantur lege, & requiſitiones atque induciæ illis multorum menſium conceduntur, ne injuſte damnentur; quanto magis Epiſcopis, qui proximiores ſunt Deo, & ſuper eos ſunt conſtituti, poſitique in cæleſti militia, quæ impenſius ponderanda eſt, temporaque ſunt concedenda multo ampliora, ne a quibuſdam graventur aut opprimantur, vel ſubito damnentur. [* Innoc. Ep. 2.] * Inſpiciamus ergo adjuvante Deo & ſancto Apoſtolo Petro, per quem & apoſtolatus & epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, quam plures ſæpe emerſerunt cauſſæ, quæ in quibuſdam non erant cauſſæ, ſed crimina. Quia magis, ut comperimus, iniquitate fratribus ſunt impoſitæ, quam caritate. Et ut de cetero ſollicitudo ſit, ne talia deveniant, capitula quædam, quæ a ſanctis Patribus, tam in Nicæna Synodo, quam in hac ſede conſtituta ſunt, ponamus. Quibus fratres & coepiſcopi noſtri fulti, inſidias inimicorum Domino auxiliante valeant evadere, & prout Dominus dederit poſſe, paucioribus [* Innoc. Ep. 7.] * tantorum malorum verbis imitemur compendium, & ſtrictim quæ in volumen literarum veſtrarum comperimus, retractemus, & alia nonnulla inſtantis temporis neceſſaria prout petitis ponamus.

[* Carth. 3. c. 9.] * 1. Eſt namque Synodicis decretum inſtitutis, ut nemo Epiſcopum penes ſæculares arbitros accuſet, ſed ad ſummos primates.

2. Si quis adverſus Epiſcopum cauſſam habuerit, non prius alios Epiſcopos adeat, ut eum accuſet, quam familiariter ei ſuam indicet querelam, & ab eo juſtam emendationem, aut rationabilem percipiat excuſationem, ipſa nos inſtruente veritate: [Mat. 18. 15] *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum. Et ſi non audierit, dic Eccleſiæ, id eſt, accuſa eum publice, & non privatim*, & reliqua.

3. Si quis Epiſcopum poſthac elegerit accuſare, ſummis primatibus Epiſcoporum ſuam indicet cauſſam, & non ſæcularibus, qui magis ad pacem [* Carth. 4. c. 26.] * quam ad judicium eos revocent, ut caritas in omnibus & ab omnibus cuſtodiatur. Si primates accuſatores Epiſcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad Synodum canonice convocatam, non infra anguſta tempora canonice convocent, & non priuſquam eis per ſcripta ſignificent, quid opponitur, ut ad reſponſionem præparati adveniant. Nam ſi aut vi, aut timore ejecti, aut ſuis rebus exſpoliati fuerint, nec canonice evocari ad Synodum poſſunt, nec reſpondere æmulis debent, antequam canonice reſtituantur, & ſua eis omnia legaliter reddantur.

4. Si quis Epiſcoporum ſuis fuerit rebus exſpoliatus, aut a ſua Eccleſia vi aut timore expulſus, quod omni Chriſtiano nomini eſt inimicum, oportet & decet Epiſcoporum præpoſitum ſemper prima fronte ſollicitum eſſe, ut omnia, quæ ei ablata ſunt, poteſtati ejus legaliter reddantur, & præſul prius reſtituatur. Et poſtea non ſtatim, ſed diu & per ſpatioſa tempora, ſuis poteſtative depoſitis, & ad ſuam neceſſitatem præparatis, ad tempus veniat ad cauſſam. Et ſi juſte viſum fuerit, accuſatoribus reſpondeat ſuis.

[* Ex Aniano.] 5. Nulli infami * atque ſacrilego de quocumque liceat negotio, adverſus religioſum Chriſtianum, quamvis humilis ſerviliſque perſona ſit, teſtimonium dicere, nec de qualibet actione vel inſcriptione Chriſtianum impetere.

6. Si quis Epiſcopus legitime accuſatus, & ſupradicto ordine ad Concilium canonice convocatus fuerit, abſque trepidatione ire debebit. Et ſi ire non potuerit, * pro ſe legatum ad Synodum mittat. [* Hadr. c. 5. & 11.]

7. Nullæ cauſſæ a judicibus eccleſiaſticis audiantur, quæ legibus non cootinentur, vel quæ prohibitæ eſſe noſcuntur.

8. Si quis aliter non adquieverit, oiſi ut Epiſcopum accuſet, ſupra taxato hoc tenore agere debebit, quia aliter rata non poteſt accuſatio exiſtere. Tunc [* Carth. 3. 7.] primo accuſati cauſſam accuſator * apud Primates canonice deferat. Nam a communione prohibeatur accuſatus, niſi ad electorum judicium canonice convocatus infra tres aut ſex, vel plures menſes pro ſuis rationem redditurus venire diſtulerit. Quod ſi probara potuerit, quod voluerit, ſed non potuerit venire, nihil ei nocebit. Ille vero, qui vi, aut timore a ſede pulſus, aut ſuis rebus exſpoliatus fuerit, non prius vocetur ad Synodum, quam ei omnia legibus redintegrentur. * Et tamdiu in ſede propria pa- [* Rom. 5. ſub Symmacho.] cifice & poteſtative cuncta diſponens reſideat, quamdiu expulſus, vel exſpoliatus carere viſus eſt rebus. Cum autem ad judicium venerit, ſi voluerit & neceſſe fuerit, induciæ ai petenti a Patribus conſtitutæ abſque impedimento concedantur, & judices a ſe electi tribuantur, ut in loco unde eſt ille qui accuſatur, aut ſi alibi alicujus temerariæ multitudinis vim metuerit, locum ſibi congruum eligat, quo abſque timore ſuos, ſi neceſſitas expopoſcerit, teſtes habere, & abſque impedimento ſuam canonice ſententiam finire valeat.

9. Quia multa per ſubreptionem evenire ſolent, * illis teſtificandi vel accuſandi licentia denege- [* Anianus in c. 1. t. 7. l. 16. Cod. Theod.] tur, qui Chriſtianæ Religionis & nominis dignitatem, & ſuæ legis vel ſui propoſiti normam, aut regulariter prohibita, neglexerint.

10. Multum derogatio prævalet, quando derogato creditur. Ideo variis detractionibus atque accuſatioibus non decet * labefactari Primatem, ſed magis [Damaſ. Epiſt. ad Illyricos.] Patrum regulis roborari, nec facile aut indifferenter ſuſcipere accuſationes præſumat, dicente Domino: *Non ſuſcipias vocem mendacii*; [Exod. 23. 1.] ſed prius probare debet ſuſpicionem & cauſſam, aut quo animo hoc faciat & poſtmodum ſuſcipere, quia veritatis profeſſionem, propinquitatis, inimicitiæ, timoris, amoris, odii, & cupiditatia intentio, impedire, & adverſa ſratribua irrogare ſolet.

11. Perſonæ accuſantium * tales eſſe debent, qua- [* Hadrian. 4. & 15.] rum fides & converſatio & vita probabilis, & abſque reprehenſione ſit, & quæ omni careant ſuſpicione. Quia & hoc te præſente, ut bene noſti, in Nicæna Synodo, propter malorum hominum infeſtationem ab omnibus eſt definitum, licet pravorum hominum ioſidiis, ſint hæc & alia complura deleta.

12. Primates illi, & non alii ſunt, quam in prædicta Nicæna Synodo ſunt conſtituti. Reliqui vero, qui Metropolitanas * tenent ſedes, Archiepiſcopi [* Hadrian. coll. 23. & 13.] vocantur, & non Primates, ſalva in omnibus Apoſtolicæ Sedis dignitate, quæ ei ab ipſo Domino eſt conceſſa, & poſtea a ſanctis Patribus roborata.

13. Primo ſemper in omni Epiſcoporum accuſatione, perſona, vita, & converſatio accuſantinm, enucleatim inquiratur, & poſtmodum ea quæ objiciuntur, fideliter pertractentur. Quoniam nihil aliter fieri debet, niſi impetitorum prius requiratur fides, perſonæ, vita & actus diſcutiantur: quia non debet pravorum aut inſidiantium hominum pernicie vita lacerari innocentium. Sane ſæpiſſime boni a malis perſequnotur, qui non ceſſant ſuis calamitatibus aliis derogare. Ideo ſummopere prævidendum eſt, ne hæc fiant.

14. Nullus ſervus, * nullus libertus, nullus infidus, nullus criminibus irretitus, nullus calumnia- [* Carth. 7. c. 2.]

tor, nullus qui inimicitiis ſtudet, nullus qui frequenter litigat, & ad cauſſandum vel detrahendum eſt facilis, nulla infamis perſona, necnon & univerſi quos ad cauſſanda publice crimina leges publice non admittunt, permittatur Epiſcopos accuſare. Quoniam accuſatores & accuſationes, quas leges ſæculi non recipiunt, qua ratione ſacerdotalis eas recipere debeat ordo invenire nequeo, cum hæ & in Nicæna Synodo prohibita ſint, & illi magis ab iſtis, non iſti ab illis judicari debeant, cum Apoſtolus dicat: *Spiritualis judicat omnia, ipſe vero a nemine judicatur.*

1. Cor. 2. 15.

15. Hæretici, a quibus nimium opprimimur, excommunicatique, homicidæ, * malefici, fures, ſacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falſum teſtimonium dixerint, ſeu qui ad ſortilegos, magoſque ſe contulerint, nullatenus ad accuſationem, vel ad teſtimonium erunt admittendi.

* Hadr. coll. 63.

16. Non ita in eccleſiaſticis * agendum eſt negotiis ſicut in ſæcularibus. Nam in ſæcularibus, poſtquam legibus vocatus, & in foro decertare cœpit aliquis, non licet ante peractam cauſſam recedere. In eccleſiaſticis vero, dicta cauſſa recedere licet, ſi neceſſe fuerit, aut ſi ſe prægravari viderit.

* Leo. Ep. 54.

17. Quotieſcumque * Epiſcopus ſuper certis accuſatur criminibus, ſi tales fuerint accuſatores, qui juſte & canonice recipi debeant, legitima in Synodo ſuo in tempore congregata, ab omnibus canonice audiatur, qui ſunt in Provinciis Epiſcopi. Quod ſi legitimi non fuerint accuſatores, non fatigetur Epiſcopus. Quia Sacerdotes ad ſacrificandum vacare debent, non ad litigandum. Nec illi, qui Throni Dei vocantur, pravorum hominum inſidiis turbari debent, ſed libere Chriſto Domino famulari.

* Hadr. 17.

18. Quamquam Provincialibus Epiſcopis, una cum eorum Metropolitano ſuæ Provinciæ cauſſas Epiſcoporum, liceat charitative & concorditer agitare. Non tamen, ſicut in prædicta, te præſente, conſtitutum eſt Synodo, licet definire, abſque Romani Pontificis auctoritate. Quod ſi ſecus a quibuſdam præſumtum fuerit, ipſi qui hoc egerunt, ſuæ præſumtionis ſuſcipiant damnum. Et illi, qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate hujus ſanctæ Sedis, & beati præceptoris noſtri clavigeri Petri poteſtate ſolvantur atque reſtituantur. Ipſe enim ait Dominus: *Quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in terra & in cælis.*

Mat. 18. 18.

19. Quoties Epiſcopi ſe a ſuis comprovincialibus, vel a Metropolitano putaverint prægravari, aut eos ſuſpectos habuerint, mox Romanam appellent ſedem. Ad quam eos abſque ulla detentione, aut ſuarum rerum ablatione, obedire liceat. Et dum ad prædictam Romanam matrem appellaverint eccleſiam, aut ab ea ſe audiri expopoſcerint, nullus eos, aut excommunicare, aut eorum res auferre, aut aliquam vim inferre eis præſumat, antequam horum cauſſa Romani Pontificis auctoritate finiatur. Quod ſi aliter a quoquam præſumtum fuerit, nihil erit, ſed viribus carebit. Nam nec hoc perperam præſumimus, ſed & ipſum in Nicæna Synodo conſtitutum, & anteceſſores noſtros egiſſe, bene, Athanaſi, noſti, quando tu & Paulus Conſtantinopolitanus, Aſclepius Gazæ, & * Lucianus Adrianopolites, ab Epiſcopis Orientalibus inconſulto ſanctæ memoriæ Julio prædeceſſore noſtro damnati eſtis, & ad eum, quaſi ad totius orbis caput, ut ſemper huic ſanctæ Sedi licitum fuit, confugiſtis. Cognita eorum nequitia, & veſtra juſtitia, vos in communione ſuſcepit, & omnium veſtrum curam gerens, propter ſedis propriæ dignitatem ſuas ſingulis reddens Eccleſias, Orientalibus ſcripſit, culpans eos quod non recte tractaſſent, viros inculpabiles de ſuis eccleſiis expellentes, & conſtituta Nicæni Concilii minime conſervantes. E quibus ad certum diem nonnullos ſibimet adeſſe præcepit, ut de talibus præſumtionibus certam redderent rationem, & coram eis oſtenderet, juſtum ſe ſuper eis protuliſſe decretum. Determinatum eſt etiam, non talia deinceps fratres eſſe paſſuros. Et niſi ab hujuſmodi præſumtionibus ceſſarent, a propriis eſſe gradibus eos receſſuros. Tali enim hujus ſanctæ Sedis privilegio, & tu & fratres tui proprias recepiſtis eccleſias, cum omnibus ad vos pertinentibus. His enim & aliis quam plurimis documentis, manifeſtum eſt, nullum damnari, aut ſuis exſpoliari rebus debere Epiſcopum, qui hanc ſanctam Sedem interpellaverit, aut ſibi defenſatricem aſciverit, donec judicium de eo noſtræ apoſtolicæ auctoritatis, hoc eſt, Principis Apoſtolorum Petri agnoſcat. Quia ſolum Chriſtus Jeſus huic ſanctæ Sedi, id eſt apoſtolicæ, hoc facere commiſit. Utpote quoniam ſolus, atque præ omnibus præfatus Princeps Apoſtolorum creditus eſt, atque percipere meruit a Rege regum Chriſto claves regni cælorum.

Item ex Hadriano.

* Lucius.

20. De induciis vero Epiſcoporum ſuper quibus conſuluiſtis, diverſas a Patribus regulas invenimus inſtitutas. Quidam enim ad repellenda impetitorum machinamenta, & ſuas præparandas reſponſiones, & teſtes confirmandos, & concilia Epiſcoporum atque amicorum quærenda, annum, aut ſex menſes mandaverunt concedi. Quidam autem annum, in quo plurimi concordant. Minus vero quam ſex menſes non reperi, quia a laicis hæc indulta ſunt, quanto magis Domini Sacerdotibus? Nam & a noſtris anteceſſoribus, atque reliquis ſanctis Patribus multoties inhibitum eſt, ne quis Domini Sacerdotibus detractiones irroget, quanto magis accuſationes non ex radice caritatis prolatas? Quieſcite, inquiunt, & nolite perſequi eos, qui Deo perfecte miniſtrant, quorum orationibus & terrena bella ſedantur, & recedentium a Deo Angelorum pelluntur incurſus, quique omnes dæmones, qui corrupti ſunt, precum aſſiduitate confundunt. Induciæ namque non ſub anguſto tempore, ſed ſub longo ſpatio concedendæ ſunt, ut accuſati ſe præparare, & univerſos communicatores in Provinciis poſitos convenire, & teſtes præparare, atque contra inſidiatores ſe pleniter armare valeant.

21. Judices enim, & accuſatores tales eſſe debent, qui omnium careant ſuſpicione, & ex radice caritatis ſuam deſiderent promere ſententiam. His igitur tam legaliter, quam & canonice prolatis, etiam omnium Chriſtianorum reverentiam congaudere depoſcimus, ſpiritali intercedente dilectione, & timore dominico, per quem humana removetur offenſio, & eccleſiarum ædificatio præponitur univerſis, ut magis univerſi ædificationem fratrum laborent, quam ad damnationem, quoniam ait Dominus: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Jam enim formam dedimus, & a prædeceſſoribus noſtris datam eſſe cognovimus, ut ſi quis ſe agnoverit Chriſtianum, illud ſervet, quod ab Apoſtolis noſcitur eſſe traditum, dicente apoſtolo Paulo: *Si quis vobis annuntiaverit, præter quam quod accepiſtis, anathema ſit.* Chriſtus enim Dei Filius Dominus noſter, humano generi propria paſſione ſalutem pleniſſimam condonavit, ut nos liberaret. Ut ſi in tantum nos dilexit, ut etiam proprio Filio ſuo non parceret, ſed pro nobis omnibus illum traderet, ut nos liberaret, ut quid

Joan. 13. 35.

Gal. 1. 8.

nos

nos non diligimus fratres, aut eos temere judica-A
Rom. 14. 13. mus? cum prædictus dicat Apostolus: *Nolite judicare invicem, sed hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*. Nam si illi qui fratres diligunt, ex Deo nati sunt, & vident Dominum; quid ergo erunt illi qui eos persequuntur, & eos detrahendo, machinando, accusando, infestando, damnare moliuntur? Si illi Filii Dei,
1. Pet. 5. 8. proculdubio Filii sunt diaboli, qui ut semper *sicut leo rugiens circumit, quærens quem devoret*, ita fratres insequuntur, ut perdant. Qui vero adjuvare fratres refugiunt, majus peccatorum onus acqui-
Habacuc. 2. 15. runt, & fraterni solatii rei existunt: *Væ*, inquit B Propheta, *qui potum dat amico suo, miscens fel*
Sap. 1. 8. *suum*. Et iterum sapientissimus Salomon ait: *Quoniam qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus ergo impii interrogatio erit. Sermonum autem illius ad Deum præmeditatio, ad correptionem iniquitatum illius, qui auribus zeli audis omnia, & tumultus murmurantium non abscondetur*. Hæc enim si amplecti voluissent, proprio & sano sensu, ad reprobum sensum minime laberentur, sed per Dei timorem sermonum suorum præcaventes custodiam, piam sanctorum Patrum definitionem sine C quadam præsumtione nocumenti utrique conserva-
Prov. 2. 11. rent, quoniam dicit sacrum eloquium: *Consilium bonum conservabit te, & mens bona custodiet te*. Non enim de fontibus salutiferis spiritualiter ad acquisitionem æternæ vitæ procedunt, tales accusatores, & detractores, atque ideo competenter
Rom. 12. 3. nos beatus Paulus apostolus admonens, ait: *Non debere plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* in definitione pietatis perdurantes. Qui enim hanc præterierunt, non tantum læsi decidentes a corroboratione sua, sed insipientiæ suæ dereliquerunt omnibus memoriam, ut his, quibus peccaverunt, minime latere potuissent: *Gloria enim & contumelia in loquela, & in lingua hominis casus illius est*. Ideoque conveniens est hanc Eccles. 5. 15.
ostentationem, & reprehensionem illorum nostris actibus inseri, ne ulterius jam talia patiamini, seminantibus eis zizania, & scandala, sed lætari in officiis & dogmatibus vestris mereamini. Igitur erubescant talia, & hujusmodi blasphema subtrahere festinent, si noluerint a Sacerdotali nostro collegio segregari, & a totius Christiani populi societate divelli. Licet namque de his plura & pernecessaria, quæ in decretis Sedis Apostolicæ, & ab Apostolis, eorumque successoribus nostris ubilibet prædecessoribus statuta inveniuntur, dicere & conscribere potuissemus, tamen melius nobis visum est, ut epistolam oratione claudamus. Deus omnipotens, & unus unigenitus Filius & Salvator noster Jesus Christus, vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus & coepiscopis nostris, quibuscumque tribulationibus laborantibus, totis succurratis viribus: & cum eis compatientes, crucem ejusdem Domini Salvatoris portetis, ut veri ipsius discipuli coram omnibus appareatis. Ut & vos, & qui vobiscum sunt, hic, & in futuro meliora
possideatis, *quæ oculus non vidit, nec auris audi-* 1. Cor. 2. 9.
vit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem, & cum quo omnipotenti Deo Patri gloria in sæcula sæculorum, amen. Valere vos opto, fratres carissimi. Data idibus Februarii, Agathio, & Juliano viris clarissimis Consulibus.

IN VITAM BEATÆ SYNCLETICÆ

ADMONITIO.

VITAM *beatæ Syncleticæ antiquissimum esse opus suadent vitæ Patrum Lib. 5. & 6. apud Rosweidum, & ipsæ sane antiquissimæ, circa sextum sæculum latine translatæ; ubi complura subinde occurrunt ex vita beatæ Syncleticæ mutuata. Ejus auctores varii adsignantur, ex quorum numero Athanasius, qui ut vi & præstantia nominis ceteris longe antecellit; inde sane contigit ut neglectis pene aliis, quibus potiori forte jure hoc opusculum tribueretur, a multis nec ignobilibus scriptoribus Athanasio adscribatur. Nec prætermittenda Nicephori Callisti verba lib. 8. c. 40.* τὴν Ἀντωνίου φιλοσοφίαν ὁ τὰ πάντα ἄριστος Ἀθανάσιος, καὶ αὐτῷ διαφερόντως φιλούμενος, πρὸς λεπτὸν ἱστορίαις ἐξέδωκε· τάς τε μετὰ δαιμόνων πάλας αὐτοῦ, καὶ τὰς ἐξευρημένας τέχνας αὐτῷ, κατ' αὐτῶν, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ βίου τεράστια, καθ' ἕκαστα διαγράψαι· ὡς ὅρον εἶναι μοναδικῆς πολιτείας τὸ σύγγραμμα. ὁποῖα δὴ ὁ αὐτὸς Ἀθανάσιος κἀν τῷ βίῳ Συγκλητικῆς ἔπραξεν· ἀνδρῶν μὲν πολιτείας ἐντεῦθεν, γυναικῶν δ' ἐκεῖθεν ὑποθείς, ὡς ἐν πλάσματι διηγήσεως. *id est*. Antonii philosophiam vir longe præstantissimus Athanasius, qui etiam ipsi fuit carissimus, pluribus descriptam edidit, conscripsitque ejus adversum dæmones certamina, quasve artes ad ipsos debellandos adinvenerit, necnon alia vitæ illius prodigia minutatim enarrata: adeo ut liber ille sit quasi vitæ Monasticæ norma. Cujusmodi item sunt quæ idem Athanasius descripsit in vita Syncleticæ: in priore quidem libro virorum vivendi rationem; in sequenti vero mulierum proponens, quasi sub forma narrationis. *Præterea in codice Vaticano* 825. *teste Holstenio in animadversis ad Martyrologium Romanum, hæc vita Athanasii nomen præfert: itemque in Bibliothecæ Scorialensis exemplari, quod memorat Alexander Barvoetius in catalogo illius Bibliothecæ, ad cujus fidem David Colvillus latinam interpretationem suam adornavit, editam a Bollando ad 5. Januarii. Hæc quantulacumque sint testimonia, exigui aut nullius momenti videbuntur iis, qui vel primoribus labris Athanasii stylum orationisque genus attigerint: tantum scilicet abhorret hoc opusculum ab Athanasiana illa eloquentia, sale, gravitate. Ad hæc nullus assignatur scriptor, ad quinque sexve secula post Athanasii ætatem qui id operis tribuat Athanasio. Tradit autem Holstenius in alio codice vetustissimo Cryptaferratensi Bibliothecæ Vaticanæ num.* 1589. *eam vitam adjudicari Polycarpo Ascetæ. Codex autem quo est usus Cotelerius qui Tomo I. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ vitam Syncleticæ evulgavit, nullum præfert auctoris nomen. In Schedis vero Combefisianis quarum perhumaniter nobis copiam fecit vir eruditus R. P. Lequien ex Ordine Prædicatorum ad calcem operis hæc leguntur*. Hucusque qui ex sancta (Syncletica) per beatum Arsenium Pegadensem prodierunt sermones: *unde forte inferatur Arsenium illum gesta dictaque Syncleticæ collegisse*, *Qui Ar-*

senius

fenius longe diverfus effe videtur a Prifco illo Arfenio Monacho qui quarto fæculo floruit. Ceterum multa uti diximus in V. & VI. Rofvveidi libro ex hoc Opere ad verbum excerpta leguntur, quæ nos ad marginem pro facultate notavimus. Similiter in Apophthegmatibus Patrum, & in Scholiis ad Joannem Climacum identidem laudatur vita fanctæ Syncleticæ.

VITA ET GESTA SANCTÆ

Beatæque magiftræ Syncleticæ.

1. PAR effet omnes homines bonarum rerum effe peritos. Ita enim in negotiis exercitati, vitam tranfigerent abfque detrimento. Nam fimplicioribus multæ perutiles res funt occultæ, quod ideo illis obvenit, quod ex focordia hebetiore fint mente. Enimvero plerumque pretiofæ margaritæ, in pauperes vilefque viros inciderunt, qui ex artis imperitia, eas nihili naucique fecerunt. Nos itaque qui animo fumus puerili & imperito, cum incidiffemus in hanc margaritam, non magni faciebamus illam, dum folam fpeciem attenderemus, & a naturæ dignitatifque illius notitia multum abeffemus: ubi autem paulatim ejus propius pulcritudinem fpectantes, præftantiam edocebamur, divino erga perceptam rem amore accendebamur. Ipfæ namque res mentem noftram ad defiderium inflammabant.

2. Quorfum autem loquar de præfentibus, aut me illis annumerem, quafi nos aliquid fciamus, aut eloqui valeamus de præclara & beata Syncletica? Omnium quippe hominum naturam, bonis ejus operibus recenfendis imparem arbitror. Quod fi quis de illa loqui aggrediatur, quantumvis fapiens fit ac peritus, longiffime aberit a re propofita exfequenda. Quemadmodum enim qui folem intentius refpicere volunt, oculorum damno adficiuntur; ita etiam qui ejus vitam contemplari nituntur, ob præclare geftorum præftantiam, vertigine correpti, cedentes demum ac viribus deftituti, in mentis incidunt perturbationem.

3. Nos autem pro viribus noftris ejus veftigia confectati, & ab ejus æqualibus de primæva ejus ætate paucis eruditi, ex ipfifque rebus aliquantulum illuftrati, fcribere ingredimur, nobifque ipfis falutarem cibum recondimus. Nam pro dignitate illius eloqui, non impoffibile modo nobis eft, fed multis aliis perarduum ac difficile.

4. Quæ cæleftis συγκλήτῳ feu fenatus nomen habet, ex Macedonia oriunda eft. Majores fiquidem ejus audito Alexandrinorum erga Deum & Chriftum amore, ex Macedonia in Macedonis urbem conceffere. Quo cum perveniffent, ac res ipfas fama majores comperiffent, libentiffime iftic fedes ftatuerunt. Non illi de populi frequentia gaudebant, nec ædium amplitudinem mirabantur; fed unanimi fide fyncera que caritate reperta, incolatui patriam pofthabuere.

5. Erat porro beata Syncletica, cum genere illuftris, tum aliis quæ inter vitæ commoda computantur inftructa. Erat illi foror una concors ac ejufdem animi, & fratres duo, ipfi quoque vita honeftiffima educati, quorum alter ætatem agens puerilem diem obiit; alter vero ubi vigefimum quintum attigit annum, a parentibus ad nuptias deftinatus eft. Cumque effent omnia ad id negotii parata, pactionefque de more effent factæ, evolavit adolefcens tamquam avis ex laqueis, & fponfam terreftrem cum inculpato liberoque Sanctorum cœtu commutavit.

6. Ipfa porro dum paternis adhuc ulnis hæreret, jam primum animum exercebat in amore Dei; nec tantam corporis curam, quantam animi motibus obfervandis folicitudinem ponebat.

7. Erat namque forma corporis elegantiffima; adeo ut fub primam adolefcentiam multi ad eam accederent proci; partim opibus, partim parentum dignitate permoti, ad hæc puellæ pulcritudine accenfi. Ipfi quoque parentes placide juvenculam ad nuptias hortabantur: ea mente inftantes, ut ex illa fibi generis fucceffio fupereffet. At illa pudica & animo generofa, nullatenus ejufmodi parentum confiliis obtemperabat; quinimmo auditis mundanis nuptiis, divinas cogitabat: ac multos illos defpiciens procos, in unum cæleftem fponfum nutu & animo propendebat.

8. Videre erat beatæ Theclæ germanam difcipulam, eadem quam illa documenta fequentem. Ambarum namque unus pronubus erat Chriftus, idem ambarum paranymphus Paulus: quin earum thalamum nihil diverfum arbitror: iis enim communis thorus Ecclefia. Ipfeque David de utraque, gravia divinaque cantica modulatur. In cymbalis namque bene fonantibus oblectat animas Deo confecratas, & in tympanis ac decachordis pfalteriis perfectiffimum occinit carmen. Maria vero facris hifce nuptiis choreas inducit dicentium: *Cantemus Domino; gloriofe enim magnificatus eft.* (Exod. 15. 1.) Fercula quoque divinæ cœnæ, communia epulantibus: *Guftate* enim, inquit, *& videte quoniam fuavis eft Dominus.* (Pfal. 33. 9.) Præterea fponfalium indumentorum una utrique textura erat: *Quicumque enim in Chrifto baptizati funt, Chriftum induerunt.* (Gal. 3. 27.) Par item illis erga Dominum caritas, eifdem quippe muneribus ornatæ erant: imo etiam iifdem certaminibus contendebant. Et quidem beatæ Theclæ nemini ignotum martyrium & cruciatus, quod per ignem ferafque indomitas decertaverit: nec hujus quoque virtutis caufa fufceptos labores fudorefque, multis latere exiftimo. Cum enim unus eis Salvator effet, cujus defiderio flagrabant, neceffario unus quoque illis erat adverfarius diabolus. Ac quidem in Thecla mitiores fuiffe labores exiftimo. Expugnata quippe fuit inimici malitia, per exteriora cum ea congreffi: hic vero acerbiorem prodebat malitiam, interiore pugna per exitiofas cogitationes congreffus.

9. Non fafcinavit oculos ejus pretiofæ veftis textura, neque gemmarum varii colores: non aures ejus cymbalum decepit, neque tibia animi vigorem folvere potuit: non parentum lacrymæ, non cognatorum quævis cohortatio ejus emollivit animum; fed adamantina mente inftructa, nequaquam animo fracta eft: cunctofque fenfus fuos, quafi feneftras occludens, cum fponfo fuo feorfim colloquebatur, his Scripturæ verbis ufa: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* (Cant. 2. 16.) At ubi fumofæ tenebrofæque confabulationes occurrebant, eas refugiebat, ad interna animi cubicula fefe recipiens. Ubi vero lucidæ fructuofæque adhortationes comparebant, totam pandebat mentem, ut oblata verba fufciperet.

10. Neque vero negligebat falutarem corporis medelam; nam ita jejunii amans erat, ut ex præfentibus nihil ipfi par effet. Illud nempe pro cuftodia habebat, & pro fundamento ceterorum omnium. Ac fi quando neceffitate cogente extra confuetam horam ali-

aliquid alimenti sumeret, secus illi ac comedentibus accidebat: pallebat quippe vultus, corporisque moles minuebatur. Nam movente contristato, una immutatur & languescit id quod movetur; qualibet enim modo principium edsectum fuerit, quæ ex illo pendent pari ratione subsequuntur. Quibus namque oblatus cibus voluptati est, iis vegetus corporis habitus est: qui contra adfecti, iis caro macie confecta & tenuis est. Mihi loquenti fidem faciunt infirmi. Hæc igitur beata Virgo cum elanguido esse corpore curaret, animæ vigorem præferebat, idque juxta Apostoli dictum: *Quanto is qui foris est noster homo corrumpitur, tanto is qui intus est, renovatur*. Ita igitur ejusmodi certamen inibat ot vulgi oculis lateret.

2. Cor. 4. 16.

11. Postquam vero parentes ejus finem vivendi feceraot, majore Dei impulsu permota, suam secum sumit sororem, quæ erat expers oculorum uso: relicteque paterna domo in coosanguinei cujusdam monumentum ingreditur ab urbe remotum, cumque sibi relicta bona, vendita pauperibus distribuisset, accito quodam presbytero, comam sibi capitis totondit. Tunc ornatum omnem & mundum ebjecit; solent enim mulieres, mundum eppellare capillos. Signum autem illud erat, animum ejus omni superfluitate vacuum ae purum effectum fuisse. Tunc autem primum virginis appellatione dignata est.

12. Postquam facultates suas pauperibus erogaverat, ait: Magno cohonestara sum nomine: quid autem pro merito benefactori rependam non suppetit. Nam si io externis rebus, corruptibilis dignitatis causa, fortunæ omnes amittuntur, quanto magis me tanta donatam gratia, decet ipsum corpus, cum his bonis (ut putantur) tradere. Quid eutem dico facultates & corpus ipsi dari, cujus sunt omoia? Nam, *Domini est terra & plenitudo ejus*. Atque per hæc verba, humilitatem adepta, quietem & solitariam egit vitam.

Psal. 23. 1.

13. In paternis sane ædibus, jam ante non modicam exercitationibus operam dederat, tuncque in stadii medium acta, virtutibus proficiebat. Contra vero quotquot absque exercitatione & incogitaotius ad hoc divioū mysteriū accedunt, a proposito excidunt, quia animo singula non prospexeraot. At illa, quemadmodū qui iter suscipiunt, viaticū primo sibi provideot, ita ceu viatico, pristinis laboribus exercitata, caute & secure iter ad superna ingressa est: præparatis quippe omnibus quæ essent ad exstruendam domum satis, munitissimam turrim sibi absolvit. Quod spectat enim ædium structuram, externa illæ materie conficiuntur: at illa contrarie plane ratione, non externam materiam collegit, imo potius internam ejecit. Bona quippe sua elargita pauperibus, deposita ira, injuriarumque memoria, depulsa invidia & gloriæ cupiditate, domum suam ædificavit supra petram, cujus splendida turris erat, & nullis tempestatibus obnoxia.

14. Sed quid multa dico? superavit quippe vel ipso initio, eas quæ Monasticæ vitæ essueverant. Sicut enim pueri qui acriore sunt ingenii acie, quamvis adhuc in syllabis versentur, cum iis tamen contendunt, qui & ætate majores sunt ac diutius magistros frequentarunt; ita & illa spiritu fervens ceteras post se reliquit.

15. Actuosam itaque & asceticam vitam ejus enarrare non valemus, quando nullum admisit vitæ suæ spectatorem. Neque enim rerum a se præclare gestarum præcones esse volebat eos qui aderant. Imo nec tantam recte egendi, quantam gesta sua occultandi sollicitudinem habebat. Illud namque Dominicum dictum in mente versabat: *Si quid feceris dextera tua, id nesciat sinistra tua*. Atque ita latens professionis suæ officia persolvebat.

Mat. 6. 3.

16. A prima ad adultam ætatem, non modo omne viri consortium declinavit; sed etiam æquales plerumque suas refugiebat; hisce duabus de causis, vel scilicet ne gloriem eximiæ exercitationis referret, vel ne corporali necessitate a virtutis exercitio avelleretur.

17. Sic ergo primos animi impetus observabat, cavens ne corporeis traheretur cupiditatibus. Nam instar arboris luxuriantis, ramos abscindebat infructuosos, sciteque amovebat erumpentes in animo spinosas fruticationes, per jejunium scilicet & orationem. Quod si vel paulum singulæ pullularent, variis adficiebat pœnis, nullisque non laboribus corpus macerabat. Nec satis erat illi paois abstinentia, quæ vel aqua parcissime utebatur.

18. Quandocumque autem infestus hostis cum illa conflictaretur, quamprimum per orationem Dominum suum vocabat in subsidium, nec sola corporis exercitatione nitebatur leonis impetum comprimere. Nec mora facta supplici aderat Dominus, fugiebatque adverserius. Plerumque tamen accidebat, ut diutius instaret hostis, nec Dominus scelestum propulsaret, ut eo pacto virtutibus instructæ animæ exercitationem augeret. Ipsa vero quasi facta donorum accessione, vires resumebat ad victoriam reportandam. Neque erat ei satis, se ciborum penuria macerare, verum etiam ad omnia voluptaria studia aditum sibi intercludebat. Furfuroso siquidem pane vescebatur, equa sæpe prorsus abstinebat, humi cubans identidem. Quamdiu bellum instaret, talibus illa telis utebatur. Scuti ac teli loco erat illi oratio, lorica ex fide spe & caritate compacte. Præibat omnibus fides, quæ universos animæ illius constringeret articulos. Aderat item eleemosyna, si non actu, saltem proposito & voluotate.

19. His itaque parta de hoste victoria, modum ipsa asperrimæ exercitetioni ponebat, idque illa præstabat, ne confestim deficerent corporis membra; quod sane ecceptæ cladis fuisset indicium. Collabentibus namque armis, quæ spes superest militi ed prælium capessendum? Quare nonoulli sunt, qui cum se immodice & inconsiderate inedia absumsissent, lethale sibi vulnus intulerunt, & quasi cum adversario congredi detrectarent, in perniciem se conjecerunt. Non sic illa agebat, sed considerate omoia; ita ut strenue cum hoste precibus & exercitatione munita dimicaret, & ad tranquillitatem propriæ navi procurandam, corporis curam ageret. Enimvero nautæ oborta tempestate & procella, e cibo abstinent, quidquid artis & peritiæ inest, periculo ob oculos versanti opponentes; postquam autem incolumes evaserunt, tunc secundæ salutis solicitudinem habent; nec totum illis tempus eluctando mari & æstui insumitur; sed aeris serenitatem, ceu brevissimam quietem & tranquillitatem accipiunt: neque tamen ita sine solicitudine degunt, neque se alto somno abripi patiuntur, præteritorum experimento, futurorumque præscientia iostructi. Nam etsi tempestas sedata sit, at mare imminutum non fuit, & si secundum præterierit, tertium remanet: ac si quod accidit remotum est, verum edest illius causa. Sic etiem io re præseoti; etsi spiritus concupiscentiæ pulsus fuit; attamen haud procul est is sub cujus ditione est. Quamobrem indesinenter orandum, ob maris instabilitatem, & salsuginosam inimici nequitiam. Beata igitur illa, gnara tempestatum hujus vitæ, prospicieosque ventorum procellas, naviculæ suæ gubernacula pietate erga Deum sua dirigebat:

eamque a tempestate incolumem ad salutarem portum fecit adpellere, posuitque ancoram tutissimam, fidem in Jesum.

20. Apostolica erat illius vita, fide & voluntaria paupertate constricta, caritate refulgens atque humilitate. Ipsa salutaris sermonis opus peregit: [Psal. 90. 13. Luc. 10. 19.] *Ambulabis* enim, inquit, *super aspidem & basiliscum, & super omnem virtutem inimici*. Audierat [Mat. 25. 21.] sane ipsa hujusmodi vocem: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*. Quæ quidem sententia licet referatur ad dona, attamen hoc loco sic intelligatur: Quia corporali vicisti prælio, etiam de spirituali victoria me auxiliante tropæum eriges. Noscant fidei tuæ magnitudinem principatus & potestates a famulo meo Paulo memoratæ: nam quæ superasti contrarias potestates, cum præstantioribus versaberis.

21. Ad hunc ergo modum solitaria secedens, bonis operibus vacabat. In dies autem cum virtutes illius florerent, bonus odor præclarissimorum ejus laborum ad multos permeavit: [Mat. 10. 26.] *Nihil* enim, inquit, *est occultum quod non reveletur*. Solet quippe Deus eos qui se diligunt, etiam per sese notos facere, ad correctionem fructumque audientium. Tunc igitur ex divini numinis consilio, cœperunt nonnullæ illam adire, & ad utilitatem suam colloquia cum ea miscere, ex colloquiis enim vitæ illius rationem lucrantes sæpius accedebant, profectus amplioris percupidæ. Nam pro recepto more rogabant eam: Qua via salutem consequi oportet. Illa graviter ingemiscens, magna effusa vi lacrymarum, rem secum perpendebat. Ac quasi per lacrymas respondisset interrogantibus, in silentio iterum se continebat. Illæ vero una vim adferebant ut loqueretur magnalia Dei: erant enim solo rei spectaculo stupore perculsæ. Rursumque rogabant eam ut loqueretur. Demumque vi compulsa, post diuturni temporis quietem ac silentium, humili voce eam Scripturæ protulit sententiam: [Prov. 22. 22.] *Ne facias violentiam pauperi, inops enim est*. Hoc dictum illæ libenter excipientes, quasi mel & favum degustassent, vehementius instabant interrogando, vocabulis deinceps ex Scriptura mutuatis urgebant dicebantque illi: [Mat. 10. 8.] *Gratis accepisti, gratis da*. Cave ne luas pœnas absconditi talenti instar servi illius. Tum illa respondit: Quid ita de me peccatrice magnifice sentitis, quasi boni aliquid fecerim aut dixerim? Communem habemus magistrum Dominum; ex iisdem fontibus haurimus spirituales latices; eorumdem uberum lacte nutrimur, veteris scilicet novique Testamenti. Illæ vero: Sane novimus nos quoque unum nobis esse pædagogum, Scripturam videlicet, eumdemque magistrum: verum tu studio pervigili virtutum accessionem accepisti; parque est eas quæ virtutis usum ac consuetudinem nactæ sunt, utpote fortiores, juvenibus opem ferre, etenim hoc præcepit communis magister noster. His auditis beata Virgo, instar infantium lactentium, erupit in lacrymas. Illæ concurrentes, posthabita percontatione, rogabant ut lacrymandi finem faceret. Utque illa conquievit, diuturnum denuo fuit silentium. Exinde vero rursus hortabantur illam: quæ misericordia commota, nec ignorans quæ dictura esset non sibi honorem allatura, sed utilitatem iis qui aderant insitura, ita sermonem orsa est.

22. Filiolæ, cuncti ac cunctæ novimus, qua ratione salutem consequamur, sed incuria decidimus a salute. Primo enim oportet ea servare quæ per Domini gratiam tradita nobis sunt. Sunt autem isthæc: [Mat. 22. 37. 39.] *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & proximum tuum sicut teipsum*. Ex hisce principium Legis servatur, in his conquiescit gratiæ plenitudo. Brevis quidem est verborum sonus, sed multa immensaque in eis virtus. Ex his enim pendent cuncta animæ utilia. Testaturque Paulus finem legis esse caritatem: [1. Tim. 1. 5.] Quare quidquid homines utile secundum gratiam Spiritus dixerint, ex caritate oritur & in eam desinit. Adeoque hæc est salus, duplex caritas.

23. Et illud præterea addendum, quod ex eadem caritate proficiscitur, ut unaquæque nostrum intelligat quid sit appetere majora. Hæsitantibus illis ac denuo interrogantibus, respondit illa: Non ignoratis Parabolam Euangelii de centesimo, sexagesimo, & trigesimo. Centenarius numerus, nostra est professio; sexagenarius, continentium status; tricenarius, in castitate conjugali viventium. Et præclarum quidem est a tricesimo transire in sexagesimum, quia a minimis ad majora pervenire operæ pretium est. A majoribus autem ad minora bona descendere, non vacat periculo. Nam qui semel ad deteriora vergit, nec in modicis consistere potest, sed velut ad profundum perniciei fertur. Quædam igitur castitatem pollicitæ, ac ex animi imbecillitate allectæ, excusant excusationes in peccatis. Nam sibi ipsis, imo potius diabolo dicunt: Dum pudice (imo insipienter) vixerimus, tricenarium saltem consequemur: namque ajunt, Tota lex vetus liberorum susceptionem prædicabat. Noverit ergo qui in ista versatur sententia, eam inimici esse. Nam qui ex majoribus ad minora devenit, ab adversario dejicitur; atque instar militis transfugæ judicatur: nec quia ad inferiorem militiam transiit venia donatur; sed quia aufugit, pœnas dat. Oportet igitur, ut superius dixi, a minoribus progredi ad ulteriora. Idque docet Apostolus: [Philip. 3. 13.] *Quæ retro sunt obliviscentes, ad ea quæ sunt priora extendite vos*. Par est igitur eos qui centenarium obtinuere, illum ad se revolvere, nec terminum numero dare. Ait enim: *Cum feceritis omnia, dicite: Servi inutiles sumus*. [Luc. 17. 10.]

24. Nos itaque quæ hujusmodi professionem suscepimus, debemus pudicitiam tenere supremam. [Rosvveid. in vitis PP. l. 5. 4. 42.] Nam apud sæculares quoque fœminas videtur pudicitia versari, at inest illis insipientia, quia aliis omnibus sensibus labuntur & peccant. Aspiciunt enim indecenter, ac rident effuse. Nos vero hæc ipsa præcipue abjicientes, virtutibus ascendamus, atque ab oculis auferamus inanem quamvis phantasiam. Siquidem ait Scriptura: *Oculi tui recta videant*. [Prov. 14. 25.] Linguam quoque reprimere debemus ab ejusmodi peccatis. Nefas enim est ut hymnorum organum verba turpia proferat. Ea vero non dictu modo, sed auditu sunt respuenda.

25. Hæc autem servare non valemus, nisi dum [In vitis PP. l. 5. 11. 32.] in publicum progredimur considerate agamus. Per sensus enim nostros, nobis etiam invitis, ingrediuntur fures. Quomodo namque domus fumo extrinsecus admoto poterit non denigrari? Quamobrem necessario convenit ut a profectibus in forum abstineamus. Nam si molestum & grave censemus videre fratres aut parentes corpore nudos; quanto magis noxium nobis erit, eos in plateis spectare qui indecenter denundantur, prætereaque proferunt impudica verba. Ex his enim solent molestæ & pestiferæ phantasiæ exoriri.

26. Quando autem domi nos recludimus, ne illic quidem debemus sine solicitudine versari; imo etiam invigilare, scriptum enim est: *Vigilate*. [Mat. 24. 42.] Quanto autem magis confirmaverimus nos in temperantia, tanto cum acerbioribus cogitationibus conflictabimur. Nam *qui addit scientiam*, inquit, *addit dolorem*. [Eccles. 1. 18.] Et Athletæ quo magis proficiunt, eo majoribus cum antago-

tagonistis constistantur. Cerne ex quantis evolaveris, A nec negligenter te geres circa præsentia. Materialem & externam fornicationem devicisti? eam quę per sensus exercetur tibi adjicit inimicus. Cumque ab hac etiam te continueris; adhuc in cogitatinoe ceu in caverna latet hostis, & spirituale tibi bellum concitat. Decoros enim vultus, indecorasque figuras, veteia colloquia suggerit eis quæ solitarie vivunt. Sed non Eccles. 10. 4. oportet assentiri phantasmatibus, quia scriptum est: *Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*. In hisce namque rebus consensus, Sap. 6. 7. est cum sæculari fornicatione comparandus: *Potentes* enim, inquit, *potenter tormenta patientur*. Magnum i- B gitur est adversus fornicationis spiritum certamen. Illudque est caput malorum adversarii ad animæ perniciem. Quod innuens beatus Job dicebat de diabolo: Job. 11. 12. *Qui habet virtutem in umbilico ventris*.

27. Multis itaque variisque machinis stimulum fornicationis admovet diabolus hominibus Christum diligentibus. Quinetiam sæpe nefarius ille veterator fraterorum amorem transmutavit in suam malitiam. Etenim virgines quæ nuptias, quæ luxum omnem sæculi fugerant, per fraternum adfectum supplantavit: insuperque Monachos qui omnia fornicationum genera & ipsi profugerant, vulneravit ac decepit per religiosum C colloquium. Hoc est enim inimici artificium, alienis se obtegere, sua vero clanculum obtrudere. Ostendit granū frumenti, ibique supponit laqueum. Et vero arMat. 7. 15. bitror de hisce dicere Dominum: *Qui veniunt ad vos in vestimento ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Mat. 10. 16. 28. Quid ergo ad hoc agendum? Simus *prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*: callidum contra laqueos ejus adhibentes consilium. Nam illud: In vitis PP. l. 6. 2. 2. *Estote prudentes sicut serpentes*, dictum est, ut diaboli nobis impetus non lateant. Nam simile ex simili citissimam comparat notionem. Columbæ vero simplicitas, ostendit puritatem actionis. D Omne igitur bonum opus consistet in fuga deterioris. Quomodo autem fugiemus quod ignoramus? Quamobrem oportet ut intellecta inimici nequitia, caveamus ab ejus 1. Pet. 5. 8. Habac. 1. 16. perniciosis machinamentis; ait enim: *Circuit, quærens quem devoret. Et escæ ejus electæ*. Itaque semper vigilandum est. Siquidem per externas res impugnat, & per internas cogitationes subigit. Et quidem plus nocet per interiora, nam diu noctuque spiritualiter accedit.

29. Cujusnam ergo rei est opus ad hoc bellum? profecto laboriosa exercitatione & puris precibus. E Et hæc quidem generaliter in omni exitiosa cogitatione sunt remedia. Verum necesse est insuper peculiaribus quibusdam uti consiliis, ad præsentem animæ pestem depellendam: atque instante turpissima cogitatione ei opponere contraria. Nam si in regione mentis formosi vultus phantasia exstiterit, id ratione castigandum oportet, quæ simulacri oculos eradat, genarum carnes detrahat, abscindat labia, demumque videat nudorum ossium deformem compagem, & consideret denique quid id esset quod amaretur: ita enim inversa cogitatio, a vano poterit errore revocari. Nam quod diligebatur nihil erat nisi sanguis phlegmate F admixtus, quod & vestitus usum animalibus relinquit. Sic ergo ac per hujusmodi cogitationes, par est ut abigatur abominabilis nequitia. Et sicut clavum clavo, ita convenit expellere dæmonem. Ad hæc oportet per totum quod amatur corpus ulcera graveolentia putridaque confingere; ac uno verbo, aut cadaveri simile, aut etiam mortuum internis oculis offerre. Hoc enim pacto a libidinis sensu evocamur. Sed quod maximum est, ventri imperare, ita enim poterimus eas quæ infra ventrem sunt voluptates continere.

A 30. Erat igitur divinum convivium præsentium virginum. Nam sapientiæ crateribus exhilarabantur. Divini liquoris administra erat beata Syncletica. Quod liberet singulæ accipiebant, quarum una rogabat eam, an paupertas perfectum bonum esset. Tum illa: Perfectum plane bonum est iis qui ferre possunt. In vitis PP. l. 5. 6. 23. Quæ enim hoc sustinent, afflictionem quidem carne sentiunt, anima vero remissionem. Quemadmodum enim compactiora vestimenta, conculcata, violenterque circumacta, abluuntur & dealbantur; ita fortis anima per spontaneam paupertatem magis corroboratur: quæ autem debiliore sunt mente, contra quam B priores patiuntur. Nam si vel modicis afflictionibus premantur, sicut discissæ vestes, in perniciem eunt, nec ferre valent virtutis ablutionem. Atque una quidem in utrisque ablutionis ars est, unusque artifex, diversus tamen est vestimentorum finis: nam illa quidem dirumpuntur & pereunt, hæc autem albescunt atque renovantur. Jure igitur voluntaria paupertas præclarum cimelium nuncupetur, virili nempe animo, nam peccatorum & facinorum frenum est.

31. At oportet prius exerceri in primis, nempe jejunio, humi cubatione, aliisque ejusmodi, eoque modo ad hanc pervenire virtutem. Nam qui non ita a- C gunt, sed derepente ad facultates abdicandas properant, ut plurimum incidunt in facti pœnitentiam.

32. Nam instrumenta voluptuosæ vitæ sunt divitiæ. Primum ergo aufer artē tuam, hoc est, crapulam & delicias; sicque facile poteris opum abscindere materiam. Grave enim puto esse, arte præsente, abesse instrumenta. Et qui primum non expulit, qui quæso poterit secundum exigere? Quamobrem Salvator divitem alloquens, non statim jubet opes dimittere; sed ante interrogat num legis mandata servarit. Et germani magistri personam accipiens Dominus sciscita- D tur: si didicisti elementa; si syllabas accepisti; ac demum si assuevisti nominibus; veni jam ad perfectissimam lectionem; hoc est: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, sequere me*. Mat. 19. 16. Arbitrorque, nisi professus fuisset, se ea fecisse de quibus fuerat interrogatus, nequaquam ipsum ad honorum abdicationem invitasset. Qua enim ratione valuisset ad lectionem accedere, qui ignorasset vim syllabarum?

33. Bona itaque est voluntaria paupertas iis qui virtutum consuetudinem nacti sunt. Nam superflua omnia cum abjecerint, ad Dominum vertuntur, divinum hoc eloquium pura mente psallentes: E *Oculi nostri in te sperant: & tu das escam diligentibus te, in tempore opportuno*. Psal. 144. 15.

34. Præterea magnum hinc commodum referunt; cum enim ad terrestrem thesaurum animum non appellant, regnum cælorum induunt; palamque illam a Psalmista Davide decantatam sententiam exsequuntur: *Ut jumentum factus sum apud te*. Psal. 72. 23. Nam sicut jumenta, quæ suum opus obeunt, solis ad vitam necessariis alimentis contenta sunt; ita paupertatis amatores, usum pecuniæ quasi nihil reputant, soliusque quotidiani alimenti causa corpoream exercent operam. Hi tenent fidei fundamentum: ad eos F namque dictum fuit a Domino, ut soliciti non essent in crastinum: &, *volatilia cæli non serunt, neque metunt, & Pater cælestis pascit illa*. Mat. 6. 24. 26. His freti sermonibus (Deus namque est qui loquitur) libere & audacter illam Scripturæ vocem pronuntiant: *Credidi, propter quod loquutus sum*. Psal. 115. 10.

35. Sed & hostis a paupertatis hujusce cultoribus In vitis PP. l. 6. 4. 23. facilius superatur: non habet enim quo noceat. Nam maxima pars molestiarum & tentationum in facultatum jactura versatur. Quod enim damni pauperibus inferat non habet. An prædia incenderet? non adsunt. Jumenta interficeret? nulla sunt eis. Carissimis

mis noceret? verum istis quoque longum vale dixerunt. Est igitur paupertas maximum adversus hostem supplicium ac pretiosus animæ thesaurus.

[1.Tim.6.10.] 36. Ceterum quanto paupertas admirabilior & ad virtutem præstantior est, tanto pecuniæ amor ad vitium pejor & flagitiosior est: vereque eum divinus Apostolus dixit, esse omnium malorum causam. Nam divitiarum cupiditas, perjurium, furtum, rapina, fornicatio, invidia, cædes, odium fraternum, bellum, idololatria, avaritia, horumque surculi, hypocrisis, adulatio, cachinni; omnia inquam isthæc, causam & originē habere avaritiam in confesso est. Unde jure illam omnium matrem malorum Apostolus nominavit. Nec solum ab eis Deus pœnas repetit; verum ipsi sibimetipsis interitum parant. Cum sint enim insatiabili nequitia prædití, nullum habent propositi finem, proindeque insanabilis inest illis plaga. Qui nihil habet, pauca desiderat, quæ nactus, plura concupiscit. Centum aureos habet, mille expetit: hos consequutus, in infinitum extendit cupiditatem. Sicque quando terminū sibi constituere non possunt, paupertatem semper deplorant. Adfert autem semper secum amor pecuniæ invidiam. Hæc vero hujusmodi est ut primum habentem se interimat. Quemadmodum enim viperæ nascendo prius matres occidunt, quam aliis noceant; sic & invidia se possidentem tabefacit priusquam vicinos absumat.

37. Præclarum esset si tot labores ferre possemus, quærendo probatum illud argentum, quot gravissimos subeunt, qui hunc vanissimum venantur mundum. [In vitis PP. l.5.10.70.& 6.4.24.] Sustinent naufragia, piratarum discrimen adeunt, in terra incidunt in latrones, decumanos fluctus, ventos vehementissimos tolerant: ac plerumque parto lucro, pauperes sese dicunt invidorum causa. At nos pro vero ac germano lucro ejusmodi pericula adire prorsus detrectamus. Quod si aliquid nostris rebus accesserit, nos magnifice hominibus ostentamus; nec raro quod ne fuit quidem jactabunde narramus: unde evenit ut quam videmur habere scintillā boni, furto inimici amittamus. Et illi quidem multa lucrati plura appetunt; præsentia pro nihilo habent, & ad ea quę non habent animo contendunt. Nos autem etiamsi nihil eorum quæ requiri solent habeamus, nihil volumus comparare: & cum extrema laboremus paupertate, nos divites prædicamus. Operæ pretium igitur est, eum qui bene agit, id nemini renuntiare. Quin etiam qui ejusmodi sunt in jacturam incident: nam quod videntur habere auferetur ab eis.

[Luc. 8. 18.] 38. Omni itaque studio curare debemus ut lateat lucrum nostrum. Qui vero sua præclare gesta enarrare solent, vitia quoque iis conjuncta renuntiare studeant: quod si vituperii audientium declinandi causa hæc celant, multo magis illa aperire cavendum est, quod ea res a Dei consortio revocet. Etenim qui vitam cum virtute instituunt, oppositum agunt: parvos scilicet suos lapsus, adjunctis iis quæ ne commiserunt quidem, enarrant, abjecta scilicet hominum gloria: bona vero occultant, ad animæ securitatem. [Vit. PP. l.5. 8. 19.] Nam sicut thesaurus manifestatus, minuitur; sic virtus agnita & publicata, aboletur. Et sicut cera liquescit a facie ignis; ita anima laudibus diffluit, vigoremque amittit.

39. Rursusque contra eveniet: nam si calor solvit ceram, frigus compinget: si laus vigorem aufert animæ, sane opprobrium & contumelia virtutem ejus adaugent. [Matth.5.12.] Ait enim: *Gaudete & exsultate, cum omne mendacium homines dixerint adversum vos.* Et alio loco: [Psal. 4. 2.] *In tribulatione dilatasti me.* Iterumque: *Improperium exspectavit anima mea & miseriam.* Sexcenta quoque alia hujusmodi bona ex Scripturis sacris animæ provenire facile animadvertitur.

[Vit. PP. l. 5. 10. 79.] 40. Est sane tristitia utilis, & est tristitia exitiosa. Ad tristitiam utilem hæc pertinent: de propriis peccatis ingemiscere, itemque de proximi ignorantia, cavere ne a proposito excidamus, sed attingatur perfectissima bonitas. Hæc itaque sunt genuinæ tristitiæ genera. Est porro quædam alia ab inimico inducta tristitia, quæ solet cum dictis generibus pullulare. Nam & ipse tristitiam immittit absurditatis plenam, cui acediæ nomen indidere nonnulli. Sed hujusmodi spiritum oportet oratione præsertim & psalmorum cantu depellere.

41. Nos itaque bonis occupatas curis, non oportet æstimare quempiam in hac vita carere solicitudinibus. Ait enim Scriptura: *Omne caput in labore, & omne cor in mœrore.* [Isai. 1. 5.] Una hac sententia, Spiritus sanctus descripsit cum monasticam, tum sæcularem vitam. Nam per laborem capitis, monasticam adumbrat: capitis enim est regere: *Sapientis*, inquit, *oculi, in capite ejus.* [Eccl. 11.24.] Itaque perspicacia, ut arbitror, in illo residet. Per laborem autem indicatur, omnem virtutem germinantem laboribus absolvi. Per mœrorem cordis, instabilem & ærumnosam sæcularium conditionem significavit. Ajunt quippe nonnulli, cor esse iræ ac tristitiæ sedem. Cum non laudantur, animo mœrent: aliena appetentes, contabescunt: in egestate, indignantur: divitiis instructi, insaniunt, ne somni quidem locum ob curam custodiamque facultatum reperientes.

42. Ne itaque animo decipiamur, neu dicamus, eas quæ in sæculo versantur expertes curarum esse. Forte enim, si mutuo conferamur, plus quam nos molestiarum habent & laboris. Mulieres namque in mundo, ingenti ut plurimum odio habentur: ægre & periculose pariunt, in lacte subministrando misere cruciantur, cum ægrotantibus infantibus una ægrotant: atque hæc sustinent sine aliquo laborum termino. Suscepta namque proles aut mutila corpore est, aut malis instructa moribus, parentibus necem machinatur. Hęc cum sciamus, ne inescemur ab inimico, quasi vita ejusmodi tranquilla curisque vacua sit. In partu quippe vi doloris exstinguuntur; si non pariant sterilitatis & infœcunditatis opprobrio contabescunt.

43. Hæc vobis dico, ut nobis ab adversario caveamus. Neque vero cunctis conveniunt quæ dicta sunt, sed iis dumtaxat qui vitam amplexi sunt monasticam. Quemadmodum enim non una est animalium esca; ita nec hominibus unus sermo competit: *Non oportet enim*, inquit, *vinum novum mittere in utres veteres.* [Mat. 10.17.] Aliter contemplatione & scientia repleti sunt, aliter qui asceticam & actuosam vitam degustarunt, ac qui in sæculo pro facultate justitiam colunt. Et quemadmodum animalia, quædam terrestria sunt, quædam aquatilia, quædam volatilia; sic & homines, alii mediam tenent viam, ut terrestria; alii ad excelsa feruntur, ut volatilia; alii in aquis vitiorum demersi sunt, tamquam pisces. Ait enim: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* [Psal. 68. 3.] Hæc est natura animalium: nos autem aquilarum instar alis instructæ, altiora petamus, & conculcemus leonem & draconem; [Psal. 90.13.] nunc ei imperemus qui ante imperabat nobis. Hæc porro præstabimus, si totam mentem nostram Salvatori obtulerimus.

44. Sed quo magis ad excelsa consurgimus, eo magis ille per laqueos suos impedire conatur. Ecquid magnum si nobis sunt adversarii, quæ ad bonum tendimus, quando in vilibus etiam rebus invident? Sane thesauros in terra reconditos non concedunt hominibus auferre. Si ergo in terrenis facultatibus adversarii sunt, quanto magis invidebunt regnum cælorum?

[Vit. PP. l.5. 11. 11.] 45. Quamobrem omne telorum genus adversus illos est assumendum: nam & extrinsecus accedunt,

dunt, & intus commoventur. Animaque nostra navis instar, modo decumanis fluctibus exterius demergitur; modo ab interiori sentina aquarum vi deprimitur. Et nos interdum per exteriora peccata in perniciem imus, aliquando internis cogitationibus opprimimur. Convenit igitur cum externos cavere Spirituum impetus, tum internas cogitationum exhaurire impuritates. Semper enim adversus cogitationes advigilandum, assidue namque instant. Dum decumani quippe fluctus exterius insurgunt, clamantibus nautis, per proxima navigia salus adfertur. At sentinæ dormientibus plerumque nautis, tranquillo mari, undis navem implent, ac nec opinantes interimunt.

46. Grandi itaque labore adversus cogitationes vigilandum animo est. Inimicus enim animam veluti domum evertere cupiens, aut a fundamentis ruinam ipsi parat, aut a tecto incipiens totam diruit, aut per fenestras ingressus primo patremfamilias alligat, & sic omnium potitur. Fundamentum itaque sunt bona opera, tectum fides, fenestræ sensus. Per hæc omnia bellum movet adversarius. [Vit. PP. l. 5. 11. 34.] Quamobrem multis oculis habet opus qui vult salutem consequi. Neque enim hic possumus cura & solicitudine vacui esse, ait quippe Scriptura: [1. Cor. 10. 12.] *Qui stat, videat ne cadat*.

47. In obscuro navigamus: vita quippe nostra a sacro cantore Davide mare est appellata. In mari porro alia loca sunt petrosa, alia monstris plena, alia tranquilla. Nos in tranquilla maris parte videmur navigare; sæculares vero periculosis in plagis. Nos interdiu navigamus, a sole justitiæ recti & deducti; illi noctu ignorantia ferente. Sed contingit plerumque ut sæcularis, in tempestate ac tenebris exsistens, clamando & vigilando navem conservet suam; nos vero per incuriam tranquillo mari demergamur, amisso justitiæ clavo,

48. *Qui stat* igitur, *videat ne cadat*. Qui cecidit enim unam habet curam, ut scilicet resurgat. Qui vero stat, caveat sibi ne cadat. Varii namque sunt casus. Qui ceciderũt enim nonultra quidem stant erecti; sed tamen jacentes, non multum acceperunt damni. Qui stat autẽ, ne despiciat eum qui lapsus est, sed reformidet ne collapsus & ipse pereat, neve in altiorem se voraginem præcipitet: ubi forte continget ut putei profũditate clamorem superante, ne petere quidem possit auxilium. Nam justus ait: [Psal. 68. 16.] *Ne absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum*. Qui primus cecidit, mansit. Prospice tibi ne delapsus, beluarum cibus evadas. Qui cadit domus fores non obserat. Tu, inquam, nullatenus dormites; sed semper divinum illud dictum modulare: [Psal. 12. 4.] *Illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte*. Vigila continue propter eum qui tamquam leo rugit.

49. Verba isthæc in hoc sunt utilia, ut non extollamur. Qui cecidit, si convertatur & ingamiscat, salutem nanciscetur. Prospice tibi, quæ stas. Duplex tibi formido instat, aut scilicet ne ad vetera revertaris, in te irruente propter socordiam inimico, aut ne inter currendum supplanteris. Adversarius quippe noster diabolus, vel a tergo ad se pertrahit, cum tardiorem segnemque animam conspexerit. Quæ si videatur diligens ac strenua in ascetica vita, callide & occulte serpit per superbiam, atque ita funditua perdit eam. Hæc illecebra omnium malorum ultimum est ac supremum. Per illam diabolus dejectus fuit, per eamdem hominum fortissimos expugnare tentat. Quemadmodum enim strenuissimi milites, postquam minora tela consumserunt, si adbuc urgeant adversarii, fortissimum omnium machæram scilicet educunt; ita & diabolus postquam priores laqueos suos insumsit, tum demum postremo utitur gladio, nimirum superbia. Quinam autem fuere priores ejus laquei? Sane gula, voluptas, fornicatio. Hi namque potissimum Spiritus juvenilem ætatem infestant: hæc consequuntur, pecuniæ amor, avaritia & his similia. Misera ergo anima, ubi hosce laqueos declinavit, postquam ventrem continuit, postquam ventri subjectas cupiditates per pudicitiam transilivit, postquam argentum despexit; tunc malorum artifex ille ad angustias undique redactus, inordinatum motum animæ subjicit, inflatque illam ut indecenter adversus sorores efferatur. Atrox & exitiosum est hoc adversarii toxicum. Multos derepente tenebris offusos hac ratione prostravit. Cogitationem enim spuriam ac lethalem animæ suggerit, ut nempe sibi videatur ea comprehendere quæ multi ignorant, atque in jejuniis antecellere: recte factorum multitudinem objicit, omnium peccatorum oblivionem inducit, ut adversus socios efferatur animo. Subducit ex mente delicta: quod non ad ejus utilitatem præstat; sed ne proferre possit medicinalem illam vocem: *Tibi soli peccavi, miserere mei Domine*. [Psal. 50. 5.] Sed nec sinet eum dicere: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*. [Psal. 9. 2.] Verum sicut ille mente dixerat: *Ascendam, & ponam thronum meum*; [Esai. 14. 13.] ita hunc quoque vane concitat ad principatus, ad primos consessus, itemque ad magisteria, & ad morbos curandi virtutem. Anima itaque ad hunc modum circumventa in perniciem & exitium ruit, vix sanabili percussa vulnere.

50. Quid igitur instantibus hujusmodi cogitationibus agendum? Indesinenter meditandum divinum illud oraculum, quod beatus David alta voce proferebat: *Ego sum vermis & non homo*. [Psal. 21. 7.] Et alio loco dicitur: *Ego autem sum terra & cinis*. [Gen. 18. 27.] Insuperque celebre illud Esaiæ dictum: *Omnis justitia hominis sicut pannus menstruatæ*. [Esai. 64. 6.] Quod si cogitationes hujusmodi adoriantur eam quæ anachoreticam iniit vitam, ingrediatur illa in Cœnobium, cogaturque bis in die comedere, si quidem ob nimiam ascesin sive jejunium, inciderit in hujusmodi vitium: tum ab æqualibus increpetur, ac contumeliis adficiatur, ac si parum sit quod illa egerit: quodlibet obeat ministerium, offerantur ipsi vitæ Sanctorum pietate eminentium. Conentur sodales ejus laborem disciplinę suæ aliquot diebus augere; ut cernens virtutum præstantiam, se minimam omnium existimet.

51. Hunc porro morbum præcedit aliud vitium, inobsequentia: sed per contrariam obsequentiam putridum animæ ulcus curare valemus: *Obedientia* enim, inquit, *super sacrificium*. [1. Reg. 15. 22.]

52. Quapropter convenit gloriam suo tempore adimere, iterumque suo tempore laudare atque admirari. Si enim anima, negligens segnisque inveniatur, & ad profectum desidia torpeat, convenit eam laudare: & si paulum quid boni admiserit, mirari illam & magni facere oportet. Gravia autem & immania delicta, minima nulliusque momenti dicenda. Diabolus quippe qui omnia evertere conatur, sedulis & exercitatis, admissa peccata vult occultare, quo in eis superbiam adaugeat. Novitiis autem animabus quæ nuper virtutem adierunt, universa peccata ob oculos statuit, quo desperationem ingeneret. Huic suggerit: Tibi quæ fornicata es, quæ venia exspectanda? Alteri dicit: Cum tanta avaritia tenearis, fieri nequit ut salutem consequare. Ceterum animas hunc in modum agitatas, hac ratione hisque verbis oportet consolari. Raab meretrix fuit, sed per fidem nacta est salutem: Paulus persequutor erat, & tamen vas electionis effe-

ctus est: Matthæus publicanus erat, at nemo quanta gratia donatus sit ignorat: latro furtis & cædibus deditus erat, sed tamen primus aperuit portam Paradisi. His igitur animadversis, ne animum despondeas.

53. Ubi autem apta commodaque illis remedia inveneris, par iis quæ superbia captæ sunt adhibenda curatio est. Ita namque eam alloqui oportet: Quorsum inflaris? An quia carnes non comedis? Alii ne piscem quidem vident. Quod si vino abstines, respice alios qui ne oleo quidem utuntur. Jejunas usque ad vesperam? nonnullæ duos tresve dies in cibi abstinentia transigunt. Forsitan quia balneo non uteris altius sapis? multi cum etiam ægrotarent nullatenus eo sunt usi. Te fortasse ideo admiraris, quia in matta dormis & in cilicino stramento? Alii autem assidue humi cubant, quod etiamsi tu faceres, non magni quid esset: sunt enim qui etiam sibi lapides subjecerunt, ne rebus naturalibus cum voluptate fruerentur. Alii totam noctem suspensi transegerunt. Sed etiamsi hæc omnia designares, ac supremam omnium exercitationem attingeres, ne magnum sapias. Etenim dæmones plura quam tu præstiterunt & præstant hodieque. Nam neque comedunt, neque bibunt, neque connubia ineunt, nec dormiũt: imo etiam in eremis degunt; si forte tu in spelunca habitans, magni quid præstare tibi videaris.

54. Sic igitur similibusque rationibus poterimus contrarios curare morbos, desperationem & superbiam. Sicut enim ignis vehementiore flatu dissipatus exstinguitur, rursumque flatu destitutus emoritur, ita & virtus per superbiam evolat, licet exercitatione vehementi culta fuerit: rursumque incuria bonum corrumpitur, quando ad afflatum Spiritus sancti non movemus nosmetipsos. Gladius acutus facile a lapide confringitur, vehemensque disciplina & exercitatio, brevi per superbiam in exitium ruit. Quapropter expedit animam undique munire, ac supremam ascensio a superbiæ æstu perustam demittere in umbrosa loca: interdumque superflua amputare, quo radix vegetior efficiatur.

55. Qui vero desperatione capitur, compellatur prædictis argumentis sursum tendere. Anima quippe quæ terræ inhæret, vilis abjectaque est. Sane agricolarum solertissimi, cum viderint plantam tenuem & infirmã, large irrigant, multaque solicitudine fovent, ut augmentum accipiat. Quoties autem in planta conspexerint præcocem surculum, superflua quæque detrũcant; solent siquidem illæ cito arescere. Medici autem ægrotorum alios largiore cibo alunt, & ad deambulationem invitant; alios vinctos diutius in abstinentia detinent.

56. Palam igitur est malorum supremum esse superbiam: illudque comprobat bonum ipsi contrarium humilitas. Hanc porro assequi difficile est. Nisi enim quis inanem omnem gloriam abjecerit, hunc nancisci thesaurum non valebit. Est quippe adeo magna virtus humilitas, ut diabolus ceteras quidem virtutes videatur imitari, hanc vero nesciat quid omnino sit. Proinde ejus soliditatem stabili-
1. Petr. 5. tatemque cum sciret Apostolus, præcipit nobis ut induamus humilitatem, cunctaque utilia agentes, eam velut amictum circumdemus nobis; sive jejunes, sive misericordiam exerceas, sive doceas. Quod si temperans & prudens sis, eam tibi admove ceu fortissimum murum. Adstringat contineatque virtutes tuas omnium virtutum præstantissima humilitas.
Dan. 3. 87. Vides trium puerorum Canticum, quod nempe alia-
Vit. PP. l. 5. 15. 49. Doroth. Doct. 4. rum virtutum mentione vix facta, humiles hymnum cantantium choro annumeraverint, non memoratis temperantibus & paupertatis amantibus. Quemadmodum enim impossibile est navem sine clavis fabricari, ita nec valemus salutem consequi sine humilitate.

57. Quia vero præclara illa est & salutaris, Dominus suam erga homines œconomiam implens, seu incarnatus, eam induit. Ait quippe: *Discite a me, quia* Mat. 11. 29.
mitis sum & humilis corde. Attende qui sit qui loquitur, estoque perfectus discipulus. Sit tibi humilitas principium finisque virtutum. Sensum animi dicit humilem, non solam speciem, sed interiorem innuit hominem: eum namque exterior consequetur. Omnia præcepta servasti? Id novit Dominus. Verum ipse tibi præcipit ut principium servitutis rursus assumas; ait enim:
Cum hæc omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus. Luc. 17. 10.

58. Humilitas itaque exercetur per improperia, per contumelias, per plagas; ut audias, amens & stultus, pauper & inops, infirmus & vilis, inconsideratus in operibus, rationis expers in loquendo, forma despicabilis, debilis viribus. Hi sunt nervi humilitatis. Hæc Dominus noster audivit, hæc passus est. Nam Samaritanum eum dicebant, & dæmonium habentem. Adsumsit formam servi, colaphis cæsus est, plagisque dehonestatus.

59. Operæ pretium itaque est ut veræ nos humilitatis æmuli simus. Quidam enim sunt qui externam speciem humilitatis ementiuntur, atque eo ipso gloriã aucupantur. Sed ex fructibus cognoscuntur, vel levissima quippe injuria adfecti, nequaquam sustinent, confestimque ceu serpentes virus suum evomunt.

60. De sermonibus ejusmodi summe exsultabant quæ convenerant, adhucque perseverabant, nulla bonorum satietate admissa. Iterumque illas beata Virgo Vit. PP. l. 5. 5. 16.
sic alloquitur. Magnum est certamen iis qui accedunt ad Deum, laborque ingens in principio, exinde vero gaudium ineffabile. Nam quemadmodum qui ignem excitare volunt, primum fumo inficiuntur ac lacrymas emittunt, eoque modo optatis potiuntur; Ait e-
nim: *Deus noster ignis consumens est*; ita convenit nos Hebr. 12. 29.
quoque divinum ignem in nobis accendere cum lacry-
mis & labore. Ipse siquidem Dominus ait: *Ignem ve-* Luc. 12. 49.
ni mittere in terram. Et sane quidam, cum fumi molestiam tolerassent, non accenderunt ignem, eo quod patientiæ essent expertes: seu potius quod eorum erga Deum affectus debilis & infirmus esset.

61. Quamobrem caritas grande cimelium est, de qua hæc adfirmat Apostolus; si omnes facultates di-
stribueris, & corpus subegeris, caritatem autem non 1. Cor. 13. 3.
habueris, factus es velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Ingens itaque bonum est caritas, proindeque ingens malum est iracundia: totam enim animã tenebris offundit, in feritatem vertit & ratione privat. Dominus porro undequaque nostræ curam salutis agens, nullatenus concessit, ut vel minimum quid in anima præsidio vacuum maneret. Libidinem concitat inimicus? Dominus nos temperantia munivit. Sed ille superbiam parit? non longe abest humilitas. Odium inseruit? in medio sita est caritas. Quotquot demum tela in nos vibrat adversarius, pluribus nos Dominus armis communivit, cum ad salutem nostram, tum ad eum destruendum.

62. Inter mala maximum est iracundia malum: *Ira* Jac. 1. 20.
enim, inquit, *viri justitiam Dei non operatur*. Imperandũ itaque est illi; quia in tempore utilis visa est. Siquidem irasci & commoveri contra dæmones expedit: at in hominẽ vehementer commoveri nequaquã convenit, licet ille peccaverit. Verum ad resipiscentiam reducere illum oportet, cum sedata fuerit iræ perturbatio.

63. At enim irasci fortasse minus malũ videri possit, simultas vero & injuriarũ memoria omniũ gravissimũ est. Ira quippe ceu fumus, ubi ad breve tempus animam conturbavit, evanescit: at injuriarum memoria quasi animæ alte infixa, feriseam immaniorem efficit. Nam canis quidem contra quempiam sæviens, esca delinitus, irã deponit: aliæque beluæ consuetudine demulcentur

& ci-

& cicurantur;sed qui injuriarũ memoria correptus est,
non cohortationi acquiescit,non cibo emollitur,neque
tempus omnia immutans,hujusmodi morbũ curaverit.
Hi ergo cunctorum impiissimi sunt & iniquissimi;noo
Matth.5.24. enim Salvatori obsequuntur sic loqnenti: *Vade prius*
reconciliare fratri tuo: sicque offer munus tuum. Et alio
Ephes.4.26. loco: *Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam ve-*
stram.

64. Operæ pretium igitur est non irasci:quod si ta-
men id contigerit, ne unius quidem diei spatium tibi
concessit ad animi motum retinendum:præcepit enim
ne sol occidat.Tu vero procrastinas,donec totum vitæ
Matth.6.34. tuæ tempus oceiderit. Nescis hoc dicere: *Sufficit diei*
malitia sua. Cur hominem odio habes,qui te molestia
affecit? Noo ipse tibi injuriam intulit,sed diabolua. O-
Psal. 51.1. dio habe ægritudinem, non ægrum: *Quid gloriaris in*
malitia,qui potens es? De te hoc Psalmista clamavit: *In*
iniquitate enim,inquit, *tota die*; hoc est,toto vitæ tuæ
tempore non obtemperas legislatori dicenti: *Non occi-*
dat sol super iracundiam vestram. Ait autem: *Injusti-*
tiam cogitavit lingua tua. Non cessas fratrem tuum in-
cessere maledictis. Quare meritum tibi supplicium ab
ipso Psalmista ex Spiritu sancto renuntiatur: *Propter-*
ea, inquit, *Deus destruet te in finem, & emigrare fa-*
ciet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra vi-
ventium. Hæc sunt dona eorum qui memoriam reti-
nent injuriarum. Hæc simultatis præmia.

65. Caveamus ergo ab injuriarum memoria. Multa
quippe consequuntur eam mala; invidia, tristitia, obtre-
ctatio. Lethifera est borum malitia, licet modica vi-
deatur. Etenim isthæc sunt veluti minora inimici tela.
Plerumque tamen accidit ut vulnera per gladium an-
cipitem, & maximum ensem inflicta; cujusmodi sunt,
fornicatio, avaritia, homicidium; salutari pœnitentiæ
medela eurata fuerint: superbia vero, injuriarũ memo-
ria, obtrectatio; quæ pro minimis telis habentur, clam
interemerint, ipsis nobilioribua animæ partibus defixa.
Hæc autem non gravitate vulneris interficiunt, sed in-
curia vulneratorum, qui cum detractionem cum reli-
quis vitiis nihili pendant, paulatim per illa pereunt.

66. Grave igitur & peroiciosum quidpiam est ob-
trectatio, quæ cibus est ac veluti requies quorumdam
hominum. Tu vero ne excipias auditionem malam, ne
alienorum malorum ac vitiorum receptaculum eva-
das. Animam tuam reddas superfluis vacuam. Si nam-
que puridam sermonum illuviem admiseris, maculas
orationi tuæ ndsperges per bujusmodi cogitationes,
& absque causa oderis eos qui tecum versantur:
imbutis namque auribus tuis obtrectatorum inhuma-
nitate, illiberali animo cunctos aspicies: quemad-
modum oculus vehemeotiore occupatus colore, ob-
scuram habet rerum perceptionem.

67. Oportet igitur linguam auresque custodire, ne
quid ejusmodi libenter audiamus vel dicamus. Scri-
Exod. 23.1. ptum namque est: *Non suscipietis auditionem vanam:*
Psal. 100.5. &; *Detrahentem secreto proximo suo, hunc perseque-*
Psal. 16.3. *bar*. Apud Psalmistam quoque dicitur: *Ut non lo-*
quatur os meum opera hominum. Noa vero etiam ea
quæ non sunt opera loquimur. Itaque non credendum
hujusmodi sermonibus, oee tamen damnandi qui ta-
lia loquuntur. Verum juxta divinam Scripturam id
Psal. 37.14. facias, id dicas: *Ego autem sicut surdus non audie-*
bam, & sicut mutus non aperiens os meum.

68. Non decet lætari de hominis calamitate,
quamvis maximus sit peccator. Quidam enim, cum
quempiam vident flagris cædi, vel io carcerem con-
jici, imperite proverbium illud sæculare pronun-
Adagium. tiant: Qui male straverit, misere cœnabit. Tu er-
go quæ probe tibi res stravisti, confidia te tranquille
Eccle. 10.2. acturam vitæ tempus. Ecquid faciemus ei qui ad-
firmat unum eventum esse justo & peccatori? Una

A quippe nobis bic est vitæ conditio, quamvis diver-
sum sectemur institutum.

69. Non licet odio habere inimicos. Dominua e-
nim hoc nobis voce propria jussit. Ait enim: *Non* Matth.5.46.
solum eos qui vos diligunt diligite: hoc enim & pec-
catores & publicani faciunt. Bonum enim non arte,
non certamine indiget ut captetur, nam ad se trahit
amantes; malum vero divina doctrina opus babet
ut aboleatur, atque labore multo. Scilicet Regnum
cælorum non est languidorum segniumque, sed vio-
lentorum.

70. Quemadmodum ergo non licet inimicos odio
B habere; ita neque negligentes & pigros fugere opor-
tet & subsannare. Quidam sunt qui hanc Scripturæ
sententiam sibi proferunt: *Cum sancto sanctus eris,* Psal. 17.26.
& cum perverso una convertes. Propterea, inquiunt,
fugimus peccatores, ne ab eis pervertamur. Hi ex
animi ignorantia secus se gerunt. Jubet namque Spi-
ritus sanctus, non quidem ut eum perversis perver-
tamur; sed ut ex tortuosa via ad rectam nos conver-
tamus: *Una convertes* enim significat, una trahes
ipsum ad te, a sinistris ad dextra.

71. Tria sunt sententiarum genera circa hominum
vitam: quarum prima est summæ malitiæ; secunda me-
C diæ conditionis, quæ quasi utramque respicit, estque
utriusque particeps; tertia ad summum contemplatio-
ois acta, non modo se ipsa constringit; sed etiam duas
post se positas conatur manu ducere. Nequam autem
homines cum pejoribus admixti, plurimam malo-
rum accessionem faciunt. Qui autem sunt in medio
positi, fugere nituntur eos qui sunt intemperantio-
res, veriti ne rursum ab eis pertrahantur: sunt e-
nim adhuc infantes in virtutum exercitio. Tertii
vero virili animo præditi, firmaque mente instructi,
cum malis una versantur, quibus salutem parare cu-
D piunt. Ab externis autem vituperantur, ab iis-
que deridentur, qui vident illos una degere cum
negligentioribus: ipsos namque quasi illis similes
essent calumniantur. Ipsi vero hominum contu-
melias quasi laudes accipientes, intrepide divinum
opus exequuotur. Nam ait: *Gaudete & exsulta-* Matth.5.12.
te, cum omnes mendacium dixerint homines adversum
vos. Dominicum est hujusmodi officium; Domi-
nus enim manducabat cum publicania & peccatori-
bus. Eorum animus fratrum magis quam sui a-
mans est. Cum enim peccantes vident, haud secus,
E ac si domorum incendia conspicerent, neglectis
suis, aliena quæ pereunt servare nituntur, atque ar-
dentibus contumeliis combusti, id tolerant. Qui au-
tem medii sunt, si viderint fratrem peccato ardentem
flagrantemque, aufugiunt, veriti ne ad se quoque
ignia pertingat. Tertii autem malorum vieinorum
partes agentes, eos qui comburuntur magis succen-
dunt, submioistrata illis ad interitum materia, pro-
pria scilicet malitia. Nam ac si pice illitum navi-
gium offenderent, pro aqua cedriam resinam immit-
tunt. Contra vero probi homines, proprias faculta-
tes eorum saluti posthabent. Hæc sunt veræ argu-
menta caritatia. Hi syoceræ dilectionis custodes.

F 72. Sicut autem vitia, unum ab alio pendent, ni-
mirum avaritiam sequitur invidia, dolus, perjurium,
ira, memoria injuriarum; sic quæ illis contraria sunt
caritatem consequuntur; mansuetudo nempe, æqua-
nimitas, tolerantia, & bonorum perfectissimum vo-
luntaria paupertas. Non enim potest quispiam eam ad-
ire virtutem, scilicet caritatem, nisi per voluntariam
paupertatem. Neque enim Dominus caritatem man-
davit erga unum hominem, sed erga omnes. Non decet
igitur eos qui facultatum potiuntur egenos despicere.
Sic namque subducetur a caritate. Nam suppeditare
omnibus nemo potest, cum sit illud solius Dei opus.

73. Quid

73. Quid ergo, inquit, qui nihil possides contendis de eleemosyna, ipsaque tibi est occasio possidendi? Id sæcularibus jussum est. Non enim tantum ad inopiæ alimentum instituta fuit eleemosyna, quantum propter caritatem. Nam qui divitem regit Deus, etiam pauperem alit. Frustra igitur injuncta fuit eleemosyna? absit. Verum caritatis principium efficitur iis qui ignorant. Quemadmodum ergo circumcisio præputii, figura erat circumcisionis cordis; ita eleemosyna caritatis magistra constituta est. Quibus igitur caritas per gratiam data est, iis supervacanea est eleemosyna.

74. Nequaquam hoc dico, ut misericordiæ detraham, sed quo ostendam spontaneæ paupertatis puritatem. Ne fiat igitur minus majoris impedimentum. Exiguo tempore parvum bonum fecisti, qui omnia simul erogasti; jam ad id quod majus est, caritatem nimirum respice. Crucifer namque es. Tu liberam illam vocem proferre debes: [Matth. 19. 27.] *Ecce reliquimus omnia, & sequuti sumus te*. Tu hoc donatus es munere, ut fiducia plenam Apostolorum loquelam imitarere. Ajunt enim Petrus & Joannes: [Act. 3. 4.] *Aurum & argentum non est mihi*. Duplex quidem lingua, sed unica fides.

75. Inter sæculares porro, ne temere & inconsiderate erogetur eleemosyna. Ait enim: [Psal. 140. 5.] *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. Convenit ergo ut qui eleemosynam erogat Abrahami prudentia sit præditus; ac quemadmodum ille juste & probe agat. Nam qui hospites perhumaniter excipiebat homo justus, cum epulis suum etiam animum exhibebat. Stetit quippe ministrans, nec sustinuit famulos ejusmodi lucri secum consortes esse. Sane qui ejusmodi sunt, eleemosynæ mercedem recipient, quamvis in secundo ordine constituantur. Namque Dominus qui mundum creavit, duplicem in illo posuit incolarum ordinem. Aliis siquidem probe viventibus, propter liberorum susceptionem matrimonium injunxit: aliis vero propter puritatem vitæ, castitatem tradidit, æquales illos Angelis constituens. Et illis quidem leges, ultiones, doctrinasque dedit: his vero ait: [Rom. 12. 19.] *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*. Illic ait: [Genes. 3. 23.] *Operaberis terram*: hic jubet: [Matth. 6. 33.] *Nolite soliciti esse de crastino*. Illis legem dedit; nobis per gratiam ipse coram mandata intimavit.

76. Crux est nobis tropæum victoriæ. Professio quippe, nihil aliud est quam abdicatio vitæ, & meditatio mortis. Quemadmodum ergo mortui corpore non operantur; ita & nos. Quæcumque enim illo peragenda erant, fecimus cum essemus parvuli. Ait namque Apostolus: [Gal. 6. 14.] *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Anima vivamus; ea ostendamus virtutes; mente exerceamus misericordiam: *Beati* enim *misericordes* anima. Et quemadmodum eodem loco dicit, quod qui pulcritudinem concupierit, etsi nihil exterius agat, peccatum sine teste operatus est; eadem ratione hic de eleemosyna sermo habetur, animo actionem perficiente, licet desit pecunia, majore habemur honore.

77. Quemadmodum enim qui in sæculo sunt heri varia obtinent servorum ministeria, & alios quidem in agrum mittunt, ad colenda prædia, generisque propagandi causa; eorum autem filios, si conspexerint probos elegantesque esse, domum transferunt sibi ministraturos; ita quoque Dominus eos quidem qui venerabile matrimonium inierunt, in agro mundi reposuit; eorum autem præstantiores filios, quotquot maxime probum amplexi sunt propositum, sibi ad ministerium admovit. Isti ab universis terrenis negotiis sunt alieni, quoniam Dominica mensa dignati sunt. Nec de vestimento soliciti sunt, Christum namque induerunt.

78. Utriusque ceterum ordinis unus est Dominus. Nam sicut ex eodem frumento est palea & semen; ita ex eodem Deo sunt, & qui in mundo bene vivunt, & qui Monasticam amplexi sunt vitam. Et sane ambo sunt necessaria; folia quidem ad tutelam & usum seminis; fructum vero necesse est adquirere, quia ex eo cuncta nascuntur. Ceterum sicut non potest esse simul herba cum semine; [Vit. PP. l. 5. 8. 30.] ita fieri nequit, ut circumposita nobis mundi gloria, cælestem fructum emittamus. Foliis porro delapsis, arefactoque culmo, apta est ad messem spica. Nos itaque cum ceu folia, terrenum luxum abjecerimus, corpusque nostrum calami instar exsiccaverimus, nostramque cogitationem erexerimus, tum poterimus salutis semen gignere.

79. Res est periculosa, cum is qui vita in actione posita institutus non est, docere aggreditur. Nam sicut si quis domum habens ruinosam, & hospites exceperit, perniciem illis per ædis ruinam adfert; sic & isti cum antea non semetipsos firmiter ædificassent, eos qui accesserant secum perdiderunt. Etenim verbis ad salutem vocabant, morum autem nequitia eos qui collecti fuerant damno adfecerunt. Nam simplex verborum expositio similis est picturis, quæ levibus vitiosisque coloribus constant, quas brevissimum tempus ventorum flatibus, imbriumque perfusione dissolvit. At doctrinam operibus confirmatam, ne totum quidem ævum dissolvere potuerit. Nam solida animæ exsculpens sermo, æternum Christi simulacrum fidelibus tribuit.

80. Quamobrem debemus animæ curam suscipere, non perfunctoriam, non fucatam. Sed in tota illa exornanda totam ponere operam, non neglecta præsertim profunditate. Abscidimus comam; una auferamus & tineas capitis: nam si solæ relinquantur illæ, majorem nobis adferent dolorem. Cæsaries quippe nostra erat, sæcularis ornatus, honores, gloria, facultates, vestium splendidus amictus, balneorum usus, ciborum voluptas. Hæc videmur abdicasse; verum animæ perniciosas rineas abjiciamus. Quænam illæ sunt? malæ cogitationes, obtrectatio, perjurium, avaritia. Caput nostrum est anima. Sane quamdiu in sylvis rerum mundanarum feræ obtegebantur, latere videbantur: nunc autem denudatæ, cunctis sunt apertæ & conspicuæ. Propterea in Virgine vel in Monacho evidentia sunt vel levissima peccata: quemadmodum in mundo domicilio, quodvis animal quamvis tenuissimum omnium patet oculis: in mundanis autem ceu in impuris immundisque speluncis etiam incubantia venatorum maxima latent densitate materiæ obtecta. Oportet ergo nos domum assidue [Vit. PP. l. 5. 4. 42.] expurgare, & circumspicere, ne quodpiam animæ noxiorum insectorum, ejusdem animæ subeat penetralia. Loca itidem divino orationis incenso suffumigare. Sicut enim acriora pharmaca bestias exigunt venenatas; sic immundam cogitationem ejicit oratio cum jejunio.

81. Una porro animæ exitiosarum beluarum hæc est: decipi scilicet ab iis qui esse fatum adfirmant. Quod etiam Genesin vocant. Is est gravissimus diaboli stimulus. Et plerumque animabus studiosis, postquam in mente pestiferam phantasiam excitarit, evolat: at segnioribus dominatur hominibus. Nemo enim eorum qui cum virtute vitam transigunt, tenet admittitve perniciosam vanamque ejusmodi doctrinam; Deum namque principium statuit omnis præteriti præsentisque boni: ac secundo loco propriam mentem ducem judicemque virtutis ac vitii constituit. Quotquot autem injuria vel segnitie passi sunt quæ non exspectabant, illico accedunt ad hujusmodi dæmonem. Quemadmodum pueri relicto

ordi-

ordine, non ferentes parentum suorum institutio- A nem sibi perutilem, aufugiunt, locaque adeunt deserta, ferisque ac barbaris adjunguntur dæmonibus. Nam erubescentes facinora suæ voluntati imputare, ea quæ non adsunt falso criminantur.

82. Præterea a divino numine sese abjicientes, sibi adfirmant ex Genesi seu nativitate voluptates obvenire: fornicantes quippe, furantes, avaritia laborantes, fraudulenti, pudore propter opera sua adfecti, a veritate deflexerunt. Estque terminus eorum propositi, lethifera desperatio. Quia necesse est ex his cogitationibus argumentisque, Deum ab ipsis tolli de medio, prætereaque judicium. Atque enim: Si ita judicatum de B me fuit ut scortator sim & avarus, superfluum est judicium. Justa siquidem ultio delicta spectat sponte admissa. Illud autem opus quod ceu ex quodam principio pendens, involuntarium est, insontem reddit auctorem. Adeo ut hinc tollatur judicium.

83. Quomodo etiam divinitas ab eis exigatur, audiendum est. Eam quippe dicent, aut primam aut secundam, aut una semper exsistentem cum eo quod inaniter admittunt. Si Deum fassi fuerint primas tenere, necessario sequetur omnia per ipsum facta esse; etenim ipse in omnibus est: quamobrem & ipse est Dominus C fati. Quod si fraudulentus & scortator est ex Genesi seu nativitate; necesse est per medium Genesis Deum esse mali causam; quod absurdum est. Sin adfirment divinitatem secundas tenere; consequitur eam esse primo subditam. Et quidquid optaverit quod præest, id necessario exsequetur quod consequitur: rursumque apud illos Deus erit auctor malorum, quod nefas dictu est. Quod si coæternū illud esse voluerint, omnino pugnam inter ea ipsa concitabunt, quæ scilicet habeant contrarias naturas. His ergo rationibus quasi summatim confutatur vana illorum sententia. De quibus hæc

Psal. 13. 1. loquitur Scriptura: *Dixit insipiens in corde suo: Non* D
Psal. 52. 1. *est Deus:* &, *iniquitatem in excelso loquuti sunt.*

84. Quin etiam sibi comminiscuntur excusationes in peccatis. Detruncant enim Scripturas, cæcutientes, ea mente ut ex illis pravam suam doctrinam comprobent. Et primo quidem ex Euangelio conantur evo-

Mat. 1. 18. mere suum virus. Ait enim: *Jesu Christi autem generatio sic erat.* Generationem ejus Genesim divina Scriptura nominavit. Insuperque, quod ipse per œconomiam ad homines accesserit, consequenter nomen tribuitur generationis. Quod si aliquid etiam de stella mentiti fuerint, inde rursus discant gloriosum ejus adventum. Unica nobis stella lucidissima E præco exstitit veritatis: illorum autem vana doctrina multas introducit ad hominum captandam observandamque Genesim. Atque hinc ostensum est, ubique malitiam sibi ipsi adversari. Esaiam quoque in testimonium amentiæ suæ vocant. Quem ajunt di-

Esai. 45. 7. xisse: *Dominus faciens pacem, & creans mala.* Pacem certe opus esse Dei nemo non fatetur: malitia vero apud ipsos revera versatur, malitia videlicet animæ. Nobis autem ea quæ ex Deo procedit malitia, utilissima est. Nam ob salutem animæ corporisque castigationem oriuntur, fames, siccitas, morbi ac paupertas, aliæque nonnullæ calamitates. F Salutaria enim remedia, quæ illi malum & perniciem animæ esse opinati sunt, hæc ad conversio-

Hebr. 12. 7. nem nobis infliguntur a Deo: *Quis enim filius, quem*
Jerem. 10. 23. *non corripit Pater?* Illudque præterea: *Non sunt in homine viæ ejus*, pari modo ad propriam eversionem proferunt; scilicet vias cum non habeant, vias volunt investigare: viam non habet avaritia, aut gula, neque fornicatio. Illa namque cum per se non sint, subsistentia carent. Quæ tamen illi vias dicere consueverunt. At vero Scriptura duas esse omnibus communes vias dicit, vitam & mortem. Vere siquidem itinera sunt, introitus in hunc mundum, & transmigrationis ex his sensibilibus.

85. Nihil itaque non faciunt infelices illi, ut liberum a se abjiciant arbitrium: atque in hoc curam studiumque ponunt, ut libertatem cum servitute commutent. Etenim hoc est malitiæ opus, ut semper seipsam pertrahat ad pejora. Ipsique adversum se testes evadent, quod sese malitiæ vendiderint. Estque illud diaboli artificium quo decipiat: segnes quippe animas per pravam doctrinam deorsum propendere compellit; nec finit eas sursum erigi ad agnitionem veritatis. Quemadmodum enim navis sine gubernaculo navigans, tempestatibus semper agitatur; ita illis undequaque periculorum ventus instat: neque enim possunt ad salutarem portum adpellere, quando gubernatorem Dominum reliquerunt. Sicque hostis animas ipsi deditas decipit. Sæpe etiam per hæc animabus virtutum studiosis insidiatur, hoc curans ut bonum earum cursum intercipiat. Animo namque suggerit, quod bene feliciterque agamus, id ex astrorum motu provenire. Hanc autem cogitationem iis immittit adversarius, qui ex sæculari sapientia conversi sunt ad vitam Monasticam. Nam cum in malis solers sit diabolus, juxta hominum indolem laqueos subjicit. Quibusdam enim assidue instat per desperationis tentationem; alios per vanæ gloriæ cupidinem trahit, alios per pecuniæ cupiditatem obruit. Atque instar lethiferi medici hominibus venenata offert medicamenta. Atque hunc quidem ex jecore occidit, offerens illi cupiditatis toxicum: alium in corde vulnerat, animum ejus ad iram concitans: quorumdam vero principem animi partem obtundit, aut ignorantia involvens, aut per curiositatem evertens.

86. Quosdam igitur per ineptas & absurdas quæstiones subornavit. Nam cum vellent de Deo illiusque natura disceptare, naufragium fecerunt. Cum enim vitam actionis studiosam non congruenter inirent, ad contemplationem prosilierunt, ac vertigine correpti conciderunt. Quodque primum ordine est non assequuti, a secundo aberrarunt. Quemadmodum qui litteram A edocentur, primo ejus figuram considerant, secundo nomen discunt, & sic numerum, posteaque accentus. Si ergo in primo elemento tanta opus est exercitatione, mora & arte; quanto magis debet tempus & labor præire, ad contemplandam ineffabilem creatoris qui proponitur gloriam? At ne quis superbe adeat divinorum comprehensionem, ex disciplinis sæcularibus eo profectus. Is namque sese decipit, illusus a dæmone. Ait enim Psalmista: *Ex ore infantium &* Psalm. 8. 3.
lactentium perfecisti laudem. Dominus quoque in Euangelio sic loquitur: *Sinite pueros venire ad me: ta-* Luc. 18. 16.
lium est enim regnum cælorum. Et alio loco: *Nisi*, inquit, *efficiamini sicut parvuli isti non intrabitis in regnum cælorum.* His eruditus fuisti propter mundum; Mat. 18. 3.
stultus fias propter Deum: evelle vetera, ut plantes nova. Dirue ruinosa fundamenta, ut adamantinam Domini basin substituas; ut tu, quemadmodum Apostolus, ædificeris supra firmam petram.

87. Neque vero contentiosum esse oportet, ne ob affluentem loquendi facultatem multum temporis insume. Nam per intempestivam garrulitatem lædere te potest diabolus. Multis instructus laqueis est utpote peritissimus venator. Et quidem passerculis, minimas parat tendiculas: majoribus autem avibus, fortiores adornat laqueos. Atrox lethiferque laqueus est, Genesi habere fidem. Fugienda quæ eo spectat cogitatio. Sed persuadet te per res ipsas & per eventuum præscientiam? At conjecturalis est ratio, infirma cognitio. Neque enim necessario eveniunt quæ ab eis

prædicuntur. Nam ficut popularibus & nautis, ex nubium proprietate, quædam ineſt obſcura ventorum & pluviarum notitia; ita & illis fallax ex dæmonibus præſcientia. Et vero quædam illi per coojecturam proferunt; quemadmodum & veotriloqui: quod ſane ipſum validius potuerit pravam eorum opinionem diſſipare. Nam ſi a dæmonibus prodeunt conjecturalia hæc mendacia, vana eſt ars nativitatem ſupputantium.

88. Quod ſi adhuc perſeveret inimicus eamdem cauſam propugnare, ex hoc eum mendacii convinces, quod modo illis modo aliis cogitationibus impugnet animam. Inſtabile quidvis infirmum eſt: infirmum autem eſt proximum interitui. Neque enim ſatis diabolo eſt prima ſua malitia; ſed etiam fortuitum rerum eventum animæ ſuggerit; animumque rectorem noſtrum definit, florem naturæ: docetque diſſoluto corpore, aoimam ſimul corrumpi. Hæc autem omoia ſubjicit; ut ex ſocordia animam deducat in perniciem. Sed accedentibus caliginoſis hujuſmodi phantaſiis, ne illis quaſi veris aſſentiamur. Ipſa quippe ſuam produnt malignitatem, nunc illo, mox alio modo accedentia, & ictu oculi avolantia. Novi aliquem Dei ſervum, virtutiſque ſtudioſum, qui cum ſederet in cellula, cogitationum aditus obſervabat, ac ſecum reputabat quid primum, quid ſecundum eſſet, & quantum temporis unumquodque ipſorum perſeveraret: ac ſi tardius citiuſve quam pridie accederet. Ita accurate noverat cum gratiam Dei, tum propriam perſeverantiam & fortitudinem, atque ad hæc inimici everſionem.

89. Par eſt ergo nos eas acceptas regulas obſervare. Nam ſi qui rerum temporalium mercaturam exercent, quotidie lucra conſiderant, libenter plura recipiunt, damoa averſantur: multo magis convenit eos vigilare qui veri theſauri negotiationem exercent; pluraque bona appetere. Quod ſi parvum inimici furtum contigerit, graviter quidem ferre judicii ſubeundi cauſa, nec tamen deſpondere aoimum, neque cuncta propter involuntarium lapſum projicere. Habes nonaginta-novem oves, quære illam quæ periit: ne unius amiſſione conſterneris, neque fugias a facie Domini, ne ſanguinarius diabolus totum actionum tuarum gregem, in captivitatem deductum diſperdat. Noli itaque uoius cauſa locum amittere tuum. Bonus eſt Dominus qui per Pſalmiſtam ait: *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* [Pſal. 36. 24.]

90. Quæcumque hic negotiati aut lucrati fuerimus, parvi momenti reputemus, ſi cum futuris æternis opibus comparentur. In hac quippe terra, velut in ſecundo utero materno conſiſtimus. Quemadmodum enim in clauſtris maternis, non huic ſimilem agimus vitam, neque enim illic ita ſolidis cibis ut nunc utimur. Non eodem ibi modo operari licebat, quo in hac vita; ſolaris quippe lucis omoiſque ſplendoris expertes eramus. Sicut ergo in clauſtris hujuſcemodi verſantes, multis præſentis vitæ rebus deſtituebamur; ita & io hoc mundo defraudamur longe potiori magnificentia regni cælorum. Periculum fecimus alimentorum hujus vitæ, divina jam expetamus. Præſenti lumine potiti ſumus; ſolem juſtitiæ nunc exoptemus; ſupernam Jeruſalem, pro civitate matreque noſtra habeamus; patrem vero noſtrum vocemus Deum. Hic vivamus temperanter, ut vitam æternam conſequamur.

91. Quemadmodum enim infantes in matrice conſtituti, ad majorem perfectionem ex tenui cibo atque vita deducti, per illa ad majorem vegetioremque incolumitatis conditionem feruntur; ita etiam juſti ex ſæculari inſtituto ad iter cæleſte ſecedunt, ſicut ſcriptum eſt: *Ibunt de virtute in virtutem.* [Pſal. 83. 8.] Peccatores autem, velut fœtus uteri qui in matrice intereunt, ex tenebris in tenebras transferuntur. In terra oamque morti traduntur, multitudine peccatorum obruti. Poſtquam autem fuerint ex hac vita dejecti, in obſcuriora & tartarea loca detruduntur. Ter in vita naſcimur. Prima generatio eſt ex ſinu materno exitus, cum a terra in terram agimur: reliquæ autem duæ, ex terra nos evehunt in cælum; quarum altera per gratiam eſt, quæ per divinum nobis lavacrum accedit: hanc quippe jure regenerationem appellamus. Tertia autem ex pœoitentia nobis & bonis operibus contingit. Atque in hac poſtrema nunc verſamur. [Schol. 3. ad Grad 7. Climaci.]

92. Debemus itaque, poſtquam ad verum ſponſum acceſſimus, decentius ornari. Ad noſtram ſit ædificationem nuptiarum hujus ſæculi ſpectaculum. Nam ſi puellæ viro conjunctæ qui illarum facile ſpecie capi poſſit, tantam nihilominus adhibent curam, in balneis, unguentis, reliquiſque varii generis ornatibus: quia his ſe venuſtiores amabilioreſque fore putant. Si tanta iis quæ corporis cultui deditæ ſunt ineſt oſtentatioois cupiditas; quanto magis decet nos cæleſti ſponſo deſponſatas, eas exſuperare, atque laborioſa exercitatione abluere ſordes peccatorum, indumentaque corporalia commutare cum ſpiritualibus. Corpus illæ terrenis ſæcularibuſque floribus exornant: nos animam virtutibus concinnemus lapidumque pretioſorum loco capiti circumponamus triplicem coronam, fidem, ſpem & caritatem. Collum autem pretioſo monili circumdemus humilitate; zonæ loco, temperantia cingamur; magnificus ſit nobis linteorum amictus, ſpootanea paupertas; in cœnam adponantur quæ non corrumpuntur opſonia, preces & pſalmi. Verum, ut ait Apoſtolus, ne ſolum linguam moveas, ſed etiam ſpiritu intellige quæ dicuntur. Sæpe namque contingit ut os alia loquatur, dum cor circa cogitationes occupatur. Cavendum porro, ne nos quæ divinas adimus nuptias, lampadum, id eſt, virtutum penuria laboremus. Alioquin oderit nos ſponſus, nec ullatenus admittet, ſi non acceperit promiſſa. Quænam illa ſunt? Corporis minorem curam gerere, animam autem largius irrigare. Hæc ſunt pacta cum illo ioita.

93. Sicut autem nemo poteſt duas ſitulas aqua plenas una tollere. Nam per axem qui vertitur, alia vacua demittitur, alia plena elevatur; perinde nobis contingit. Cum totam enim ſolicitudinem animæ impenderimus, bonis referta evehitur ſublimia appetens. Corpus autem ooſtrum per duram exercitationem leve effectum non deprimit partem illam principem ac moderantem. Cujus rei teſtis eſt Apoſtolus dicens: *Quanto noſter qui foris eſt homo corrumpitur, tanto is qui intus eſt renovatur.* [2. Cor. 4. 16.]

94. In Monaſterio & cœnobio verſaris? ne mutaveris locum. Nam id tibi magno erit detrimento. Nam ſicut avis ova deſerens, vento expoſita illa & infœcunda reddit: ſic Virgo vel Monachus locum ex loco mutans, in fide frigeſcit ac exſtinguitur. [Vit. PP. l. 5. 7. 15. Scholion 71 ad Grad. 4. Climaci.]

95. Ne te decipiaot divitum hujus ſæculi delitiæ, quaſi utile quidpiam habeant. Coquinariam illi artem voluptatis cauſa colunt & magni faciunt: tu vero jejunio ciborumque vilitate eorum copiam ſuperato. Ait enim: *Anima quæ in ſaturitate eſt, favis illudit.* [Prov. 27. 7.] Ne ſatieris pane, & non deſiderabis vinum. [Vit. PP. l. 5. 4. 41.]

96. Tria ſunt prima inimici capita, ex quibus omnis malitia deducitur; concupiſcentia, voluptas, dolor. Hæc vero unum ex alio pendent, & unum aliud ſequitur. Voluptatem mediocriter cohibere poſſu-

sumus, concupiscentiam non possumus. Quod voluptatis est corpore peragitur; quod vero cupiditatis, ab anima incipit; dolor autem ex utroque conficitur. Ne concesseris igitur cupiditatem operari, & reliqua dissipabis. Si autem concesseris ut erumpat primum, quod ad secundum vergit; circulari motu recurrent, nec prorsus animam emergere sinent.
Eccli. 25. 34. Scriptum est enim: *Ne des aquæ exitum.*

97. Non omnibus omnia conveniunt. Unusquisque autem propria mente quid expediat exploret. Multis expedit manere in cœnobio, multis utile est seorsum secedere. Nam sicut plantarum aliæ in humidis locis virentiores evadunt: aliæ in siccioribus firmius feliciusque consistunt; ita hominum alii altioribus in locis probe feliciterque agunt, in humilioribus alii conservantur. Multi sane in civitate, cum ea quæ in eremo agerentur memoria recolerent, salutem sunt consequuti: multi etiam in monte versantes perierunt, quia illa agerent quæ popularibus tantum competerent. Fieri namque potest ut qui cum pluribus versatur, animo solitarius sit; & qui solus est, cum turba mente versetur.

98. Multi sunt diaboli aculei. Non potuit paupertate animum dimovere? divitias adfert in escam. Per
In vitis PP. l. 3. 7. 16. contumelias & opprobria non prævaluit? laudes adhibet atque gloriam. Per sanitatem devictus est? morbum immittit corpori. Cum enim voluptatibus non potuerit decipere, per invitos labores, animæ parare conatur eversionem, inconsultam, nec spontaneam. Morbos enim gravissimos injicere permittitur, quibus tentat homines in segnitiem conjicere, eorumque erga Deum caritatem conturbare. Sed sive corpus conciditur, ac vehementissimis febribus inflammatur, ac etiamsi intolerabili siti excrucietur, si quidem peccator cum sis isthæc pateris, recordare futurorum suppliciorum, ignis æterni, pœnarumque judicio infligendarum: neque in præsenti, socordi atque abjecto animo eris. Lætare quia visitavit te Dominus, atque pulcrum illud dictum in ore habe: *Castigans, castigavit me Dominus, & morti* peccati *non tradidit me*. Ferrum eras,
Psal. 117. 18. sed igne rubiginem amittis. Quod si, etiam probus es, infirmitate teneris, a magnis ad majora progrederis. Aurum es: at per ignem probatior evadis. Datus est tibi carnique tuæ Angelus Satanæ, exsulta. Vide cui similis effectus sis: donatus es Pauli munere. Febre probaris, rigore erudiris, at Scriptura di-
Psal. 65. 12. cit: *Transivimus per ignem & aquam*. Quod superest, paratum refrigerium est. Consequutus es primum, secundũ exspecta. Dũ operaris exclama hæc Davidis
Psal. 68. 30. verba proferens: *Inops & pauper & dolens sum ego.* Perfectus eris per ternariũ numerum. Ait enim: *In tribu-*
Psal. 4. 2. *latione dilatasti mihi*. His maxime certaminibus animis exerceamur: præ oculis enim habemus adversarium.

99. Ne animo contristemur, cum per infirmita-
In vitis PP. l. 5. 7. 27. tem ac vulnus corporis non possumus stare ad orationem, aut voce psallere: omnia ista nobis proderunt ad cupiditatum eversionem. Nam jejunare ac humi cubare jussum nobis est ad turpissimas voluptates declinandas. Si ergo eas morbus obtuderit, superfluus est labor. Cur dico superfluus? quia tamquam graviori fortiorique remedio, nempe morbo lethifera symptomata sopita sunt. Atque hæc est magna exercitatio, morbos patienter ferre, & gratiarum actionis hymnos Deo emittere. Ademti nobis sunt oculi? ne graviter feramus, quia licet insatiabilis cupiditatis instrumenta amiserimus, attamen internis oculis contemplamur gloriam Domini. Obsurduimus? gratias agamus, quod inanem auditum funditus amiserimus. Manus laborant infirmitate? at intus adsunt manus paratæ ad bellum cum adversario gerendum. Mor-

A bo totum corpus est adfectum? verum magis magisque interioris hominis sanitas augetur.

100. Cum in cœnobio vivimus obsequentiam exercitationi præponamus. Hæc namque docet superbiam; In vitis PP. l. 5. 14. 9. Schol. 97. ad Grad. 4. Clim.
illa vero humilitatem pollicetur. Ceterum etiam ab inimico exoritur ardua exercitatio. Nam idipsum ejus discipuli præstant. Qua igitur nota divinam regiamque exercitationem a tyrannica & dæmoniaca internoscemus? utique ex moderatione. Per totum vitæ tuæ tempus una sit tibi regula jejunii. Ne quatuor aut quinque dies a cibo abstineas, & insequente die per ciborum ingluviem dissolvas vires tuas. Id perjucundum inimi-
B co est. Quia ubique immoderatio perniciem adfert. Noli arma tua una tantum pugna insumere, ne si nudus in prælio reperiaris, facilis captu sis. Arma nostra corpus sunt; anima vero miles: utriusque curam gere ad necessitatis tempus. Dum juvenis sanusque es, jejuna. Veniet namque tibi senectus cum infirmitate. Quando potes reconde tibi cibos; ut cum non poteris amplius, invenias ipsos. Jejuna cum ratione & diligentia. Cave ne inimicus jejunii tui negotiationem subeat; videturque mihi ea forsitan de causa dictum fuisse a Salvatore: *Estote probi Trapezitæ*. Hoc est regiæ monetæ impressionem accurate cognoscite: quia sunt et- De hoc dicto sæpe actum est superius.
C iam adulterini nummi. Atque auri quidem natura eadem, differt autẽ impresso signo. Aurum est jejunium, continentia, eleemosyna. Sed ipsi Gentiles tyrannicam suam imaginẽ hisce imprimunt, omnesque hæretici de iisdem gloriantur. Istos autẽ cavere vitareque oportet tamquam falsæ monetæ percussores. Vide ne in eos imperite delapsus, detrimento adficiaris. Accipe igitur cum securitate Domini crucem, impressis virtutibus sigillatam, id est, fidem rectam cum bonis operibus.

101. Oportet nos cum omni discretione animam regere, & in cœnobio cum sumus, non nostra quærere, In vitis PP. l. 5. 14. 17.
neque proprię voluntati famulari; sed ei quę secundum
D fidem mater est obtemperare. Exsilio nos ipsas mulctavimus; id est, extra mundi limites exivimus. Igitur ejectæ sumus: eadem ne requiramus. Illic gloriam habuimus, hic ignominiam: illic ciborum copiam, hic panis indigentiam. In mundo qui in crimen delapsi sunt, vel inviti carceri mancipantur: nos quoque ob peccata nostra in custodiam nos intrudamus, ut voluntaria pœna futurum depellat supplicium.

102. Jejunas? ne morbum comminiscaris. Etenim etiam qui non jejunant, in easdem incidunt ægritudines. Bonum iniisti? ne resilias, dum inimicus tibi obices parat. Ipse nam-
E que patientia tua destruitur. Nam qui navigare incipiunt, primum quidem secundo utuntur vento, cum vela expanserint: postea vero ventus contrarius instat: nautæ tamen nequaquam propter ingruentem ventum navem exonerant; sed ubi paulum quieverint, vel etiam tempestati repugnarint, navigationem conficiunt. Ita & nos, contrario instante spiritu, crucem loco veli tendamus, atque tutu cursum conficiemus.

103. Hæc venerandæ cunctisque virtutibus ex-
F ornatæ Syncleticæ documenta fuere: potiusque opera quam verba: sed etiam multa alia & quidem magna per illam innotuere ad spectantium audientiumque utilitatem. Tanta autem bonorum copia ex illa manavit, ut humana lingua enarrando non sufficiat.

104. At boni osor diabolus non ferens tantam bonorum vim, contabescebat, secumque reputabat quo artificio posset bonorum ortum interturbare. Tandem postulat ad ultimum certamen generosissimam Virginem, tantoque odio illam ulciscitur, ut non ab exterioribus membris plagam orsus

fue-

fuerit; sed tactis interioribus profundum ei dolorem indiderit; adeo ut nullo hominum auxilio solatii aliquid percipere posset.

105. Primo itaque partem vitæ maxime necessariam vulnerat, pulmonem videlicet, ac per exitiosos morbos paulatim accendit malignitatem. Et sane poterat, postquam id impetraverat a Domino, brevi mortem ipsi parare; sed utpote sanguinarius carnifex, plagis permultis diuturnoque tempore ostendit feritatem suam. Paulatim quippe dissolutum pulmonem sputorum emissione abjecit. Aderant quoque continuæ febres, limæ instar absumentes corpus.

106. Octogesimum annum agebat, cum diabolus Jobi labores in eam transtulit: nam iisdem tunc quoque usus est flagellis. Jam autem ille tempus abbreviat, ac intolerabilioribus premit doloribus. Quinque enim & triginta annos Job in plaga transegit: at hic inimicus, cum ceu primitias quasdam decadum tempora rapuisset, ad * plagas admovet sacro ejus corpori. Tribus namque annis & dimidio per gloriosos hosce labores adversario restitit. Ac in Jobo quidem ab exterioribus initia vulnerum diabolus duxit; in hac vero ab internis cruciatus auspicatur. Læsis siquidem internis ejus membris, majores ei gravioresque immisit dolores. Non perinde arbitror generosissimos Martyres decertasse, atque præclaram Syncleticam. Illos namque scelestus ille extrinsecus adoriebatur, ac sive ensem, sive ignem admoveret, levius illud erat tentationibus Sanctæ oblatis. Ejus namque viscera quasi per fornacem igneam succendebat, paulatim ignem ex interioribus accendens; ac limæ instar diuturno tempore corpus ejus insumebat: quod ut vere dicatur, grave est atque inhumanum. Etenim quibus judiciarii magistratus commissi sunt, quando reis voluerint graviora infligere supplicia, lentissimo eos igne absumunt. Sic quoque inimicus ex internis, velut suburentem commovens febrem, incessanter die nocteque cruciatum movebat.

107. Illa vero hujusmodi plagam strenue ferens, non concidit animo. Rursumque beata Virgo adversus hostem instaurabat pugnam. Iterumque præclaris suis documentis, vulneratos ab inimico sanabat: ac velut e faucibus sanguinarii leonis animas illæsas extrahebat. Saucios curabat salutaribus Christi remediis. Nonnullos invulneratos servabat, indicatisque dolosis diaboli laqueis, liberos reddebat a peccato.

108. Dicebat porro admiranda illa Virgo: Animas Deo dicatas numquam debere ponere solicitudinem. Quia eis potissimum adversatur inimicus. Nam dum in secessu illæ & in quiete versantur, rugit ille, victus indignatur; paululumque secedens observat num aliquando vel tantillum obdormiscant, tuncque irruit: ac per quæ quis existimat in tuto se versari, per eadem illum supplantat. Sicut enim fieri nequit eos qui admodum scelerati sunt, non habere vel scintillam boni; ita vicissim se res habet in bonis: siquidem eorum quæ inter se pugnant portio quædam in oppositis partibus exsistit. Unde sæpenumero homo omni turpitudine circumdatus, omni intemperantia fœdatus, attamen misericors est: sæpeque in virtutis studiosis versantur continentia, jejunium, laboriosa exercitatio; sunt autem forsan avari & obtrectatores.

109. Non itaque negligenda sunt parva, quasi nocere non valeant. Nam diuturnitate temporis gutta cavat lapidem. Porro maxima pars bonorum quæ in hominibus sunt ex divina ipsis gratia proveniunt; quæ autem minora videntur esse per nos ipsos profligare edocti sumus. Qui igitur majoribus quidem per gratiam expugnatis, quod parvum est contempserit, ingenti adficietur damno. Nam Dominus noster, utpote verus Pater, incipientibus ambulare filiis suis manum porrigit: atque a gravibus quibusque periculis liberatos, nos sinit parva pericula per nos ipsos adire, quasi pedibus ambulantes: hisque liberum declarat arbitrium. Nam qui parvis facile vincitur, majora cavere qua ratione poterit?

110. Rursum igitur advertens boni osor ille eam adversus ipsum corroborari, indignabatur. Vidensque destrui tyrannidem suam, alium machinatur malitiæ modum: vulneratque membra vocalia, quo sermonem doctrinamque illius interpellaret, ratus sic eas quę convenirent fame divinorum sermonum interituras. Verum etiamsi aures earum solita utilitate privarit, majus tamen ipsis lucrum concessum fuit, cum oculis quæ illa pateretur perspicerent, majore animi robore firmabantur. Vulnera quippe corporis ejus, vulneratas animas curabant. Videreque erat, munimen sanitatemque spectantibus adserre beatæ Virginis magnanimitatem atque perseverantiam.

111. Hanc ergo ipsi ulceris causam efficit inimicus: molarem unum dentem dolore adfecit, mox gingivam putrefacit: excidit os; ulcus totam percurrit maxillam, corrumpuntur vicinæ partes: per quadraginta dies os corroditur, postque duos menses foramen aperitur. Omnia circum loca nigricabant, os ipsum etiam corruptum paulatim absumitur: putredo fœtidissimusque odor totum corpus occupavit; ita ut quæ ministrarent ipsi, majore quam illa nausea adficerentur. Subindeque ac diutius abscedebant, immanissimum fœtorem non ferentes. Cum id necessitas postularet, aromatum vi succensa ingressæ, mox discedebant ob teterrimum odorem. At beata Virgo aperte adversarium conspiciebat, neque sinebat admoveri sibi subsidium humanum, hac in re suam commonstrans fortitudinem. Cum autem cœtus Virginum hortarentur, ut vel aromatibus loca illinerentur propter suam infirmitatem, nequaquam illa morem gessit. Existimabat enim per externum auxilium gloriosissimi certaminis imminui decus. Illæ porro medicum quemdam evocant, si forte posset ille persuadere Virgini ut curationem admitteret. At illa id minime tulit dicens: Quid me ab hoc præclaro certamine arcetis? Cur quæritis quod apparet, ignorantes quid lateat? Quid tam curiose factum perquiritis, cum auctorem non videatis? Tum medicus ipsi: Non curationis aut solatii causa remedium offerimus; sed ut corruptum exstinctumque membrum pro more sepeliamus, ne qui adsunt una pereant. Nam quod mortuis admoveri solet, id jam nos admovemus: aloen cum myrrha & myrto vino madidam appono. Illa vero admisso consilio annuit, miserata præsentem cœtum: eo enim pacto purgabatur fœtoris vehementia.

112. Quis non exhorruit immane ulcus conspiciens? Cui non utilis fructuosusque fuit conspicuus inimici lapsus? Illic ulcus immisit unde salutaris & dulcissimus fons sermonum prodibat. Ejus immanitas modum omnem exsuperans, solatia quæque dissipavit. Tamquam fera sanguinaria, totam convenientium curam inutilem reddidit, ut discerperet oblatam prædam. Sed dum quærit cibum, factus est pabulum. Corporis enim infirmitate quasi per hamum illectus captusque fuit: fœminam videns, contemnebat, quia ignorabat virilem ejus animum. Didicerat morbida membra esse, cæcutiebat quippe, nec poterat fortissimam illius mentem æstimare. Trium igitur mensium spatio hoc in agone decer-

decertavit. Virtute autem divina totum corpus sustentabat. Nam quæ corporis conservationi inserviunt imminuebantur. Aderat inedia: quo enim modo potuisset cibos sumere, obtinente tanta tabe atque fœtore? Recesserat ab ea somnus dolore depellente.

113. Ubi proxime fuit meta victoriæ atque coronæ, visiones contemplata est, Angelorumque auxilia, Virginum item sanctarum cohortationes ad ascensum, necnon illustrationes ineffabilis luminis, atque paradisi regionem. His autem conspectis, quasi rem secum perpendens, iis quæ aderant renuntiavit, ut fortiter sustinerent neque jam deficerent. Addiditque hæc verba: Post triduum a corpore separabor. Neque hoc solum, sed etiam horam exitus denuntiavit. Quo completo tempore ad Dominum migravit beata Syncletica, atque ab eo in præmium certaminum regnum cælorum accepit; in gloriam & laudem Domini nostri Jesu Christi, cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, amen.

* Domine Deus virtutum, intercessionibus omni laude celebrandæ Deiparæ, quæ est firma spes mea, & Patrum quorum vitas studio atque labore collegi, concede mihi peccatori, ut quibus nosti judiciis, inveniam gratiam in conspectu tuo.

Hactenus absolvuntur, qui ex Sancta illa, per beatum Arsenium Pegadensem prodierunt sermones, quo ordine omnes habentur.

* Hæc, ad finem usque exstant in Schedis Combefisianis, nec leguntur in Monumentis Cotelerii.

IN SEQUENTIA

DUO OPUSCULA ASCETICA

ADMONITIO.

A Multis jam sæculis subsequentes duæ Ascetica exhortationes ad Monachos & ad sponsas Christi Athanasii nomine prodiere. In collectione namque Regularum, quæ octavo sæculo a Benedicto Anianense concinnata est, utraque comparet Athanasii nomine inscripta; cum neutra tamen Athanasii nihil nisi nomen admittat. Nam ipsa luce clarius est, a Latino scriptore, & quidem eleganti latineque, ut illa ætate, peritissimo, adornatas fuisse. Secunda porro, in Actis Concilii Aquisgranensis exstat integra Athanasioque adscribitur. Unde fortasse suspicari liceat, fuisse illam, pariterque priorem, quæ eodem ferme styli genere conscripta est, ab auctore sua commendationis causa Athanasii nomine insignitam. Utrumque autem opusculum in Appendice ad Codicem Regularum, curante Luca Holstenio editum fuit Parisiis anno 1663.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EXHORTATIO AD MONACHOS.

ET si quid gloriari in Christo licet, hujusmodi principiis initiati, ut sit inchoatio vestra perfectio, & ad veram vivendi frugem gradus interpositos prævolantes, apice ipsius culminis occupato, disciplinę summam teneatis, ut in votis habere debeat, & imitari quisque vos potius quam posse credat institui: mihi tamen hujus licentiam prærogativæ paternus adscripsit affectus, & amplectenda mihi vestræ expostulationis exactio. Qui dum me auditis, non solum libenter, sed etiam avide, impudentem me vestro amore fecistis. Præcedentes duco, & ultra mensuram meæ possibilitatis extensus quos sequi cupio, ducere compellor. Pergam igitur per tramitem vitæ vestræ, ut quasi qui primia literarum imbuatur elementis depictis, adumbratas præfigurationibus notas stylo imitatore calcabo, accedentibus ad sperata beati instituti præmia, quæ sequenda sunt. Primum abstinentiæ cura, jejunii, patientiæ, orandi assiduitas & legendi, vel si quis adhuc literarum expers sit, audiendi sit desiderium cum cupiditate discendi. Hæc enim sunt prima quasi lactentium cunabulorum in Dei agnitione crepundia, quibus homo admonitus, ortus sui divini tramitis ingredi viam velle incipiat, dum posse consuescat. Et quidem ista tradens, non de vulgi promiscua fide loquor, quod omnipotentis Dei tantum insinuata confessio, & innocentiæ singularis instillata doctrina, venia sola efficit esse contentum. Quamquam Dominus noster, *Rom. 7. 6.* sicut legimus, omnes velit salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, tamen quia præeminentis gratię cuncti capaces esse non possunt: Non enim omnes, *Genes. 21.* qui ex Israel sunt, Israelitæ sunt: (Nam & Ismael a *Galat. 4.* consortio fraternæ hæreditatis excluditur, & compugnantes Jacob & Esau, unius uteri claustra ruperunt) vel contenti puteo aquæ vivæ, nos in holocaustum nostri, hostiam voluntariæ oblationis aptemus, desiderantes escas & parantes, ac primatibus illis ad mensuram veniæ hanc sententiam largientes: *Omnis* *1. Tim. 4.4.* *creatura Dei bona, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Nos ad præmium gloriæ illo labore nitentes, bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum. Et rursus: *Omnis, qui* *1. Cor. 9.25.* *in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Abstinentia enim continentiæ nutrix est, qua innupta sive nupta, facilius passibilitatis frænos patitur, si non deliciarum calcaribus incitetur, quam sic eos, qui ad summa nituntur, vel cupio vel mando colere, ne putent in aliis crimen esse nupsisse, scientes scriptum esse: *Bonum est nubere, melius est non nubere.* *1. Cor. 7.37.* Qui hoc enim illicitum credunt, ipsi præmium sui laboris imminuunt. Illicitis enim cavere, jugum necessitatis est: permissa vincere, munus arbitrii. Malis abstinere, disciplinæ mer-

merces est, bona supergredi, libertas meriti est, non finis imperii. Illud legis indultum est terminis, hoc gratiæ reservatum est incrementis.

2. Jejuniorum quoque non sit volentibus certi meosura, sed in quantum possibilitas valet, nisu laborantis extensa, quę præter Dominicam semper sint solemnia, si votiva sint. His sese Moses beatissimus præparans, affatibus Dei dignus ingessit. His prædictas per Jonam Ninivitæ minas, in placidam rursus flexere sententiam. His Betbuliæ populus Assyria obsidione conclusus, & usque ad deditionem sui experta plurima virtute conterritus, ab Holophernis tumentibus minis constantis manu fœminæ meruit vindicari. His Mardochæus Aman crudelem superbia, præparato sibimet ligno acceptæ pœnæ conversione suspendit. His Jesus Salvator noster in carne hominis, quem assumserat, eruditus, suadelas diaboli tentantis obtundit. Quas & si aliter potuisset expellere, docendos tameo populos voluit hac imitatione formare. Orationibus vero ita frequenter instandum est, ut vix eis aliquod tempus interpolet. Scriptum est
Mat. 7. 18. enim: *Orationibus instate, vigilantes in illis*. Et ite-
Mat. 6. 19. rum: *Quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis*. Per has amicus dormiens excitatur: & quamvis omnem familiam sopor altus obsederit, depromi tamen sibi ac porrigi panes importunus expostulator extorquet. Has, si fieri potest, sola legendi intercapedo disrumpat: cujus rei cura in canonicis ponenda est monimentis: non quod apocrypha debeamus, præsertim ignorata damnare, sed quod ad scientiam Dei digestam, canonis seriem putemus posse sufficere. Illa enim si consentiunt, supervacua sunt; si dissentiunt, vitanda sunt. Sine legendi studio nemo ad Dominum esse valebit intentus. Primum, quod hujusmodi opera ab aliis actibus caducæ occupationis abducunt, & diversorum exemplorum insinuata cognitio, vel bonorum appetentiam, vel malorum facit esse cautelam. Neque enim alias Pe-
1. Petr. 3. 16. trus Apostolus admoneret nos, dicens: *Parati semper estote ad rationem reddendam, ad omnes poscentes vos de verbo spei vestræ, & fidei*. Et Apostolus:
Coloss. 1. 9. *Non cessamus pro vobis orantes, ut impleamini agnitione ejus in omni sapientia & intellectu spiri-*
Coloss. 3. 16. *tuali*. Et rursus: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia*. Nam & in veteri Testamento similem hominibus curam sacræ præceptio-
Psalm. 1. 1. nis inculcavit eloquium. Sic enim David ait: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Et ad Jesum Nave
Jos. 1. 8. Deus loquitur: *Non recedet liber iste de manibus tuis, & meditaberis in eo die ac nocte*. His quoque negotiis malarum cogitationum lubrica frequenter interserunt. Et quamvis ipsa sedulitas animum ad Deum præstet intentum, efficit tameo in sese mordax sæculi cura solicitum.

3. Quod si hæc frequenter & importune patitur religioso labori deditus, nunquam profecto illis carebit otiosus. Nunc quoniam studiorum membra digessimus, morum augmenta cumulemus. Illud autem non extra commonitionem puto, ut sit victus facilis, vestitusque vilis, cum hæc tegendi corporis gratia reperta sint, non ornandi; & illa sustinendæ animæ potius quam obruendæ. His ergo, quæ supra ostendimus, actibus mancipatus, omne odium deponat inimici. Nec hoc tantum fine contentus, simultates amore commutat, iram patientiæ temperet fræno, avaritiam abstinentiæ forti vincat imperio, & præcipue linguam custodia taciturnitatis obsepiat, ne in litigium contentiosa fervescat, ne in maledictum procax incurrat, ne in obtrectationem maledica serpat, ne in jurationem facilis prolabatur, ne in mendacium ficta simulet, ne in circumventione astuta calleat, ne in elatione soperba jactetur; sed observans tempus tacendi, & tempus loquendi, omne verbum otiosum obnoxium sciat esse rationi. Nam ideo & David beatissimus, ori suo custodiam deposcit. Et condiendum sale, benedicti Pauli pagina sacra, sermonem coostituit. Et nullum indomabile membrum esse, quam linguam, testificata Jacobi præcepta signarunt. Sit igitur qui hujusmodi viam scandit tacitus, mitis, benignus. Et quia charitatis insolubilis habetur affectus, in studio parili semper alium judicans potiorem. Hoc enim fræno adstringit invidiam, quam vicinæ sibi elationis sæpius incitatam judicio, dum gratias referendi sibi honoris appetit, notam miseri livoris incurrit. Nec primum adeo unusquisque percipit, si ab hominibus id requirit: *Deus enim* 1. Petr. 5. 5.
superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Qui cum de hujusmodi studio discipulos erudiret, ipsum pronuntiat maximum, qui minimus velit esse cunctorum. Esto, ab aliquibus frater tuus propensius honoretur, nec illos quasi minus amicos habeas, nec hunc quasi æmulum prælatæ veoerationis attendas. Quinimo judica circa te augmentum illius honoris accrescere, sciens scriptum: *Si enim gloriatur unum* 1. Cor. 12. 26.
membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra. Nam quicumque aliquem vestrum diligit, omnem dignitatem Deo, in quem vos coitis, adscribit. In hoc mite silentium placet, in hoc affabilitas blanda diligitur. Hunc rudis & ionata simplicitas, hunc scientia erudita commendat. Hujus in jejunii jugitate patientia, hujus in abstinentiæ virtute contemtus, hujus in lectionis assiduitate sedulitas, pro divinorum munerum diversitate laudatur. Hæc autem, sicut scriptum est: *Operatur unus* Ibid. 10.
atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. Sicut enim corpus unum, membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Omnes enim nos in uno spiritu, in unum corpus baptizati sumus. Singuli vobis potestis omnium bonorum summam præsumere, si nullus se incipiat in eo quod alter præcellit efferre. Sed cum vos invicem nexu adstrictæ charitatis arctabitis, tunc eos qui foris sunt, & in sæculari actu adhuc mundialibus vinculis colligantur, nolite attentioris vitæ austeritate damnare, sciente scriptum: *Nolo judicetis, ne judicemini*. Et Luc. 6. 37.
iterum: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Rom. 14. 14.
Domino suo stat aut cadit. Potens est enim statuere illum Deus. Magis benignitatis adhortationibus & illiciente blandimento via veritatis ostensa, nubem erroris aperite, ut non trahi incipiat unusquisque, sed sequi præcedentem.

4. Semper duriora flectenda sunt, ne viribus inclinata curvatio, priusquam in circulum veniat fatiscens fragmen offendat. Hic enim sæpius scandala vulgi dicaciter gignuntur, dum ad religionis jugum, censorium arrogatur imperium. Vita nostra jubeat, lingua persuadeat, quia plus auctoritatis gestat exemplum, & ingerit appetentiam sui morum lenis formatio. In omni igitur actu vestro, quasi speculo relucente, fulgete. Ubique circumspecti, ubique solliciti, ne quid livor inveniat, ne quid rumor falsus infligat. Fœminas probas & religionis studio vero deditas cum mensura venerationis honorate, ut nec austeritas inhumana, nec sedulitas sit remissa. Accessus ad vos invicem vester non ingestus sit, sed innatus, quem causa fecerit, non quem supervacuitas relaxarit. Plures audite cum pluribus, aut si quando alterius sexus frequentia deerit, vel anniorum

cu-

cujusdam & probata gravitas, vel celebritas loci, vel A
ratio temporis id honestet, quia præcipue vobis æ-
tas, hora, solitudo, vitanda sunt. Non quo mihi
fas sit de his qui vere semel devota Deo pectora
dicaverunt secus æstimare aliquid, sed ut ex abun-
danti sic omne quod fingi potest, tamquam possit &
credi caveamus, ne in ullo famæ nostræ vulnere ser-
pat nata ab occasione suspicio. Ipsa famæ semina,
priusquam linguis nutriantur, intereant. Non tamen
nobis fides facti, sed possibilitas etiam religanda
mendacii. Beata enim vita est & præclara, de qua ni-
hil licet falsitati. Neque enim ego hoc judicium meum
austerus censor arripui, sed cæleste imperium moni- B
2. Cor. 11. 2. tor blandus assumsi; nam & sic ait Apostolus: *Ze-*
Rom. 14. 13. *lans vos Dei zelo, despondi vos uni viro virginem*
castam exhibere Christo, sciens scriptum esse: *Ne*
1. Cor. 10. 32. *ponatis offensionem, vel scandalum fratri*. Et iterum:
Sine offensione estote Judæis & Gentibus, & Ecclesiæ
Rom. 14. 16. *Dei*. Et iterum: *Non ergo blasphemetur bonum no-*
1. Cor 10. 29. *strum*. Et iterum: *Ut quid enim libertas nostra judi-*
1. Cor. 14. 40. *cetur ab infideli conscientia?* Et iterum: *Omnia au-*
2. Cor. 4. 2. *tem vestra, honeste fiant*. Et iterum: *Commendantes*
nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram
Rom. 12. 17. *Deo*. Et iterum: *Provideamus bona non solum coram* C
Tit. 2. 8. *Deo, sed etiam coram hominibus*. Et iterum: *Ut is,*
qui adverso est, confundatur, nihil habens dicere mali.
Neque me præterit sæcularis livoris invidiam in ob-
trectationem semper religionis ardere, & mordacem
malignis rumoribus dentem impressum dicacitatis in-
figere. Utatur sua mundus natura, dum nihil in nostra
inveniat disciplina. Falsitas ex more jactetur, dum
nec verisimile quidem possit esse quod dicitur. Ne-
mo ideo debet contemnere vulnus infamiæ, quia
semper consueverit rumor simulare; sed eo atten-
tius præcavere, quod soleat etiam ficta componere.
Nemo ab obtrectationis metu redditur obtrectandi D
solemnitate securus. Neque est negligentiæ causa so-
licitudinis continuata materia. Sit igitur pudoris ac
reverentiæ vestræ tuta ac circumspecta custodia. Ne-
cessarius e domo, & rarus egressus, quem aut reli-
gionis ratio extulerit, aut ad substantiam victus cau-
sa exercendi operis ordinarit. Muneribus cunctis, ni-
si quæ ad quotidianum cibum annuumque vestitum
1. Tim. 6. 8. suppetant, abstinentes. Scientes scriptum esse: *Ha-*
1. Thess. 4. 12. *bentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti*
sumus. Et iterum: *Ut honeste ambuletis ad eos qui*
foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Ne quidem
præbendæ eleemosynæ gratia ultra supradictos victus E
ab ullo quippiam præsumatis, scientes scriptum:
Si enim voluntas promta est, secundum id quod
habet acceptum est, non secundum id quod non ha-
bet. Sic illa Euangelici sermonis divina sententia,
anum pauperem inter larga locupletum munera
gemina tantum æra mittentem, magnifica acce-
pta largitione ditavit. Quia non potest parum
esse, quod totum est. Neque quisquam amplius
dedit, quam qui sibi nihil reservavit.

5. Hæc si cui præter vos nimium videbuntur adstri-
cta, qui Dei claustra pulsare tentaverit, prout ratio
sua tulerit, relaxabit: ne quis forte aut connexus sit
conjuge, aut liberis impeditus. Habet præter hæc
arcta substantia plurima quæ sequantur. Neque se
repulsum credat, sed aditu alterius vocationis ad-
missum, sicut scriptum est: *Unusquisque in qua voca-* 1. Cor. 7. 24.
tione vocatus est, in ea permaneat. Non tamen ut
propensiorem curam patrimonio, quam religioni in
caducis magis occupatus impendat, agnoscens scri-
ptum esse: & possidentes tamquam non possidentes.
Si quem tamen posteritatis compede felicior natura,
si intelligatur, absolverit, causam hærendi in mundo,
nisi ignarus est Dei munerum, non habebit. Cur
enim vivendi voluntate non solvat, quod moriendi
lege rumpendum est, faciens de sorte mercedem, ut
de necessitate virtutem augeat? Quinimo, qui in sua
re familiari de parvis magna, de vilibus pretiosa,
æterna facit de caducis, solus est, postquam perve-
nerit ubi sempiternus patrimonii sui possit esse pos-
sessor. Si avarus non est, debet terminanda con-
temnere; si avarus est, debet desiderare perpetua,
sciens scriptum esse: *Nolite thesaurizare vobis the-* Mat. 19. 21.
sauros in terra, ubi tinea & rubigo exterminant, &
ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem
vobis thesauros in cælo, ubi neque tinea, neque ærugo
exterminant, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.
Hoc enim ei, qui non caret filiis, hortamentum est:
qui caret, imperium. Ista vos cuncta congrua tem-
poribus, apta personis, referta exemplis, condita
blanditiis, affatu illice, hortamenti mitis integritate,
facilius potest persuadere qui facit. Neque enim
aliquo horum omnium fructu invidi estis, cujusquam
æstimatione fraudandi. Erat vobis certe corpus
firmum, ætas integra, rudes animi, quamvis an-
gusta pro humani generis varietate patebant, vel
negotiandi usus, vel studium militandi, diversæ
artes, innumera in actibus mundi augendæ facul-
tatis officia. Postremo non deerat, vel pauper
uxor, quæ vivendi pararet voluptatem & insita
humanis sensibus pignorum blandimenta. Quæ
vos omnia quidem corpore, & castis sensibus re-
spuentes divinæ sententiæ formam religiosis acti-
bus custoditis, dicente Scriptura: *Quicumque plus* Mat. 10. 37.
me fecerit domum, aut uxorem, aut filios, non est
me dignus. Vestra igitur intuentes exempla, nec
illi de meritorum summa angusta sui æstimatione
desperent, qui substantia parili ad studium vitæ
hujus advenerunt. In hoc ergo filii charissimi vi-
vendi tramite constituti, vacate, & videte, quo-
niam suavis est Dominus. Dies noctesque lectio-
nibus atque orationibus ducite, & mei semper,
quem in opere & scientia abortivum omnium sa-
cerdotum, præceptorem vobis tanti habuistis eli-
gere, mementote: *Vigilate, state in fide, virili-* 1. Cor. 16. 13.
ter agite, confortamini, omnia vestra in charitate
fiant, & Deus pacis erit vobiscum.

EJUSDEM SANCTI ATHANASII,

EXHORTATIO AD SPONSAM CHRISTI.

1. QUANTAM in cælestibus beatitudinem vir-
ginitas sancta possideat, præter Scripturarū
testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur:
quia discimus peculiare illi subsistere meritum, cujus
specialis est consecratio. Nam cum universa turba
credentium paria gratiæ dona percipiat, & eisdem
omnes Sacramentorum benedictionibus glorientur,
istæ proprium aliquid præ ceteris habent, cum de
illo sancto & immaculato Ecclesiæ grege, quasi san- F
ctiores purioresque hostiæ pro voluntatis suæ meri-
tis a sancto Spiritu eliguntur, & per summum Sacer-
dotem Dei offeruntur altario. Digna revera Domino
hostia tam pretiosi animalis oblatio, & nulla magis
ei quam imaginis suæ hostia placitura. De ejusmodi
enim Apostolum præcipue dixisse reor: *Obsecro au-* Rom. 12. 1.
tem vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibea-
tis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo pla-
centem. Possidet ergo virginitas & quod alii habent,
& quod

& quod alii non habent: dum & communem & peculiarem obtinet gratiam, & proprio, ut ita dixerim, consecrationis privilegio gaudet. Nam & Christi sponsas virgines dicere Ecclesiastica nobis permittit auctoritas; dum in sponsarum modum quas consecrat Domino velat: ostendens eas vel maxime habituras spirituale connubium, quæ subterfugerint carnale consortium. Et digne Deo per matrimonii comparationem spiritaliter copulantur, quæ ejus dilectionis causa humana connubia spreverunt. In his quam maxime impletur illud Apostoli: 1. Cor.6.17. *Qui autem adhæret Domino unus spiritus est*.

2. Grande est & immortale, & pene ultra naturam corpoream, sopire luxuriam & concupiscentiæ flammam adolescentiæ facibus accensam animi virtute restinguere, & spiritali conatu vim genuinæ oblectationis excludere, vivere contra humani generis morem, despicere solatia conjugum, dulcedinem contemnere liberorum, & quæcumque præsentis vitæ esse commoda possunt, pro nihilo spe futuræ beatitudinis computare. Magna hæc, ut dixi, & admirabilis virtus est, & non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti præmio destinata. *Dabo*, inquit Esai. 56. 4. Dominus, *spadonibus meis in domo mea, & in muro meo locum nominatum meliorem a filiis & filiabus Israel, nomen æternum dabo eis quod non deficiet*. De quibus spadonibus Dominus in Euangelio repetit, Mat. 19. 12. dicens: *Sunt enim spadones qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum*. Magnus quidem est pudicitiæ labor, sed majus præmium: temporalis custodia, sed remuneratio æterna. De his enim & beatus Joan- Apoc. 14. 4. nes apostolus loquitur, quod *sequuntur agnum quocumque ierit*. Quod ita intelligendum puta, nullum eis locum in cælesti aula claudendum, & cuncta eis divinarum mansionum habitacula referanda. Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, & quam Deo digna sit manifestius possit intelligi, illud cogitetur, quod Dominus & salvator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem elegerit uterum. Et ut hujusmodi plurimum sibi placere monstraret, & pudicitiæ bonum utrique sexui intimaret, virginem habuit matrem virgo mansurus; in se viris, & in matre fœminis præbuit virginitatis exemplum: quo demonstraretur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis haberi, & plenitudinem meruisse; dum totum in matre fuit, quicquid habebatur in filio. Sed quid ego satago excellens ac sublime pudicitiæ meritum revelare, & gloriosæ virginitatis bonum ostendere: cum de hac re plerosque perorasse non nesciam, & ejus beatitudinem manifestissimis rationibus comprobasse, & nulli sapienti venire in dubium posse, eam rem majoris esse meriti quæ sit amplioris laboris? Quisquis enim pudicitiam aut nullius præmii, aut parvi existimat, certum est illum aut ignorare, aut non voluntarium ferre laborem. Unde illi semper castitati derogant, qui eam aut non habent, aut habere coguntur inviti.

3. Nunc itaque quoniam paucis licet, tam laborem quam meritum integritatis ostendimus; ne res quæ grandi virtute constat, & ingenti præmio destinatur, carere fructu suo possit, diligentius excubandum est. Quanto enim quæcumque species pretiosior fuerit, tanto majori sollicitudine custoditur. Et quoniam multæ sunt quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio; ut est mellis species, quæ nisi cerarum custodia & favorum cellulis conservetur, & (ut verius dixerim) nutriatur, naturalem gratiam perdit, & subsistere per se ipsam non potest. Sicut & vini species, quod nisi boni odoris vas sit, & reparatis crebrius picibus foveatur, genuinæ vim

A suavitatis amittit. Attentius ergo providendum est, ne forte & virginitati alia sint necessaria, sine quibus nequaquam fructum adferre sufficiat: & tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur quod absque rebus necessariis possidetur. Nisi enim fallor, ob cælestis regni præmium pudicitiæ servatur integritas, quod sine æternæ vitæ merito neminem consequi posse satis certum est. Æternam vero vitam non nisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri posse Scriptura testatur, dicens: *Si vis ad vitam venire, serva mandata*. Vitam ergo Mat. 19.17. non habet nisi qui cuncta legis mandata servaverit:
B & qui vitam non habuerit, cælestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique regnabunt. Nihil ergo virginitas sola proficiet, quæ cælestis regni gloriam sperat; nisi & illud habuerit, cui perpetua vita promittitur, per quam cælestis regni præmium possidetur. Ante ergo omnia pudicitiam integritatemque servantibus, & ejus remunerationem a Dei æquitate sperantibus mandatorum sunt custodienda præcepta, ne gloriosæ castitatis & continentiæ labor in irritum deducatur. Supra mandatum vel præceptum esse virginitatem, sapiens & legens nullus ignorat; Apostolo dicente: *De virgi-* 1. Cor.7.25.
C *nibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Cum ergo obtinendæ virginitatis consilium dat, non præceptum statuit; supra mandatum vel præceptum eam esse professus est. Quicumque ergo virginitatem servant, magis quam præceptum est faciunt. Tunc enim proderit amplius fecisse quam jussum est, si quod jussum est facias. Cupiens divinum implere consilium, ante omnia serva mandatum: volens virginitatis præmium consequi, vitæ amplectere merita, ut tua remunerari castitas possit. Nam ut vitam præstat remuneratio mandatorum; ita
D e contrario eorum generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem in mortem fuerit deputatus, virginitatis coronam sperare non poterit, neque pudicitiæ præmium expectare constitutus in pœna.

4. Tres enim species sunt, per quas cælestis regni possessio introitur. Prima est pudicitia; secunda mundi contemtus; tertia vero justitia: quæ ut connexæ plurimum se possidentibus præstant; ita divisæ prodesse difficile possunt: dum unaquæque earum non propter se tantum, sed propter aliam efflagitatur. In primis ergo quæritur pudicitia, ut facilius subsequatur mundi contemtus: quia ab illis mundus con-
E temni levius potest, qui matrimonii nexibus non tenentur. Mundi vero contemtus exposcitur, ut justitia conservetur; quam implere difficile possunt, qui sæcularium bonorum & mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitiæ, & secundam quæ est mundi contemtus, non obtinet, pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam prima quæsita est. Et si primam & secundam habeat, cui tertia, quæ est justitia, desit; frustra laborat: quoniam superiores duæ propter justitiam præcipue requiruntur. Quid enim prodest propter mundi
F contemtum pudicitiam habere, & propter quod eam habeas non habere; vel cur res mundi contemnas, si justitiam, propter quam pudicitiam & mundi contemtum habere te convenit, non custodias? Quia ut prima species propter secundam est; ita prima & secunda propter tertiam: quæ si non fuerit, nec prima nec secunda proficiet.

5. Dicis forsitan, doce ergo me quid sit justitia; ut eam si cognoverim facilius implere sufficiam. Dicam breviter ut valeo, & verborum utar simplicitate communium: quia causa de qua agimus talis est, quæ disertioribus facundiæ sermonibus nequaquam de-

debet obscurari, sed simplicioribus eloquentiæ narrationibus pandi: res enim in commune necessaria communi debet sermone monstrari. Justitia ergo non est aliud quam non peccare. Non peccare autem, est legis præcepta servare. Præceptorum autem observatio duplici genere custoditur: ut nihil eorum quæ prohibentur facias, & cuncta quæ jubentur implere *Psal. 33. 15.* contendas. Hoc est quod dicit: *Recede a malo, & fac bonum*. Nolo enim putes in hoc constare justitiam, ut malum non facias; cum & bonum non facere malum sit, & in utroque legis prævaricatin committatur. Quoniam qui dixit: *Recede a malo*; & ipse dixit, *fac bonum*. Si a malo recesseris & non feceris bonum, transgressor es Legis; quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed & in bonorum operum perfectione completur. Neque enim hoc solum tibi præcipitur, ut vestitum suis non spolies indumentis; sed & ut spoliatum operias tuis: neque ut habenti panem, non auferas suum, sed ut non habenti, tuum libenter impertias: neque solum ut pauperem suo non pellas hospitio; sed ut pulsum & non habentem recipias tuo. Præceptum enim nobis *Rom. 12. 15.* est, *Flere cum flentibus*. Quomodo cum illis flemus, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquod eis in his propter quas lacrymantur causis præbemus auxilium? Neque enim fletuum nostrorum Deus infructuosum quærit humorem; sed quia lacrymæ doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire ut tuas; & quomodo tibi in tali tribulatione si esses subveniri cuperes, ita alteri subvenias *Matth. 7. 12.* propter illud: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis similiter*. Nam cum flente flere, & nihil, cum possis, flenti conferre, subsannationis non impietatis indicium est. Denique Salvator noster cum Maria & Martha Lazari sororibus flevit; & immensæ misericordiæ affectum lacrymarum contestatione monstravit, & veræ pietatis indicia mox opera subsecuta sunt, cum suscitatus Lazarus, cujus causa fundebantur, sororibus redditur. Hoc fuit pie cum flentibus flere, occasionem fletus auferre. Sed quasi potens, inquies, fecit. Verum nec tibi impossibile aliquid imperatur: implevit omnia qui quod potuit fecit.

6. Sed, ut dicere cœperamus, non sufficit Christiano a malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit. Quod illo vel maxime testimonio comprobatur, quod comminatur Dominus æterni ignis reos fore, qui quamvis mali nihil gesserint, non fecerint omne quod bonum est, dicens: *Mat. 25. 41.* *Tunc dicet Rex his qui ad sinistram sunt: discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit pater meus diabolo & angelis ejus: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Non dixit: discedite a me maledicti, quia homicidium, quia adulterium, aut quia furta fecistis: non enim quia malum fecissent; sed quia bonum non fecerant condemnantur & æternæ gehennæ suppliciis addicuntur: nec quia quæ prohibita sunt admisissent; sed quia quæ præcepta erant implere noluere. Unde advertendum est, quam spem habere possint qui adhuc aliquid eorum faciunt quæ prohibentur; cum etiam rei sunt qui non fecerunt quæ jubentur. Nolo enim tibi in hoc blandiaris, si aliqua non feceris, quia aliqua feceris, *Jac. 2. 10.* cum scriptum est: *Qui universam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Adam enim semel peccavit, & mortuus est: & tu te vivere existimas illud sæpe committens, quod alium dum semel perpetrasset occidit? An grande illum commisisse crimen putas, unde merito pœna damnatus sit acriori? Videamus ergo quid fecerit contra mandatum. De fructu arboris edit. Quid ergo? Propter arboris fructum Deus hominem morte mulctavit? Non propter arboris fructum, sed propter mandati contemtum. Ergo non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Et qui dixit Adæ, ut de arboris fructu non ederet; ipse tibi præcepit ut non maledicas, non mentiaris, non detrahas, non detrahentem auscultes, ut omnino non jures, ut non concupiscas, non invideas, non sis tepidus, non sis avarus; ut nulli malum pro malo reddas, ut inimicos tuos diligas, ut maledicentibus benedicas, ut pro calumniatoribus & pro persecutoribus tuis ores, ut percutienti maxillam alteram præbeas, ut in judicio sæculari non litiges, ut si quis tua auferre voluerit, gratanter amittas, ut nec iracundiæ, nec zeli, nec livoris malum intra pectus admittas, ut crimen avaritiæ fugias, ut omnis superbiæ ac jactantiæ malum caveas, & humilis ac mitis Christi vivas exemplo: malorum consortia in tantum vitans, ut cum fornicatoribus, aut avaris, aut maledicentibus, aut invidis, aut detractoribus, aut ebriosis, aut rapacibus nec cibum capias. Quem si in aliquo contemseris, si pepercit Adæ, parcet & tibi. Imo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc rudis & novellus erat, & nullius ante peccantis & propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo: tibi vero post tanta documenta, post Legem, post Prophetas, post Euangelia, post Apostolos, si delinquere volueris: quomodo indulgere possit ignoro.

7. An tibi de virginitatis prærogativa blandiris? memento Adam & Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quæ peccat, Evæ non Mariæ comparanda est. Non negamus in præsenti tempore pœnitentiæ remedium; sed hortamur magis præmium sperare debere, quam veniam. Turpe est enim illis delicti indulgentiam postulare, quæ palmam virginitatis exspectant; & illicitum aliquid incurrere, quæ se etiam a licitis castravere. Licitum quippe est matrimonii inire consortium. Et ut laudandæ sunt, quæ propter Christi amorem & cælestis regni gloriam copulam contemserint nuptiarum; ita damnandæ non sunt, quæ propter innocentiæ voluntatem nondum Deo devotæ remedio apostolico abutuntur. Ergo, ut diximus, quæ connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt. Ejusmodi autem si jurent, si maledicant, si detrahant, si detrahentes patiantur audire, si malum pro malo reddant, si cupiditatis in alienis, aut avaritiæ in propriis crimen incurrant, si zeli aut livoris venena possideant, si contra legalia & apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur aut cogitent; si in carne placendi studio comte & ornate procedant; si aliqua quæ, ut adsolet, illicita sunt faciant, quid proderit eis sprevisse quod licuit, & exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quod licitum contemsisti; vide ne quid eorum quæ non licent facias. Stultum enim est timuisse quod minus est, & non timere quod majus est: aut ab his non vitari quæ prohibentur, si subterfugerint quæ conceduntur. Dicit enim Apostolus: *Innupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat viro*. *1. Cor. 7. 34.* Nuptam placere viro adserit, cogitando quæ mundi sunt: innuptam vero Deo, eo quod nulla cura illi sit sæculi. Dicat ergo mihi quæ virum non habet, & tamen quæ sunt mundi cogitat, cui placere desiderat? Nonne incipiet illi nupta præponi? quia illa cogitando quæ mundi sunt, complacet vel marito: ista vero non marito, quem non habet, potest placere, nec Deo.

8. Sed nec illud silentio præterire nos convenit,

1. Cor. 7. 34. quod dixit: *Innupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu.*
Psal. 4. 8. Quæ sunt ergo Domini, dicat Apostolus: *Quæcumque sunt sancta, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ. Si qua virtus, si qua laus disciplinæ.* Ista sunt Domini, quæ sanctæ & veræ, & Apostolicæ virgines die noctuque sine ullo temporis intervallo meditantur & cogitant. Domini est regnum cælorum; Domini est resurrectio mortuorum; Domini immortalitas; incorruptio Domini est; splendor solis qui Sanctis promittitur Domini est, sicut in Euangelio scriptum est: *Tunc justi fulgebunt*
Matth. 13. *sicut sol in regno patris eorum.* Domini sunt plures Sanctorum in cælestibus mansiones; Domini est fructus tricesimus & sexagesimus atque centesimus. Hæc cogitant, & quibus possint operibus promereri quæ Domini sunt cogitant. Domini est etiam Lex novi & veteris Testamenti, in quibus oris ejus eloquia sancta refulgent; quæ si quæ virgines sine intermissione meditantur, quæ Domini sunt cogitant; &
Eccl. 26. 24. completur in eis illud propheticum: *Fundamenta æterna super petram solidam: & mandata Domini in corde mulieris sanctæ.* Sequitur: *Quomodo placeat*
1. Cor. 7. 34. *Deo.* Deo, inquam, non hominibus: *Ut sit sancta corpore & spiritu.* Non dixit, ut sit sancta membro aut corpore tantum; sed, *ut sit sancta corpore & spiritu.* Membrum enim una corporis pars est: corpus vero omnium compago membrorum est. Cum ergo dicit: *ut sit sancta corpore*, ex omnibus membris eam sanctificari debere testatur. Quia non proderit ceterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. Et jam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel unius fuerit coinquinatione polluta.

9. Sed ut quod dico manifestius & lucidius fiat; esto, sit quæcumque omnium membrorum sanctificatione purgata, & lingua tantummodo peccet, qua aut blasphemet, aut falsum testimonium dicat; numquid liberabunt omnia membra unum? an propter unum judicabuntur & cetera? Ergo si nec aliorum membrorum sanctificatio proderit, cum in uno sit vitium; quanto magis si diversorum flagitio peccatorum omnia corrumpantur, unius nihil proderit integritas? Unde quæso te, virgo, neque in sola tibi pudicitia blandiaris, ne in unius membri integritate confidas: sed secundum Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem. Munda ab omni inquinamento caput: quia crimen est illud post chrismatis sanctificationem, aut croci, aut alterius cujuslibet pigmenti fuco vel pulvere sordidari; aut auro vel gemmis cujuscumque terrenæ speciei comi: quod jam cælestis ornatus splendore refulget. Grandis quippe divinæ gratiæ contumelia est mundani & sæcularis ornamenti prælatio. Munda frontem, ut humana non divina opera erubescat, & illam confusionem recipiat, quæ non peccatum, sed Dei gloriam parit,
Eccli. 4. 25. Scriptura dicente: *Est confusio adducens peccatum: & est confusio adducens gloriam.* Munda collum, ut non aurea reticula capillus portet, & suspensa monilia, sed illa potius ornamenta circumferat, de quibus
Prov. 3. 13. Scriptura dicit: *Misericordia & fides non deficiant a te, suspende autem illa in corde velut in collo tuo.* Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, & ab intuitu pauperum nunquam avertis, & ab omnibus fucis liberos ea qua a Deo facti sunt sinceritate custodias. Munda linguam a mendacio:
Sap. 1. 11. quia, *os quod mentitur occidit animam.* Munda eam a detractione, a juramento, ab adulatione, a perjurio. Nolo præposterum ordinem putes, quod prius a juramento, quam a perjurio linguam dixi debere mundari: quia tunc perjurium facilius effugies, si

A in toto non jures. Impleatur in te illa sententia:
Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Psal. 33.
Et memor esto dicentis Apostoli:
Benedicite, & nolite maledicere. Sed illud crebrius Rom. 12. 14.
recordare: *Videte ne quis malum pro bono alicui* 1. Petr. 3. 9.
reddat, neque maledictum pro maledicto; sed econtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Et illud: *Si quis* Jac. 3. 2.
autem in lingua non offendit, hic perfectus est. Nefas est enim ut labia illa quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia & lingua
B quis Deum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Deus; & ipsis annuit cito precibus, quas lingua immaculata pronuntiat. Munda aures, ut non nisi sermonibus sanctis & veris auditum præbeant; ut numquam obscœna, aut turpia, aut sæcularia verba suscipiant, aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, &* Eccli. 28. 29.
noli audire linguam nequam; ut cum eo habere partem possis, de quo dicitur, quoniam auditu & visu justus erat; hoc est, nec auribus, nec oculis delinquebat. Manus ne porrectæ ad accipiendum sint,
C ad dandum autem collectæ, nec ad feriendum paratæ, sed ad omnia misericordiæ & pietatis opera satis promtæ. Munda pedes, ne latam & spatiosam pergant viam, quæ ducit ad splendida sæculi & pretiosa convivia; sed arduum magis & angustum gradiantur iter, quod tendit ad cælum, quia scriptum est:
Iter rectum facite pedibus vestris. Agnosce tibi a Deo Esai. 57. 14.
artifice non ad vitia, sed ad virtutem membra formata: & cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, & toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, & cum
D omni fiducia palmam virginitatis exspecta.

10. Quid sit sanctam esse *corpore*, breviter quidem, sed plene me exposuisse arbitror: nunc quod sequitur, *& spiritu*, nosse debemus: hoc est, ut quod opere nefas est fieri, nec fas sit cogitatione concipere. Illa enim est sancta tam corpore quam spiritu, quæ nec mente, nec corde delinquit; sciens etiam cordis esse inspectorem Deum: & idcirco satagit ut omnimodo etiam animum cum corpore mundum habeat a peccato, sciens scriptum esse: *Omni custodia*
serva cor suum. Et iterum: *Diligit Dominus sancta* Prov. 4. 23.
corda; accepti sunt autem ei omnes immaculati. Et
E alibi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-* Mat. 5. 8.
bunt. Quod de illis dici arbitror, quos conscientia in nulla redarguit culpa peccati. De quibus Joannem
in Epistola dixisse reor: *Si cor nostrum nos non repre-* 1. Joan. 3. 20.
hendit, fiduciam habemus ad Deum, & quæcumque petierimus accipiemus ab eo. Nolo existimes te crimen fugisse peccati, si voluntatem non sequatur effectus,
cum scriptum sit: *Quicumque viderit mulierem ad* Mat. 5. 27.
concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. Nec dicas, cogitavi quidem sed non perfeci: quia etiam concupiscere nefas est. Unde beatus Petrus
præcepit dicens: *Animas vestras castificantes*, qui si 1. Petr. 1. 22.
F nullam animæ constuprationem nosset, nec castificari eam desiderasset. Sed & locum illum quo contine-
tur: *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinave-* Apoc. 14. 4.
runt, virgines enim permanserunt: hi sequuntur Agnum, quocumque ierit, attentius considerare debemus & animadvertere, si solius integritatis pudicitiæ merito ipsi divino comitatui copulentur, & per omnia cælorum tabulata discurrant: an & alia sint, quibus adjuncta virginitas tantæ beatitudinis gloriam consequatur. Sed unde hoc scire poterimus? De sequen-
tibus, nisi fallor, in quibus scriptum est: *Hi empti* Ibid.
sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, & in ore

ipso-

ipsorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt. Vides ergo quod non in uno tantum membro dominicis referantur inhærere vestigiis; sed illi qui præter virginitatem ab omni contagione peccati immaculatam gesserint vitam. Idcirco Virgo vel maxime nuptias spernit, ut dum securior est, facilius, quod etiam a nubentibus quæritur, ab omni se delicto custodiat, & universa Legis mandata perficiat. Nam si non nubat, & ea nihilominus faciat a quibus & nuptæ esse jubentur immunes, non nupsisse quid proderit? Quamquam enim nulli Christianorum peccare liceat, & omnes quicumque spiritalis lavacri sanctificatione purgantur, immaculata decurrere conveniat vita; ut Ecclesiæ quæ sine macula, sine ruga, sine aliquo ejusmodi esse describitur, possint visceribus intimari: multo magis tamen hoc Virginem implere necesse est, quam nec mariti, nec filiorum, nec alterius necessitatis causa prohibet, quo minus divinam Scripturam perficiat; nec aliqua, si peccet, poterit excusatione defendi.

11. O Virgo, serva propositum tibi magno præmio destinatum. Præclara est apud Deum virginitatis & pudicitiæ virtus, si non aliis peccatorum & malorum lapsibus infirmetur. Agnosce statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum. Christi sponsa diceris; vide ne quid indignum eo, cui desponsata videris, admittas: cito scribet repudium, si in te vel unum viderit adulterium. Quæcumque enim humanorum sponsaliorum pignoribus subarrhatur, statim a domesticis, a familiaribus, ab amicis sponsi sollicite & diligenter requirit & a servulis, quales juvenis habeat mores, quid potissimum diligat, quid accipiat, quo usu vivat, qua se consuetudine regat, quibus utatur dapibus, quibus præcipue rebus delectetur & gaudeat. Quæ cum didicerit, ita se in omnibus temperat, ut sponsi moribus suum obsequium, sua jucunditas, sua diligentia, sua vita concordet. Et tu quæ Christum sponsum habes, a domesticis & familiaribus ejus, sponsi tui mores interroga, & strenue ac solerter inquire, in quibus præcipue delectetur, qualem compositionem in te vestium diligat, cujusmodi concupiscat ornatum. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui ne nuptis quidem corporalem permittit ornatum, sicut in epistola sua scripsit: (1. *Petr.* 3. 1.) *Mulieres similiter subjectæ viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant: considerantes in timore Dei castam conversationem vestram, quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconsus cordis est homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, quod est in conspectu Dei locuples.* Dicat & alius Apostolus beatus Paulus, qui ad Timotheum scribens Episcopum, eadem de fidelium feminarum disciplina testatur: (1. *Tim.* 2. 9.) *Mulieres similiter in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem.*

12. Sed forsitan dicis: cur hæc iidem Apostoli virginibus non jusserunt? Quia non necessarium judicabant: ne talis virginibus commonitio potius injuria quam emendatio videretur. Sed nec eas unquam tantæ temeritatis fore credidissent, ut ne nuptis quidem concessa carnalia ornamenta & terrena præsumerent. Revera ornare se & componere Virgo debet: nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita & ornata processerit? ornetur plane, sed interioribus ornamentis, & spiritualiter non carnaliter componatur: quia Deus non corporis sed animæ decorem in illa considerat. Ergo & tu, quæcumque animam tuam a Deo diligi & inhabitari concupiscis, omni eam diligentia compone, & spiritalibus indumentis exorna. Nihil in ea dedecorum, nihil fœdum appareat. Resplendeat auro justitiæ, gemmis refulgeat sanctitatis, ac pretiosissimo pudicitiæ margarito coruscet. Pro bysso & serico, misericordiæ & pietatis tunica vestiatur, secundum quod scriptum est: *Induite ergo vos, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, &c.* (*Coloss.* 3. 12.) Et non decorem cerussæ aut alterius pigmenti quærat, sed innocentiæ ac simplicitatis candorem habeat. Roseum verecundiæ colorem, & purpureum ruboris pudorisque possideat. Cælesti abluatur nitro doctrinæ, & lamentis spiritualibus emundetur. Nulla in ea malitiæ, nulla diaboli macula relinquatur; & ne quando male redoleat odore peccati, unguento suavissimæ sapientiæ & scientiæ perfundatur.

13. Hujusmodi Deus quærit ornatum, & animam taliter compositam concupiscit. Memento te Dei filiam dici secundum quod ait: *Audi filia & vide.* (*Psal.* 44. 11.) Sed & tu ipsa quotiescumque Deum patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si Dei filia es, vide ne quid eorum facias, quæ Deo Patri incongrua sint; sed age omnia quasi filia Dei. Cognosce quomodo hujus sæculi nobilium se filiæ gerant, quibus adsuescant moribus, quibusve se disciplinis instituant. Tanta quibusdam verecundia est, tanta gravitas, tanta modestia, ut ceterorum hominum ritum intuitu humanæ ingenuitatis excedant: & ne quam honestis parentibus suis per lapsum suum infamiæ inurant notam, alteram sibi quodammodo inter homines consuetudinis studeant facere naturam. Et tu ergo originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte: agnosce te non hominis, sed Dei filiam, & divinæ nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, ut in te cælestis nativitas pareat, & ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & veræ pudicitiæ habitus, & sermo semper modestus, & suo in tempore proferendus; ut quisquis te viderit, admiretur & dicat: quæ hæc novæ inter homines gravitatis patientia est? Quæ pudoris verecundia? Quæ honestatis modestia? Quæ maturitas sapientiæ? Non est ita humana institutio, nec disciplina mortalis: cæleste mihi aliquid in terreno corpore redolet. Puto quod habitet in quibusdam hominibus Deus. Et cum te Christi famulam esse cognoverit, majore stupore tenebitur, & cogitabit qualis ille sit Dominus, cujus talis ancilla est.

14. Si vis ergo esse cum Christo, & partem habere cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia & nequitia ita fuit extraneus, ut nec inimicis quidem vicem redderet, quin potius & pro ipsis oraret. Nolo enim eas animas Christianas existimes, quæ aut fratres aut sorores non dico oderunt, sed quæ proximos toto corde & conscientia coram Dei testimonio non diligunt; cum Christianis, Christi similitudine, inimicos etiam amare necesse sit. Si Sanctorum cupis habere consortium, a malitiæ & nequitiæ cogitatu pectus emunda. Nemo te circumveniat, nemo te fallaci sermone seducat. Non nisi Sanctos & justos & simplices & innocentes & puros cælestis aula suscipiet. Nullum apud Deum habet malitia locum. Ab omni nequitia & dolo mundum esse necesse est, qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo, quam aliquem odisse, aliquem velle lædere: nihil tam probabile, quam

omnes

omnes amare. Quod Propheta sciens testatur dicens: *Qui diligitis Dominum odite malum.* Psal. 96.10.

15. Vide ne in aliquo humanam gloriam diligas; ne & tua inter illos portio computetur, quibus dictum est: *Quomodo vos potestis credere, gloriam ab invicem quærentes?* Joan. 5.44. Et de quibus per Prophetam dicitur: *Auge eis mala, auge mala gloriosis terræ.* Esai. 45. Et alibi: *Confundimini a gloriatione vestra, ab opprobria in conspectu Dei.* Nolo enim illas respicias, quæ sæculi non Christi sunt virgines; quæ propositi sui & professionis immemores gaudent in delitiis, in opibus delectantur, & corporeæ nobilitatis origine delectantur. Quæ si profecto Dei filias se esse crederent, numquam post divinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in patre quolibet honorato: si Patrem Deum se habere sentirent, nobilitatem carnis non amarent. Quid tibi in generis nobilitate blandiris & complaces? Duos homines fecit ab exordio Deus, ex quibus totius generis humani sylva descendit: mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstitit, sed cupiditatis ambitio. Certe omnes per divini lavacri generationem æquales efficimur, & nulla inter eos potest esse discretio, quos nativitas secunda generavit; per quam tam dives quam pauper, tam liber quam servus, tam nobilis quam ignobilis, Dei efficitur Filius; & terrena nobilitas splendore cælestis gloriæ adumbratur, & nusquam omnino jam comparet: dum qui retro in sæcularibus honoribus impares fuerant, cælestis & divinæ nobilitatis gloria æqualiter vestiuntur. Nullus jam ignobilitati locus, nec degener quisquam est, quem divinæ nativitatis sublimitas ornat, nisi apud illos, qui non putant humanis cælestia præponenda: aut si putant; quam vanum est, ut se illis in minoribus præferant, quos sibi in majoribus pares sciunt, & quasi infra se positos in terra existiment, quos sibi æquales in cælestibus credunt? Tu autem quæcumque Christi, non sæculi Virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, ut eam quæ in futuro promittitur consequaris.

16. Contentionum verba, & animositatis causas evita; discordiarum quoque & litium occasiones subterfuge. Nam si juxta Apostoli doctrinam: *Servum Domini litigare non oportet;* 2.Tim.2.24. quanto magis Dei ancillam? cujus quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Linguam a maliloquio cohibe, & ori tuo frænum Legis impone; ut tunc, si forte loquaris, quando tacere peccatum sit, cave ne quid quod in reprehensionem veniat dicas. Lapis emissus est sermo prolatus; quapropter diu antequam proferatur cogitandus est. Beata quippe labia sunt, quæ nunquam quod revocare iterum velint, emittunt. Pudicæ mentis sermo etiam debet esse pudicus, qui ædificet semper magis, quam aliquando destruat audientes, secundum quod præcepit Apostolus dicens: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si qui bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Ephes. 4.29. Pretiosa Deo lingua est, quæ non sina divinis rebus novit verba construere; & sanctum os, unde cælestia semper eloquia proferuntur. Absentium obtrectatores quasi malignos, Scripturæ auctoritate deterre: quia hoc inter virtutes perfecti hominis Propheta commemorat, si ante conspectum justi malignus ad nihilum deducatur, qui contra proximum non probanda protulerit. Psal. 14.5. Non licet tibi alterius vituperationem patienter audire; quia nec ab aliis optas recipi tuam. Injustum quippe est quicquid contra Christi Euangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est, patiaris inferri. Semper linguam tuam de bonis loqui adsuesce, & auditum tuum ad bonorum magis laudem, quam ad malorum vituperationem accommoda. Vide ut omnia quæcumque benefacis, propter Deum facias; sciens ejus rei tantum te a Domino recepturam esse mercedem, quam ejus timoris & dilectionis causa perfeceris. Sancta magis esse quam videri stude: quia nihil prodest æstimari quod non sit: & duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, & quod non habeas simulare.

17. In jejuniis magis quam in epulis delectare, illius viduæ memor, quæ non discedebat de Templo jejuniis & obsecrationibus Deo serviens die ac nocte. Et si vidua quidem in Judæa talis erat; qualem nunc Virginem convenit esse Christi. Divinæ magis lectionis convivium dilige, & spiritalibus te saturari dapibus concupisce; & illos potius quære cibos, quibus anima magis quam corpus reficiatur. Carnis & vini species quasi caloris fomenta & libidinis incitamenta fuge; & tunc, si forte, vino exiguo utere, cum stomachi dolor & nimia corporis compellat infirmitas. Iracundiam vince; animositatem cohibe; & quicquid illud est, quod post factum pœnitentiam ingerit, velut proximi criminis abominationem declina. Satis tranquillam & quietam convenit esse mentem, & ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat; qui per Prophetam testatur & dicit: *Super quem requiescam alium, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* Esai. 66. 2. Omnium operum, & cogitationum tuarum speculatorem Deum crede, & cave ne quidquam quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites.

18. Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe quasi quæ sis cum Domino locutura. Cum Psalmum dicis, cujus verba dicis agnosce; & in compunctione magis animi quam in tinnulæ vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis quam vocis gratiam comprobat, sicut Propheta dicit: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Psal. 2. 11. Ubi timor & tremor est, ibi non vocis elatio est, sed animæ flebilis & lacrymosa dejectio. Omnibus actibus tuis diligentiam adhibe, quia scriptum est: *Maledictus homo qui facit opus domini negligenter.* Jerem.48.10. Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate justitia; & fides eo perfectior videatur, quo senior es: quia Dominus noster Jesus, qui nobis vivendi reliquit exemplum, proficiebat non *ætate* tantum corporea, sed & *sapientia & gratia* spiritali *coram Deo & hominibus.* Luc. 2. 52. Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc te existima perdidisse. Cœptum virginitatis propositum ad finem usque conserva; quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virtutis est, sicut in Euangelio Dominus ait: *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Mat. 24. 13. Cave ne cui vel concupiscendi occasionem tribuas: quia sponsus tuus Deus zelans est: criminosior est enim Christi adultera, quam mariti. Unde pulcre Romana Ecclesia, Apostolico sine dubio, cujus sedem obtinet, spiritu animata, tam severam nuper hujusmodi sententiam statuit, ut vix, vel pœnitentia dignam judicaret, quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violasset.

19. Esto ergo omnibus vivendi forma, esto exemplum; præcede & in actu quos in castitatis sanctificatione præcurris. Virginem te in omnibus exhibe; nihil corruptionis objiciatur capiti tuo, cujus corpus integrum est, ut & tua sit inviolabilis conversatio. Et quoniam sicut in exordio epistolæ præfati sumus, te Dei sacrificium factum; quod utique sanctitatem suam etiam aliis impertit; ut quisquis ex eo digne sumserit, sanctificationis & ipse

sit

sit particeps; ita ergo & per te, quasi per divinam hostiam sanctificentur & ceteræ, cum quibus te ita in omnibus exhibeas, ut quisquis vitam tuam aut auditu contigerit aut visu, sanctificationis vim sentiat, & in tantum sibi intelligat gratiam ex tua conversatione transfundi, ut dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio & ipse sit dignus.

IN EPISTOLAM SEQUENTEM

MONITUM.

EPISTOLAM *Athanasii nomine ad Episcopum Persarum conscriptam, Roma nobis transmisit vir Cl. Claudius Stephanotius, Procurator Gen. nostræ Congregationis, non hoc uno nobis nomine observandus: multa quippe nobis perhumaniter officia contulit. Nemo autem non videt fuisse primo Græce exaratam, exinde vero Latine ab minus perito Scriptore translatam. Et quidem ex vertendi ratione videtur antiqua esse versio: olet enim peregrinum illud & inelegans Latinitatis genus, quod VI. VII. & subsequentibus seculis in usu erat. νοθείας porro argumenta nec occulta præfert: cujusmodi est illud quod ait:* Secundum quod Scriptum est: Una Deitas in tribus stantiis cognoscenda, *quasi vero in libro quodam, cujus auctoritati Athanasius adstipularetur, ejusmodi sententia reperta sit. Ubi advertas velim, illud,* in tribus stantiis, *expressum videri, ex hoc dicto, ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, qua sententia licet apud Athanasium nonnumquam usu veniat; non ita tamen adhibetur, quasi in confesso apud omnes sit; cum opposita huic propositio, quod scilicet una sit ὑπόστασις in Trinitate, ut Catholica & tum temporis admittenda declaretur ab Athanasio in Tomo Alexandrinæ Synodi pag. 773. dum tamen penes eam vocum varietatem, eadem fides reperiatur. Haud leve item illud est νοθείας indicium, quod ementitus iste Athanasius Epistolam Dionysii ad Paulum Samosatenum mittat ad Persas, quæ jam communi eruditorum calculo inter supposititia computatur. Habetur autem illa Tom. I. Bibliotheca PP. Græc. pag. 273. sed in nonnullis multum discrepat ab ista quam edimus versione, in qua desunt bene multa, sive interpretis incuria, sive ex codicum diversitate. Ceterum nihil est quod ambigamus ab eodem concinnatam fuisse utriusque Epistolæ interpretationem, quod ipsum versionis genus ἀδιακρίτως per se significat.*

Dilectissimo Papæ & ei qui cum ipso est Clero, & qui in Persorum Provincia habitat, & qui in fide Dei firmati sunt, Athanasius in Domino gaudere.

SANCTA & divinitus inspirata Scriptura antiquorum nobis actus enarrat, deducens nos ex ipsa ad ea quæ utilia sunt actionum, abominantes omnem speciem malitiæ & impietatis. In Regnorum igitur libris scribit deliquisse Israel, & adorasse creaturam magis quam creatorem. Scitis autem quantum malum sit conditorem relinquentes, eam quæ illi debetur gloriam idolis aptare, & creaturis. Hoc illis agentibus, retraxit Deus adjutorium suum, ubi ipsi se tradunt in servitute Regibus vestris, captivi autem adducuntur sub Salmanassar Rege Assyriorum pro terra sua Palæstina, dico habitare terram Assyriorum in fluviis Evaleæ & Enaborzozan & moutes Medorum. Introducit autem pro ipsis habitare Samariam Babylonius, ex Cuthan & Deajan, & Decmath, & Sepphaven, & habitaverunt in civitatibus Samariæ pro filiis Israel. Et factum est in initio sessionis eorum, non timuerunt Dominum, & immisit Dominus leones in eos & erant interficientes ex eis & dicentes dixerunt Regi Assyriorum: *Gentes quas transtulisti & posuisti in civitatibus Samariæ ignorant judicium Dei terræ, & immisit in eos leones & ecce sunt mortificantes eos, propter quod nesciunt judicium Dei terræ. Et præcepit Rex Assyriorum dicens: Ducantur ëi qui exinde sunt & proficiscantur & maneant ibi, illuminent illos judicia Dei terra. Et adduxerunt unum ex Sacerdotibus, quem transmigraverat de Samaria & sedit in Bethel & erat illuminans eos Sacerdos quomodo timerent Dominum. Et edocti hi qui transmigrati fuerant, datam Legem filiis Israel non perfecte custodierunt, sed erant & legi servientes ex parte, & consuetudinibus paternis utentes.* Et usque nunc Samaritæ istia consuetudinibus utuntur, ejecti a Deo propter quod non mundam, sed commixtam nescio quam servitutem consummant, neque Legem Mosi neque consuetudinibus patriis perfecte servientes. Ista agnoscentes, dilectissimi, mundam offeramus Deo servitutem non commixtam habentes impietatis speciem, sed impolluta & pia, qua Deus delectatur, nullum enim suscipit, magis autem & adjudicat duobus Dominis servientem. Avertimini a Patribus traditam vobia idololatriam: hæreticis non coaptemini: melius enim erat hujuscemodi non cognoscere veritatem, quam cognoscentes retrorsum converti. Dicendum est enim illis: *Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro gurgitis.* Nos autem ita: *Unus enim nobis Deus, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & unus Spiritus sanctus*, significans universa Trinitas perfecta, consubstantialis, æqualis virtutis, ἰσοκλεής, id est, æqualis gloriæ. Pater omnium bonorum fons, ex quo Filius natus est, ex quo & Spiritus sanctus procedit, secundum quod scriptum est: Una Deitas in tribus stantiis cognoscenda. Sed in novissimis sæculi temporibus miseratus quod lapsum est in impietate genus humanum quod creatum est ad imaginem & similitudinem Dei, conversum in adorationem operum manuum suarum, deposuit seipsum involuntaria evacuatione secundum humanitatem unigenitum Dei Verbum, consubstantiale Patri & incarnatus ex sancta & Dei genitrice Virgine, καὶ ῥυθμίζει, id est, & temperat nostram vitam, edocens quomodo oporteat vivere per Euangelicæ prædicationis magisterium: & patitur propria sua carne, & exspolians infernum revixit triduanus, ascendit etiam in cælos & sedet ad dexteram Majestatis in excelsis. Ipsum venturum exspectamus in gloria Patris judicantem vivos & mortuos, reddentem unicuique secundum opera ejus; piis quidem quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non ascendit: impios autem mittens in ignem æternum, ubi interminabilis vermis & fletus & stridor dentium.

4. Reg. 17. 24. & seq.

Prov. 26. 11.

1. Cor. 8. 6.

tium. Istis coactus sum litteris uti ad vos, audiens hæreses aliquas iniquissimas superseminari, quibusdam in vestra regione non euntibus in vestigiis neque Evangeliorum doctrina, nec in Apostolorum prædicationibus, nec in sanctis Synodis, sed impia quædam effundentibus & cauteriata dogmata, quæ cœpta sunt ab iniquo Paulo Samosateno, quem expulit universalis Synodus, audentem dicere in homine quodam secundum nos inhabitasse Deum Verbum, sicut in uno Prophetarum, & non esse Deum incarnatum sanctum Emmanuel secundum Euangelistæ magisterium clamantis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis:* non abjiciens quod erat; accipiens autem quod non erat. Istum, ut dixi, universalis Synodus deposuit, impium quod ab impio expositum est dogma esse sanciens, sed & Dionysius Alexandriæ Episcopus scribit ad ipsum attrahens ad pœnitentiam, abstinentem ab impia hæresi, & sunt paria epistolæ Dionysii, contexti. [Joan. 1. 14.]

DIONYSIUS EPISCOPUS ALEXANDRIÆ,

AD PAULUM SAMOSATENUM.

Dilectissimo Fratri Paulo Episcopo Antiochiæ, cum omni Clero, Dionysius Episcopus Alexandriæ multum gaudere.

ET primum scribente te scripsimus, adtrahentes te ut manifeste diceres quod vis: & nunc scribimus sicut possibile est judicantes de his quæ secundo dixisti, quia vitiosa sunt verba quæ a te dicta sunt, nullius habentia satisfactionis ostensionem, & quia sufficienter possint retorqueri quæ tibi præcipitanter visa sunt definire: duas hypostases dicente duas personas unius & solius Christi, duos Christos & duos Filios. Unum natura Christum & Filium Dei præexistentem, & alterum secundum æquivocationem Christum & Filium Dei, qui postea & in ultimis temporibus exstitit, & secundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii, quemadmodum civitas Domini, & domus conditoris. Volens oblitus es * otia, quia unus prædicatus est & unigenitus Filius Dei & Christus Jesus vocatus, Dominus gloriæ, sicut dictum est de ipso, & salvans credentes in ipsum propria passione divina salute non humana: *Ipse enim*, inquit, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Soli enim Deo possibile est a peccatis salvare, sicut & * debitori remissionem præstare: *Quis* enim, inquit, *Deus sicut tu auferens iniquitatem, & supergrediens injustitiam?* Audi igitur & intellige ea quæ a te dicta sunt, & attende ea quæ a me dicuntur; Beneplacitum est Deo majoribus donis hominem honorare quando & amplius placuerit Deo in virtutum conversationem: nihil autem horum visum est in Christo Jesu, neque prudentiæ gratia, φιλοπονία, id est, studium laboriosum; neque per castitatem, ciborum abstinentia, supergredientem humanam mensuram. Et Joannes quidem admirabilis erat, neque panem comedens, neque vinum bibens; Christus autem testimonium habuit comedens & bibens. Et ille quidem in eremo degens solitariam vitam perficiebat ad placendum Deo: Dominus autem Jesus erat cum Apostolis, mulieribus, & reliquis, non segregatus ab eorum conversatione; & propter hoc ostendebatur differentia Christi ad Joannem mirabili munditia & justitia incomparabili. Quia Joannis quidem operatio erat justitiæ; Christi autem naturæ. Ergo inconveniens est dicere hominem Christum beneplacitum habuisse a Deo pro omnibus hominibus in Dei habitationem sine solitaria & laboriosa justitia. Christus autem non verbo, (sed veritate,) per eam quæ in Spiritu est unitionem hæreditavit, incarnatum ex Virgine Maria, sicut & puer propter eam quæ ex ipso est carnalem generationem. Prædicatur autem & Christi nomen verbo & antequam ungeretur, sicut & puer, Deus fortis, antequam ex muliere nasceretur: sed & vestimenta ejus divisa esse dicuntur, & exhonoratum esse priusquam exhonoraretur, non enim ex rebus ipsis de Christo dicta sunt ista, sed prophetice. Quomodo ergo unus Christus alterius Christi nomine vocari habet, dum non existant duo. Civitas autem cum Domino non numeratur in unum numerum, nec domus cum conditore, quomodo nec eadem operatur civitas & imperator, nec domus & conditor, nec civitas aliquando vocabitur imperator, nec leges constituet civitas sicut imperator, nec domus ædificat. Et alius docet artem, in uno autem connumerantur quæ ejusdem sunt generis, sicut homo homini, Deus Deo, quomodo & qui eadem operari possunt. Expulsus igitur es, certe neque duos Christos, & duos Filios Dei prævalent dicere, neque eos qui duo sunt sicut unam personam. Dei autem forma verbum ipsius, & sapientia, Filius Dei, & Deus idem ipse confitendus est. Igitur persona & una subsistentia personæ nec possunt esse hæc * ἐν ἀνοῦ, id est, in his quæ sine mente sunt. Verbum enim hominis & sapientia & virtus, & forma insubsistentiales partes unius hominis aspiciuntur, sed nec homo singula eorum quæ dicta sunt, nec Filius sunt ista, ob hoc nimirum, quia forma hominis & ὁ λόγος, id est, persona esse αὐτοτελής, id est, per semetipsum perfecta, non possunt. Quia vero forma Dei & Verbum ejus, Deus & Filius confitendus est, Ostensum igitur impossibile esse & istud tuum sophisma dicentis hominem esse formam hominis, ob hoc quia sit Deus forma Dei: qui autem ex mortuis resurrexit Christus vivorum & mortuorum Dominus est, & ipsi vivunt omnia: *Sive vivimus*, inquit, *sive morimur, Domini sumus*. In hoc enim ait, Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur. Deus est enim natura, qui dominator est omnium, sicut ex mulieribus agnitus prædicatur, dicente Thoma: *Dominus meus & Deus meus*. Deus autem sanctorum Apostolorum, non qui natura homo, sed qui natura Deus est, qui hæreditavit gentes & judicat, sicut dictum est, omnem terram: *Exurge* enim, inquit, *Domine judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*. Filius autem & hæres mortuus est postea; post servos & Prophetas, sicut ipse ait in Euangelio. Quomodo ergo homo Christus, & non Deus verus, & adorandus ab omni creatura? Incorporatum est enim Dei Verbum ex sancta Virgine, unde & passionem pro nobis suscepit evacuans semetipsum & humilians usque ad mortem, mortem autem crucis: æqualis Deo existens, sicut dictum est, & obediens Deo factus, & sub lege divinus Legislator. Et quid multa, unus est Christus, una persona visibilis & invisibilis, id est divine & sensibiliter simplex desursum & deorsum, compositus ex Deo, & ex muliere. Conditor ergo & creator passibilis & impassibilis erat,

Marginal notes: * Gr. ὁ ἔπαινος. — Matth. 1. 21. — * Lc. creditori. Mich. 7. 18. — * Editi, ἐν ἀδιαφόροις. — Rom. 14. 8. — Joan. 20. 28. — Psal. 81. 8.

rat, mundum sanctificans, & sanctificatus, & credimus quia proprium ejus est sanctificare & sanctificari: *Et pro ipsis* enim, inquit, *sanctifico me ipsum*. (Joan. 17. 19.) Quod impossibile est homini ut sanctificetur, soli autem Deo istud possibile est, homini facto secundum carnem, quia & Deus est & homo idem ipse singularis personæ. Istis ergo sine contentione ita se habentibus, expulsa tibi sunt omnia sententialiter, & juveniliter dicta. Alium virum dicente te Christum præter Deum Verbum, ab alio Christo dignitate & honore & operatione differentem, & unum Christum in Christo habitantem, & operantem divinæ justitiæ opera, Erubesce igitur quia irrationabile est aliquam & inanimatam materiam Christum exponens * quæ a sole operari posse. Terra enim sine voluntate species est. Sic enim dixisti: Infirma filii a Deo auferri dicimus, sicut humectationem terræ ab arido. Vides in quantam inconsiderationem deponas, sicut dicis virum absumtum a Deo Verbo ut nec homo esse possit, liberum ei offerens arbitrium. Non enim secundum propriam potestatem: hominum enim hoc tantum & Angelorum est. Desertum autem dicis factum Salvatorem Christum despiciens semetipsum, propter hoc quod dixit in cruce: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* (Psal. 21. 1.) Et in quo natura Dominus est & Verbum Patris, per quem omnia, & consubstantialem Patri a Patribus dictum. Sic enim dixisti, filium hominis Christum non esse Filium Dei, nec Petrum reveritus qui per revelationem Patris filium hominis, Filium Dei viventis confessus est, & Thomam, Dominum suum & Deum Christum ex vulneribus ejus agnoscentem: pro nobis enim dolet, sicut qui carnales passiones sustinuit pro nobis, sicut Esaias dicit: *Ipse debilitates nostras accepit, & infirmitates portavit*. (Esai. 53. 4.) Ipse nobis utique Deus Verbum. Volens enim incarnatus est, nec enim aliter possibile erat pati Dominum nostrum Jesum Christum, nisi incarnaretur in similitudine hominis animati intelligibilis, ut quod non correxerat homo, hoc Verbum Dei incarnatum corrigeret. Neque enim ex muliere totum extitit Christus, sed secundum humanitatem, ex Deo autem secundum spiritum, nec enim aliter Dei genitrix Maria vocari potest. Aliquando nec Domini interfectores Judæi, si non erat Deus Christus secundum Deum Verbum, sed nec præter peccatum esse poterat: sine abstinentia & sapientia absque magistris, nisi Deus esset continens proprium corpus, & operans ut Deus; propter quod & volens mortuus est, & sponte surrexit a mortuis. Filius existens Dei unigenitus & divinam gloriam petens antequam mundus factus esset, non vacuus ejus & antequam peteret: sicut & Sanctus existens sanctificationem suscipiebat, qui Spiritum sanctum largitur secundum inspirationem propriam, & præexistens ex Deo sempiterne, divina generatione initium essendi corporaliter ex muliere accipiens, & propter hoc natura justus sicut Deus, non secundum abstinentiam laboris sicut omnis homo, & delicta ex necessitate subsequitur: *Non est* enim, inquit, *justus super terram, qui faciet bonum & non peccet*. (Rom. 3. 10.) Propter quod & certamina & labores venerantium Deum, & intercessiones pro his qui culpabiles sunt, & omnimodam bonitatem Dei & miserationem indigemus omnes homines. Christus autem non abstinentia, nec ex fide ostensus est, sicut jam prædictum est: naturalis enim justitia divina virtus existit, & ipsa est solus qui creditur Deus verus & reposcens ab hominibus eam quæ in ipso est fidem: *Qui* enim, inquit, *credit in me, vivit in æternum*. (Joan. 11. 26.) Et, *Qui diligit me mandata mea servat & reliqua*. (14. 21.) Quid ergo confiteris Christum, dic: neque unum, neque duos potes dicere, nec Deum nec hominem. Ista est enim definitio eorum quæ a te dicta sunt: neque enim natura cum justum dicis sicut Deum; Deus est enim hoc natura quod bonum dicitur de ipso. Justum eum dicis sicut hominem justitia abstinentiæ, sic enim homo justus, nec indefinito decedens appares nil habens quod dicas de Christo. Deinde dicis secundum communionem justificari Christum, non natura existentem justum, non prævalens intelligere modum communionis quæ ad omnem & acceptionem significat, sicut dixit & sapientia Dei: *Da mihi cor tuum, ut sapiens fias in novissimis tuis*. (Psal. 144. 19.) Convertens alius Propheta dicit: *Voluntatem timentium se faciet*. Voluntas utique Dei Sanctorum voluntati rependitur, & qui confitentur eum coram hominibus, confitebuntur ab ipso coram Patre ejus qui in cælis est, sicut ipse dicit: & qui compatiuntur Christo, in conformationem venient gloriæ ejus. Ista enim verax communio hominis ad Deum non sine fide ostendi potest, & dignissimis operibus.

* [illegible]

D I A T R I B E

In Symbolum *Quicumque*.

I. DE SYMBOLO QUICUMQUE præterito ac præsenti sæculo a multis acriter est disputatum, aliis Athanasio vindicantibus, aliis a Latino Scriptore adornatum fuisse pugnantibus. Et sane tanta est opusculi dignitas, tam concors omnium Ecclesiarum in eo, non solum recipiendo, sed etiam alternantibus choris publice recitando consuetudo; ut non mirum si in ejus investigando Scriptore eruditorum desudet industria; in diesque novæ prodeant de ejusmodi argumento lucubrationes. Prolixum ac fortassis Lectori injucundum & fastidiosum esset, si omnia recenseremus quæ ea de re nostro Patrumque nostrorum ævo a variis Auctoribus conscripta sunt; ex quorum numero qui argumentum fusius accuratiusque pertractarunt, Docti Viri sunt, Usserius, Vossius de Tribus Symbolis, Quenellus, Gundlingius, Tantzelius, ac novissime omnium Anthelmius. Quamobrem paucis nos pro instituti nostri ratione rem indagamus, ea tamen lege ut nihil eorum prætermittamus quæ ad rectum tantæ controversiæ κριτήριον pertinent. Quare primo veterum de Symbolo testimonia, habita temporum ratione, recensemus. 2°, Agimus de codicum in quibus exstat hoc opusculum ætate, conditione, ac inscriptionum varietate. 3°, Cui sit auctori adscribendum quærimus. 4°, De variis agimus Symboli formulis, cum Latinis tum Græcis, quæ a quibusdam hujus ævi Scriptoribus observatæ editæque fuerunt.

I. Te-

I.

Testimonia veterum de Symbolo.

Non desunt qui ex quarti sæculi Scriptoribus testimonia petant, ut Athanasium Symboli Patrem afferant; ejusmodi est illud Gregorii Nazianzeni Orat. 21. *πρῶτος ϗ μόνος, ϗ κομιδῇ σὺν ὀλίγοις, ἐτόλμησε τὴν ἀλήθειαν, σαφῶς οὕτω ϗ διαῤῥήδην τῶν τριῶν θεότητα ϗ οὐσίαν ἐγγράφως ὁμολογήσας.* Id est, *Primus ille* (*Athanasius*) *& solus, vel cum admodum paucis, veritatem palam apertisque verbis profiteri ausus est, trium Personarum Deitatem & substantiam scripto confessus.* Quæ autumant illi de Symbolo *Quicumque* dici. Sed ut nemo non videt levissima imo nulla ratione. Quid causæ enim est ut ad Symbolum *Quicumque* id referatur, cum binæ exstent Athanasii confessiones Fidei; quarum prima *ἔκθεσις πίστεως* titulum habet, secunda ad Jovianum nuncupatur; & in utraque pariter trium Personarum Deitas & substantia prædicatur? Quinetiam illo Gregorii loco, nulla indicatur fidei confessio; sed dicitur duntaxat trium Personarum Deitatem & essentiam prædicasse Athanasium: quod in suis ille scriptis fuse & naviter exsequutus est.

Testatur Ughellus Tom. IV. Italiæ Sacræ, Gaudentium Brixiensem, qui quarto sæculo vixit, Commentationes edidisse in Symbolum Athanasii, quas exstare ait in veteri PP. Bibliotheca. Verum illæ Commentationes nusquam comparent, nec ab alio quopiam scriptore animadversæ sunt. Quamobrem nihil hinc argumenti elici potest.

Adferebatur olim locus ex Augustino in Psalm. 120. in hæc verba: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*, ubi ita legitur in quibusdam editis: *De hoc solo Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulcre loquutus sit: Filius*, inquit, *Dei a Patre solo, non factus, nec creatus, sed genitus.* Verum hæc, ut jam pridem observatum fuit, adulterata sunt: & ut ajunt nostri in postrema Augustini editione, nulla est in codicibus Athanasii, ejusque Symboli mentio. Adsertur item Concilium 4. Toletanum anno 673. celebratum, in cujus capitulo 1. dicitur Patrem a nullo factum, &c. Quæ verba ex Symbolo *Quicumque* excerpta putantur. Et vero constat jam illo ævo Athanasii in nonnullis saltem locis nomen prætulisse.

Exstat inter Isidori Hispalensis opera, Epistola ad Claudium, ubi Athanasii Symbolum memoratur. At concors est omnium pene sententia eam Epistolam necnon alias permultas a Breulio Isidori nomine publicatas, esse supposititias.

Certius adfertur testimonium ex Canonibus Æduensibus a Sirmondo editis, qui ad annum referuntur, a quibusdam 670. ab aliis vero 673. ubi ita legitur: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum quod sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, & Fidem sancti Athanasii præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.*

Regino qui octavo sæculo floruit lib. 1. de Ecclesiastica Disciplina, hæc habet: *Si sermonem Athanasii Episcopi de Fide sanctæ Trinitatis, cujus initium est: Quicumque vult salvus esse, memoriter teneat.*

Hatto Episcopus Basileensis, cujus capitulare Spicilegii Tom. IV. edidit Dacherius noster: *Quarto*, ait, *ut fides sancti Athanasii a Sacerdotibus discatur, & ex corde die Dominica ad Primam recitetur*: qui mos hodieque viget in Ecclesia.

Accedit Anonymi testimonium, qui sub Carolo Magno vixit, a Sirmondo allatum in notis ad Theodulphum: *Incertus auctor*, ait Sirmondus, *quem diximus, hoc ipso utens testimonio: Beatus*, inquit, *Athanasius in Expositione Catholicæ Fidei, quam ipse egregius doctor conscripsit, & quam universalis confitetur Ecclesia, processionem Spiritus sancti a Patre & Filio declarat, ita dicens: Pater a nullo est factus, &c.*

Idem Theodulphus, Libro Testimoniorum de Spiritu sancto ad Carolum Magnum, nomine Athanasii adfert illud: *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus &c. usque ad: Qui vult ergo salvus esse.*

Nono sæculo Agobardus a Cl. V. Baluzio editus cap. 3. sic habet: *Beatus Athanasius ait: Fidem Catholicam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.*

Anscharius eodem sæculo, ut in vita ejus apud Petrum Lambecium legitur, cum instaret obitus, præcepit ut fratres canerent Fidem Catholicam a beato Athanasio compositam.

Ratramnus Corbejensis Monachus libro 2. contra Græcorum opposita: *Beatus Athanasius Alexandrinus Episcopus*, ait, *multa propter Catholicæ Fidei constantiam ab Arrianis perpessus, frequenter etiam exsilio eorum factione pulsus, & in Nicæna Synodo Episcopo suo beato Alexandro Diaconus adsistens, adversus vesaniam Arrii singulariter dimicans; in libello de Fide, quem edidit, & omnibus Catholicis propositio tenendum, inter cætera sic ait: Pater a nullo est factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, non creatus, non genitus, sed procedens.*

Æneas Parisiensis Episcopus, librum suum adversus Græcos his auspicatur verbis: *Sanctus Athanasius; sedis Alexandrinæ Episcopus, Græcæ linguæ experientissimus, ubi beatus Marcus Euangelista præsedit &c.* Exinde vero novemdecim capitula ex eodem Athanasio profert, quorum postremum ita habet: *Item idem in Fide Catholica; quod Spiritus sanctus a Patre procedat & a Filio. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus, &c.*

Hincmarus Remensis nono item sæculo, primo capitulo ita loquitur: *Ut Presbyteri discant expositionem Symboli & Orationis Dominicæ &c. cum Symbolo Athanasii ..... Necnon & Sermonem Athanasii de Fide, cujus initium est: Quicumque vult salvus esse, memoriæ quisque commendet, & sensum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare queat.*

Ratherius Leodicensis Episcopus, ita loquitur in admonitione Synodali: *Si Sermonem Athanasii Episcopi de Fide sanctæ Trinitatis, cujus initium est: Quicumque vult salvus esse, memoriter teneat.*

Abbo

Abbo Floriacensis in Apologia ad Francorum Reges Hugonem & Robertum: *Fidem quam alternantibus choris & in Francia & apud Anglorum Ecclesiam variari audivi; alii enim dicunt, ut arbitror, secundum Athanasium: Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, non creatus, sed procedens.*

Sæculo undecimo Gualdo Monachus Corbejensis, qui vitam Anscharii carmine conscripsit editam a Lambecio, hæc de Symbolo habet:

Catholicamque Fidem quam composuisse beatus
Fertur Athanasius.

Otho autem Frisingensis ita loquitur: *Athanasius manens in Ecclesia Treverorum sub Maximo ejus Ecclesiæ Episcopo: Quicumque vult, &c. a quibusdam dicitur edidisse.*

Infinitæ pene operæ esset ceteros sequioris ævi scriptores recensere qui Symbolum *Quicumque* adscribunt Athanasio; quorum testimonia, quantacumque adferantur, parvi aut nullius momenti sunt ad illud Athanasio vindicandum vel abjudicandum. Adjicere non pigeat non visum hactenus fuisse Græcorum quodpiam monumentum, certum scilicet ac indubitatum, quo ab annis plus quingentis notum Ecclesiæ Græcæ fuisse Symbolum *Quicumque* possit comprobari. Græci porro sequioris ævi, Latinis ex Symboli auctoritate pro Spiritus sancti ex Patre Filioque processione comprobanda urgentibus, vel negarunt Athanasii esse, vel inconsulte Symbolum a sancto Doctore compositum fuisse confessi, addititiam esse vocem, *& Filio*, non minus inconsiderate commenti sunt, cum constet in omnibus Latinis codicibus etiam antiquioribus qui ab annis mille exarati sunt, eam haberi vocem. Alii autem impudentios effutiebant Athanasium, cum id operis ederet, ebrium fuisse, quos ita carpit Gennadius cap. 1. de Spiritu sancto: ὡς αἰδοῦντας λέγειν ὡς ὁ ἱερὸς Ἀθανάσιος μεθύων, ἢ ὅτε ταῦτ' ἔγραφε πλήρης ἦν οἴνου. *Non verentur dicere Athanasium ebrium fuisse cum hæc scriberet, & vini plenum.*

I I.

De codicibus in quibus exstat Symbolum Quicumque.

Codicum omnium qui hactenus visi memoratique sunt, antiquissimus ille est qui ab Usserio laudatur, ævo Gregorii Magni conscriptus, si tamen ea vere sit ejus manuscripti ætas: nam addit Usserius scripturam ævo Gregorii longe esse posteriorem. Hic nullum præmittit scriptoris nomen, sed solum inscribitur, *Fides Catholica.*

Nongentos superat annos Colbertinus codex 784. Saxonicis descriptus litteris, & mea quidem sententia ante ætatem Caroli Magni editus. Hic media parte ab initio mutilus est, non amissione folii cujuspiam, sed quia librarius qui exscripsit se ita mutilum Treviris reperisse testatur, nullo enuntiato auctoris nomine. Quamobrem non sua modo ætate eximius est, sed etiam quia ex antiquiore descriptus fertur. Sunt qui codicem illum 1100. annorum esse adfirmarunt. Verum periti quique ævo circiter Pipini exaratum arbitrantur.

Paris saltem antiquitatis est Sangermanensis noster num. 257. Saxonicis pariter litteris exaratus qui titulum habet: *Fides sancti Athanasii Episcopi Alexandriæ.*

Regius codex num. 4908. annorum pene nongentorum nullum habet titulum, nullumque auctoris nomen. Æqualis ipsi est, qui memoratur a Lambecio, exstatque in Bibliotheca Cæsarea, Caroli Magni jussu conscriptus, cujus titulus sic habet: *Fides sancti Athanasii Episcopi Alexandrini.*

Codex qui ab Usserio dicitur fuisse Æthelstani Anglorum Regis, ita inscribitur: *Fides sancti Athanasii Alexandrini.*

Colbertinus num. 1339. qui fuit Caroli Calvi Imperatoris inscribitur: *Fides Athanasii.*

In alio Sangermanensi 700. circiter annorum, & in tertio ejusdem Monasterii multum sequioris ævi, Symbolum nihil fere discrepat ab editis.

Duos quoque vidimus codices in cœnobio sancti Theoderici prope Remos, in quibus Symbolum *Quicumque* nihil ferme differt ab editis.

Exstat item hoc Symbolum in codice Colbertino num. 3133. nullo prævio scriptoris nomine, annorum circiter 600. E regione vero conscripta legitur ejusdem ætatis Gallica versio, in fine mutila, quam nos edendam duximus. Ejus nobis copiam fecit suaque manu exaratam dedit Vir clarissimus nobisque amicissimus Baluzius.

Alius habetur codex in Bibliotheca RR. PP. Fratrum Minorum ab annis quadringentis exaratus, ubi Symbolum exstat Latine cum versione Gallica e regione παραφραστικῶς adornata. Codex autem est Psalterium olim ad usum Dominarum de Brebant, ut indicatur in fronte libri, hisce verbis recentiore manu conscriptis. *Ce Psautier qui est en Latin & en François est au Convent des Sereurs Meneurs de Lougchamp, & fu aux Dames de Brebant.* Earum nomen erat, Margarita & Joanna, quarum Pater Godefridus de Brebant frater erat Mariæ conjugis Regis Philippi Audacis. In hujusmodi codice, quod per mihi mirum visum est, Latino Symbolo hic titulus præmittitur: *Canticum Bonefacii:* in fronte autem Gallicæ versionis e regione istiusmodi legitur inscriptio: *Ce chant fist saint Anaistaise qui Apostoilles de Rome.* Hujus porro versionis manu sua exscriptæ nobis copiam fecit vir eruditus Petrus Pelester ejus cœnobii Bibliothecarius.

Felckmannus de codicibus quibus ipse est usus ita loquitur: *Exstat hoc Symbolum in nostro codice 2. anonymo, sed absque titulo & nomine aucteris, unde & sic editum. Invenitur id similiter in fragmentis Hilarii historicis in cod. veteri part. 2. sub finem. Invenimus idipsum etiam post in codice quodam Palatinæ Biblioth. expresse Athanasio inscriptum, (licet id recentiores Græci nolint, ut videre est ex Epistola Meletii Constantinopolitani Patriarchæ ad Douzam) ex quo etiam discrepantias quasdam notabimus.* Hæc Felckmannus.

De Græcis autem codicibus pauca suppetuot dicenda, cum unum tantum nobis inspicere licuerit, scilicet Reg. 2502. in qua exstat Symbolum superiore sæculo exaratum. De variis Græcis formulis infra agimus.

III.

Symbolum Quicumque *cui sit auctori adscribendum.*

Ut colligere est ex veterum testimoniis, atque ex codicum inscriptionibus superius recensitis, ab annis plus mille Symbolum *Quicumque* Athanasio fuit adscriptum. At id non sine controversia admissum fuisse suadet codicum multorum, etiam antiquissimorum auctoritas, in quibus Athanasii nomen minime comparet: suadet item ille superius a nobis memoratus codex qui Bonifacium auctorem exhibet. Probe quippe conjectare licet Bonifacio attributum fuisse, quia verus germanusque auctor non notus esset: nam si pro Athaoasii fœtu vulgo habitum fuisset, nequaquam ejus loco substituendus fuerat alius. Nam solent ad commendationem opera obscurorum minusque notorum hominum præclaris attribui scriptoribus; atqui tantum est Athanasii oomeo ut ne cogitarit quidem quispiam majorem ex alio mutuari auctoritatem. Accedunt præterea multorum præsertim undecimo sæculo scriptorum testimonia, qui diserte ajunt a quibusdam tantum tribui Athanasio Symbolum *Quicumque*, innuuotque non esse rem vulgo receptam. Unde consequi videtur Symbolum quo tempore in lucem prodiit Athanasii non prætulisse nomen. Sed ubi a nescio quo attribui Athanasio cœptum fuit, exinde manasse ut in multis codicibus nomeo ejus præmitteretur. Et vero ex tribus codicibus qui Caroli Magni ætatem superare existimantur, solus Sangermanensis nomen exhibet Athanasii, quo innuitur minus frequentem tunc fuisse ejusmodi inscriptionem.

Falso itaque adscriptum Athanasio arbitramur, tum ea quam supra memoravimus, tum multis aliis de causis. Ex quibus illa maxime urget quod a nemine antiquorum aote septimum sæculum commemoretur. Sane tam egregium opusculum, a tanto scriptore concinnatum, nequaquam silentio prætermittendum erat; io illis maxime disceptatiooibus quæ cum Nestorianis, Eutychianisque obortæ sunt. Athanasii quippe auctoritatem magni faciebant hæretici illi. Quid causæ igitur erat, quod nec a Græcis nec a Latinis adserrentur loca ex hoc Symbolo excerpta, quibus errores ejusmodi confutaotur? Nec est quod reponatur, eam totam partem Symboli quæ Incarnationem Domini respicit, nonnisi post illas exortas hæreses Symbolo fuisse adjectam: nam id gratis omnino dicitur, cum in omnibus qui hactenus visi sunt codicibus iotegrum exstet Symbolum, ut hodieque recitatur. Præterea io Catholicæ Fidei professionibus omoibus atque Symbolis, non de Trinitate modo, sed etiam de Iocarnatione agitur, ut videre est io Symbolo Apostolorum in Nicæno & in aliis quibusque. Quamobrem noo potuit in tam prolixo Symbolo mysterium Incarnationis ab initio prætermitti.

Ad hæc, si quis fidei formulas vel ab Athanasio, vel Athanasii ævo conscriptas cum hoc Symbolo conferat, tantum animadvertet ioter illa discriminis, ut vel hinc solum oihil cunctetur, alii ævo quam Athanasiano, alii scriptori quam Athanasio Symbolum adjudicare. Percurrat qui voluerit quas Athanasius accurate collegit sui ævi fidei coofessiones. An formulam istam, *tres personas*, aut Græce, *τρεῖς ὑποστάσεις* in Catholicorum Symbolis admissam & promulgatam reperiet? Licet enim una eademque semper fuerit ea de re Ecclesiæ doctrina, nondum tamen hæ formulæ in Ecclesia receptæ vel in confesso erant, ut fusius comprobamus in Præfatione generali. Ille item Symboli versiculus: *Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*, non est, ut nemo peritus non fatebitur, sæculi Athanasiani. Quamquam enim Athanasius Spiritum sanctum ex Patre atque ex Filio manare non semel docuerit in suis quæ jam exstant operibus, his tamen formulis numquam est usus: multoque minus illæ in Symbolis fideique confessionibus locum habuere. Non olet item Athanasianum sed Eutychiaoum ævum illa clausula: *Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ*. Licet enim quidpiam simile io ejus scriptis compareat; nondum tamen obtinuerat ut in professionibus fidei hujusmodi sententia usu veniret.

Huc accedit Symboli verba sententiamque Latinum indicare Scriptorem, neque ullam versionis ex Græco factæ notam præferre. Si versum ex Græco fuisset, multa Græcæ dictionis in Latina interpretatione comparerent, uti solet in ejus ævi versiooibus observari. Neque dici posse videtur ab Athanasio fuisse Latine editum: namque scriptoris est pro illa ætate Latine peritissimi, non solum quippe verbis, sed etiam numeris modulisque Latinis constat hoc Symbolum, vixque credatur tantum tamque familiarem Latinæ linguæ usum Athanasio fuisse.

Demum si hujusmodi Symbolum adornasset Athanasius, numquam erat omissurus consubstantialis vocem, cujus causa toto vitæ suæ curriculo concertavit, tantisque periculis perfunctus est. Hisce nos argumentis permoti, Symbolum *Quicumque* Athanasio incunctanter abjudicandum arbitramur. Jam disquiramus utrum aliorum qui ejus auctores esse feruntur, cuipiam sit adscribendum.

Hilario nonnulli adscriptum voluerunt, quia nimirum in codice quodam exstat post Hilarii fragmenta. Quasi vero id non vulgo & in plerisque codicibus observetur, ut multa diversorum opera consequenter in manuscriptis describantur. Cum autem in ejusmodi codice post Hilariana opera nullo præmisso auctoris nomine compareat, hinc, uti jam supra diximus, inferendum, tum exaratum fuisse, cum pro Athanasiano nondum vulgo haberetur.

Eusebio Vercellensi tribuere nonnulli. At præterquam quod nullo fundamento, nulla auctoritate nititur hæc opinio, videtur Symbolum a recentiore prodiisse scriptore. Nam quæ in eo exstant de divi-

divina & humana Christi natura, sæculum redolent Nestorianum; ipsaque tota fidei formula, iis est vocibus & clausulis composita, ut ad Eusebii ævum minime pertinere valeat.

Sunt item qui Symbolum tribuant Anastasio, quam sententiam subaugurari licet obortam ex nominum similitudine; nimirum in codice quodam facile substitui pro Athanasio potuit Anastasius. Verum sive Sinaita ille, sive Bibliothecarius Anastasius intelligatur, neutri potest adsignari; non priori, quia recte comprobatur a Latino scriptore editum opusculum fuisse, immo etiam ipso Anastasio antiquius esse, ex codicum ætate, & ex Æduensibus superius allatis Canonibus commonstratur; unde etiam liquet multo minus Anastasio tribui posse Bibliothecario.

Bonifacio cuidam uti supra diximus adscribit codex unus. Sed nec quis sit ille Bonifacius, nec unde Librarius ejusmodi auctorem expiscatus sit in promtu est ediscere. Quare nihil ulterius de Bonifacio differemus.

Quesnell. in edit. S. Leonis.

Vigilio adscripsit nuperus quidam scriptor; qui tamen, ut valet sagacitate & eruditione, nonnisi conjectando loquitur. Hæ vero causæ sunt quod hanc ille opinionem sit amplexus. 1°. Quod soleret Vigilius suas lucubrationes Athanasio adscribere: cujusmodi est dialogus adversus Sabellianos, Arianos, & Photinianos. 2°. Quod Eutychetis haud ita pridem insurgentem hæresin oppugnare aggressus sit Vigilius. At ejusdem errores hoc in Symbolo exploduntur. 3°. Quod frequentes apud eumdem Vigilium occurrant loquendi rationes in Symbolo usurpatæ. Verum hæc argumenta probe confutavit laudatus vir Anthelmius. Et sane, ut animadvertit ille, ruunt hæc omnia, ubi ostenditur Dialogos illos qui inter Athanasiana comparent opera, & Chiffletius Vigilio adjudicavit, nequaquam esse Vigilii. Quod probe superius suo loco commonstrabamus. Etiamsi vero Vigilii essent Dialogi, non statim hinc consequeretur ejus esse Symbolum. Nam, quod animadvertisse juvabit, pro explorato habendum, Symboli scriptorem, iis loquendi modis, iis usum sententiis fuisse, quæ suo ævo a Latinis Patribus, Catholicisque viris frequentius usurpabantur: neque putandum novas illum dicendi formulas commentum esse: sed eas ut in confesso tunc erant collegisse. Hinc palam res est, quod apud Augustinum, ejusque suppares, Vincentium Lirinensem, Vigilium, & alios inferius notandos, haud semel occurrant ejusmodi sententiæ. Unde manifestum est nullam congruentem hactenus allatam esse causam, quare Vigilio adscribatur.

Afro itaque Vigilio nihil est quod Symbolum *Quicumque* tribuatur. At huic Gallum auctorem, Vincentium nempe Lirinensem, substituit laudatus vir Anthelmius, qui suam hisce argumentis hisce verbis sententiam asserit. 1°. *Quod ille tempestatis istius, qua digestum est Symbolum, nobilissimus scriptor exstiterit.* 2°. *Quod hæresibus bellum indicere scopus ipsi fuerit unicus.* 3°. *Quod errores, Symboli confessione sigillatim perstrictos, eosdem specie, nec alios, scriptis suis impugnare delegerit.* 4°. *Quod sub alieno nomine in hac palæstra mereri affectarit.* 5°. *Quod ipsi Trevirense solum, seu Belgica prima, in qua primo repertum est Symbolum, patria fuerit.* 6°. *Quod ipse cum ejusdem Metropoliticæ urbis antistite tum sedente, necessitudine videatur obligatus.* 7°. *Quod in aliquam M. Athanasii similitudinem a patriis finibus velut extorris egerit.* 8°. *Quod in aliquo suo priori opere Symboli loquutiones, insignioresque formulas occuparit, nec verbis solummodo vel characteristicis, ut ita dicam, vocibus, sed transitionibus, sed comparationibus, sed iisdem postremum tenore, contexturaque ratiocinii, cum Symboli methodo & artificio progressus fuerit.* 9°. *Quod in ejus a se tum expositæ fidei confessionem, miris ac iteratis mentis excessibus raptus, ejusdem aliquando retractandæ, & elegantius exponendæ indicium prodiderit.* 10°. *Quod postremo ad hanc exponendam operam solemni promissione sese constrinxerit. Quæ gemina tandem & urgens elucubrandi Symboli occasio fuit.*

Hæc erudite sane observata, si alias certum quodpiam suppeteret pro Vincentio testimonium vel codicis vel scriptoris alicujus, eum probe commonstrarent eximii opusculi auctorem. At donec certius aliquid emergat, sub judice litem pendere necesse est. Nam quod primo loco dicitur, etiamsi exploratum esset, infirmum tamen esse nemo non fateretur. Quod enim Vincentius eo floruerit ævo, quo prodiit Symbolum: ea sane non satis apta conjectura fuerit, ut ejus auctor existimetur. Non ægre quidem concesserim Vincentii ætate editam fuisse illam fidei professionem; nec tamen codicis Colbertini auctoritate nititur hęc opinio, quem arbitratur Anthelmius 1100. annorum. Etenim (quod pace viri eruditissimi & amicissimi dicatur) multo minoris ætatis codex esse comprobatur; nemo enim peritus cui librum exhibuerim, octavo eum sæculo antiquiorem ęstimavit. Quę consequuntur autem argumenta ad octavum usque, non controvertenda, nam ita compertum est potuisse hominem, cui hęc convenerint, edere Symbolum; ut non minus exploratum sit potuisse alium, cui nihil eorum competat, illud adornare. Quare ad octavum quod alicujus sane momenti est accedamus. Petitur illud ex quibusdam loquendi formulis magnam cum Symboli particulis quibusdam similitudinem referentibus, quas accurate ex Vincentii Commonitorio collegit laudatus vir, & quia nec paucę nec spernendę illę sunt, eas hic exhibere non pigeat.

Ex-

Tabula prima.

Excerptum ex Symbolo.	*Excerptum e Commonitorio.*
I. Fides autem CATHOLICA hęc est, ut UNUM Deum IN TRINITATE, & TRINITATEM IN unitate VENEREMUR.	I. Ecclesia vero CATHOLICA UNAM Divinitatem IN TRINITATIS plenitudine, & TRINITATIS ęqualitatem IN UNA atque eadem Majestate VENERATUR.
II. NEQUE CONFUNDENTES PERSONAS, NEQUE SUBSTANTIAM SEPARANTES.	II. UT NEQUE singularitas SUBSTANTIÆ, PERSONARUM CONFUNDAT proprietatem, NEQUE item Trinitatis distinctio, unitatem SEPARET Deitatis.
III. ALIA EST enim PERSONA PATRIS, ALIA FILII, ALIA SPIRITUS SANCTI.	III. Quia scilicet ALIA EST PERSONA PATRIS, ALIA FILII, ALIA SPIRITUS SANCTI.
IV. SED PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI UNA est divinitas, ęqualis gloria, coęterna Majestas.	IV. SED PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI non alia & alia, sed UNA eademque natura.

Tabula secunda.

Excerptum ex Symbolo.	*Excerptum e Commonitorio.*
I. Est ergo fides recta UT credamus & CONFITEAMUR, quia Dominus noster Jesus Christus DEI FILIUS, DEUS ET HOMO EST.	I. Vehementer enim pręcavere debemus, UT Christum non modo unum sed semper unum CONFITEAMUR.... unus idemque Christus, FILIUS DEI, unus idemque Christus, DEUS ET HOMO.
II. Deus est EX substantia PATRIS ANTE SÆCULA GENITUS, & homo est EX substantia MATRIS IN SÆCULO natus.	II. Idem EX PATRE ANTE SÆCULA GENITUS, idem EX MATRE IN SÆCULO generatus.
III. PERFECTUS DEUS, PERFECTUS HOMO, EX ANIMA rationali & humana CARNE SUBSISTENS.	III. PERFECTUS DEUS, PERFECTUS HOMO, in Deo summa Divinitas, in homine plena humanitas: quippe quæ animam simul habeat & CARNEM.... EX duplici diversaque SUBSISTENS animi corporisque natura.
IV. ÆQUALIS PATRI secundum Divinitatem, MINOR PATRE secundum humanitatem.	IV. Duę substantię sunt, una coæterna, & ÆQUALIS PATRI; altera ex tempore, & MINOR PATRE.

Tabula tertia.

Excerptum ex Symbolo.	*Excerptum e Commonitorio.*
I. Qui licet DEUS sit & homo NON DUO tamen, sed UNUS EST CHRISTUS.	I. UNUM Christum Jesum, NON DUOS, eumdemque DEUM pariter atque HOMINEM.... & hoc totum UNUS EST CHRISTUS.
II. UNUS AUTEM NON CONVERSIONE DIVINITATIS in carnem, sed assumtione HUMANITATIS in DEUM. UNUS omnino NON CONFUSIONE substantiæ, SED UNITATE PERSONÆ.	II. UNUS AUTEM NON....DIVINITATIS & HUMANITATIS CONFUSIONE, SED UNITATE PERSONÆ.... NON CONVERSIONE naturæ, SED PERSONÆ.
III. Nam SICUT ANIMA rationalis & CARO unus EST HOMO, ITA DEUS & homo UNUS EST CHRISTUS.	III. Igitur SICUT ANIMA connexa CARNI, non imitatur hominem, sed EST HOMO, ITA etiam, Verbum DEUS, uniendo se homini.... factus EST HOMO... & ex duabus substantiis UNUS EST CHRISTUS.
IV. Qui PASSUS est pro salute nostra, &c.	IV. Ecclesia Deum secundum hominem credit factum, PASSUM &c.

Hæc in Vincentii Commonitorio sparsim posita, in unum collegit laudatus vir Anthelmius: validum hinc elici ratus argumentum, quo Symbolum Vincentio eidem Lirinensi adscribatur. Et sane id probe eruditi viri argumentis conficitur, nihil repugnare scilicet, ut sit illud Vincentii Lirinensis opus. Quæ enim gravior ea in re occurrere videtur difficultas, ex confutata nempe in Symbolo Eutychetis hæresi hisce verbis: *Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ*, plane levatur ex simili Commonitorii loco superius posito: ex quo palam est, ante Chalcedonensem Synodum in usu fuisse eam loquendi formulam. Siquidem Vincentius in Commonitorio aliquot ante eam Synodum annis a se conscripto, iis est usus vocibus. Fatemur tamen nobis nondum prorsus constare fuisse Symbolum a Vincentio Lirinensi conscriptum: id solum liquet; ut Vincentius in Commonitorio voces passim in Ecclesia suo ævo observatas pro fide exponenda usurpavit, ita auctorem Symboli, quisquis tandem ille sit, vocibus usum esse suo ævo in Ecclesia receptis; imo conspicuum est neutrum aliam tenere viam, aliis uti dictis debuisse.

Ea

Ea enim est consuetudo, ut in cudendis Symbolis & Fidei confessionibus, loquendi solum genera vulgo a Catholicis usurpata adhibeantur, nec nova introducantur, nisi in Synodis, ac ne in Synodis quidem, nisi gravissima de causa.

Quod postremo loco dicitur, Vincentium ad Fidei confessionem denuo tractandam & explanandam sese solemni promissione constrinxisse; id sane de Symbolo hujusmodi adornando intelligi non posse liquet ex ejus verbis: *Hæc in excursu*, inquit, *dicta sunt*, *alias*, *si Deo placuerit*, *uberius tractanda & explicanda*. Quis enim non videat, his prolixiorem promitti tractatum, non ipso Symbolo tantum, sed etiam Commonitorio: quod multo prolixius est Symbolo, *Quicumque*?

Ceterum cum ex allatis supra testimoniis videatur in Galliis primum celebrari cœpisse hoc Symbolum, haud abs re conjectant eruditi viri, in Galliis illud fuisse elucubratum. Quod item forte suadeat antiquissimus ille in Galliis & in Anglia mos, Symboli alternatim concinendi: itemque mss. Gallicanorum copia & antiquitas. Treviris autem ab Athanasio fuisse adornatum testantur, Otto Frising. & post illum Durandus de Off. Div. lib. 4. cap. 2. Sed Baronius ad ann. 340. opinatur ab Athanasio Romæ Catholicam Fidei professionem coram Julio Pontifice fuisse recitatam. Qua de re quid sentiendum sit ex superioribus liquet.

IV.

De variis Symboli formulis, cum Latinis, tum Græcis.

Latini codices plerique omnes Symbolum exhibent cum perpaucis varietatibus, uno excepto Colbertino antiquissimo, qui non sententia, sed verbo tantum tenus multum discrepat ab Editis.

Græcæ vero formulæ ita inter se dissonant, ut a variis interpretibus ex Latino Græce versas fuisse conspicuum sit. Quatuor adserimus inferius: Gudlingius vero in notis ad Zialovvskium sex edidit formulas, ex quarum tamen numero tres ita inter se sunt affines, ut paucis dumtaxat lectionibus differant, quas nos annotavimus ad tertiam formulam.

Prima itaque formula Græca, ea est quam ad fidem Palatinorum codicum edidit Felchmannus, de qua superius actum fuit.

Secunda, quam edimus, formula, jam olim publici juris facta per Genebrardum anno 1560. quam ait ille esse Ecclesiæ Constantinopolitanæ, exstat in Regio codice num. 2502. olim ex Bibliotheca Joannis Huralti Boistallerii a Carolo IX. Venetias legati. In quo codice hæc leguntur ante Dialogum S. Athanasii cum Ario, τὸ παρὸν βιβλίον ἐγράφη παρ' ἐμοῦ Ζαχαρίου ἱερέως τοῦ Κρητὸς τοῦ Μαραφαρᾶ διὰ συνδρομῆς καὶ μισθοῦ, τοῦ ἐνδοξοτάτου κυρίου Ἰωάννου Βοισταλερίου πρεσβέως Ενετίησι, τοῦ ἐκλαμπροτάτου ἐ γαληνοτάτου αὐθέντου ῥηγὸς Κάρλου βασιλέως Γάλλων. καὶ εἴ τι ἄρετέ τι λάθος συγγνῶτε, ἀνθρώπινον πάθος τὸ ἁμαρτάνειν. ἔρρωσθε. Id est, *Hic Liber a me descriptus est Zacharia Marapbara, Presbytero Cretensi, ope ac mercede accepta Clarissimi Domini Joannis Boistallerii, Venetiis versantis, Legati Præclarissimi ac Serenissimi Domini Caroli Regis Gallorum. Si quem porro lapsum deprehendatis, ignoscite. Humanæ est infirmitatis peccare: Salvete*. Et inferius: *Transcriptus & recognitus liber hic est, ex vetustissimo exemplari Cretico; Venetiis anno* 1562. *impensa facta aurearum X. Zacharias Sacerdos transcripsi & habuit*. Incertum autem utrum ex illo quod memorat vetustissimo exemplari Symbolum etiam sit mutuatus, codex quippe amplæ molis multa & varia complectitur, quæ dubitare licet ex uno-ne codice exscripta fuerint an ex compluribus. Sane nullum vidimus Græcum hujus Symboli codicem qui trecentorum sit annorum, nec antiquum alium a quopiam visum fuisse novimus.

Tertia, primum edita fuit ab Henrico Stephano anno 1565. Deinde vero a Gilberto Genebrardo ex codice Lazari Baiffii, cum variis lectionibus ex editione Henrici Stephani quæ in nonnullis ab ea discrepat. Itemque ex postrema Conciliorum editione, quæ in pluribus differt ab utraque.

Quarta, Fidei formula, seu versio Symboli *Quicumque* in postrema Conciliorum editione cusa est, ex Usserio desumta, quam Usserius ex Patricii Junii Apographo mutuatus, publicam fecerat anno 1647. Hæc plane ἀδιαφόρως conscripta fuit. Estque notatu dignum, in prima & postrema formula Spiritum sanctum dici solum ex Patre procedere, in secunda & tertia, ex Patre Filioque: unde fortassis suspicio veniat fuisse illas a Latinis editas: cum hanc Græci doctrinam proterve ac temere contra sanctorum Patrum etiam Græcorum sententiam repudient.

Non ingratum Lectori fore putamus, quod binas Gallicas versiones his adjecerimus: quarum prior, uti dictum est, ex codice Colbertino 3133. a 600. annis conscripta est. Altera vero ex codice RR. PP. Fratrum Minorum 400. annorum. Videturque ex antiquiore codice exscripta: non consonat enim illa interpretatio cum latino Symbolo e regione posito; ita ut etiam inscriptio Latina a Gallica penitus discrepet, in prioreque Bonifacii, in posteriore vero Anastasii seu potius Athanasii esse dicatur.

His subjungimus Symboli explicationem Latine compositam ex codice hujusce Sangermanensis cœnobii annorum plus quingentorum exscriptam, non indignam, ut arbitramur, quæ in lucem prodeat.

Agmen claudit Græca Fidei confessio, ex codice Regio 2356. exscripta. Quæ item præfert Athanasii nomen: multisque, ut existimamus, post Athanasium sæculis edita est.

(1) Symbolum S. Athanasii de Fide Catholica, vulgo in Ecclesia receptum.

QUICUMQUE vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam Fidem: quam nisi quisque integram (2) inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes, Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti, una est divinitas, æqualis gloria & coæterna Majestas. Qualis Pater, talis Filius, (3) talis Spiritus sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus, Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus, Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed unus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: & tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: & tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus: & tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. Quia sicut sigillatim (4) unamquamque personam Deum aut Dominum confiteri Christiana veritate compellimur; ita tres deos aut dominos dicere Catholica Religione prohibemur. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus sanctus a Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus est, sed procedens. Unus ergo Pater, non tres patres; unus Filius, non tres filii; unus Spiritus sanctus, non tres spiritus sancti. (5) Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque (6) Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, (7) Deus & homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: homo ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima ra-

Σύμβολον τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου,

A Εἴ τις θέλει σωθῆναι, πρὸ πάντων χρὴ αὐτῷ τὴν καθολικὴν κρατῆσαι πίστιν, ἣν εἰ μή τις ὑγιῆ καὶ ἄμωμον τηρήσειε, πάσης ἀμφιβολίας ἐκτὸς εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται· πίστις δὲ καθολικὴ αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἕνα θεὸν ἐν τριάδι· καὶ τριάδα ἐν μονάδι σέβωμεν, μήτε συγχέοντες τὰ πρόσωπα, μήτε τὴν οὐσίαν διαμερίζοντες. ἄλλη γάρ ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς ὑπόστασις, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, καὶ ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἀλλὰ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, μία ἐστὶ θεότης, ἴση δόξα, B συνδιαιωνίζουσα ἡ μεγαλειότης. οἷος ὁ πατὴρ, τοιοῦτος καὶ ὁ υἱὸς, τοιοῦτον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. ἄμετρος ὁ πατὴρ, ἄμετρος ὁ υἱὸς, ἄμετρον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ υἱὸς, αἰώνιον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ ὅμως οὐ τρεῖς αἰώνιοι· ἀλλ' εἷς αἰώνιος· ὥσπερ οὐ τρεῖς ἄκτιστοι, οὐδὲ τρεῖς ἄμετροι, ἀλλ' εἷς ἄκτιστος, καὶ εἷς ἄμετρος. ὁμοίως παντοκράτωρ ὁ πατὴρ, παντοκράτωρ ὁ υἱὸς, παντοκράτωρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ ὅμως, οὐ τρεῖς παντοκράτορες, ἀλλ' εἷς παντοκράτωρ. οὕτω θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἀλλ' ὅμως οὐ τρεῖς θεοὶ, ἀλλ' εἷς θεός. ὡσαύτως κύριος C ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ ὅμως οὐ τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς ἐστι κύριος. ὅτι ὥσπερ μοναδικῶς ἑκάστην ὑπόστασιν, θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν χριστιανικῇ ἀληθείᾳ ἀναγκαζόμεθα· οὕτω τρεῖς θεοὺς, ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν, καθολικῇ εὐσεβείᾳ κωλυόμεθα. ὁ πατὴρ ὑπ' οὐδενός ἐστι πεποιημένος, οὔτε δεδημιουργημένος, οὔτε γεγεννημένος. ὁ υἱὸς ἀπὸ μόνου τοῦ πατρός ἐστιν· οὐ πεποιημένος, οὐδὲ δεδημιουργημένος, ἀλλὰ γεγεννημένος. * τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀπὸ τοῦ D πατρὸς, οὐ πεποιημένον, οὔτε δεδημιουργημένον, οὔτε γεγεννημένον· ἀλλ' ἐκπορευτόν. εἷς οὖν ἐστι πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες· εἷς υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοί· ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια. καὶ ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι, οὐδὲν πρῶτον, ἢ ὕστερον· οὐδὲν μεῖζον, ἢ ἔλαττον· ἀλλ' ὅλαι αἱ τρεῖς ὑποστάσεις συνδιαιωνίζουσαι ἑαυταῖς εἰσι καὶ ἴσαι. ὥστε, ἵνα διὰ πάντων, ὥσπερ ἤδη προείρηται, καὶ τριὰς ἐν μονάδι, καὶ μονὰς ἐν τριάδι λατρεύηται. ὁ θέλων οὖν σωθῆναι, οὕτω περὶ τῆς ἁγίας τριάδος φρονείτω. ἀλλ' ἀναγκαῖον δέ ἐστι πρὸς αἰωνίαν σωτηρίαν, E ἵνα καὶ τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ βεβαίως πιστεύῃ. ἔστιν οὖν πίστις ὀρθὴ, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς, θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστι. θεός ἐστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, πρὸ αἰώνων γεννηθεὶς· καὶ ἄνθρωπός ἐστιν ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς, ἐν χρόνῳ γεννηθεὶς, τέ-

* In prius editis post γεγεννημένος, legitur, ἐκ τοῦ πατρὸς, sed hæc postrema verba desunt in Reg.

(1) Codex Regius 2962. τὸ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν μεγάλου Ἀθανασίου, ὁμολογία τῆς αὐτοῦ πίστεως. In codice Felckmanni Græco nullus comparet titulus, nec scriptoris nomen. In Palat. codice legitur, σύμβολον τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου. Sangerman. 257. *Fides sancti Athanasii Episcopi Alexandriæ.* Qui ab Usserio dicitur fuisse Æthelstani Anglorum Regis, habet: *Fides Athanasii Alexand.* Colbert. 784. Mutilus est initio, & a media solum parte incipit, ut infra notatur. Regius codex 4908. nullum habet titulum. Qui ab Usserio dicitur esse tempore Gregorii M. descriptus, *Fides Catholica*, solum habet. Palat. 2. paulopost initium habet, πρὸ πάντων χρεία ἐστὶν ἵνα τὴν καθολικὴν κρατήσῃ πίστιν.

(2) S. Germ. *Inviolabilemque servaverit absque dubio peribit in æternum.* In Reg. *absque dubio*, deest. Ibid. Palat. sic, ὑγιῆ ἄμωμον τηρήσει αὐτὸς ἀπολεῖται εἰς.

(3) Mox, Reg. *talis & Spiritus sanctus*, & ita in subsequentibus particulam & ante *Spiritus sanctus*. Desinit autem in hæc verba: *Et tamen non tres æterni*, exinde mutilus est codex.

(4) S. G. *Unamquamque personam & Dominum & Deum*,

(5) S. G. *In hac Trinitate*, omisso, &.

(6) Colbertinus hic incipit, hac ratione: Post Synodum Chalcedonensem hæc minio descripta leguntur: *Explicit Synodum mundanum, id est, universale, apud Chalcedona.*

Hoc inveni Treviris in uno libro scriptum, sic incipiente: Domini nostri Jesu Christi & reliqua. Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. Deinceps atramento hæc: *est ergo fides recta*, &c. ad finem usque.

(7) S. G. *Et Deus pariter & homo est.* Colbertin. *Deus pariter & homo est.* Colbertin. ibid. *de substantia Patris*, & infra, *de substantia Matris*. Ibid. post, *Matris*, S. G. habet, *in sæculo genitus perfectus homo.* Mox S. G. & Colbertin. *ex anima rationabili*, qui postremus ita prosequitur ad finem usque: *& humana carne subsistens: æqualis Patri, secundum divinitatem, minor Patri* (sic) *secundum humanitatem. Qui licet Deus sit homo, non duo tamen sed unus est Christus. Unus autem non ex eo quod sit in carne conversa divinitas, sed quia est in Deo adsumta dignanter humanitas. Unus Christus est non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Qui secundum fidem nostram passus & mortuus ad inferna descendens, & die tertia resurrexit, atque ad cælos ascendit, ad dexteram Dei Patris sedet sicut vobis in Symbolo traditum est. Inde ad judicandum vivos & mortuos, credimus & speramus eum esse venturum. Ad cujus adventum erunt omnes homines sine dubio in suis corporibus resurrecturi, & reddituri de factis propriis rationem; ut qui bona egerunt eant in vitam æternam, qui mala in ignem æternum. Hæc est Fides sancta & Catholica, quam omnis homo qui ad vitam æternam pervenire desiderat, scire integre debet & fideliter custodire.* Sangermanensis vero codex post hæc verba: *Ex anima rationabili & humana carne subsistens;* sic prosequitur: *Æqualis Patri, perfectus Deus, secundum divinitatem. Qui licet Deus sit & homo, non tamen duo, sed unus est Deus. Unus autem non conversatione divinitatis in carne, sed assumtione humanitatis in Deo &c.*

τέλειος θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς, καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑποστάς, ἴσος τῷ πατρὶ, κατὰ τὴν θεότητα, ἥττων τοῦ πατρὸς, κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ὃς, εἰ καὶ θεὸς ὑπάρχει καὶ ἄνθρωπος, ὅμως οὐ δύο, ἀλλ' εἷς ἐστι Χριστός· εἷς δὲ οὐ τροπῇ θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα. εἷς καθόλου, οὐ συγχύσει φύσεων, ἀλλ' ἑνώσει ὑποστάσεως. ὥσπερ γὰρ ψυχὴ λογικὴ καὶ σὰρξ εἷς ἐστιν ἄνθρωπος· οὕτω θεὸς καὶ ἄνθρωπος, εἷς ἐστι Χριστός. ὁ παθὼν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, καὶ κατελθὼν εἰς τὸν ᾅδην, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστὰς, ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἀνελθὼν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθήμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς τοῦ παντοκράτορος· ὅθεν ἐλεύσεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. οὗ τῇ ἐλεύσει, πάντες ἄνθρωποι ἀναστήσονται σὺν τοῖς ἑαυτῶν σώμασιν ἀποδώσοντες περὶ τῶν ἰδίων ἔργων λόγον· καὶ οἱ καλὰ πράξαντες, * εἰσελεύσονται εἰς ζωὴν αἰώνιον· οἱ δὲ κακὰ, εἰς πῦρ αἰώνιον. αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, ἣν εἰ μή τις πιστῶς τε καὶ βεβαίως πιστεύσῃ, σωθῆναι οὐ δυνήσεται.

* Reg. ἀνελεύσονται, infra, [illegible]

A rationali & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ: nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo (1) unus est Christus. Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est B judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & redditturi sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

(1) S. G. *Unus Christus .... descendit ad infernos, resurrexit .... Sedit ad dexteram Patris sui.*

SECUNDA FORMULA.

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἡ μεγάλη ὁμολογία τῆς καθολικῆς πίστεως, ἣν ἔδωκε πρὸς Ἰούλιον πάπαν Ῥώμης.

Τῷ θέλοντι σωθῆναι, πρὸ πάντων ἀνάγκη τὴν καθολικὴν πίστιν κατέχειν· ἣν εἰ μή τις ἀκεραίαν καὶ ἀπαράθραυστον συντηρήσειεν, ἀναμφιβόλως εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται. αὕτη δέ ἐστιν ἡ καθολικὴ πίστις, ἵνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σέβωμεν, μήτε τὰ πρόσωπα συγχέοντες, μήτε τὴν οὐσίαν διαιροῦντες. ἄλλο γάρ ἐστι τὸ τοῦ πατρὸς πρόσωπον, ἄλλο τὸ τοῦ υἱοῦ, ἄλλο τὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἀλλὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μία ἐστὶ θεότης, ἴση δόξα, συναΐδιος μεγαλειότης. οἷος ὁ πατὴρ τοιοῦτος ὁ υἱὸς, τοιοῦτον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἄπειρος ὁ πατὴρ, ἄπειρος ὁ υἱὸς, ἄπειρον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἀΐδιος ὁ πατὴρ, ἀΐδιος ὁ υἱὸς, ἀΐδιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὐ μὴν τρεῖς ἀΐδιοι, πατρὸς καὶ υἱοῦ, οὐ ποιηθὲν, οὐ κτισθὲν, οὐ γεννηθὲν, ἀλλ' ἐκπορευόμενον. εἷς τοίνυν πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες· εἷς ὁ υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοί. ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια. ἀλλ' ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδὲν πρότερον ἢ ὕστερον οὐδὲν μεῖζον ἢ ἔλαττον· ἀλλὰ τρία πρόσωπα συναΐδια ἑαυτοῖς ἐστι, καὶ διὰ πάντων ἴσα. ὥστε εἰς κατὰ πάντα, καθὰς ἤδη εἴπομεν, καὶ τὴν τριάδα ἐν τῇ μονάδι, καὶ τὴν μονάδα ἐν τῇ τριάδι σέβειν ἡμᾶς. ὁ βουλόμενος τοίνυν σωθῆναι, οὕτω περὶ τῆς τριάδος φρονείτω, ἀναγκαῖον δὲ πρὸς τὴν αἰώνιον σωτηρίαν, καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σάρκωσιν πιστῶς κατέχειν. ἔστι τοίνυν βεβαία πίστις, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, θεὸν καὶ ἄνθρωπον εἶναι· θεὸν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ, πρὸ τῶν αἰώνων γεννηθέντα· * τέλειον θεὸν καὶ τέλειον ἄνθρωπον, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφεστῶτα· ἴσον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττονα τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ὃς εἰ καὶ C ἀλλ' εἷς ἀΐδιος. ὥσπερ οὐδὲ τρεῖς ἄκτιστοι, οὔτε τρεῖς ἄπειροι, ἀλλ' εἷς ἄκτιστος, εἷς ἄπειρος. ὁμοίως παντοδύναμος ὁ πατὴρ, παντοδύναμος ὁ υἱὸς, παντοδύναμον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὐ μὴν τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ' εἷς παντοδύναμος. οὕτω καὶ θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὐ μὴν τρεῖς θεοὶ, ἀλλ' εἷς θεός. οὕτω κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὐ μὴν τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς κύριος· ὅτι καθὼς ἕκαστον τῶν προσώπων θεὸν ἢ κύριον ὁμολογεῖν ὑπὸ τῆς χριστιανικῆς ἀληθείας ἀναγκαζόμεθα, οὕτω καὶ τρεῖς θεοὺς ἢ κυρίους λέγειν ἡ καθολικὴ θρησκεία κωλύει. ὁ πατὴρ τοίνυν ὑπ' οὐδενός ἐστι πεποιημένος, οὔτε ἔκτισται, οὔτε γεγέννηται. D μόνος υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστὶν οὐ ποιηθεὶς, οὐ κτισθεὶς, ἀλλὰ γεννηθείς. (1) τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ θεὸς ἐστι καὶ ἄνθρωπος, οὐ μὴ δύο, ἀλλ' εἷς ἐστι Χριστός· εἷς δὲ, οὐ τῆς θεότητος μεταβληθείσης εἰς σάρκα, ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπότητος ὑπὸ τοῦ θεοῦ προσληφθείσης· εἷς παντελῶς, οὐ φυρμῷ τῆς οὐσίας, ἀλλὰ τῇ τοῦ προσώπου ἑνότητι. ὥσπερ γὰρ ἡ λογικὴ ψυχὴ καὶ ἡ σὰρξ, εἷς ἐστιν ἄνθρωπος· οὕτω καὶ ὁ θεὸς καὶ ἄνθρωπος εἷς ἐστι Χριστός· παθὼν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, κατελθὼν εἰς τὸν ᾅδην, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν νεκρῶν ἀναστὰς, καὶ ἀνελθὼν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθήμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ παντοδυνάμου θεοῦ καὶ πατρὸς, ἐκεῖθεν ἥξει κρῖναι ζῶν- E τας καὶ νεκρούς· οὗ πρὸς τὴν παρουσίαν πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀναστήσονται μετὰ τῶν ἰδίων σωμάτων, ἀποδώσοντες λόγον περὶ τῶν ἔργων αὐτῶν. οἱ μὲν ὅσοι ἀγαθὰ πράξωσιν, εἰς τὴν αἰώνιον ἀπελεύσονται ζωήν· οἱ δὲ τὰ φαῦλα, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, ἣν εἰ μή τις πιστῶς καὶ βεβαίως πιστεύσειεν, οὐχ οἷός τε ἔσται σωθῆναι.

(1) In Synodo Florentina Tom. XIII. pag. 703. Ἀθανάσιος ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς ἑαυτοῦ πίστεως φησί· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν.

TER-

TERTIA FORMULA.

Ἔκθεσις ὁμολογίας τῆς καθολικῆς πίστεως τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας.

(1) ΟΣΤΙΣ ἂν βούληται σωθῆναι πρὸ πάντων χρὴ κρατεῖν τὴν καθολικὴν πίστιν· ἣν ὁ μὴ ὑγιῆ ἕκαστος σώαν καὶ ἀμώμητον (2) τηρήσῃ, αὐτὸ δίχα γε εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται.

Πίστις δὲ ἡ καθολικὴ αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἕνα Θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σεβώμεθα, μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν οὐσίαν (3) διαχωρίζοντες.

Ἄλλη γάρ ἐστιν ἡ ὑπόστασις τοῦ πατρὸς, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Ἀλλὰ πατρὸς, καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, μία ἐστὶν ἡ θεότης, (4) μία ἐστὶν ἡ δόξα, συναΐδιος ἡ μεγαλειότης.

B

Οἷος ὁ πατὴρ, τοιοῦτος ὁ υἱὸς, τοιοῦτον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον (5) καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Ἀκατάληπτος ὁ πατὴρ, ἀκατάληπτος ὁ υἱὸς, ἀκατάληπτον (6) καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ υἱὸς, αἰώνιον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. (7) Πλὴν οὐ τρεῖς αἰώνιοι, ἀλλ' εἷς αἰώνιος. οὐδὲ τρεῖς ἄκτιστοι, οὐδὲ τρεῖς ἀκατάληπτοι, ἀλλ' εἷς ἄκτιστος καὶ εἷς ἀκατάληπτος.

C

Ὁμοίως παντοδύναμος ὁ πατὴρ, παντοδύναμος ὁ υἱὸς, παντοδύναμον (8) καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· πλὴν οὐ τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ' εἷς παντοδύναμος.

Οὕτω Θεὸς ὁ πατὴρ, Θεὸς ὁ υἱὸς, Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. (9) πλὴν οὐ τρεῖς Θεοὶ, ἀλλ' εἷς Θεός.

(10) Ὁμοίως κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πλὴν οὐ τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς ἐστι κύριος.

Ὅτι ὡς (11) ἰδίᾳ μίαν ἑκάστην ὑπόστασιν Θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν τῇ χριστιανικῇ ἀληθείᾳ βιαζόμεθα, οὕτω τρεῖς Θεοὺς, (12) ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν, τῇ καθολικῇ ἀληθείᾳ κωλυόμεθα.

D

Ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστιν, (13) οὔτε μὴν κτιστὸς, οὔτε ποιητὸς, οὐδὲ γεννητός.

Ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς (14) μόνου ἐστὶν, οὐ ποιητὸς, οὐ κτιστὸς, ἀλλὰ γεννητός.

Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' (15) ἐκπορευόμενον.

Εἷς οὖν ὁ πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες· εἷς υἱὸς, A οὐ τρεῖς υἱοί· ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια.

Καὶ ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδὲν πρότερον ἢ ὕστερον, (16) οὐδὲν μεῖζον ἢ ἔλαττον, ἀλλὰ πᾶσαι αἱ τρεῖς ὑποστάσεις, συναΐδιαι οὖσαι ἑαυταῖς καὶ ἴσαι.

(17) Ὥστε κατὰ πάντα (καθὼς εἴρηται) καὶ τὴν μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τὴν τριάδα ἐν μονάδι (18) σέβεσθαι δεῖ. ὁ γοῦν βουλόμενος σωθῆναι, οὕτω περὶ τριάδος φρονείτω.

Πλὴν ἀναγκαῖόν ἐστι πρὸς τὴν αἰώνιον σωτηρίαν, ὅπως καὶ τὴν (19) ἐνσάρκωσιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὀρθῶς πιστεύσῃ.

Ἔστι γὰρ πίστις ὀρθὴ, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, Θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστι.

Θεὸς ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων γεννηθεὶς, καὶ ἄνθρωπος ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς ἐν τῷ αἰῶνι τεχθείς.

Τέλειος Θεὸς καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφιστάμενος.

Ἴσος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ὃς εἰ καὶ Θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστιν, οὐ δύο ὅμως, ἀλλ' εἷς ἐστι Χριστός.

Εἷς δὲ, οὐ τροπῇ τῆς θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει τῆς ἀνθρωπότητος εἰς Θεόν.

Εἷς πάντως, οὐ συγχύσει τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἑνότητι τῆς ὑποστάσεως.

Καὶ γὰρ ὡς ἡ ψυχὴ λογικὴ καὶ ἡ σὰρξ εἷς ἐστιν ἄνθρωπος· οὕτω καὶ ὁ (20) θεάνθρωπος εἷς ἐστι Χριστός.

Ὁ παθὼν διὰ τὴν σωτηρίαν (21) ἡμῶν, καὶ κατελθὼν εἰς ᾅδου, ἀνέστη ἐν τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν νεκρῶν.

Ἀνῆλθεν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, κάθηται ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς παντοκράτορος, ὅθεν ἥξει κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

Οὗ τῇ παρουσίᾳ πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀναστήσονται μετὰ τῶν σωμάτων αὐτῶν, καὶ ἀποδώσουσιν ἐξ ἰδίων ἔργων ἀπολογίαν.

Καὶ οἱ τὰ ἀγαθὰ πράξαντες πορεύσονται εἰς ζωὴν αἰώνιον· οἱ δὲ φαῦλα, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

Αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, (22) ἣν ἐὰν μή τις ἐκ πίστεως βεβαίως πιστεύσῃ, σωθῆναι οὐ δυνήσεται.

(1) Henric. Steph. ὅστις βούλεται.
(2) Concil. τηρήσειε.
(3) A[lii], μερίζοντες.
(4) Henric. Steph. μία ἐστὶ ἡ δόξα. Concil. ἴση δὲ ἡ δόξα. Ibid. Concil. συναΐδιος ἡ θεότης.
(5) Καὶ deest in Concil.
(6) Καὶ hic & in sequenti linea deest in Concil.
(7) Conc. καὶ γὰρ οὐ τρεῖς . . . οὐ τρεῖς ἄκτιστοι.
(8) In Conc. καὶ deest. Idem mox, καὶ γὰρ οὐ τρεῖς.
(9) Conc. καὶ γὰρ οὐ τρεῖς.
(10) Conc. οὕτω. Mox alii, κύριος καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ibid. Concil. de more, καὶ γὰρ οὐ τρεῖς.
(11) Sic Henric. Steph. recte. Editi vero, ἰδίαν. Mox Genebr. ἑκαστον. Conc. ἑκάστην.
(12) Conc. ἢ καὶ τρεῖς.
(13) Concil. οὔτε ποιητὸς οὔτε γεννητός.
(14) Sic Concil. Genebrardus vero habet, μόνον. Mox Genebrard. γεννητὸς. Concil. γεννητὸς, rectius.
(15) Concil. ἐκπορευόμενον. Mox idem, ὡς γραφή.
(16) Concil. οὐδὲ. Mox Genebrard. ἀλλὰ πᾶσαι αἱ. Ibid. Conc. τρεῖς ὑποστάσεις συναΐδιοι.
(17) Concil. οὕτω.
(18) Concil. σεβόμεθα ὁ οὖν.
(19) Concil. σάρκωσιν. Mox Genebrand. habet, ἔτι, ante, ὀρθῶς.
(20) Concil. Θεὸς καὶ ἄνθρωπος.
(21) Concil. ἡμετέραν καὶ κατελθὼν εἰς ᾅδην.
(22) Conc. ἣν ἐὰν μή τις ἕκαστος ἐν πίστει βεβαίως πιστεύσῃ &c.

QUARTA FORMULA.

ΕἼ ΤΙΣ βούλεται σωθῆναι, πρὸ πάντων αὐτῷ χρεία κρατῆσαι τὴν ὀρθόδοξον πίστιν. ἣν ἐὰν μή τις ἀμόλυντον καὶ ἄφθορον τηρήσῃ, αἰώνιον εὑρήσει τὴν ἀπώλειαν. πίστις οὖν ἡ ὀρθόδοξος αὕτη ἐστίν, ἵνα ἕνα Θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τὴν τριάδα ἐν μονάδι σέβωμεν, μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν οὐσίαν διαιροῦντες.

Ἄλλη γὰρ ὑπόστασις τοῦ πατρός, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἀλλὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μία ἐστὶν ἡ θεότης, ἓν τὸ κράτος, μία ἐξουσία, μία βασιλεία, ἴση ἡ δόξα, ἴση ἡ μεγαλωσύνη καὶ αἰώνιος. οἷος ὁ πατήρ, τοιοῦτος ὁ υἱός, τοιοῦτο τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἄκτιστος ὁ πατήρ, ἄκτιστος ὁ υἱός, ἄκτιστον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς ἄκτιστοι, ἀλλ' εἷς ἄκτιστος. παντοκράτωρ ὁ πατήρ, παντοκράτωρ ὁ υἱός, παντοκράτωρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς παντοκράτορες, ἀλλ' εἷς παντοκράτωρ. αἰώνιος ὁ πατήρ, αἰώνιος ὁ υἱός, αἰώνιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς αἰώνιοι ἀλλ' εἷς αἰώνιος. παντοδύναμος ὁ πατήρ, παντοδύναμος ὁ υἱός, παντοδύναμον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ' εἷς παντοδύναμος. οὕτω Θεὸς ὁ πατήρ, Θεὸς ὁ υἱός, Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς Θεοί, ἀλλ' εἷς ἐστι Θεός. κύριος ὁ πατήρ, κύριος ὁ υἱός, κύριος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς ἐστι κύριος. καὶ ὥσπερ μοναδικῶς μίαν ἑκάστην ὑπόστασιν Θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν χριστιανικῇ ἀληθείᾳ συνηγοροῦμεν· οὕτω τρεῖς Θεοὺς ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν οὐ συναινοῦμεν, ἀλλὰ παντελῶς ἀπαγορεύομεν. πατὴρ γὰρ παρ' οὐδενός ἐστι ποιητός, οὐ κτιστός, ἀλλ' ἀγέννητος. ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρός ἐστιν οὐ ποιητός, οὐ κτιστός, ἀλλὰ γεννητός. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρός ἐστιν, οὐ ποιητόν, οὐ κτιστόν, οὐ γεννητόν, ἀλλ' ἐκπορευτόν. εἷς λοιπὸν ὁ πατήρ, οὐ τρεῖς πατέρες, εἷς υἱός, οὐ τρεῖς υἱοί, ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια. καὶ ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδεὶς πρῶτος ἢ ἔσχατος, οὐδεὶς μείζων ἢ μικρός· ἀλλ' αἱ τρεῖς ὑποστάσεις, ἀΐδιαί τέ εἰσι καὶ ἴσαι εἰς πάντα, ὡς προείρηται· μονάδα γοῦν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι πᾶς χριστιανὸς εὐσεβείτω, καὶ οὕτω περὶ τῆς ἁγίας καὶ ζωοποιοῦ καὶ ὁμοουσίου τριάδος δοξαζέτω.

Ἀναγκαῖον δέ ἐστι καὶ τὴν σάρκωσιν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὀρθῶς πιστεύειν. ἔστι γοῦν ἡ πίστις ὀρθή, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ τοῦ Θεοῦ υἱός, Θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστιν.* Θεός ἐστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός· ἄνθρωπός ἐστιν ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρός. ἐπειδὴ γὰρ ἁμαρτήσας ὁ Ἀδάμ, θανάτῳ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ὑπέβαλε, καὶ τὴν φύσιν ἡμῶν ὑπεύθυνον τῷ χρέει πεποίηκεν, ὁ υἱὸς λοιπὸν τοῦ ἀοράτου πατρὸς καὶ Θεοῦ, ἐκ τῶν οὐρανῶν ἀνεκστάς πρὸς ἡμᾶς κατῆλθε. καὶ δι' ἀκοῆς εἰσδὺς τὴν νηδὺν τῆς ἁγίας παρθένου, μυστικῶς τὴν κυοφορίαν εἰργάσατο, ἐνδὺς τὴν ἡμετέραν φύσιν, κατ' ἄκραν ἕνωσιν. Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος προελθών, οὕτω τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκονομίαν ἐπλήρωσε δι' ἄφατον ἔλεον. καὶ τέλειος Θεὸς ὤν, γέγονε τέλειος ἄνθρωπος, μὴ τραπείς, μὴ ἀλλοιωθεὶς τὴν ὑπερούσιον καὶ ἄφραστον οὐσίαν τῆς αὐτοῦ θεότητος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑποστάς. αὐτὸς ἑαυτῷ σὺν τῷ συμφυεῖ αὐτοῦ παναγίῳ πνεύματι δημιουργήσας τὴν παναγίαν τῆς σαρκὸς πρόσληψιν, τελείαν οὐσίαν ἀνθρωπίνην ἐνυπόστατον αὐτῷ καὶ ἀδιαίρετον ἐξ αὐτοῦ, ἁμαρτίας ἀμέθεκτον. ἐκ τῶν παρθενικῶν ἁγνῶν αἱμάτων τῆς Θεομήτορος συμπαγέντος τοῦ σώματος, χωρίς τινος θελήματος ἢ ἐνθυμήματος σαρκικοῦ, τῆς δὲ ψυχῆς ἀΰλως κτισθείσης, νοερᾶς, λογικῆς, θελητικῆς, ἐνεργητικῆς,

* Al. αὐτός ἐστι ἐκ οὐσίας πατρός.

A QUICUMQUE vult salvus esse, ante omnia opus est ipsi ut teneat orthodoxam fidem; quam nisi quis impollutam & incorruptam servaverit, æternam inveniet perniciem. Fides igitur orthodoxa hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, unum imperium, una potentia, unum regnum, æqualis gloria, æqualis & æterna majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. B Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus; nec tamen tres increati, sed unus increatus. Omnium Imperator Pater, omnium Imperator Filius, omnium Imperator Spiritus sanctus; nec tamen tres omnium Imperatores, sed unus omnium Imperator. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus; nec tamen tres æterni, sed unus æternus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; nec tamen tres dii, sed unus est Deus. Dominus Pater, C Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus; nec tamen tres Domini, sed unus est Dominus. Et sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri oportere Christiana veritate defendimus; ita tres deos aut tres dominos dici non probamus, sed omnino repudiamus. Pater enim a nullo est factus, non creatus, sed ingenitus, Filius a Patre est non factus, non creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre est, non factus, non creatus, non genitus, sed procedens. Unus demum est Pater, non tres patres; unus Filius, non tres Filii; unus D Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Et in hac Trinitate nemo primus aut postremus: sed tres personæ æternæ sunt & æquales in omnibus, ut supra dictū est. Unitatem ergo in Trinitate, & Trinitatem in unitate omnis Christianus confiteatur: & ita de sancta vivifica & consubstantiali Trinitate sentiat.

Necesse autem est, & de Incarnatione Filii Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi recte credere. Est ergo fides recta ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia Patris; homo est ex substantia Matris. Cum enim peccato suo Adam hominum ge- E nus morti subjecisset, naturamque nostram debito obnoxiam fecisset; ideo Filius invisibilis Patris & Dei, ex cælis minime discedens ad nos descendit: ac per auditum ingressus in uterum sanctæ Virginis, mystice, seu arcano modo uteri gestationem effecit, ingressus in naturam nostram per summam unitatem: una Deus & homo progressus; sic eam quæ nos spectat œconomiam implevit, per ineffabilem misericordiam. Et perfectus Deus cum esset, factus est perfectus homo, non conversus, neque mutatus secundum supersubstantialem & ineffabilem substantiam suæ deitatis, ex anima rationali & F humana carne subsistens. Sibi ipse cum Spiritu sanctissimo qui ejusdem est naturæ, auctor est sacratissimæ assumtionis carnis. Perfectam humanam substantiam (assumsit) in se subsistentem, & a se indivisibilem, peccati expertem; corpore ex virginali casto sanguine Deiparæ compacto, absque voluntate aut cogitatione carnali: anima vero immaterialiter creata, intelligente,

rationali, voluntate prædite, & vi operandi; quæ tota cum carne visa est, ex ipso initio, ex prima existentia, ob suem cum ipso Deo Verbo summam unionem, non confusam secundum hypostesin. Æqualis ergo est Patri secundum divinitatem, minor eutem Patre secundum humanitatem. Et reipsa verus est Deus & homo; nec temen duo, sed unus est Christus. Unus autem, non conversa carne, sed essumta in Deum. Unus omnino non confusione substentiæ, sed unitate personæ. Nem sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Qui passus est carne propter nostram salutem, divinitate impatibili remanente; & sepultus est, & resurrexit, & assumtue est in cælos, seditque a dextris Dei & Petris. Inde rursum veniens judicabit vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes qui a sæculo dormierunt homines resurgent, rationem reddituri de operibus suis. Et qui bona egerunt ibunt, ejus jussu, in vitam æternam: qui vero mela egerunt, ibunt in supplicia æterna. Hæc igitur est orthodoxa fidee, quam qui non intemeratam servarit, salvus esse non potest.

A ἄλλως τεθεωμένης σὺν τῇ σαρκὶ, ἐξ αὐτῆς ἀρχῆς, ἐκ πρώτης ὑπάρξεως, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν τὸν θεὸν λόγον ἄκραν ἕνωσιν, ἀσύγχυτον καθ' ὑπόστασιν. ἴσος ὢν ἴσα τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων δὲ τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. καὶ ὄντως ἀληθινὸς ὑπάρχει θεὸς καὶ ἄνθρωπος. ὅμως οὐ δύο, ἀλλ' εἷς ἐστιν ὁ Χριστός· εἷς δὲ οὐ τραπεῖσα ἡ σάρξ, ἀλλὰ ἀναληφθεῖσα εἰς τὸν θεόν. εἷς ὅλως οὐ συγχύσει οὐσιῶν, ἀλλ' ἑνώσει τῇ καθ' ὑπόστασιν. καὶ γὰρ ὥσπερ ψυχὴ λογικὴ καὶ σάρξ, εἷς ὑπάρχει ἄνθρωπος, οὕτω καὶ θεὸς καὶ ἄνθρωπος εἷς ἐστιν ὁ Χριστός. ὃς ἔπαθε τῇ σαρκὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἀπαθοῦς τῆς θεότητος B μενούσης· καὶ ταφεὶς, καὶ ἀναστὰς, καὶ ἀναληφθεὶς εἰς τοὺς οὐρανοὺς, ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ καὶ πατρός. ἐκεῖθεν δὲ πάλιν ἐρχόμενος κρινεῖ ζῶντας καὶ νεκρούς. οὗ τῇ παρουσίᾳ πάντες οἱ ἀπ' αἰῶνος κεκοιμημένοι ἄνθρωποι ἀναστήσονται, λόγον ἀποδοῦναι περὶ τῶν πράξεων αὐτῶν. καὶ οἱ μὲν τὰ ἀγαθὰ πράξαντες πορεύσονται τῷ κελεύσματι αὐτοῦ εἰς αἰώνιον ζωήν. οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες, πορεύσονται εἰς αἰώνιον κόλασιν. αὕτη τοίνυν ἐστὶν ἡ ὀρθόδοξος πίστις, ἣν ὁ μὴ τηρήσας ἀμώμητον, σωθῆναι οὐ δύναται.

Cod. Colbert. 3153. nulla inscriptione.

KIKUNKES vult salf estre, devant totes choses bosoing est qu' il tienget la commune sei.

Laquele si cascun entiere e neent malmisme ne guerderat, senz dotance pardurablement pe- rirat.

Iceste est a certes la commune sei, que un deu en trinitet e la trinitet en unitet aorume.

Ne mie confundanz le persones, ne la substance deseuranz.

Altre est a decertes la personne del Perre, altre del Filz, eltre del seint Espirit.

Meis del Perre e del Filze del saint Espirit une est divinitet, oele gle pardurable majestet.

Quels est li Perre, tels est li Filz, tels li saint Espiriz.

Neent criez li Perre, neent criez li Filz, neent criez li sainz Espiriz.

Granz est li Perre, granz est li Filz, granz est li seinz Espiriz.

Pardurables li Perre, pardurables li Filz, pardurables li sainz Espiriz.

Nequedent ne sunt mie treie pardurables, mais un pardurable.

Si cume ne sunt treis nient criez ne treis granz, mais uns nient criez e uns granz.

Ensement trestutpoant li Perre, trestutpoant li Filz, trestutpoant li seinz Espiriz.

E nequedent nient tres trestutpoant, mais un trestutpoant.

Issi faiterement Deus est li Perre, Deus li Filz, Deus li sainz Espiriz.

E nequedent ne sunt treis Deus, mais uns Deus est.

Issi est li sire Perre, li sire Filz, li sire sainz Espiriz.

E nequedent ne sunt treis Seignurs, mais uns C est sire.

Kar si cume senglement chascune personne diu u nre Seignur regehir par Cristiene veritet sumes debotet,

Si faiterement tres Deus u Seignurs dirre par commune religiun sumes deveet.

Li Perre de nul n'est fait ne creez ne engendrez.

. . . .

Li sainz Espiriz del Perre & del Filz, nient fait ne criez ne engendrez, maie avant eissuz.

Dunkes est uns Perre, nient treis Perres, uns D Filz, nient treis Filz, uns sainz Espiriz, nient treis seinz Espiriz.

E en iceste Trinitet nule chose primes u derains, nule chose greindre u mendre.

Mais totes les treis persones ensemble parmanables à sei sunt e ensẽble oeles.

Issi que par totes choses, si cume ja devant dit est, e la unitet en la Trinitet e la Trinitet en unitet seit a onorer.

Ki vult dunkes salf estre, issi faiterement de la Trinitet sentet.

Mais bosoignable chose est à la pardurable santet, que lencarnatiun adecertes nre Seignur Jhu E Crist chascuns feelment creiet.

I danc est dreite fei que creums e regehisums, kar nostre sire Jhu Crist Filz de deu Deus e hom est,

Deus est de la substance del Perre devant les sieclez engendrez, e hom est de la substance de sa mere en siecle nez.

Reliqua desunt.

Can-

Canticum Bonefacii . Quicumque vult salvus esse , &c.

Ce chant fust S. Anaistaise qui apostoilles de Rome .

* Sans , sic cod. QUICUMQUES veust estre * sans devant toutes choses est mestiers que il tiegne la commune soi . Nul ne puet estre * saus se il ne mentient en sa vie seinte crestiene seelment .

* Sans , sic cod.

Laquelle se chacuns naura gardee entiere & nient violee sanz doute pardurablement perira . Qui ne tenra ceste soi de seinte crestiente loiaument eo fin sera dampnez pardurablemeot ,

Certes la foiz commune des crestiens est ceste que un Dieu en Trinite & la Trinite en uoite enoroms . Tele est la foiz de seinte crestiente que tuit crestien doivent croire & aorer un seul Dieu en Trinite & la Trinite comme un seu Dieu ,

Et non confundanz les persones ne la sustance de partanz issi est que nos ne devons pas mescroire que les troies persones ne soieot un Dex ne dire que la Trinitez soient troi Dieu .

Car une est la persone dou Pere . & autre la persone du fill. & autre la persone dou saint Esperit .

Mes cele dou Pere & cele dou Fill. & cele dou seint Esperiz est une divinitez egal gloire pardurable pardurable ma estez .

Ces troies personnes toutes ensamble sunt uns seuls Dex .

* Sic cod. * Quiex est li Peres tex est li Filz & tex est li seinz Esperix De tele hautece comme li Peres est de tele est li Filz & li seinz Espriz .

Non crez est li Peres non criez est li Filz non criez est li seinz Espriz : Nus ne fist le Pere , ne le Fill. ne le seiot Espriz .

Granz est li Pere granz est li Filz granz est li seinz Esperiz ,

La grandece dou Pere & dou Fill', & dou seint Espriz est une chose ,

Pardurables est li Peres pardurables est li Filz pardurable est li seinz Esperiz .

* Sic cod. id est , pourtant. Et ne * por quant il ne soot pas troi pardurable mes uns pardurables . Ces troies pardurabletez mes une seule .

Si come il ne sunt mie troi vient trie ausi ne sunt il mie troi grant mes tuit troi ensemble sunt uns deux vient triez & uns seul deux granz .

Ansint est touz puissanz li Peres tous puissanz li Fillz tous puissanz li seinz Espriz . Chacune de ces troies persones par soi est touz puissanz .

Et ne por quant ne devons pas dire que ces troies personnes soient troi Dieu tout puissant : mes uns deux toz puissanz .

Ausi est deux li Peres , deux li Filz diex li seins Esperiz ,

Et ne porquant ne devons pas dire que ces troies persones soient troi Dieu mes uns seuls Dieux ,

Au tressi sires est li Peres sires est li Filz . sires est li seins Esperiz . Chacuns de cez par soi est sires .

Et ne porquant ne devons pas dire que ces troies persones soient troi Seigneur mes uns seuls sires & uns seus Dieux .

Car si comme sanglement chacune persone so- A mes amoneste regehir Dieu & Seigneur par crestiene verite illi somes nos devec adire par commune religion trois Dieux & trois Seigneurs ausi comme la reisons requiert que nos dions que chacune de ces personnes est deux ausi requiert ceste meisme reisons crestiene que nos ne dions mie que ce soient troi Dieu ne troi Seigneurs mes uns seuls Dieux & uns seus sires .

Li Peres est faiz de nului ne criez ne engendrez . La persone dou Pere ne descendi de nului non ne nest se de lui non .

Li Filz est dou seul Pere ne mie fait ne criez B mes engendrez li Filz descendit dou Pere issiq li Petes nil Fist ne ne cria , ainz le traist de soi & envoia comme son esperite .

Li seins Espriz est dou Pere & dou Fill ne mie faiz ne engendrez mes descendans .

Li Peres ne li Fils ne furent mie le seint Esperiz quar ce est li leur meesmes .

Donques luis est Peres ne mie Fill li uns seinz Esperites ne mie troi seinz Esperite . Ces troies personnes ne sunt que uns seuls Dieux .

En ceste Trinite nest nule chose aincois ou C apres nule chose geindre ou meindre mes toutes les troies persones sunt ensamble pardourables . & en samble juex nule de ces trois persones nest graindre de l' autre . ne mendre de lautre quar ce est une seule deitez .

Et issi com il est ladit ca devant le devons croire que lunitez soit a * enorer en la Trinite . & la Trinitez en lunite . Issi come au commencement de cest Siaume a este dit croire devons fermement que ces trois persones sunt uns seuls deux .

* Sic cod.

Qui veust donques estre saus issi sente de la D Trinite . Entende & croie fermement que ces troies persones suot uns seus Dieux . Mes besoinz est apardurable salu que ausi croie chacuns seelement lincarnation de nostre Seigneur Dieu Jhesu Crist . Nus ne puet estre saus se il ne croit fermement que nostres sires Jhesu Criz descendi en terre . & prioft chair en la glorieuse Virge Marie por nostre sauvement . Donques est droite soiz que nous creons & regeissons que nostres sires Jhesu Criz est Fils de Dieu & Dieux & om . Droiz est que nos qui somes crestien creoos fermement que li Esperites qui descendi en la Vir- E ge Marie & la seinte chars que il prist sunt uns seuls Diex qui est apelez Jhesu Criz . Il est dex dela sustance dou Pere engendrez devant les siecles & om est dela sustance dela mere nez ou siecles Apertemēt poons vouer que nrēs sires Jhe Criz est Dex de par le Pere car ce est li esperites dou Pere & om de par la mere par la char que il prist en li . Par seiz Dex . par seiz om de revable ome & de char humaine parmenanz . Jhe Criz est voirs Dex & voirs om car cest li esperites de Dieu qui prist char tecriēne Egal au Pere selonc lumanite selonc ce que Jhu Criz F est Dex est ineux au Pere & selonc la char est mendres de lui Et ja soit ce quil est Dex & om . ne por quant ce ne sunt mie dui Criz ainz est uns seuls Criz , & ne porquant se Jhu Criz est Dex & om : por ce ne doit on mie dire que ce soient dui Crist Uns certes est ne mie par le con-

vertis-

vertiſſement de divinite en chars mes par la prinſe dumanite en Dieu. ces deux choſes deux & om ne demontrent mie une parce que la deitez fuſt muee en char mes porce que la char mua la deitez en Dieu. Uns del tout ne mie par ennullement de ſubſtance meis par lunite de perſone Car ſi come lame reiſnable & la charz eſt uns om auſi Dieux & om eſt uns Criſt. La nature dela char ne pot mie faire Dieu & ſoi une choſe mes la force de leſperite fiſt ſoi & & la char un Dieu.

Qui ſoffri paſſion por noſtre ſalu deſcendi as enfernex au tier jor reſuſcita de mort Icele chars que li eſperites prinſt en la glorieuſſe Virge morut pro nos ſauver. & deſcendi a enfer por delivrer ſes amis qui eſtoient & la ſorce de leſperite la fiſt reſuſciter & lamporta oſoi. Il monta es cieuls & ſiet ala deſtre de Dieu le Pere tout puiſſant diluec eſt avenir jugier les vis & les mors.

A Noſtres ſires Jheſu Criz qui ſouffri mort por nos & deſcendi a enfer por ſes amis. & reſucita de mort a vie & monta es ciels deſcendra au jour del iviſe por jugier les vis & les mors Au cui avenement tuit li ome ont areſuſciter e leur cors & ſuot arendre de leur propres ſeiz reſon. Quant noſtres ſires Jheſu Criz vendra jugier le monde lors revenront toutes genz en chair & en os & leur es convendra rendre reiſon de leur uueures. Et cil qui bien firent iront en vie pardurable. meis cil qui mal firent iront en feu qui durera ſans fin. En la gloire Dieu enterront, cil qui mal B auront oure deſcendront en enfer. Ceſte eſt la foi cōmune la quele ſe chacuns naura creue feelment, & fermement ſaus ne porra eſtre Itex eſt la creance de ſeinte creſtiente comme ciſt ſiaumes nos deviſe & qui iſſi ne croit dannez ſera pardurablement.

ADMONITIO.

HIc, *Symboli Quicumque, Commentarius prodit ex codice Bibliothecæ ſancti Germani a Pratis numero 199. quingentorum circiter annorum, non indignus qui ſtudioſo Lectori exhibeatur.*

INCIPIT TRACTATUS DE FIDE CATHOLICA.

1. QUICUMQUE *vult ſalvus eſſe: ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem*. Hic Beatus Athanaſius liberum arbitrium poſuit: ſicut Psal. 33. 12. dicit in Pſalmo: *Quis eſt homo qui vult vitam*, & Matth. 16. 24. iterum in Euangelio ipſa veritas ait: *Qui vult venire poſt me*, ſimiliter & hic, *Quicumque vult*. Quare Deus omnipotens nullum hominem invitum aut coactum trahit ad fidem, niſi qui ſua propria voluntate vult venire ad fidem. Sed quicumque vult ſalvus eſſe in corpore vel in anima, neceſſitas eſt illi ut teneat Catholicam fidem. Quare ante omne opus neceſſe eſt ut fides præcedat; ante omnem operationem, ante omnem inchoationem, ante omne principium unicuique opus eſt ut teneat Ca-Hebr. 11. 6. tholicam fidem, dicente Apoſtolo: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Unde & Abacuc Prophe-Galat. 3. 11. ta ait: *Juſtus autem ex fide vivit*. *Catholica:* eſt Sermo Græcus, Latine interpretatur, generalis vel univerſalis. Generalis pertinet ad omnes homines: Univerſalis quia per univerſum orbem diffuſa eſt. Fides eſt credulitas qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus. Unde Apoſtolus di-Hebr. 11. 1. cit: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Dicitur enim fides eo quod fit inter Deum & hominem. Iſtam fidem, iſtam credulitatem ante omnia nobis opus eſt tenere, quia fides eſt fundamentum omnium virtutum. Et idcirco prius ædificemus fidem quæ eſt fundamentum & ſuper eam ceteras virtutes: quia ſine fide nullus ſalvus eſſe poteſt.

2. *Quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit abſque dubio in æternum peribit*. Quam fidem niſi quiſque integram id eſt unuſquiſque integram & plenam & perfectam ſervaverit, id eſt ut eam non ſcindat per hæreſim neque ab ullo ſchiſmate corrumpatur. *Inviolatam*, id eſt, ut eam non violet male docendo, atque prædicando, ut ſi eam non cuſtodierit integram & inviolatam, abſque dubio in æterna damnatione peribit.

3. *Fides autem Catholica hæc eſt ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur*. Nunc manifeſtat quid eſt fides, vel qualia eſt, vel qualiter unuſquiſque credere debeat. *Ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur.*

C Debemus Deum credere trinum & unum. Unum in ſubſtantia, & trinum in perſonis. Nec propter Trinitatem debemus dimittere unitatem, nec propter unitatem debemus dimittere Trinitatem. Ut ipſum quem colimus, credimus, unum veneremur & trinum, unum propter unitatem ſubſtantiæ, trinum propter perſonarum vocabula. Veneremur, id eſt, adoremus.

4. *Neque confundentes perſonas neque ſubſtantiam ſeparantes*. Confundere eſt commiſcere. Quare non debemus tantum unam perſonam credere ſicut Sa-D bellius hæreticus aſſerebat, ſed tres perſonas Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Nec ſubſtantiam ſeparare ut Arrius hæreticus affirmabat: dicebat enim quod ſicut erant tres perſonæ ita fuiſſent & tres ſubſtantiæ. Patrem aſſerebat majorem Filio, Filium minorem Patre, Spiritum ſanctum miniſtrum eorum dicebat. Subſtantia dicitur eo quod ex ſemetipſa ſubſiſtat. Subſtantia vero commune eſt nomen omnium rerum quæ ſunt. Cælum enim, ſol, luna, terra, arbores & homines ſubſtantiæ dicuntur. Deus igitur ſubſtantia eſt & E ſubſtantia prima, & omnium ſubſtantiarum cauſa, quia omnium rerum creator eſt. Eſſentia igitur proprie de Deo dicitur, quia ſemper eſt quod eſt qui incommutabilis eſt.

5. *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti*. Hic contra Sabellium ſunt perſonæ diviſæ, qui aſſerebat eſſe unam. Quia Pater in ſua perſona nec eſt Filius, ſed tantum Pater, nec Filius in ſua perſona eſt Pater, ſed tantum Filius, nec Spiritus ſanctus in ſua perſona F eſt Pater nec Filius, ſed tantum Spiritus ſanctus: ex utroque procedens perſona dicta eſt eo quod per ſe ſonat.

6. *Sed Patris & Filii & Spiritus ſancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas*, id eſt, coæqualis, ſine initio & fine, & gloria & poteſtate.

7. *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus*. Quia ſicut Pater eſt æternus vel omnipotens ſeu inviſibilis, ſimiliter & Filius & Spiritus ſanctus.

8. *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiri-*

Spiritus sanctus. *In*, præpositio est in hoc loco, pro, *non*, posita. Increatus Pater, id est, non creatus, quia ipse est Creator omnium, & a nullo creatus; ipse est omnium factor & a nullo factus. Increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Increatus Filius, non creatura sicut Arrius dicebat, quia simul omnia creavit cum Patre. Similiter & Spiritus sanctus.

9. *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus*. Immensus, quia ejus magnitudinem vel quantitatem nullus mensurare potest, quia cælo est excelsior, & terra profundior & latior mari. Et est incircumscriptus, incorporeus, inlocalis, ubique totus & non est locus
Psal. 138. 8. ubi non sit, sicut dicit in Psalmo: *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero ad infernum ades*. Et si ivero ad extrema maris, ibi me dextera tua tenebit. Ipse est enim intra omnia & non inclusus, extra omnia & non exclusus. Similiter & Filius qui attingit a fine usque ad
Psal. 32. 6. finem fortiter. De quo scriptum est: *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Pari modo & Spiritus sanctus, unde dicitur: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*.

10. *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus*. Hic æternum pro sempiterno debemus intelligere. Æternus Deus dicitur quia sine initio & fine fine constat: similiter & Filius & Spiritus sanctus. Sicut numquam non Pater ita numquam non Filius ac Spiritus sanctus.

11. *Et tamen non tres æterni, sed unus æternus*, id est, in substantia.

12. *Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus*. Quia unum est in substantia.

13. *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*. Omnipotens dicitur Pater quia omnia potest, non a patiendo quod non vult, sed a faciendo omnia quæcumque vult, quia nihil illi impossibile est: omnipotens & Filius. Quicquid potest Pater, potest & Filius, nihilominus & Spiritus sanctus.

14. *Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens*, id est, in substantia. Ista nomina Patris & Filii & Spiritus sancti quæ sæpe diximus relativa sunt quia alia ad alia referuntur; sicut verbi gratia servus ad dominum, dominus ad servum, magister ad discipulum & discipulus ad magistrum: pater ad filium & filius ad patrem. Quia nullus pater dicitur nisi habeat filium cujus sit pater, & nullus filius dicitur nisi habeat patrem cujus filius sit. Quia si non habuisset filium, numquam habuisset nomen patris. Similiter Spiritus sanctus non a se, sed alicujus est spiritus. Est & aliquod vocabulum ubi spiritus relative dicitur, quomodo donum donatoris & donator doni. Donatorem dico esse Patrem, donum vero Spiritum sanctum. Donum refertur ad donatorem, & donator ad donum. Ecce qua ratione Spiritus sanctus relative dicitur.

15. *Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*. Deus proprium nomen Trinitatis pertinens ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum, translatum ex Græca appellatione. Nam Deus Græce dicitur Theos, id est timor, unde tractum est Deus quod eum colentibus sit timor. Proprium nomen est Pater, quia solus est Pater, & proprium nomen est Filius quia solus Filius est a solo Patre, & proprium nomen est Spiritus sanctus quia ab utroque procedit. Deus est Pater quia ipse est fons & origo deitatis. Similiter Filius Deus,

A hoc non a semetipso quia non est a se, sed a solo Patre est genitus. Pari modo & Spiritus non a se Deus, sed a Patre & Filio est procedens.

16. *Et tamen non tres dii, sed unus est Deus*. Sicut scriptum est: *audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est*.

17. *Ita Dominus Pater Dominus Filius Dominus Spiritus sanctus*. Dominus dicitur a dominatione eo quod creaturam suam dominetur regat atque gubernet. Similiter & Filius & Spiritus sanctus.

18. *Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus*; in substantia.

B 19. *Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur*. Singillatim, id est, distincte vel separatim. De Patre si quis te interrogaverit, quid est in persona? responde Deus & Dominus: si autem de Filio, Deus & Dominus similiter: si vero de Spiritu sancto, indubitanter responde plenum Deum & Dominum eum esse. *Compellimur*, id est, cogimur vel admonemur. *Ita tres deos aut dominos dicere Catholica religione prohibemur*, id est vetamur.

20. *Pater a nullo est factus nec creatus nec genitus*.
C Pater a nullo est factus, quia ipse est omnium factor. Nec creatus, sed creator, nec genitus, sed genitor. Pater enim Græce Latine genitor dicitur.

21. *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. Filius a Patre solo est non factus, quia ipse est omnium factor simul cum Patre. Sed est genitus solus a solo Patre. Et unaquæque persona habet proprium, quod non habet alia. Proprium habet in persona Pater, quia solus Pater est. Et proprium habet in persona Filius, quia solus a Patre genitus est. Sed & habet aliquid
D proprium Filius quod non habet Pater, nec Spiritus sanctus. Habet æternitatem cum Patre & Spiritu sancto: & habet in tempore nativitatem de Matre, quam non habet Pater, nec Spiritus sanctus. Quia non suscipit Pater carnem in sua persona, nec Spiritus sanctus, sed tantum Filius, ut nobis in se ostenderet duas habere naturas; unam ante omnia sæcula qua genitus est ex Patre, & de qua dicit Isaias: *Generationem ejus quis enarrabit?* alteram in tempore qua natus est ex Matre; Isaiæ. 53. 8.
de qua dicit Paulus Apostolus: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum fa-* Galat. 4. 4.
E *ctum ex muliere, factum sub lege*, in quo complacuit plenitudinem divinitatis habitare corporaliter. De Patre sine initio, & sine fine; de Matre initium habet & nullo concluditur fine.

22. *Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Spiritus sanctus non debet ingenitus vel genitus dici, quia si ingenitus diceretur sicut Pater, dicerentur duo Patres. Si genitus, duo Filii æstimari possent. In sancta Trinitate proprium habet Spiritus sanctus quia non est Pater, nec Filius, sed Spiritus sanctus & procedens a Patre & Filio.
F Audis quia iste ab ambobus, sed Filius ab uno, Pater a nullo est. Ac per hoc demonstrantur aperte proprietates eorum. Ideo igitur Spiritus Dei sanctus vocatur, quia Patris & Filii sanctitas est. Nam cum sit & Pater spiritus & Filius spiritus, & Pater sanctus & Filius sanctus, proprie tamen vocatur ipse Spiritus sanctus.

23. *Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti*. Sed unus Pater quia solus sibi unicum genuit Filium. Et unus Filius, quia singulariter ab uno Patre genitus est. Unus Spiritus

ritus ſanctus, quia a Patre & Filio unicus procedit.

24. *Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus.* Nihil prius aut poſterius, quia nullus antiquior eſt & nullus poſterior, nullus inferior & nullus ſuperior. *Sed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*

25. *Ita ut per omnia ſicut jam ſupra dictum eſt, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit.* Debemus colere & adorare Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate.

26. *Qui vult ergo ſalvus eſſe ita de Trinitate ſentiat.* Hic rogat & admonet ut unuſquiſque doctor memoriter eam teneat, & firmiter credat, & alium prædicando doceat.

27. *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat.* Neceſſe eſt nobis ut ſicut ſuperius diximus ita credamus. Si vero vitam æternam volumus habere, id eſt, cum Chriſto ſine fine regnare, neceſſe eſt ut incarnationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credamus. Quomodo fideliter? Non adoptivum, ſed proprium Dei filium, ſicut dicit
Rom. 8. 32. Apoſtolus: *Proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*

28. *Eſt ergo fides recta ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt.* Pari modo inchoat enarrare ſecundum humanitatem Chriſti, quod ſit fides recta, ut ipſam humanitatem credamus corde & confiteamur ore,
Rom. 10. 10. ſicut dicit Apoſtolus: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Deus & homo unus eſt. Eſt verus Dei filius, quia ſecundum divinitatem nihil minus, extra ſecundum humanitatem quam Deus Pater, nihil minus extra peccatum quam homo.

29. *Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.* Deus eſt ex ſubſtantia Patris, id eſt, ex æqualitate naturæ, ante ſæcula genitus, id eſt, ante omnem
Pſal. 109. 3. creaturam ſicut dicit in Pſalmo: *Ex utero ante luciferum genui te.* Ex utero, id eſt, ex mea ſubſtantia; ante luciferum, id eſt, ante omnem creaturam. *Et homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus*, id eſt, totus homo cum corpore & anima, in omnia nobis ſimilis, abſque peccato. Ex ſubſtantia matris, id eſt, de æqualitate naturæ matris in ſæculo natus, id eſt, in his temporibus. Non aliunde niſi de ſemine mulieris, ſine coitu viri car-
Prov. 9. 1. nem ſuſcepit. Unde Salomon: *Sapientia ædificavit ſibi domum*, hoc eſt, ædificavit Chriſtus ſibi
Rom. 1. 3. carnem de Beata Maria, de qua legitur. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.*

30. *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Perfectus Deus*, id eſt, plenus, quia nihil indiguit. Perfectus homo, quia nihil minus habuit extra peccatum, quam homo. *Ex anima rationali.* Chriſtus veram animam habuit unde Sapientia creſcere potuiſſet, ſicut di-
Luc. 2. 52. cit in Euangelio: *Jeſus autem proficiebat ſapientia & ætate.* Sapientia in anima, & ætate in corpore. *Et humana carne ſubſiſtens.* Quia humus terra dicitur de humanitate carnem aſſumſit.

31. *Æqualis Patri ſecundum divinitatem minor Patre ſecundum humanitatem. Æqualis Patri ſecundum divinitatem* ſecundum illud: *Ego & Pater unum ſumus.* *Minor Patre ſecundum humanitatem*
Joan. 10. 30. juxta quod dicit: *Pater major me eſt.* In quo homo eſt minor a divinitate.

32. *Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.* Ideo ſic conjungi voluit Dei Filius cum humana natura, ut ex his duabus ſubſtantiis fieret una perſona.

33. *Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in Deo.* Non quod illa divinitas quæ eſt Filius Dei ſe convertiſſet in humanitatem, ut quod erat divinum, hoc fieret humanum; ſed aſſumendo naturam noſtram ſic eſt unus effectus ut non amitteret quod erat, ſed aſſumeret quod non erat. Aſſumſit humanitatem, & non amiſit divinitatem.

34. *Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Non in eo naturæ commixtio eſt, ut vel divinitas mutaretur in naturam humanitatis, vel humanitas converteretur in naturam divinitatis, ſed utrique naturæ manet proprietas in perpetuum. Tanta tamen conjunctio eſt naturarum, ut idem qui æternaliter ex Deo Patre genitus eſt, homo ſit verus. Homo propter ſuſcipientem Deum, Deus verus, Deus Dei Filius; propter ſuſceptum hominem, homo verus. Perſonam quippe Filii Dei non ex duabus perſonis unitam, ſed ex duabus naturis exiſtere credimus, de duabus perſonis compoſitam credere, ut nefas vetamus.

35. *Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Sicut enim ex carne & anima unum dicimus hominem, & unuſquiſque habet duos homines in ſe, unum carnalem, alium ſpiritalem, unum viſibilem, alium inviſibilem, unum mortalem, alium immortalem, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.

36. *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis.* In quo paſſus? in quo videbatur, in quo homo erat, in quo crucifixus, in quo mortuus, in quo ſepultus, in quo reſurrexit. Quia divinitas impaſſibilis eſt, ſed in conjunctione perſonæ Filius Dei dicitur paſſus. *Deſcendit ad inferos*, id eſt, anima cum verbo, quia priuſquam humanitas aſſumta eſt a divinitate, non eſt ſeparata a Verbo, ſed ipſa anima a corpore ſeparata eſt. Quia ſi non eſſet ſeparata non poſſet mori. Et iſte deſcenſus ad ſolam animam pertinet. *Tertia die reſurrexit a mortuis*, ut nobis exemplum reſurrectionis oſtenderet ſicut Propheta ait: *Poſt duos dies ſuſcitabit nos & ter-* Hoſeæ 6. 3.
tia die reſurgemus, & in conſpectu ejus vivemus.

37. *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Aſcendit ad cælos ipſa humanitas quæ fuit paſſa, ſicut Angeli dixerunt: *Viri Galilæi quid ſta-* Act. 1. 11.
tis aſpicientes in cælum? Hic Jeſus qui aſſumtus eſt a vobis in cælum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Quia ſecundum divinitatem ad nullum poteſt aſcendere locum, ſed ubique totus eſt. *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Dexteram autem Dei non carnalem, non corporalem, ſicut humana habet natura, ſed in hoc pro gloria Dei convenit accipere. Ac ſi aperte dicat: regnat in gloria Dei, & ſedere pro regnare dicitur. *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Venturus eſt in eadem forma in qua crucifixus, in qua mortuus, in qua ſepultus eſt, in qua reſurrexit, non in ea tantum humanitate in qua antea fuit, ſed in gloria & majeſtate. Et ideo in eadem forma ut videat Herodes & Pilatus quem judicaverunt, & videant Judæi quem tradiderunt, ut videant milites quem crucifixerunt, ut videant impii quem negaverunt. *Vivos*, quos ejus adventus invenerit in corpore viventes. *Mortuos*, qui mortui erunt ab initio uſque in illum diem. Vel aliter. Vivos, id eſt, ſanctos; mortuos, id eſt, peccatores * cum peccatoribus ſuis.

* Sit ordo.

38. *Ad*

38. *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.* In adventu Christi unusquisque, sive justi, sive peccatores resurgere habent cum corporibus suis, & reddere de factis propriis rationem. Reddet autem rationem non fabula verborum, sed recordatione omnium quæ fecit, sive bonum, sive malum. Et secundum hoc unusquisque recipere debet, boni bona, mali mala.

39. *Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam*, in vitam æternam erunt boni sine fine in gloria regnaturi. *Qui* B *vero mala in ignem æternum.* Quia semper erit malis sine fine pœna inferni, & sine ulla misericordia cum corpore & anima non consumturi, sed semper arsuri, & nunquam deficient.

40. *Hæc est fides Catholica quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit salvus esse non poterit*, sicut superius diximus. Ista est fides Catholica. Hic rogat & admonet ut unusquisque Sacerdos hoc sciat & prædicet. *Quam*, id est, quam fidem, *nisi quisque*, id est, unusquisque, *fideliter*, ut de ea non dubitet, *firmiterque crediderit*, ut nullus a sua fide removeri possit, nullus schismate vel hæresi. Et ita non crediderit, *salvus esse non poterit.*

Explicit Tractatus de fide Catholica.

MONITUM.

OPUSCULUM *de Trinitate prodit ex ms. Regia* 2358. *videturque conscriptum post Chalcedonensem Synodum, quo autem ævo ignoratur.*

Τῦ αὐτῦ (Ἀθανασίου.)

ΜΙΑΝ φύσιν δοξάζετε πατρὸς ϗ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος τὴν θεότητα, ϗ τρεῖς ταύτας τὰς ὑποστάσεις, πατέρα, υἱὸν ϗ πνεῦμα ἅγιον, „ καθὼς ϗ βεβαπτίσμεθα. πορευθέντες γάρ φησι, „ μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς „ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς ϗ τοῦ υἱοῦ ϗ τοῦ ἁγίου „ πνεύματος. μίαν μὲν φύσιν, ἵνα τὸ πλείους δοξάζειν ϗ κατατέμνειν εἰς πολλοὺς θεοὺς τὴν μίαν θεότητα τῶν ἑλληνῶν ἐστι. τρεῖς δὲ ὑποστάσεις, ἤτοι πρόσωπα, ἵνα μὴ σχῇ χώραν τῶν Ἰουδαίων ἡ δόξα, ϗ ἵνα μὴ ἄγονος ᾖ ϗ ἄλογος ὁ πατὴρ ἐξ οὗ πᾶσα πατριά· ϗ ὁ λόγος τοῦ ἡμετέρου λόγου ἐνδεέστερος, μὴ ἔχων πνεῦμα. ϗ ἵνα τὸ τέλειον ᾖ ἐν τρισὶ τελείαις ταῖς ὑποστάσεσι. ϗ γὰρ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐν ἡμῖν νοῦ, λόγου τε ϗ πνεύματος, πατὴρ ϗ υἱὸς ϗ πνεῦμα. πνεῦμα δὲ ἀκούων, ἅγιον ἐνυπόστατον νόει. ἡμῶν μὲν φθαρτῶν ὄντων, ϗ τὸ πνεῦμα λυόμενον. τοῦ δὲ ἀθανάτου πάντως τὸ πνεῦμα ἀθάνατον, ὡς οὐσία τις ἐνυπόστατος. μία οὖν ἐστι τῶν τριῶν ὑποστάσεων φύσις, ἡ θεότης, ϗ μία θέλησις, ϗ μία ἐνέργεια, μία δύναμις. ἓν βούλημά τε καὶ κίνημα, ϗ ἔξαλμα τῆς λαμπρότητος τῶν τριῶν. θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα, εἷς τὰ τρία· θεὸς τέλειος ὁ πατὴρ, τέλειος ὁ υἱὸς, τέλειον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. τῆς αὐτῆς τιμῆς, τῆς αὐτῆς ἐξουσίας. δημιουργοὶ τῶν ὄντων ἁπάντων, ϗ συνεκτικοί, ϗ προνοητικοί, ὁμοίως πάντα τοῖς τρισὶ, ϗ ἀπαραλλάκτως ϗ ταυτῶς, ὅσα τὸ εἶναι, ϗ ὅσα τὸ τί μὴ εἶναι, ϗ ὅσα τὸ πῶς ἔχει πρὸς τὰ κτιστὰ, ϗ ὅσα τῆς ἐνεργείας, ϗ ὅσα τῆς δυνάμεως, ὅσα τῆς ἀϊδιότητος, ϗ ὅσα καθ' ὑπεροχὴν, ἢ κατ' αἰτίαν εἶναι λέγεται. οἷον τὸ εἶναι ταυτὸν, τὸ ἀσώματον εἶναι τὸ ἀκατάληπτον, τὸ βασιλεύειν, τὸ δημιουργεῖν, τὸ * θεοῦν, τὸ δύνασθαι, τὸ ἀΐδιον εἶναι, τὸ ἀρχὴν εἶναι ὑπεράρχιον, τὸ οὐσίαν εἶναι ὑπερούσιον, τὸ φῶς λέγεσθαι. τὸ δὲ σκότος τὰ συμβολικῶς λεγόμενα οἷον, θυμοῦσθαι ϗ ὀργίζεσθαι, ὑπνοῦν ϗ ἐγρηγορέναι. ταῦτα πάντα τῇ μιᾷ φύσει προσαρμόζοντες, οὐκ ἐκ τῶν κατ' αὐτὴν δηλοῦμεν, ὃ νοοῦμεν αὐτὴν, ἀλλ' ἐκ τῶν περὶ αὐτήν. μίαν δ' οὖν τὴν φύσιν εἰδότες τῶν τριῶν ὑποστάσεων οὐδενὶ τῶν ἄλλων διαφερουσῶν, ἢ ταῖς ἰδιότησι ταύταις, τὸ γεννᾷν λέγω ϗ τὸ γεννᾶσθαι, ϗ τὸ ἐκπορεύεσθαι, καὶ ὅτι τὸ μὲν πατὴρ τὸ δὲ υἱὸς, τὸ δὲ πνεῦμα. ϗ ὅτι ὁ μὲν πατὴρ γεννήτωρ ϗ προβολεὺς, γεννήτωρ μὲν τοῦ υἱοῦ, προβο-

Ejusdem (Athanasii) de Trinitate.

UNAM esse naturam existimate Patris & Filii & Spiritus sancti, & hasce tres hypostases, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, quemadmodum & baptizati sumus. *Nam euntes*, inquit, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Matt. 28.19. Unam quidem naturam, quia plures celebrare & in multos deos dividere, Ethnicorum est: Tres autem hypostases, sive personas; ut ne locum habeat Judæorum sententia, & ne absque prole & absque Verbo sit Pater: *Ex quo omnis paternitas.* Ephes. 3.15. Et Verbum, nostro verbo indigentius, si non habeat Spiritum. Et ut perfectum illud, in tribus sit perfectis hypostasibus. Nam juxta imaginem ejus qui in nobis est intellectus, verbi ac spiritus, ita est Pater, Filius & Spiritus. Spiritum porro cum audis, sanctum & hypostaticum intellige. Nos quidem corruptibiles sumus, & spiritus solvitur (a corpore.) Ejus autem qui immortalis est, plane immortalis est Spiritus, utpote substantia quædam hypostatica. Una igitur est trium hypostasium natura, una deitas, una voluntas, una operandi vis, una potentia, unum placitum, unus motus, unus splendor ex tribus exsiliens. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, hæc tria unus. Deus perfectus Pater, perfectus Filius, perfectus Spiritus sanctus: ejusdem honoris, ejusdem potestatis. Qui res omnes crearunt, easque continent & curant. Iis tribus omnia similiter, sine discrepantia, eadem ratione conveniunt, sive quod esse, sive quod non esse spectat, sive quoad rationem qua se habent erga creaturas, sive quoad operationem, sive quoad potentiam, sive quoad æternitatem, sive quod excellentiam spectat & causæ rationem. Quale est, idem esse, incorporeum esse qui comprehendi nequeat, regnare, creare, posse, æternum esse, principium esse supra omne principium, lumen dici. Tenebræ autem sunt quæ symbolice (de Deo) dicuntur, scilicet indignari, irasci, dormire, vigilare. Hæc omnia uni naturæ congruenter adtribuentes, non ex iis quæ ad eam pertinent significamus aut intelligimus, sed ex iis quæ circa illam sunt. Unam itaque scimus esse naturam trium hypostasium, quæ nullo alio differunt, quam hisce proprietatibus, generare scilicet, generari, & procedere, & quod illud sit Pater, illud Filius, illud Spiritus, & quod Pater quidem sit genitor & productor, genitor Filii, productor Spiritus: Filius proles, Spiritus productus.

Et

telligitur pertinere, in quibus cursum nec sol nec luna conficit. Diem autem Dominicam, primam diem esse dubitare non possumus, quia dicit Scriptura sex diebus factum esse mundum, & septima die requievisse, quam septimam Sabbatum appellavit. Unde manifestum est primam diem in prima feria quæ est Dominica constitisse. Sive enim hoc secundum mundum, sive secundum spiritum computemus, ex una origine inveniemus computationis utriusque rationem, quia ad imaginem spiritus septiformis, & sæculi hujus, dierum septenarius numerus constitutus est. Similiter cum dicat Genesis facta esse duo luminaria in cælo, ut lucerent super terram, solem in inchoatione diei, lunam in inchoatione noctis, plenam lunam intelligimus esse generatam, ut facta ad inluminationem terræ in inchoatione noctis, tota in terra nocte luceret, sic passionis Dominicæ resurrectio, quæ creaturam servitio liberavit, in æquinoctio veris luna plena, Dominica die traditur exstitisse. Sed quia, sicut computatio invenit, concurrere sibi per singulos annos in universitate non poterat, ut scilicet æquinoctium & luna plena & dies Dominica convenirent: Sequenti enim anno in eodem die luna 25. secunda feria deprehensa est, judicatum est æquinoctium ad * natale Paschæ, cum duæ illæ partes & dies & luna deessent, non sufficere. Itaque rectius statutum est ad natalem Paschæ diem, mensem integrum *relari* in quacumque ejus parte & dies & luna concurrerent. Neque hoc sine auctoritate Scripturæ; ut enim Moyses cum Pascha mandaret: *Mensis hic vobis initium mensium primus erit vobis in mensibus anni*. Quo verbo tantum mensem ad celebrationem Paschæ intelligitur consecrasse. Ita majores nostri, qui 11. Kal. Aprilis principium anni invenerunt, mensem exinde computantes in 11. Kal. Maii extenderunt. Sic Pascha nec ante 11. Kal. Aprilis, nec post 11. Kal. Maii celebrari posse decretum est. Sed cum in hoc mense & luna & dies convenirent, luna scilicet plena & Dominica dies, tunc Pascha censitum est celebrandum. Sane quia frequenter rursus cum Dominica die lunæ plenitudo convenit, extendi in 7. dies maluerunt, dummodo etiam Dominicam in resurrectionis memoriam retinerent. Ita quando dies sic venerit usque ad vigesimam primam lunam propter Dominicam diem Pascha differimus, quod ipsum non sine Scripturæ auctoritate; dicit enim Moyses: A decima quarta usque ad vigesimam totos septem dies Paschæ sanctificatos esse debere. Unde ad hunc numerum extendi posse lunam decretum est. Prudentes autem magis ad lunam & diem quam ad æquinoctium natalem Paschæ diem *redierunt*. Luna enim plena totius noctis illuminat tenebras, sicut nos a corruptela tenebrarum illuminatio spiritus liberavit, & post æquinoctium Pascha celebretur, in majori jam luce, & in minori jam nocte celebrabitur. Dominica vero dies resurrectio est dierum; ad initium enim redit & finem revocat ad vitam. Ita hæc magis visa in natali lætitiæ, & creaturæ liberatione servanda, maxime cum intra primi mensis terminos retinentur. Rursus majorem diei religionem quam lunæ indicaverunt, si quando non posset utrumque servari. Decimam quartam enim lunam, quam diem Dominicam egredi maluerunt, quia tota salus in resurrectione est, quam in die Dominica esse monstravimus, in qua & ortus dierum & resurrectio continetur, propterea quod in ipsa Dominus resurrexit. Luna vero licet ad vigesimam primam partem non totam impleat noctem, plurimum tamen noctis illuminat & superat, in quo prudenter majores nostri maluerunt usque ad vigesimam primam extendi, quam ante decimam quartam Pascha celebrari, quia post *. ergum tenebras viæ illius est relinquere, quam antecedentes non posse superare. Itaque hanc summam & hanc conclusionem in * penace constituto a majoribus, invenimus Pascha nec ante 11. Kal. Aprilis, neque post 11. Kal. Maii posse celebrari. Cujus observationis narratione narrata, reliqua prosequamur, ut imagini illi in qua Judæis Pascha mandatum est veritatem comparemus in Christo * omnes masculos immaculatus anniculus in Pascha Judæis mandatur occidi. Hic est Christus patiens injuriam, qui sicut agnus ductus est ad occisionem: masculum non tantum ad sexum, sed & ad animi firmitatem referre debemus. Immaculatum ostendit Scriptura quæ dicit, quod peccatum in eo non fuit, nec inventus est dolus in ore ejus. * Anniculus ex eo dicitur, quod in eo totius orbis spatia continentur, & sicut anni ætas in quatuor temporibus, & 12. mensibus computatur, sic fides in 4. Euangeliis, & 12. Apostolis continetur. Hic ex ovibus & bœdis jubetur assumi, quod Hebræi ita intellexerunt, ut si agnus non fuisset inventus, hœdus immaculatus immolaretur in Pascha, quod longe aliter est dictum. Nam ex permixto semine hœdorum & ovium postulatus est agnus, quod quidem natura non recipit, sed in Christi figura monstratum est, quia genus ejus ex Israelitis, & alienigenis Moabitis invenitur esse permixtum. Dominus autem * agnus istis, hœdus peccatoribus comparavit, ita quia ipse originem secundum carnem non solum a Deo, sed ex peccatoribus gentibus esset habiturus, agnus ex hœdis & ovibus postulatur; quì ad vesperam mandatur occidi. In occasu enim & fine mundi passus ostenditur: nam tempus hoc nostrum novissimos sæculi dies Dominus Apostolique docuerunt. Quod vero de sanguine agni domus superlimen consignari jussit, ne a vastatore angelo tangeretur, ostendit crucis signum quo frontem signamus figuram sanguinis obtinere. Hoc autem signaculo ab angelo vastatore defendimur. Comedere hujus agni carnes jubemur, quia liberandus est populus, sicuti Christus ait: *Nisi quis comederit carnem meam* non habet vitam manentem. Caro autem Christi verbum est Dei, * qui *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; sic istas carnes assatas comedere mandamur, crudas elixasque prohibemur. Cocta enim Christi verba non cruda, probata in multo tentationum ardore, nec mollia, nec fluxa, nec labi facilia. Hæc cum azymo pane sumenda sunt, sicut Apostolus ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque celebremus illud, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*. Addi azymis amaritudines herbarum docet, quia angustia & tribulus est via quæ ducit ad vitam. Lumbos præcipit zona constringi, ne in libidinis luxuriam resolvantur. Calceamenta in pedibus esse, sicut Apostolus mandat, calceare pedes nostros in euangelio pacis oportere: constanter enim euangelizare non possumus, nisi gressus nostros contra omnes injurias & dolores quodam sensus munimine vestiamus. Baculus debet esse in manibus, quia in hac via vitæ sicut baculus stabilimentum est & disciplina; ideo Salomon non vetat baculum

* Natale Paschæ vox Latinis usitata.

Exod. 12. 2.

* l. tergum

* pinace

* Vide Gaud. Brixianum in Serm. 3. de Pascha.

* l. agnum ... hœdum.

Joan. 6. 54.

* quia

Joan. 1. 14.

1. Cor. 5. 7.

lum de filii capite removeri, oſtendens diſciplinam. Hæc autem monet, omnia in feſtinatione facienda, quia tardus & lentus in Dei gratia non probatur. Stare ergo nos in procinсто oportet ſimiles hominibus profecturis, ut cum vocaverit nos Dominus, non moremur. Ita demum enim evadentes interitu a ſervitute, perveniemus ad regnum Dei, in quo præparavit nobis delectabiles manſiones, qui nos vocavit per Chriſtum Jeſum Deum & Dominum noſtrum, cujus eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Explicit feliciter.



IN-

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

Genesis.

Exodi.

Levitici.

Numerorum.

Deuteronomii.

Josue.

Judicum.

Regom primi.

Secuodi Regom.

Tertii Regum.

Qoarti Regum.

Paralipomenon primi.

Paralipomenon secundi.

Judith.

Job.

Psalmorom.

131. *Os*

Proverbiorum.

Ecclesiastæ.

Canticorum.

Sapientiæ.

13. 5.

Ecclesiastici.

Esaiæ.

ad

Jeremiæ.

Threnorum.

Baruch.

Ezechielis.

Danielis.

32\. Qui-

46. *Sur-*

Marci.

Lucæ.

Joannis.


me

10. O.

Actuum Apostolorum.

Ex Epistolis Pauli.

autem



INDEX RERUM SECUNDI TOMI.

A

B.

C.

Chri-

Hero-

Pal-

P.

Q.

R.

S.

F I N I S.

